SC.22.P/.1.

37
34 F
8

- ARA 1826

# CAROLI SIGONII
# OPERA OMNIA.
TOMI PRIMI PARS ALTERA.

Digitized by Google

# CAROLI SIGONII HISTORIARUM DE OCCIDENTALI IMPERIO LIBRI XX.

*Ab anno nempe recuperatæ ſalutis CCLXXXIV. uſque ad annum DLXV.*

CUM NOTIS

P. D. JANUARII SALINAS NEAPOLITANI MONACHI BENEDICTINI CONGREGATIONIS CASINENSIS.

MEDIOLANI, MDCCXXXII.

IN ÆDIBUS PALATINIS.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# D. JANUARII SALINAS
## MONACHI BENEDICT. CONGREG. CASINENSIS
## PRÆFATIO.

Rerum geſtarum narratio, dum ab illis contexitur, qui ipſamet ætate vixerunt, cujus eventa referuntur, vel eidem fuere proximiores, majorem habet dignitatem, & pretium; nec legentium animus facilè aſſentitur Hiſtoricis, qui à priſcis temporibus longè remoti, vetera perſequi ſcribendo aggrediuntur; etenim ſi mentis oculus in præſentibus objectis dijudicandis non rarò cæcutit, an procul diſſita perſpiciet? Neminem latet quanto Reipublicæ litterariæ malo nuper elapſis ſeculis plerique vetuſtiſſima monumenta venditare moliti, inaudita commenta nobis obtruſerint, quæ ſanior ars critica, tametſi hiſce temporibus florentiſſima, nondum ab hominum animis potuit evellere. Hæc tamen Sigonii auctoritatem Occidentalis Imperii res enarrantis à Diocletiano ad Juſtinianum uſque nullatenùs elevant, qui etiamſi longè poſteriori ævo ſcripſerit, attamen veterum, eorumque celebriorum Scriptorum gloriam penè æmulatus videtur; quæ ſi quidem prodidit, ex primævis fontibus accepit Græcis, Latiniſque, quos diligentiſſimè perluſtravit, eorum ſcripta proprium in ſuccum, ſanguinemque convertens, acrique uſus judicio, ſingulorum genium probè novit, ſcribendique conſilia, ne vitia imitaretur Ethnicorum præſertim, qui perſæpè fucum poſteritati fecerunt. Nec contentus Hiſtoricos omnes, quotquot ſua ætate præſtantiores reperiri poterant, evolvere ad ſuam Hiſtoriam concinnandam, accerſit quandoque rebus enarratis ab Auguſtorum ſanctionibus lumen; atque præſidium, unde diſcere liceat non modò ubinam Principes verſarentur, quinam Præfecti Prætorio, Urbique, quæ Imperii adminiſtratio, verum & qui temporum mores, quæ mala graſſarentur, quæque adhibita fuerint remedia: nec Rhetorum Panegyricos prætermiſit, qui Auguſtorum, Cæſarumque laudes in Quinquennalibus, Decennalibus, aliiſque hujuſmodi Feſtis celebrabant, undè edocentur poſteri relatos ab illis triumphos, bellorum tempora, publica ædificia excitata, aliaque quamplura ſcitu digniſſima ad Hiſtoriæ veritatem apprimè conducentia. Neque mirum ſi rebus Imperii Eccleſiæ geſta ſæpè fuſiùs intexuerit; cum enim Imperatores partim Orthodoxam Fidem exagitarint, partim profanas admoverint manus Eccleſiaſticis negociis: alii è contrà Rempublicam Chriſtianam benefactis amplificarint, munierint legibus ſaluberrimis, obortas repreſſerint hæreſes, ſchiſmata extinxerint: aliquoties item præcipuarum Sedium Epiſcopi, ipſique Romani Pontifices Auguſtorum opem implorarint pro Religione ſartatecta ſervanda adversùs effrænium heterodoxorum nefaria molimina, fieri minimè poterat, ut Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ non mediocris pars cum illa Occidentalis Imperii copularetur: quod ſanè præſtitit, ut non utiles modò, verùm & jucundiſſimos legentibus Auctor Noſter hos libros exhibuerit ob tantam eventuum varietatem. Ipſa tamen non officit, quin cuncta ſint ἐν τάξει ſuis ſedibus collocata; Is enim alterum Hiſtoriæ oculum Chronologiam, quantum ea ferebant tempora, ejuſdemque leges pro viribus ſervavit: nondum quippè ſua ætate, qua primò invaleſcere cœperant ſtudia litterarum, optimarumque artium, temporum calamitate ſepulta, prodierant tot antiquitatis clariora monumenta, quibus characteres temporum firmarentur: non-

dum

dum ſtatutæ, vel ad praxim feliciter redactæ criterii leges, quibus vera à falſis, certa ab incertis, à ſpuriis genuina opera ſecernerentur. Hinc planè non mirum, ſi in multiplici rerum geſtarum Hiſtoria humani aliquid paſſus ſit Auctor N., ſive depravata SS. Martyrum Acta offendens, ſive Epiſtolas Summorum Pontificum ante Siricium (ex quibus ſatis paucæ admittendæ antiquis Patribus notæ) veluti legitimas adoptans, quas merces procul abegit ſequior deinde ætas à Republica litteraria. Seculi quoque vitio in mendoſos Codices incidens, corruptoſque Catalogos Romanorum Pontificum, eorumdem obitum, ac Succeſſorum creationem ſuis eâ quæ par erat ſedulitate temporibus conſignare non potuit. Ceterum Conſulatus (ſi tres, aut quatuor excipias, ut ſuis locis patebit) rectè notat, omiſſa ſolummodò aliquoties nota numerali, in uno, & altero præſertim Conſulatu Ordinario.

Quoad dicendi genus pertinet nitida eſt Auctoris N., perſpicua, & latè fluens oratio rerum majeſtati reſpondens, utpotè qui à latinæ linguæ venuſtate ferè non recedit, niſi ubi novæ Dignitates, & Officia in Imperium invecta, aureæ Latinorum ætati incomperta, eamdem ſervare non patiuntur: vel ubi Eccleſiaſticæ res, ac Religionis negocia nova vocabula ſuppeditant, Sacrorum Conciliorum, Divorumque Patrum uſu jam conſecrata; tunc enim monitum ſecutus Auguſtini pertimeſcendas eſſe non cenſuit ferulas Grammaticorum: idque in cauſa fuit, ut impios hæreticorum ſenſus aptè adeò explicarit, & Eccleſiæ mentem, atque decreta in iis profligandis non minùs ſincerè retulerit, ac feliciter attigerit.

Quo autem legentibus ex hujus hiſtoriæ lectione majus accederet emolumentum, curatum eſt, ut paſſim in Notis laudentur Auctores, unde rerum narrationes A. N. hauſit, nam, ſi lubeat, fontes adire poterit Lector, è quibus in rivulos hiſtoria dimanavit: item Scriptorum (quos Auctor ipſe aliquandò laudat) loca indicantur, more ſeculi prætermiſſa. Plura illuſtrantur, ſupplentur, emendantur alia: omnia certioribus temporibus conſignantur, ubi Auctorem N. quid in Chronologiam commiſiſſe, validæ, urgenteſque rationes ſuadent; ità tamen ut plura loco movenda non fuerint, quamvis à pleriſque Chronologis recentioribus aliis annis, temporibuſque conſignentur, nè intemperantioris criticês prurigine agi videremur. Quæcumque autem deſunt ad uberiorem Hiſtoriæ hujus lucem ſuppleat benevolus Lector, ſciens, culpam non tantummodo in tenuitatem ingenii, ſed & in melioris notæ librorum inopiam eſſe conjiciendam.

*Jussu Rev.mi P. D. Bonaventuræ Finardi, Bergomatis, S. Georgii Majoris Venetiarum Abbatis, ac Congregationis nostræ Benedictino-Casinensis Præsidis Generalis sub die XI. Kalend. Januar. MDCCXXXI. emanato, accurate legimus Notas ad* Caroli Sigonii Imperium Occidentale *&c. elucubratas à P. D. Januario Salinas Neapolitano, Congregationis ejusdem Decano, ac S. Theologiæ Lectore, cumque in illius nihil, nisi probandum invenerimus, easque penitiori eruditione refertas animadvertimus, ideò Typis, quantum nostra interest, perdignas esse censemus.*

*Mediolani in Ædibus D. Simpliciani XIII. Kal. Junias MDCCXXXII.*

*D. Joannes-Andreas Astezati Brixianus Cœnobii ejusdem Prior Claustralis.*

*D. Joh. Gaspar à Mediolano Monachus S. Petri Inglassiatensis.*

## PRO P. D. JANUARIO A NEAPOLI.

*Cum librum inscriptum* Notas ad Caroli Sigonii Imperium Occidentale, *elucubratum à P. D. Januario à Neapoli Congregationis nostræ Decano, ac Lectore, accurate perlegerint Ad. Rev. P. Prior D. Joannes Andreas à Brixia, & P. D. Joannes Gaspar à Mediolano, ex commissione Rev.mi P. Præsidis prædecessoris nostri, & ipsi eorum attestatione edi posse probaverint, typis mandari concedimus. Datum in Monasterio SS. Floræ, & Lucillæ Aretii hac die 19. Junii 1732.*

D. CAROLUS A PERUSIO PRÆS.

L. (✠) S.

*D. Carolus Franciscus à Perusio Secret., & Cancell. de Mandato.*

Digitized by Google

AD ILLUSTRISSIMUM ET EXCELLENTISSIMUM

# DOMINUM JACOBUM

## BONCOMPAGNUM

## VINEOLÆ MARCHIONEM,

E T

## GENERALEM S. R. E. GUBERNATOREM

CAROLUS SIGONIUS.

*IMperium Romanorum longe omnium terra, marique latissimum* (1), *Illustrissime, atque Excellentissime Princeps, primus Augustus Cæsar* (2) *non solum armis, opibusque firmavit, sed etiam legibus, ac magistratibus exornavit. Nam cum provincias omnes descripsisset, & certos singulis Rectores, Præsides, Proconsules, Præfectosque imposuit, tum limites Imperii terminavit,* (3) *atque ad eorum custodiam firmissima castella, exercitusque promptissimos collocavit. Inde Trajanus, & successores ejus subtiliorem aliam* (4) *provinciarum divisionem introduxerunt, atque alios earum etiam Gubernatores, Præsides, Consulares, & Correctores* (5) *instituerunt, ac demum limites legionibus etiam aliis instruxerunt. Postremo Diocletianus superioribus ferme reliquis institutis retentis illud novi induxit, quod Imperium cum alieno ita communicavit, ut proxime sibi succedentibus occasionem ejus dividendi, Constantio inquam, Galerioque, attulerit. Quod institutum excipiens Constantinus sic subinde adauxit, ut Roma sede Imperio Occidentali relicta, alterum Orientali domicilium struxerit, ac proprios utrique magistratus adjunxerit. Qua divisione invecta res Romanæ ad id usque temporis validæ, atque magnificæ, quasi infirmiores, ac deteriores effectæ primum occulte labi; deinde aperte præcipitari cœperunt, quousque ad extremum ipsorum sive ignavia principum, sive perfidia ducum, sive potentia hostium, corruerunt. Hostes vero fuere Persæ, Scythæ, atque Germani, qui ultra ipsos Imperii limites, Eufratem, Istrum, Rhenumque flumina constituti, atque in varias gentes, populosque divisi quotidianis agrorum incursionibus atque assiduis bellorum contentionibus utrunque Imperium primum misere lacerarunt, deinde funditus everterunt. Has porro clades*

(1) Vide quæ Dionyf. l. p. 3., hinc Ovid. Fast. II. v. 683.

*Gentibus est aliis tellus data limite certo,*
*Romanæ spatium est urbis, & orbis idem.*

Flos porrò Asiæ, Africæ, & Europæ Imp. Rom. subjectum; nam sub Augusto fines ejusdem ab Oriente Euphrates; à Meridie Nili cataractæ, & deserta Africæ, & Mons Atlas; ab Occidente Oceanus; a Septentrione Danubius, & Rhenus. Hinc Tacit. Annal. l. 9. 5. *Mari Oceano, aut amnibus longinquis septum Imperium.*

(2) *Ex sententia Munatii Planci Octavianus Cæsar à Senatu, cæterisque civibus ante diem XVI. Kal. Febr. nomen Augusti accepit, inquit Censorin. l. de die Natali 21., se VII., & M. Vipsanio Agrippa III. Coss.* compulsus, ut Imperium solus obtineret, teste Dione l. 53., quod VII. Id. Januar. ab eo susceptum esse, ostendit Inscript. ap. Gruter. p. 229.

(3) *Incertum metu, an per invidiam*, inquit Tacit. l. 11. 8., Augustum libello, quo rationes Imperii conscripserat, *consilium addidisse coërcendi intra terminos imperii*. Augusti exemplo Impp. aliqui potius intenti augendæ dignitati, quam Imperio propagando, referente Appian. Histor. proœm. inter barbaros, fere inopes, parumque utiles.

(4) Is enim ab Oriente Arabiam, Armeniam, Mesopotamiam; à Septentrione Daciam subegit; unde moti, prolatique termini trans Euphratem ad Tigrim: iterumque trans Danubium, universâ Daciâ addita Mari Rubro. Quod laudat Tacit. Annal. II. 61. 4. *Ventum est ad Elephantem, & Syenem, claustra olim Imp. Rom., quod nunc Rubrum ad mare patescit.*

(5) In Notitia provinciarum Hieroclis *Corrector* Paphlagoniæ in Asia, & *Corrector* Augustanicæ primæ in Ægypto. Item in Cod. Theodos. memoratur Dux, & *Corrector* limitis Tripolitani, XII. I. 133. Notitia quoque utriusque Imperii *Correctorem* Syriæ in Pannonia recenset. In Italia verò *Correctores* Venetiæ, & Histriæ; Flaminiæ, & Piceni, & ceteri alii ap. antiquos relati; unde illud Poetæ:

*Esse quoque in Fatis reminiscitur affore tempus,*
*Quo Mare, quo Tellus, correptaque Regia Cœli*
*Ardeat, & Mundi moles operosa laboret.*

Vide & Lucret. de Nat. rer. l. 2.

*des gravissimas, atque omnium sine dubio atrocissimas vehementius etiam tetra Christianæ ipsius tum primum orientis Ecclesiæ vulnera cumularunt; quæ illi continenter modo vetusta principum ex suscepta gentilitate perfidia, modo nova antistitum de fide Christiana discordia inflixerunt. Quæ mala simul acerbitate sua terras usque adeo late complexa sunt, ut nulla prope earum tam remota regio fuerit, quæ non aut hominum sanguine cruentata, aut urbium incendio deformata, aut fortunarum expilatione exinanita, atrox in omnes post annos sui spectaculum exhibuerit, ut, si elementa omnia in hujus universitatis exitium conspirassent, quod aliquando futurum viris olim doctissimis placuit, neque facilius, neque perniciosius, neque miserabilius tantam, tamque opibus firmam Imperii molem dissipatura fuisse videantur, quàm, cum principibus temere sævientibus, ac barbaris atrociter irrumpentibus ipsæ provinciæ clade etiam apud posteros lachrymabili pervastatæ sunt, donec vetere demum sublato in Occidente Imperio novas barbarorum dominationes, & nova regnorum domicilia receperunt. Quæ historia, quanquam ad notitiam hominum præclarissima, nondum tamen ita litteris est, ac memoriæ commendata, ut diligens, atque ordinatus contextus ejus inquirentibus universus appareat. Neque enim veteres excellenti ingenio homines hæc omnia sibi colligenda, & in tempora redigenda putarunt, & qui nostra memoria ad hoc muneris accesserunt, ne id quidem prorsus in hoc genere videntur voluisse, quod potuerunt. Nos autem priscis omnibus Græcorum, & Latinorum monumentis, quibus præcipuo Dei munere nostra hæc affluit ætas, in unum contractis, fieri posse judicavimus, ut lucis aliquid rebus obscurissimis afferremus, si notatis singularum actionum, casuumque temporibus in suos quæque annos digereremus. Quo studio nullum ad acta superioris ætatis aut oratione explicanda, aut memoria conservanda esse accommodatius potest. Quamobrem quidquid ocii mihi ab iis laboribus est tributum, quos in Academia Bononiensi publicis muneribus occupatus suscipio, id totum libenter ad hanc unam curam, atque operam contuli, ut res omnes in Occidentali Imperio sive ad Remp. sive ad Ecclesiam pertinentes, quæ comperiri diligentia possent, primum accurate colligerem, deinde quàm verissime in maxima rerum obscuritate, temporum vetustate, scriptorumque dissensione possem, posteritati mandarem, ac simul bella Imperatorum, dissidia ecclesiarum, impressiones barbarorum, clades provinciarum, excidia urbium, ac demum nova Imperia regum, confectis quibusdam quasi publicarum ærumnarum annalibus, enarrarem. Hoc autem opus, licet multis impeditum difficultatibus, ut alacriore quoque animo perducere ad exitum maturarem, perpulit me in primis quædam haudquaquam obscura significatio præclaræ tuæ, Excellentiss. Princeps, erga hæc studia voluntatis. Neque enim silendum, aut ulla ratione dissimulandum, sed apertè confitendum, ac prædicandum est, te, aut unum, aut certe inter paucissimos extitisse, qui honesta hac antiquitatis notitia captus industriam meam perpetuo aut oratione acueris, aut officio sublevaveris. Quamobrem non dubito, sic libri illi, quos de regno Italiæ scriptos tibi inscripsi, animo grati tuo acciderunt, quin hi quoque, quos de Occidentali Imp. illis prætexui, futuri sint multo omnium jucundissimi. Nam cum res complectuntur ad memoriam posteritatis illustriores, tum casus quo eventu magis ancipites, eo quoque ad incutiendam admirationem legentibus aptiores, siquidem illa exprimunt tempora, quibus satis constat non alia ante mala aut ad sensum acerbiora, aut ad recordationem insigniora ipsam cum toto Occidente Italiam esse perpessam. Quæ narratio cum multiplici incidentium calamitatum varietate, ac salutari rerum humanarum contemplatione plurimum in legendo poterit animum retinere, tum vel maxime nos etiam divini, ac præstantis hujus beneficii admonere, quòd summa præsentium principum sapientia, ac singulari moderatione Italiam videmus aliquando tandem diris illis cladibus, periculisque defunctam, atque ex maxima consternatione quodammodo recreatam, omnibus belli pacisque artibus efflorescere. Aderit etiam non mediocris altera oblectatio, nempe quidam Latinæ quoque, ni fallor, orationis sensus illustrior, fit enim nescio quo modo, ut quo res à memoria nostra remotiores, atque omnino antiquiores tractemus, eò facilius orationem nostram ad antiquorum similitudinem conferamus. Quanquam enim in hoc genere scriptionis illud præcipue mihi præstandum puto, ut diligentiam adhibeam in colligendo, fidem in referendo, atque ordinem in narrando, multoque plus de re facta, quam de oratione facienda laboro, illud tamen negare non possum, vehementer me affici, si in actis barbarorum etiam explicandis mihi liceat incorruptam illam Romanæ eloquentiæ speciem, atque effigiem imitari. Quam tamen voluptatem, neque enim audeo dicere laudem, nunquam ita sum consectatus, ut rationem, fidemque rerum gestarum propterea aut deterrere, aut obscurare voluerim, satis certus, neque res omnes novas apte verbis posse veteribus explicari, &, si id fiat multas, & quidem gravissimas, cum maximo disciplinæ publicæ detrimento non solum non ornari, sed plerumque etiam turpissime deformari. Quamobrem, quoniam tu in me amando atque adeo etiam fovendo veterem humanitatem retines tuam, rudis plane, ne dicam agrestis, essem, nisi & ipse meam consuetudinem in te colendo,*

*colendo, atque omni studio prosequendo servarem. Hos igitur quoque annales ita Illustrissimæ Excellentiæ tuæ dedico, ut non solum perpetuum mei erga te obsequii monumentum posteris prodant, sed etiam ut clarissimo nomine tuo prælato acceptiores in manus hominum prodeant. Nam (quod sine suspicione assentationis dictum velim) tu in ista florente, atque excelsa fortuna tua tantam hucusque animi moderationem adhibuisti, atque ita ad unam ex virtute gloriam contulisti ut non solum nemo tibi tantum fastigium amplitudinis, ac dignitatis invideat, sed, si consequi possit, ultrò te ad altiora quoque suis manibus evehat, scilicet, ut, quando virtus tua apertè cum opibus adolescere cernitur, ipse præclaram istam bene agendi, & de hominibus promerendi cum summa potestate in dies augeas voluntatem. Quod & si te in posterum tua sponte cumulate facturum non dubito, meus tamen præcipuus laudis tuæ amor cogit, ut adolescentem senex admoneam, te, si præstantem istam bonitatem, quam tibi natura indidit, perficere, aut si præclaram illam scientiam quam ex doctissimis philosophorum commentariis summo studio hausisti, honesta præterea excellentium virorum imitatione cumulare volueris, non parum hos tibi quoque libros auxilii allaturos ad eximia, quæ persequaris, exempla in omni virtutis, laudisque genere seligenda. Verum ad rem Deo bene juvante aggrediamur, ad cujus gloriam omnes studiorum nostrorum conatus referimus, initio narrationis à Diocletiano Augusto, sicut proposuimus, instituto, anno, ut à Christi Dei ortu nunc numeramus, ducentesimo octogesimo quarto; urbis millesimo tricesimo sexto, in quem secunda incurrit Indictio.*

Digitized by Google

# CAROLI SIGONII HISTORIARUM DE OCCIDENTALI IMPERIO

## LIBER PRIMUS.

Ann. 284.

### DIOCLETIANUS, ET MAXIMIANUS AUGUSTI.

IN secundo Cõsulatu, quem Carinus, & Numerianus, ambo Cæsares, gerebant, (6) Numerianus Cæsar, Caro Augusto, patre in Perside (7) prope Tigrim amisso, haudquaquam sibi dubitandum putavit, quin Persico omisso in

A præsens bello se se ex iis locis proriperet, atque Antiochiam ad coosilia capienda reciperet. Cum autem ex nimio fletu gravem oculorum ægritudinem contraxisset, ac propterea lectica inclusus incederet, occasionem Apro socero suo nefarii sceleris perpetrandi aperuit. Nam ille præfectura Prætorii noo contentus, cum ad Imperii fastigium aspiraret, postquam pervenit in Syriam, ipsum occulte io itinere interemit, militibusque Imperatorem videre posceotibus respondere pro concione non dubitavit, non esse, cur de aspiciendo principe laborareot; nam se illorum præsentiæ committere propter invaletudinem

B oculorum noo posse. Neque enim mortem Imperatoris enunciari volebat, antequam parata omoia ad Imperium invadendum haberet. Post aliquot inde dies milites, qui Numerianom proxime sequebantur, suborti odoris fœditate perculsi ad lecticam

(6) Numerianus nunquam antea Consul, at solùm Proconsul, ut præsefert Inscriptio ap. Baron. ad an. Chr 283., quæque extat in I. Inscrip. antiq. Plantin. edit p 156. n. 2., ubi exprimitur primus Consulatus Carini, anno præcedenti susceptus, & Numeriani Proconsulatus. Non itaque hoc an. Carus II. Consul, ut putavit ibid. Baron. ea adactus ratione, quod nec Cassiodor. nec Auct. Chron. Alexand. numeralem notam in Caro exhibeant; cum autem certum sit bis Consulem fuisse, ideo Annal. Parens censuit secundum Consulatum ad ann 284. esse referendum. Sed Fastorum Conditores eamdem notam in Consulatibus suffectis interdum omisere. Primus igitur Cari Consulatus

Digitized by Google

cticam accesserunt, eaque aperta, & cadavere Imperatoris invento, rem universo exercitui prodiderunt, atque indignitate rei commoti statim Aprum, tanquam ejus necis auctorem, ante signa, & principia protraxerunt. Tum vero XI. Kal. Maji, (8) qui dies erat Romæ natalis, concione exercitus advocata, ac Tribunali repente constructo de Imperatore in locum Numeriani sublegendo, ac nece illius vindicanda relatum est. Qua re audita continuo omnes Dioclem, qui erat domesticorum Comes, (9) illo honore dignissimum acclamarunt, eumque Tribunal ascendere jussum, magna animorum consensione Augustum appellaverunt. Ille vero, ubi solemnia in tanto honore accipiendo peregit. Quoniam jubetis, inquit, ut de Numeriani interfectore quæratur, obsequar voluntati vestræ, & parebo conscientiæ meæ, atque educto gladio Aprum ipsum præsentem confodit, inquiens. Hic est auctor necis Numeriani, gloriare Aper, magni Æneæ dextera cadis. Inde conversus ad milites subjecit: Tandem Aprum fatalem occidi. Cujus vocis hæc ratio fuit; acceperat adolescens à Druide in Gallia, (10) se tum demum Imperio potiturum, cum Aprum occidisset. Itaque fide vaticinio habita in venationibus semper, ubi data facultas fuerat, Apros invaserat. Hic fuit natione Dalmata, (11) Scribæ filius, Anullini Senatoris libertus, matre pariter, atque patria Dioclea, non longe ab urbe Salona, à qua, donec Imperium sumpsit, Dioclem se appellavit, ubi vero Augustus est declaratus, Romano more Diocletiani nomen ascivit. His rebus in Syria gestis inde in Illyricum adiit. Carinus autem Cæsar quem Carus Augustus pater in Persas proficiscens Illyrico, Italiæ, Galliæque præfecerat, ubi patrem, fratremque extinctos, Diocletianum vero Augustum appellatum, in Dalmatia comperit, licet semetipso impurior, (12) ac nequior factus, haud tamen sibi cunctandum existimavit, quin exercitum adversus Diocletianum, quem adventare audiebat, adduceret, atque ita motis castris in ipsis Pannoniæ, & Mœsiæ finibus ei occurrit: Ibi verò Diocletianus primum vario eventu prœliis cum aliquot fatigavit, ad extremum collatis ad Murgum (13) signis inter Viminacium, & Aureum Montem in Mœsia superavit, ipso non solum ab exercitu suo deserto, sed etiam à Tribuno, cujus uxori stuprum intulerat, interempto. (14) Ita cum Occidentales quoque provinciæ in potestatem Diocletiani venissent, ipse rebus Orientis satis pro præsenti necessitate compositis, iter in Italiam, ac Romam, quo ab omnibus magna alacritate animorum expectabatur, intendit. Ibi verò Remp constituere de more ingressus primum semetipsum unà cum Ari-

---

tus fuit suffectus, ided secundus apud Cassiod., & Auct Chr. Alex. caret numerali nota, quæ ceteroquin reperitur in *Caro* in Inscript. supr c., & apud Idac., & Auctorem de Præfectis Urbi, Pseudo-Damas. in Catal. Veter. Pont., & in Fastis Cæsareis. Ambo Cæsares erant Carinus, & Numerianus an. 282. nuncupati; certè an. 283. ex eadem Inscript., Cæsares dicebantur. Vopiscus in *Caro* c. 7. ait: *ubi primum accepit Imperium, consensu omnium militum bellum Persicum, quod Probus parabat, aggressus est, liberis Cæsaribus nuncupatis.*

(7) Sub anni præcedentis finem, vel currentis initio periisse Carum ostendit titulus leg. 2. Cod. Justinian. *de prædiis*, Cari, Carini, & Numeriani AAA. nomina præseferens: eaque Lex data PP. VI. Id. Decemb. Caro, & Carino AA. Coss. Die verò duodecima mensis Januar. præsent. an. jam mortuum evincunt Leges ejusd Cod. 3. *de revocand. donat.* PP. II. Id Januar. Lex 5. *de donat.* PP. Romæ VI. Kal. Februar., aliæque datæ Carino, & Numeriano Coss., inscribuntur: Impp. *Carinus, & Numerianus*. Jam itaque h. an. ineunte Januario hi soli imperabant.

(8) Deceptus est A. N., cum quo & alii, verbis Panegyrici à Mamertino dicti Maximiano: *Revera enim sacratissime Imperator, meritò quivis te, tuumque fratrem* (Diocletianum nempe) *Romani Imperii dixerit conditores. Ejus enim, quod est proximum, restitutores: & sit licet hic illi Urbi natalis dies, quod pertineat ad originem populi Romani; vestri Imperii primi dies sunt principes ad salutem.* Verùm nulla his verbis mentio de Imperio *ipsis Parilibus* à Diocletiano suscepto: imò diversi ibidem dies illi constituuntur, & per antithesim primi dies illorum Imperatorum comparantur cum primo Romæ conditæ die. V. Panegyr cit. Auctor Chr. Alexandr. distinctè Numeriani mortem, & Diocletiani inaugurationem consignat, dicens sub h. an. Coss. *Tandem Numerianus ab Apro Præside Perinthi Thraciæ, quam nunc Heracleam vocant, necatus est.* Tum subdit: *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octob. Chalcedone renuntiatus, V. Kal. Octob. Nicomediam purpuratus intravit, & Kal. Januar. Consul prodiit.* Aliquot igitur antea dies Numerianus occisus; & dies Diocletiani natalis fuit decimus septimus Septembris; hinc in l. 3 Cod Justinian. lex, *ut nemo invitus refertur*, in cujus titulo legitur: *Imp. Diocletianus A Camerio, dat. Id. Octob., Carino II. & Numeriano Coss.* Non igitur Imp. factus Diocletianus an. sequ, ut Scaligero visum l. de Emendat. Tempor.

(9) Domesticorum duæ scholæ erant, equitum una, altera peditum l. 6. Cod. *de Advocat. diversor. Jud.* Alii præsentales vocati: alii certis officiis addicti publica jussa exequebantur l. 5. Cod. Theod. *de Protectoribus*. Sæpe pro necessitatibus publicis in Provincias cum Comitibus, quos utraque schola habebat, ac Magistris militum mittebantur, teste Ammian. l. 25.

(10) Druidæ quoque à lucis, & sylvis, in quibus plurimum versabantur. Plin. l. 16. 44. *Nihil habent Dryidæ, (ita enim Galli suos appellant Magos) visco*, & cet. Vide, quæ fusè Cæsar l. 6. bell. Gall. Gallicanas Druidas consuluisse fertur Aurelianus, teste Vopisc. *in Aureliano*, mulieres porrò fatidicas, quarum non rara mentio in Scriptoribus August. communi vocabulo cum viris illis, de quibus Cæsar mox laudat; aliique veteres. Flav. Vopisc. *in Numeriano*, unde A. N. hæc exscripsit, *à Druide quadam muliere* Diocletiano dictum asserit: *Imperator eris, quum Aprum occideris.*

(11) Natus quippe Dioclea oppido in Dalmatia, libertusque fuit quondam Anullini Senatoris, de quo scribit Vopiscus, Victor, & alii, qui res ab eo gestas sunt persecuti.

(12) Lege quæ Vopisc. *in Carino*, ubi inter alia: *Uxores*, ait, *ducendo, ac rejiciendo novem duxit, pulsis plerisque prægnantibus, mimis, meretricibus, pantomimis, cantoribus, atque lenonibus, Palatium implevit.*

(13) Ita hunc locum describit Eutropius l. 9. 13., & *Margum* appellat, de quo oppido in Tabulis Peutingerianis legitur: *Aureo Monte X. Margum XIV. Viminacio.* Ad ripam Istri è regione Constantiæ Priscus in Gothica Histor. scribit.

(14) *Suorum ictu* interiisse Carinum auctor est Aur. Vict. de Cæsaribus. At non h. an. occisus, sed sequ., ut habet Idac. in Fast. sub illius an. Coss.

Aristobulo homine privato (15) Consulem in proximas Kalendas Januarias designavit. Quod factum, ut novi in Augusto exempli, sic insignis etiam moderationis animi fuit deinde præfecturam urbis Cejonio Varo (16) continuavit, Prætorianas verò aliis commisit, quorum virtutem præcipue commendavit. Inde omnibus gentibus advocatis ludos circenses, ac scenicos, (17) sed magna cum parsimonia edidit; quòd diceret, castiores esse oportere ludos, quos Censor spectaret. Cum autem quidam largitionalis (18) ejus ludos à Caro proxime editos commendaret, atque eum principem valde populo placuisse illa ludorum editione assereret. Ergo, inquit, bene risus est in Imperio suo Carus: fuit enim princeps tam severitatis eximiæ, quàm solertiæ singularis. Nuncio inde ex Gallia accepto, Amandum, & Ælianum rusticos intolerandis Carini Cæsaris injuriis exacerbatos ad arma solicitasse, ac Bacaudarum (19) nomine eis imposito effuse provinciam populari, collegam sibi adjungere Imperii, tanquam publici laboris participem, statuit, qui rem in Occidente administraret. Ascivit autem Aurelium Maximianum, (20) virum strenuum, ac veterem sibi militiæ socium, eoque nomine præ ceteris sibi probatum, apud Sirmium in Pannonia ortum, eumque Cæsarem primum, deinde Augustum appellavit. Quo facto rem in primis memorabilem edidit, quippe Imperium cum eo, (21) sive tanquam cum alieno communicavit, sive tanquam cum fratre consorte divisit, ac Maximiano provincias ad Occidentem vergentes Italiam, Africam, Galliam, Hispaniam, & Britanniam tradidit, reliquis ad Orientem pertinentibus sibi retentis, ac Roma communi sede relicta, ipse sibi Nicomediam in Bithynia depoposcit. Quibus rebus absolutis ipse Jovii, Maximianus (22) Herculii cognomen assumpsit, sive à majoribus traditum, sive pro arbitratu ascitum ad officium utriusque in Imperio gerendo significandum. Extant orationes aliquot post à Mamertino Rhetore (23) ad Maximianum in Gallia dictæ, quibus utrumque significatur. Nam & Jovem & Herculem generis eorum auctores appellat, & Maximianum Herculium Herculis officium Jovi Diocletiano præstitisse, id est, in bello agrestium, quasi quorundam terrigenarum, auxilio fuisse contendit: *Verissimum est*, inquit, *te*, *cum ad restituendam Rempublicam à cognato tibi Diocletiani numine fueris invocatus, plus tribuisse beneficii, quàm acceperis. Neque enim cum Reipublicæ navim secundus à puppi ventus impelleret, salutarem manum gubernaculis admovisti, sed cum ad restituendam eam post priorem temporum labem divinum modo, ac ne id quidem unicum sufficeret auxilium, præcipitanti Romano nomini juxta principem subiisti, ea scilicet auxilii opportunitate, qua tuus Hercules Jovem vestrum terrigenarum bello laborantem magnæ victoriæ pace juvit, probavitque, non magis accepisse cælum, quàm ei reddidisse*. Ab his igitur Augustis maxima, memorabilique concordia, (24) tanquam à duobus conjunctissimis fratribus Respublica domi, forisque administrata, & Imperium cum moltis præclaris institutis, ac legibus temperatum, tum ab sævis ingruentium undique bellorum, ac seditionum tempestatibus iodustrie, fortiterque defensum est. Itaque viginti anni, quibus ipsi summæ rerum præfuerunt, ex omni parte non tam belli, quàm pacis artibus floruerunt, quorum auspicatum initium, quod insigne ad memoriam est visum, mira frugum ubertas, & alma cœli salubritas ex insigni, quæ præcesserat, inopia, ac pestilentia fecit, ex quo Mamertinus ad Maximianum post dixit: *Scimus omnes, antequam vos salutem Reipublicæ redderetis, quanta frugum inopia fuit, fame passim, morbisque grassantibus, ut vero lucem gentibus extulistis, exinde salutares spiritus jugiter manant, nullus ager fallit*.

(15) Aristobulus Præf. P. in castris Carini erat, cum Diocletianus contra Carinum movit, teste Victore de Cæsarib. scribens: *Ceteris venia data*, (à Diocletiano sc.) *retenti ne hostium ferè omnes, ac maximè vir insignis Aristobulus Præf. P. per officia sua*. Eximiæ igitur ejusdem virtuti adscribendum, vel ab hoste, eo testimonio commendatæ, quòd Consul fuerit designatus.

(16) Hic sub Carino Præfectus Urbis fuit 284., & anno sequenti sub Diocletiano Præfecturam Prætorii obtinuit.

(17) De primis Sveton. Jul. c. 39. n. 5. ait: *Circensibus spatio Circi ab utraque parte producto, & in gyrum Euripo addito, quadrigas, bigasque, & equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes*. Deorum in his ludis simulacra deferebantur, ex Tacit. Annal. II. 83. 1. Hos Oenomaus, & Pelops instituisse dicuntur, ex Pausan. Eliac. II p. 200. Sidon. Carm. II. 491. & alibi. Scenici verò non in theatris modò, sed & per regiones Urbis, & vicatim celebrati. De his Sveton. Jul. c. 39. n. 9. *Edidit spectacula varii generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim Urbe tota, & quidem per omnium linguarum histriones, non in foro modò, nec amphitheatro, sed in circo, & septis*.

(18) Largitionales memorantur l. 1. Cod. Theod. tit. *de Agentibus in Rebus*; & l. 6. eod. C. *de diversis Officiis*, &c.

(19) Ita Eutropius narrat, l. 9. 13., & Vict. de Cæsaribus, *Bagandas*, scribentes, sicuti & Salvianus, qui in hanc rem ait l. 5. Gubern. Dei: Vocamus rebelles, vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos. *Quibus enim aliis rebus, Bagaudæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus judicum*, &c. Bacaudas Zos. l. 6. 2. scribit.

(20) *Amicitiâ sibi fidum*, ut Vict. de Cæsaribus; *quamquam semiagrestem*, Cæsarem primùm, deinde Augustum appellavit. Maximianus Cæsar erat cum missus in Gallias fuit ad Bagaudas compescendos, ex Eutrop. l. c., ubi ait: *ad subigendos eos Maximianum Herculeum Cæsarem misit*, &c. A. N. in eam abiit sententiam, quod Cæsarea dignitas, & Augusta invicem fuerint distinctæ, ut Pag. ostendit in dissert. Hypat. Augustum dictum Nicomediæ die Kal. April. testatur Idac. in Fast. Coss. M. Junio Maximo II., & Vettio Aquilino; an. sc. 286.

(21) *Diocletiano Aug. III., & Maximiano Herculeo Augusto Coss. Hoc anno Diocletianus Imperium cum Maximiano Herculio communicavit. Inchoante tertio Imperii sui anno*. Inquit Auct. Chron. Alex. At an. 287. Maximianus Consul processit.

(22) Vide apud Mediobarb. edit. Mediolan. p. 425. Numisma duplex hoc cognomen præseferens.

(23) IV. sæculo præsertim floruit, & sub Juliano Apostata consulatum iniit, cui in gratiarum actionem Panegyr. dixit, qui adhuc extat.

(24) Hanc exprimunt plura Numismata ap. Mediobarb. in *Diocletiano* p. 422., & sequentibus: item in *Maximiano* p. 430., & sequentibus.

Digitized by Google

A *fallit agricolam*. Unum vero illud clariſſimis eorum laudibus aliquas quaſi maculas neſariæ libidinis, & impiæ crudelitatis inuſſit, quòd iidem Chriſtianos, homines innocentiſſimos, ac nullius flagitii, ſceleriſque compertos cum ſemper, tum maxime in extremo Imperii, omnibus ad perpetuam gloriam jam honoribus aucti, infeſta perſequutione vexarunt. Erant autem jam inde à Tiberii principatu in Imperio Chriſtiani. Hi, cum ſanctiſſimam Chriſti Filii Dei religionem, fidemque ab eo Tiberio ipſo Imperante traditam ſequerentur, his præcipue moribus, auctore Tertulliano, (25) probato in primis auctore, vitam, diſciplinamque
B ſuam aſtrinxerant. Coibant in cœtum, (26) ut quaſi manu facta ad Deum obſecrandum accederent, gratam eam vim eſſe Deo ſibi perſuadentes, orabant vero pro Imperatoribus (27) etiam inimicis, vitam illis diuturnam precantes, Imperium incolume, domum ſoſpitem, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæ ferme ipſorum quoque vota aſſueverant eſſe Imperatorum, quin etiam eaſdem preces pro Miniſtris, & Poteſtatibus eorum fundebant, conveniebant ad divinarum literarum commemorationem, ſi quid præſentium rerum ratio aut præmonere compelleret, aut recognoſcere, fidem
C ſanctis vocibus poſcebant, ſpem excitabant, aderant etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina; (28) nam & judicabatur magno cum pondere, ut apud certos, ſe à Deo animadverti, ſummumque futuri judicii præjudicium erat, ſi quis ita deliquiſſet, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii arceretur, præſidebant probati quique ſeniores, Presbyteros appellabant, (29) honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio conſequuti, (30) modicam unuſquiſque ſtipem in ſingulos menſes, ſi poſſet, ſponte conferebat, quæ inde diſtribuebatur egenis alendis, humandiſque, & pueris, ac puellis re, ac parentibus deſtitutis, ætateque confectis, item naufragis, &, ſi qui ad metalla, (31) aut ad inſulas (32) ob Chriſti confeſſionem damnati fuiſſent. Omnia indiviſa inter ſe habebant, præter uxores. Non prius diſcumbebant, quam ad Deum precationem effuderant, tantum cibi capiebant, quantum eſurientibus ſatis eſſet, tantum potus, quantum pudicis expediret: ita ſaturabantur, ut memoria tenerent, etiam per noctem orandum ſibi Deum eſſe; ita ſermocinabantur, ut pro certo haberent, eundem audire, poſt aquam manibus datam ut quiſque ex ſcripturis ſanctis, vel ex proprio ingenio poterat, provocabatur in medium Deo canere, atque inde probabatur, quonam modo bibiſſet, æque precatio convivium dirimebat. Inde diſcedebatur ad eandem curam modeſtiæ, ac pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaſſent, quàm diſciplinam. Ceterum foro, macello, balneis, tabernis, officinis, nundinis, ceteriſque commerciis (33) unà cum Gentilibus utebantur, militabant, (34) navigabant, ruſticabantur, mercaturam, arteſque ceteras cum eis exercebant. Singulæ porro Civitates ſingulis ferme obtemperabant Epiſcopis, quorum Romanus auctoritatem in omnes ſupremam habebat. Huic enim Eccleſiæ B. Petrus primum præfuit, quem Chriſtus in terris agens Principem ſibi Apoſtolorum aſciverat, atque in cœlum aſcendens gregem ſuum paſcere iterum, iterumque præceperat, atque eum unà cum B. Paulo item Apoſtolo, non præceptis ſolum ſalutiferis imbuit, ſed etiam poſt Imperante Nerone (35) ſacroſancto ſuo ſanguine conſecravit. Unde ſcripſit Irenæus, qui fuit illorum

---

(25) In Apologetico, ubi à Gentilibus crimina Chriſtiano Nomini objecta feliciter diluit.

(26) *Collectam* celebrare dicebantur: item *Dominicum*. L. Baron. T. 2. p. 544. d. etiam tempore perſecutionis, ibid. d., & ſequ. Chriſtianorum Synaxes.

(27) Teſte Tertull. in Apologet. c. 35., & Athenagorà in Apologia, vel Legatione pro Chriſtianis, quam an. Chr. 166. Marco, & Lucio Impp. obtulit.

(28) Cum olim Cenſorum munus eſſet Civium mores indagare, & quos honoribus indignos invenirent, repellere, ac removere; hinc cenſura ſevera evaſit correctio. Ex quo Eccleſiaſticæ pœnæ Cenſuræ dictæ; quarum ferendarum poteſtas quia divinitus Eccleſiæ collata, ideo cenſura divina appellata.

(29) Per Presbyteros olim ſignificabantur quoque Epiſcopi, eoſque ſignuit Apoſtolus ad Titum 1. *Reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.*

(30) Scrutinium namque præcedebat, ſeu juxta Synod. Trullan. c. 21. *δοκιμασία*, ſive *τοῦ βίου αἰτεσις*: imò juxta Nicænum c. 19., & Novell. 6. Juſtiniani, Ordinem ſuſcepturus palam in Eccleſia Populo ſiſtebatur, ſi quis impedimentum legitimum objiceret. Plebis quoque teſtimonium ad Epiſcopi electionem requirebatur, ex Tertull. Apologet. 39. Inſolentià deinde Plebis factum, ut Comprovinciales Epiſcopi ad Electionem vocarentur, ex Cypriano Epiſt. 68., quæ conſuetudo poſtea in legem tranſiit, ut in Nicæn. Can. 4. Antioch. 19. Laodicen. 13. Clero tamen non excluſo, & Plebis teſtimonio præcedente.

(31) Inventum hoc Ægypti Regum fuiſſe ex Diodor. 3. p. 150. colligitur. Ulpian. dig. 48. 19. §. 6. inquit: *Inter eos autem, in metallum, & eos, qui in opus metalli damnantur, differentia in vinculis eſt: quod qui in metallum damnantur, gravioribus vinculis premuntur: qui in opus metalli, levioribus: quodque refugæ ex opere metalli in metallum dantur, ex metallo gravius coërcentur.*

D

(32) Ad quas alii *relegati* erant, cum quibus humanius agebatur; alii verò *deportati*. Ad hos pertinet Auguſti conſtitutio ap. Dionem 56. p. 587. Aſperrimæ inſulæ his aſſignatæ ad incolendum, ſummi certè ſupplicii loco.

(33) Hinc quam falsò Ethnici Chriſtianos Reipublicæ inutiles dicebant, & ſocietati eſſe infructuoſos. Ad quam calumniam refellendam ſtylum acuit Tertullian. in Apologet. c. præſertim 42., Illos alloquens obtrectatores: *miſcemus artes, opera noſtra publicàmus uſui veſtro. Quomodo infructuoſi videamur negotiis veſtris, cum quibus, & de quibus vivimus, non ſcio.*

E

(34) Multo jam antea tempore militabant Chriſtiani, nam diù ante M. Aurelii tempora extitit *Legio Fulminatrix* dicta, ut Eruditis notum, quamvis audiendus non ſit Hermannus VVitſius in diatribe Amſtelodami edita 1683. *de Legione fulminatrice Chriſtianorum ſub Imp. M. Aurelio Antonino*, falſa quædam enarrans.

(35) An. Imp. Neronis 12. Chr. verò 65. *Nerva, & Veſtino Coſſ.*, ut legitur in Catalogo Vet. Pont. Tacitus enim l. 16. Annal. loquens de iis, quæ ſunt his Coſſ. geſta, memorat ſævam peſtilentiam ortam, quam & refert Oroſius l. 7. 5. mox accidiſſe poſt Petrum, & Paulum, Neronis juſſu occiſos. Oroſius autem ex Svetonio in *Nerone* c. 39. id exſcripſit de graſſante in Urbe contagio per *Autumnum*.

A lorum memoriæ proximus: *Ecclesia Romana maxima, atque antiquissima, & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo fundata, & constituta eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum traduxit usque ad nos, ad hanc Ecclesiam propter potiorem principatum necessè est omnium convenire Ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt ubique, fideles, in qua semper ab iis, qui sunt ubique, conservata est ea, quæ manavit ab Apostolis, disciplina.* Romano vero Pontifici proxime accessere Alexandrinus, (36) Antiochenus, & Hierosolymitanus. Hi verò unà cum ceteris summillioris fastigii Episcopis
B cum eximio studio, ac singulari diligentia Apostolicam, quæ & Catholica dicebatur, fidem propagare, & Christo templa collocare ad populum erudiendum, & sacra conficienda contenderent, in maximas sæpe calamitates unà cum cleris suis, & populis inciderunt. Nam Imperatores veteri Gentilium Deorum superstitioni addicti, atque omnino à novis Christi institutis aversi ipsos omnium ordinum ætatum, & sexuum Christianos, ut qui mandata sua in cultu Deis adhibendo negligerent, infestissime persequuti sunt. Ex horum autem numero præcipue fuit Cajus, urbis Romæ Pontifex; (37) post S. Petrum vigesimus nonus, biennio
C ante Eutychiano mortuo subrogatus. Is decessores suos viros sanctissimos imitatus omnia sua studia ad Ecclesiam præclaris virtutis, ac doctrinæ monumentis provehendam conversa habebat. Itaque, cum paucæ adhuc tantum in urbe essent Ecclesiæ, eæque exiguæ, quas illi Parochias, ac Titulos (38) appellabant, Presbyteris ad divinam rem faciendam à superioribus Pontificibus attributæ, ipse crescente Christianorum numero alias etiam Diaconis assignavit, quæ Diaconiæ (39) sunt nuncupatæ. In primis autem, ne Ecclesia Romana pravis inficeretur Orientis erroribus, laboravit. Nam proximis ante annis quatuor hæreses in Oriente emerserant, quibus fides de Deo Patre, & Filio Christo ab Apostolis tradita tollebatur, una Sabellii, (40) altera Manetis, (41) tertia Pauli, (42) quarta Apollinaris, (43) quarum suos quæque habuit sectatores. Ex quibus Sabellius unam tantum Patris, & Filii ut Essentiam, sic Personam asseruit, Christum solum Deum esse constituens. Manes Christum non re vera fuisse, sed spectrum hominibus attulisse, nec vere perpessum esse contendit, atque eodem ferme, quo Sabellius, modo solam in eo divinam Naturam agnovit. Paulus autem Samosatenus Antiochiæ Episcopus, & Apollinaris Laodiceæ, in contrariam prorsus sententiam inclinarunt: ille Christum purum fuisse Hominem asserens, atque in eo ita Verbum Dei habitasse, ut in quovis alio Prophetarum, duasque in eo Naturas ita hæsisse, ut aliud Christus, aliud Verbum Dei existeret; hic vero Christum Hominem fuisse ratione carentem, sed Verbum in eo rationis, ac mentis officium explevisse, cum veritatis Catholicæ ratio doceat, Patris, & Filii unam in duabus Personis Naturam, Essentiamque consistere, ac Christum vere Deum simul, atque Hominem extitisse. Quam doctrinam ab Apostolis acceptam Ecclesia Romana usque ad hoc temporis sanctissime conservavit. Verum eò redeamus, unde digressi sumus. Imperio eo modo, quo dictum est, ordinato, Augusti ambo expeditionem in suas, quæ bello premebantur, pro-

(36) Ex *antiqua consuetudine* V. quæ de Alexandrino, & Antiocheno Episcopo statuerint Nicæni Patres Can. 6. Lege in hanc rem Allatium in Opere de consensu Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis. Schelstratium in part. 1. Antiq. illust. dissert. 1. c. 3., & alibi. Hierosolymitanus verò (inquit Nilus Archimandrita in Tract. de V. Thronis Patriarchalibus an. 1043. ad Rogerium Siciliæ Regem scripto) *Hierosolymitanus Thronus ex Diœcesi Alexandrini* (certè Antiocheni) *avulsus in dignitatem elatus per se caput aliarum Ecclesiarum extitit, & tribus aliis Thronis facultate par . . . . . . . Licet antea Episcopus esset sub Cæsareensi Palæstinæ, cum illius Metropolis Cæsarea esset, & Cæsareæ Hierosolyma, tanquam quæ Cæsareæ Episcopatus erant, subderentur.*

(37) An. 283. Pontifex creatus, quo an. obiit Eutychianus, *Caro II., & Carino Coss.*, ut in Chron. Damasi legitur.

D (38) Domos scilicet divino cultui Romæ mancipatas, quas Evaristus Papa in l. de Romanis Pontificibus Presbyteris dicitur divisisse, ubi Fideles habebant Synaxes; augebantur hi tituli in dies aucto Christianorum numero: Sic autem dicti, sive quod Crucis vexillo, aut titulo sacræ Ædes essent insignitæ; sive quod Presbyteri illis adscripti, inde nomen, titulumque acciperent, ex Baron. ad an. Chr. 112. n. V., & VI.

E (39) Diaconiæ olim loca, ubi per Diaconos regionarios, pauperes viduæ, pupilli, senes propriæ regionis alebantur, quæ sacella habebant adjuncta, in quibus à Diacono egenis necessaria suppeditabantur; unde Diaconi à Cujacio ad Nov. 3. dicti [illegible], mensarum nempe ministri. Diaconiæ nomen deinde sacellis mansit, quæ recensentur ab Anastasio in Vit. PP. Modò 14. sunt Cardinalibus Diac. attributæ. V. Frisonum in Apparatu ad Galliam Purpuratam. 4.

(40) De quo scripsit S. Dionysius Alex. ad Xistum R. P. epist. de Baptism. ap. Euseb. l. 7. Hist. Eccl. 5. Ptolemaide in Libya natus, suam hæresim circa an. Chr. 257. propugnare cœpit, quam S. Epiph. Hæresi 62. refert, & in Synopsi l. 2. T. 1. adversùs Hæreses, n. 26., ubi inter Sabellianos, & Noetianos discrimen assignat.

(41) S. Hieronym. de Script. Eccles. c. 72. ait: *Archelaus Episc. Mesopotamiæ librum disputationis suæ, quam habuit adversùs Manichæum* (seu Manem) *exeuntem de Perside, Syro sermone composuit, qui translatus in Græcum habetur à multis. Claruit sub Imp. Probo, qui Aureliano, & Tacito successerat.* V. quæ & Phot. Patriarch. C. P. l. 1. adversùs Manichæos suis temporibus repullulantes. Disputationem Archelai, & Manetis exhibet Zacagnius T. 1. Collectan. Monument. Veter. Eccles. Græ., & Lat.

(42) Hic an. Chr circiter 262., Valeriano, & Gallieno Impp. Antiochen. Episcopatum adeptus est. Ejus errores recenset Athanas. l. de salutari Adventu Filii Dei; & secundæ Synodi Antiochenæ Patres in sua Synodica epist. Dionys. Alex. Epist. ad ipsum Paul. datâ; in cujus causa duo Antiochena Conc. celebrata Antiochiæ. V. Euseb. l. 7. c. 22., & 24.

(43) Apollinaris pater Laodicenæ Ecclesiæ Presbyter, cujus & Apollinaris filius erat Lector; ab his Apollinaristarum secta. L. Socrat. l. 2. 36. Sozom. l. 6. 25. Epiph. Hær. 77. Hæresis hæc proscripta in Alexandr. Synodo, an. Chr. 362., & in Romana 373. sub Damaso, cujus ea de re extat epist. ad Orientales, ap. Theodoret. l. 5. Hist. Eccles. 10. At hæc hæresis nonnisi evulgata multos post annos, ut liquet.

A provincias adornarunt. Præcipue Maximia-
285 nus sequenti anno, Diocletiano Augusto (44) iterum, & Aristobulo Consulibus, cum exercitu à se conscripto in Galliam contra Bacaudas decessit, ac Thebæa legione (45) se subsequi jussa Pœnino saltu superato in campos ad oppidum Octodurum descendit. Ibi, ut erat veteri Deorum cultui deditus; atque in primis Herculi, auctori, ut præ se ferebat, generis sui, addictus, exercitum omnem lustrare ex Gentilibus, Christianisque constantem cupiens, singulos milites adesse ad dicendum sibi sacramentum (46) præcepit, daturos se operam, ut iisdem animis Christianos Deorum suorum inimicos, atque Bacaudas Imperii hostes ulciscerentur,
B cujus mandatum cum reliqui exhausissent, sola Thebæa legio detrectavit. Hi erant orientales milites Christiana disciplina ab Episcopo Hierosolymitano, imbuti, &, postquam Romam venerant, à Pontifice Romano in fide usque adeo confirmati, ut religionem bellicæ fortitudini, fidem armis omnibus anteponerent. Itaque, ne tam impio se jurejurando astringerent. Octodurum prætergressi Agaunum prodierunt, insignem ei loco Christiani martyrii famam in omnem seculorum memoriam relicturi. Erant in ea legione Mauricius Primicerius, & Exuperius signifer, viri bellicis laudibus nobiles,
C sed eximia in Christum fide nobiliores. Hi cum Octodurum ad jusjurandum concipiendum repetere essent jussi, respondere pro universa legione non dubitarunt, se Christianos esse, atque ut militiæ munera pro Imperatore non recusare, sic religionis ejus sacrilegia detestari. Quo responso Maximianus exacerbatus, quòd unà & disciplinam militarem solvi, & sacra sua contemni ejusmodi Imperii detrectatione videret, ac ceteros supplicii exemplo terrendos censeret, decimum quenque jugulari militari more præcepit, ac reliquos se referre Octodurum mandavit, quos Mauricius Primicerius alloquutus primum gratulatus est, quòd, cum socios suos indigna sterni cæde
D conspicerent, manus ab eis vindicandis abstinuissent, deinde eos ad constantiam fidei retinendam præclaro illorum exemplo accendit, atque omnium nomine se prius mortem millies oppetituros, quàm ut ei mandato parêrent, respondit. Itaque novo Maximiani edicto XI. Kal. Octobris cum ceterorum decimo quoque peremptus est. Reliquorum inde, cum item Octodurum repetere juberentur, caussam suscepit signifer Exuperius, qui correptis signis, & Mauricio verbis plurimis egregie colloaudato subjecit, se Imperatori quidem militiam, at vero Deo integritatem debere, neque Christianos ut persequantur in animum inducere posse. Quibus rebus Maximianus eo vehementius efferatus iter exercitui indixit, atque occulte legionem circumfuso exercitu sepsit, eamque, ut erat ingenio asper, ac prope immanis, militibus trucidandam, ac pro arbitrio spoliandam objecit. Unde Agaunensium martyrum immortalis in Ecclesia gloria dimanavit. Sub eos dies Carausius (47) per Belgicam, & Aremoricam (48) pacando mari præpositus, quod Franci, & Saxones accolentes infestum habebant, cum multis barbaris captis prædam neque provincialibus redderet, neque Imperatoribus traderet, in suspicionem Maximiano venit, consulto dimittere barbaros, ut transeuntes cum præda exciperet, atque ingentes hoc modo divitias cumularet. Itaque Maximianus, postquam in Galliam venit, subito partem exercitus, in quo multæ quoque è Thebæa legione erant centuriæ, secundo Rheno ad eum opprimendum immisit. Post autem, sumpto ad Agaunum de majore legionis ejus parte supplicio, reliquos etiam, qui ad oppugnandum Carausium contendebant, ubicunque terrarum essent, interimi jussit. Qui vero huic negotio præfecti fuerunt, Cassium, & Florentium apud Veronam, Civitatem tum in ripa Rheni fluminis sitam, cum septem aliis assequuti jugularunt. Gereonem vero, ac trecentos octodecim socios ad Coloniam, Victoremque demum cum trecentis triginta ad oppidum Francorum, nomine Xanthum, VI. Idus Octob. fœdissime trucidarunt. Quos omnes satis constat mortem, ac cruciatus omnes constantissime subiisse. Militarem in se impetum postquam Carausius audiit, timore percitus propere cum classe, quæ Gallias tuebatur, in Britanniam transiit, ac provincia illa in potestatem adducta, semet Augustum regiis assumptis insignibus appellavit. Mi-

(44) Nota numeralis, quæ in pluribus Fastis legitur, antea Consulem suffectum fuisse indicat.

(45) Quæ & *Legio felix* appellatur apud Gregor. Turon. l. de Glor. Martyr. c. 75. Sed A. N., sicut & deinde Baron. ad an. Chr. 297., deceptus fuit à spuriis Actis Martyrum Agaunensium, & à Pseudo-Eucherio, ubi hæc ita narrantur. At Petrus Franc. Chiffletius in Paulino illustrato genuinam Eucherii lu-
E cubrationem ex MS. Monasterii Jurensis in lucem dedit, in qua nulla Bacaudarum mentio, eaque tantùm sola, ac vera causa martyrii refertur, quòd *hi, cum sicut, & ceteri militum ad pertrahendam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis* ministerium detrectare ausi sunt, atque *hujusmodi præceptis se obtemperaturos negarunt*. Celebris autem semper fuit horum Martyr. memoria in Ecclesia, ut Ruinartus in Actis sinceris primorum Martyr. ex veterib. Auctorib. *Sancti Agaunenses* dicti à loco, ubi decimus quisque ex legione semel, & iterùm interfectus. Certè à militibus Persecutionem incœpisse testis Eusebius in Chron. de *Veturio* militiæ Magistro loquens, & in Histor. l. 8. 1. 4. Imò & Lactant. l. de Mortib. Persecutor. 9. & 10.

(46) Quodnam esset jusjurandum à Christianis militibus præstari solitum, quibusque verbis conceptum, profert Veget. de Re militari l. 2. *Jurant per Deum Christum, & S. Spiritum, & per majestatem Imperatoris, quæ secundùm deum diligenda est, & colenda*. Idem innuit Tertull. de Cor. milit. II dicens: *Credimus humanum sacramentum divino superinduci licere, & in alium Dominum respondere post Christum*.

(47) Non *Carantius*. V. Numismata ap. Mediob. p. 428. edit. Mediol. Rei militaris consultissimus, teste Victore de Cæsarib., ex quo colligi videtur, bello adversùs Bacaudas gesto interfuisse Carausium, eoque peracto purpuram sumpsisse, quòd jusserat Maximianus illum occidi, & Eutropius narrat.

(48) Complectebatur hæc populos maritimos inter Ligerim, & Sequanam, eaque ab Aquitania omninò diversa, etsi Plin. dicat l. 4. 17. *Aquitania Aremorica antea dicta*. Cæsar enim l. 7. 75. Aremoricas civitates nominat, quarum nullæ in Aquitania, aut Belgica sitæ. Et Auson. ep. 9. v. 35. præcipuos Aquitaniæ populos Santones, Pictonesque ab Aremoricis distinxit.

Milites autem, qui ad eum delendum mittebantur, eo nuncio accepto ad Maximianum eadem, qua venerant, via se receperunt. His rebus gestis Maximianus castra adversus rusticos temere sævientes movit, ac brevi, quàm parum arma, viresque sine scientia rei militaris prodessent, edocuit; nam ad eos progressus Amandum, & Ælianum duces rusticorum robore, ac ferocia magis, quàm usu belli, atque armorum peritia confidentes levibus aliquot prœliis usque adeo afflixit, ut, positis armis deditionem continuo fecerint. Quos ille benigne in fidem accepit, atque agrestibus exarmatis, ac pristino agrorum cultui redditis, otium turbatæ Galliæ magna clementiæ laude restituit, eamque novis formare institutis ad pacem, dignitatemque perrexit. Itaque Mamertinus, cum Maximianum Diocletiano tanquam alterum Jovi Herculem affuisse, dicere instituisset, deinceps contioenter ita subjecit: *An non illud malum simile monstrorum biformium Galliæ fuit, quòd tua Cæsar nescio utrum magis fortitudine repressum sit, an clementia mitigatum, cum militares habitus ignari agricolæ appetiverunt, cum arator equitem, pastor peditem, cum hostem barbarum suorum cultorum rusticus vastator imitatus est?* Ex altera parte Diocletianus Roma in Pannoniam profectus strenuum adversus Sarmatarum impressiones ducem Maximianum, ut opinor, Galerium collocavit, atque ipse Nicomediam in Bithyniam sese contulit. Ibi certior factus, Narsem Persarum Regem iterum post Cari Imperatoris excessum, Sarracenis, & Parthis folicitatis, Mesopotamiæ, atque Armeniæ finitimis Romanorum provinciis imminere, nullam sibi moram attulit, quin eis obviam iret. Itaque rebus omnibus necessariis comparatis, progressus in Syriam exercitum adversus hostes adduxit, ac Sarracenis acie victis, Parthisque ultra Tigrim propulsis, Narsæ Regi tantum pavoris, (49) ac trepidationis injecit, ut amicitiæ habendæ caussa nobiles feras, atque alia dona exquisitissima miserit. Quibus victoriis cognitis populi in Italia, atque adeo in provinciis festos dies præ ingenti lætitia cele-
286 brarunt. Maximo iode iterum, & Aquilino Consulibus, & Junio Maximo præfecto urbis, majoribus in utroque Imperio, quàm adhuc, bellorum tumultibus laboratum est. In primis pleræque Germaniæ nationes, quod sæpe antea fecerant, inter se conjurationem fecerunt, atque ultimum prope excidium Galliæ, præsentia Maximiani posthabita, intentarunt. Hi fuere non solum Burgundiones, & Alemani, sed etiam Chaibones, & Heruli, (50) viribus primi, locis ultimi, qui, cum trajecto repente Rheno in provincias proximas irrupissent, omnia cæde, vastatione, atque incendio miscuerunt. Qui tumultus postquam ad aures Maximiani accidit, extemplo castra adversus eos movit. Jam Burgundiones, & Alemanos incondita multitudine abundantes primum fæva fames, deinde fævior pestilentia adorta erat. Quod ubi Maximianus animadvertit, arma ab illis abstinuit, ac sua sponte duobus malorum generibus ipsis mortalibus infestissimis, conflictari, consumique permisit. Chaibonas vero, Herulosque aperto Marte aggressus primo certamine profligavit. Nam exercitus parte in hostes inducta ita conflixit, ut ipse omnibus locis, totaque acie, & resistentibus, & cedentibus, & fugientibus se objecerit, quo pacto tanta eos internecione delevit, ut cladem relictis domi conjugibus non profugus aliquis è prœlio, sed ipsamet victoria (51) nunciarit. Quæ dum ille gessit, Carausius in Britannia naves Romanum in modum construxit, legionem Romanam, quæ ibi in præsidio erat, abduxit, aliquot militum peregrinorum cohortes interclusit, mercatores Gallicanos ad delectum contraxit, barbarorum, & maxime Francorum innumerabiles copias spoliis provinciarum divisis illexit, atque inde prædonum more omnia Galliæ, Italiæ, Hispaniæque littora latrociniis infesta habere instituit: unde illud piratici belli (52) nomen invenit. Diocletianus autem rebus Syriæ compositis jampridem Nicomediam reversus sese in Mœsiam retulit. Nam Sarmatæ transmisso Istro Daciam (53) populabundi inierant, eamque Alemanorum more omni genere maleficii divexabant. Hæc autem erat Dacia, quæ fuerat inter superiorem, inferioremque Mœsiam ab Aureliano Augusto reposita, eaque Ripensis, & Mediterraneæ nomine insignita, cum ille Daciam Transistrianam à Trajano quondam Augusto, victo Rege Decebalo, partam dimisisset, quia inter infesta barbarorum circumsistentium arma retinere non posset. Diocletianus autem Sarmatas ex hac Dacia prædantes trans Istrum ita compulit, ut eam ab omni incommodo non obscura victoria
(*) viodicarit. Proximo anno Diocletia- 287
nus

(49) L. quæ Mamertinus in Panegyr. Maximiano Aug. dicto in hanc rem loquitur. Certè quo anno *Carausius sumpta purpura Britannias occupavit, Narseus Oriens bellum intulit.* Eutropius inquit.

(50) Ulteriores Lemovii, qui à Vipera ad Vistulam sunt, posteriori ævo *Herulos* dictos inde arguit Cluverius, quia medii ævi Scriptores, non memorant Lemovios, & plerumque cum Rugiis Herulos jungant. Hos è Germania prodiisse Paulus VVarnefredi de Gest. Langobard. l. 1. 1. affirmat.

(51) Quæ h. an. accidisse videtur; nam Mamertinus in Panegyr. Maximiano A. dicto cap. 5. hæc habet: *Quod statim, vixdum misero illo furore sopito,* (bello nempe cum Bacaudis, & rusticis) *cum omnes barbaræ nationes excidium universæ Galliæ minarentur, neque solum Burgundiones, & Alemani, sed etiam Chaibones, Eruliique viribus primi Barbarorum, locis ultimi præcipiti impetu in has Provincias irruissent, quis Deus tam insperatam salutem nobis attulisset, nisi tu affuisses?*

(52) Hinc Mamertin. cit. c. 9. de Carausio loquens, inquit: *Quid nunc animi habet ille Pirata,* &c.

(53) Dacia hæc Aureliani, detracta Mœsiæ, ut patet ex Eutrop. l. 9. c. 9., eademque Dacia pars Illyrici magni. Dacia verò in provinciam a Trajano redacta, & ponte admirabili cum Mœsia conjuncta, patet inter Danubium, & Carpates montes a Tibisso, sive Tibisco usque ad flexum Danubium, in septemtrionem nempe se convertentem, ut rectà ad ostia, & ad Pontum deferatur: in ipso verò Septemtrione, post Carpatem montem, Tyra amne terminabatur. V. quæ Rufus Festus.

(*) Ut ostendunt Diocletiani Numismata apud Mediol. p. 426. Mediol.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nus tertium, & Maximianus secundum (54) Consulatum gesserunt. Ne tum quidem ab hostilibus utrobique impressionibus est cessatum. Præcipue Alemani receptis ex pestilentia viribus Rhenum summa, ut assueverant, hieme, quippe gelu duratum, trajecerunt, ac proximos Galliarum agros hostiliter inierunt. Hanc rem cum Maximianus eodem die Treviris accepisset, quo ineundi Magistratus caussa solemnia vota concipiebat, usque adeo iram non tenuit, ut votis perfectis raptim sumptis armis (55) exierit. Quæ illi audacia felicissime cessit; nam hostes palatos adeptus, atque ex improviso aggressus præcipiti agmine se trans fluvium referre coëgit. Unde brevi reversus, Civitatem vehementer de sua incolumitate solicitam incredibili lætitia cumulavit. Sacrificiis ei factis, odoribusque passim accensis ea gratulatio declarata est. Quod factum, ut singulari felicitate commemorandum Mamertinus deinceps sic Gallica dicendi copia celebravit: *Illum tuum primum Consulatus tui auspicialem diem tacitus præterire non possum, quo tu solus omnium consequutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis, unoque Sol curriculo, & officia te Consulis inchoantem videret, & Imperatoris implentem. Vidimus enim te Cæsar, eodem die pro Republ. & vota suscipere, & convicta delere: vidimus, te eodem die in clarissimo pacis habitu, & in pulcherrimo virtutis ornatu. Bona venia Deûm dixerim, ne Jupiter quidem ipse tanta celeritate faciem cœli sui variat, quàm facile tu togam prætextam sumpto thorace mutasti, hastam posito scipione rapuisti, à Tribunali temet in campum, à curuli in equum transtulisti, & rursus ex acie cum triumpho redisti, totamque hanc Urbem repentina tua in hostes eruptione solicitam lætitia, & exultatione, & aris flagrantibus, & sacrificiis, & odoribus accensis numini tuo implesti. Ita utroque die supremo tempore bis divina res pari religione celebrata est, Jovi, dum pro futuris vovetur, tibi, dum pro victoria solvitur.* His rebus gestis Maximianum inde Germanicis incursionibus irritatum salutaris illa cogitatio subiit, haud incommode se facturum, si, quod nemo adhuc tentaverat, ultra Rhenum transmitteret, atque hostes, in suis quemque agris, opprimeret: sic enim demum deleri Germanos posse, si in propriis sedibus peterentur, ut non prædam modo, quam cepissent, amitterent, sed de ipsis etiam liberis, conjugibus, parentibus, & rebus suis carissimis dimicarent: satis se hostilium incursionum hactenus pertulisse, nunc reddere eas barbaris magnis cumulatas incommodis oportere. Hoc igitur consilio explicato, pontem in Rhenum confecit, exercituque transmisso Alemaniam iniit, ac Rege eorum inter ipsas, quas moliebatur, insidias capto, ab ipso ponte usque ad Danubii caput continenter Alemanos prœliis prospere factis edomuit, ac totam regionem ferro, atque igne vastatum opibus prorsus exhausit, usque adeo ut Mamertinus non minus ad fidem, quàm ad laudem dixerit, Maximianum primum omnium Imperatorum probasse, Romani Imperii nullum esse terminum, nisi qui suorum esset armorum. Hæc victoria ingentem Maximiano gloriam vel consilii novitate, vel cladis magnitudine attulit; nam trophæis in media Alemania constitutis gentem illam ita debilitavit, ut post per multos annos à Romanorum bello vacaverit. Ex altera parte in Scythia erant Vittungi, (56) & Carpi. (57) Vittungi Gotthicum genus, Visgotthi (58) alio post nomine appellati, in Grutungos, & Tervingos erant distributi. Utramque eorum gentem creberrimis à superioribus Imperatoribus bellis repulsam, neque satis adhuc ab inferendis Mœsiæ, Thraciæque detrimentis coërcitam Diocletianus item in propriis aggredi finibus statuit, atque trans Istrum compulsam ita est persequutus, ut Gotthos multis prœliis victos ad pacem petendam adegerit. Tum vero ne liberum posthac barbari aditum ad flumen transeundum haberent, limitem Istri neglectum veteribus repositis castellis, ac præsidiis (59) reparavit, atque in exitu anni sese Nicomediam retulit. Interim Batavia Galliæ regio per Francos Reges aliquot occupata ad Carausium tyrannum defecit. Quæ caussa Maximianum impulit, ut omnes eò belli curas, apparatusque convertit. Itaque sequenti anno Maximo iterum, (60) & Januario 288
Consulibus, Germanico bello, quo assidue pre-

(54) Onuphr. in Fast. notam numeralem Maximiano apposuit, at non reperitur in Fastis Heraclii, & Cæsareis. V. quæ in hanc rem Cardinal. Norisius Differt. I. de Numismate Impp. Dioclet., & Maximian. 3.

(55) Rectè Auct. N. victoriam hanc cum Consulatu Maximiani copulat, verbis Mamertini adactus; unde mirum, quod plerique ad an. 286. victoriam hanc rejecerint.

(56) Ita Sidonio Apollin. Carm. 7. *Vitbungi* sc., sed *Gothunni* sunt Claudiano in IV. Consul. Honor. Gauthunni Flavio Vopisco in *Probo*. *Grotungos* habet Ammian. l. 27. 5. & qui *Jutbungi* eidem sunt Ammian. l. 17. 12. iidem esse videntur, qui *Grutbungi*, vel *Protbingi*. Grutungi ad ripam erant Borysthenis occasum versùs Gens bellicosa, eod. Ammiano teste primo l. cit.

(57) Post Ptolomæum l. 3. 5. Καρπιανὸς, *Karpianos* vocantem, omnes dixere *Carpos*. Gens erat transistriana. Zos. l. 1. 31. περὶ τὸν Ἴστρον, circa Istrum, trans flumen attamen locavit. Sed jam tum egressi sedibus Romanas Provincias infestabant, sub Gallieno: immo & paulò ante Philippus Arabs ἐπὶ Καρπους ἐστράτευσε, qui jam cœperant Danubio vicina loca populari ex eod. Zos. l. 1. 20. Ante Philippum verò sub Maximo, & Balbino pugnatum à Carpis contra Moesos fuit ex Capitol. c. 16. Deinde Valerianus, ex Vopisc. c. 30. Carporum copiis afflictis, eorumdem partem in citeriorem ripam, Romanumque solum traduxit. L. Aurel. Victor. in *Diocletiano*. At Idacius, Nummio Tusco, & Annulino Coss. (an. Chr. 295.) Romanis se dedidisse tradit in Fast.

(58) *Vesegothæ* à Jornande appellantur, ubi Ostrogotham Regem Gothorum memorat, cujus Imperio subjectos Ostrogothas, & Vesogothas fuisse tradit, de Reb. Getic. pag. 720. Hic id. infer. p. 741. ait: Ostrogothas *morte Ermanarici Regis sui à Vesegothis divisos*.

(59) Militaria hæc præsidia, quæ & *limitanei milites*, & *militia ripensis*, dicta, ut à militia *comitatensi* distingueretur. De utraque extat l. 4. C. Theod. *de Veteranis*, & l. 17. *de cohortalibus*. Eod. C., & alibi.

(60) Ita Onuphrius in Fastis, unde A. N. Cui errori ansam dedisse Ammiani verba l. 25. verosimile est: *Julianus jam ter Consul adscito in Collegium trabeæ Sallustio Præfecto per Gallias, quater ipse amplissimum inierat magistratum: & videbatur novum, adjunctum esse Augusto privatum, quod post Diocletianum, & Aristobulum*

premebatur; solutus arma adversus eum intulit. Accidit autem illud incommodi, ut ad Britannici maris inclementiam summa quoque rei nauticæ imperiti (61) à se adjunxerit. Quibus impedimentis intercedentibus bellum illud in præsens interimere, ac piratæ vindictam in aliud tempus rejicere est coactus. Itaque pace cum eo simulate composita (62) in Francos, qui Carausio se adjunxerant, atque auxilia ministrabant, invasit, cujus impetum cum Rex eorum Gennobon sustinere non posset, legatos, qui pacem peterent, misit, neque eam impetravit. Diocletianus autem ipsam quasi domandarum gentium seriem persequutus post Gotthos, Carposque subactos repente sese in Quados, (63) & Marcomannos, (64) aliosque vicinos Germaniæ populos intulit, qui superato Danubio ipsas, quæ objectæ erant, Rhætias assiduis incursionibus lacerabant, atque eas gentes prœliis, & expugnationibus ita fregit, ut pace petita dicto se audientes fore spoponderint. Ita quemadmodum Maximianus Alemanis vincendis Romanum limitem ultra Rhenum, sic Diocletianus Quadis subigendis ultra Danubium protulit. Inde reliquum anni ab utroque in Illyrico, Galliaque lustranda est positum. Per eosdem ferme dies nova duo, eaque periculosa bella coorta sunt, unum in Ægypto, in Africa alterum. Achilles (65) quidam non ignobilis dux militiæ Ægyptum ad defectionem solicitavit, ac contractis ad se militaribus copiis ipsam sibi provinciam cum insignibus Augustalibus vindicavit. Quinquegentiani vero Mauritaniæ populi ingenii ferocioris, ac prope indomiti, arreptis temere armis provinciam hostiliter percurrere, eamque spretis Maximiani præfectis variis populationum incommodis afficere instituere. Cum autem Diocletianus non tam vesanam populorum defectionem, quàm sævam tyrannorum in dies orientium libidinem ægre ferret, consilia rerum agendarum coram sibi cum Maximiano communicanda putavit, ac propterea illum, Mediolanum in Italiam ut adiret, admonuit: nam se eo quoque colloquii gratia conventurum. Maximianus autem, ut ejus auctoritati diligenter obtemperabat, ejusmodi nuncio accepto statim se obsequuturum ostendit. Itaque postero ineunte anno, quo Consulatum 289
gesserunt Bassus, (66) & Quintianus, & Januarius præfecturam urbis, quam III. Kal. Martias occeperat, continuavit, Diocletianus præmissis nunciis è Pannonia cessit, ac summa celeritate Juliis alpibus superatis repente in Italiam nec opinantibus omnibus adiit. Maximianus autem hieme sævissima, & in Gallia inusitata, cum nive, ac glacie oppleta horrerent omnia, ex improviso per Cottias alpes (67) accessit. Uterque, quacunque iter fecit, frequentissimo populorum longo eos intervallo visere gestientium concursu exceptus est, præcipue agricolæ concursare, inter se nunciare, aras ponere, thura adolere, hostias immolare, vina libare, deos laudibus, gratiisque concelebrare; usque adeo ut passim fructus percipi expectatissimi triumphi potuerit. Erat jam tum Mediolanum (68) ea nobilitate, opulentia, publicorum operum magnificentia, & civium, inquilinorumque frequentia præditum, ut facile secundum à Roma dignitatis teneret, atque amplitudinis gradum. Itaque urbem ingressi ambo ea pompæ magnificentia, atque occurrentis civitatis honore excepti sunt, qui maximus, ac splendidissimus adhiberi per ea felicissima Italiæ tempora potuit. Geminata inde majestatis Augustalis præsentia omnium animos inusitata admiratione defixit. Ambo in eodem Palatio hospitati comiter eos, quibus Augustos salutare per dignitatum gradus licebat, duplicato majestatis numine admiserunt. Ut vero limine egressi per mediam Urbem equis simul invecti sunt, certatim viri, fœminæ, pueri, & ætate maturi aut per fores in publicum prodierunt, aut per superiores ædium partes se projecerunt, clara, ac libera inter se voce rogantes, vides Diocletianum, Maximianumque? vides? ambo sunt, unà sunt, quam invicti sedent, quàm concorditer eloquuntur, quàm cito transeunt? Affuerunt ex omnibus Urbibus hone-

---

*bulum nullus meminerat gestum*. At Ammianus vel memoria lapsus, vel vitiatas Consulum tabulas offendit. Reponendus autem *Maximianus Aug. II.*, & *Januarius* juxta Veterum Fastorum, Heraclii, & libelli de Præfectis Urbi fidem.

(61) Hinc ad Carausium compescendum construi naves debuere, & res maritima stabiliri, ut Mamertinus in Panegyr. Maximiano dicto testatur c. 9, ubi: *Ædificatæ sunt, ornatæque pulcherrimæ classes, cunctis simul amnibus Oceanum petituræ*.

(62) Cum Carausio sc. scribit Eutropius: *Cum Carausio tamen, cùm bella frustra tentata essent contra virum rei militaris peritissimum, ad extremum pax convenit*. Cujus pacis indicium Numisma illud Carausii, in quo Pax stans, dextra Ramum, sinistra Hastam per transversum habens, & legitur PAX AUGGG. ap. Mediob. p. 429.

(63) Quorum sæpe mentio in *Galliene* apud Eutropium, & Capitolin. in *Marco Antonino*. Tacit. Ann. l. 2. 63. refert Tiberio imperante, Suevos fugitivos, à Romanis inter Marum, & Cusum locatos esse, dato Rege ex Quadorum Gente, unde & ipsi Quadis accensiti.

(64) Hi relicta veteri se ad Rhenum, & Danubii fontes, Terram à Bojis habitatam occuparunt, pulsis, quos colonos repetere.

(65) Euseb. in Chron. juxta edit. Scaligeri an. Abrahami 2304., qui incipit Kal. Octob. an. Chr. 287. ait: *Ægyptum Achilleus obtinuit*. Sed cum subdat: *Ob quæ Constantius, & Galerius Maximianus Cæsares assumuntur in regnum*, hique nonnisi an. 292. Cæsares nuncupati, Achilleus an. 291, aut 290. purpuram sumpsisse videtur. Nisi dicatur, Eusebium gesta diversis temporibus conjunctim narrasse.

(66) Cum nota numerali II. edunt libellus de Præf. Urbi, Fasti Græci Theonis, Cæsarei, & Lex 9. Cod. Justinian. *de accusationibus, & inscription.*

(67) A Cottio Regulo dictæ, cujus Regni historiam diligenter scripsit Marcellinus l. 15. c. 10. Vales. Cottianas Civitates numerat Plin. l. 3. 20. quarum Regia Segusio fuit: Nero autem in Provinciæ formam redegit, narrante Svetonio 18., & Eutrop. l. 7. 9.

(68) V. quæ A. N. infra h. eod libro refert ex Ausonio de ejusdem urbis celebritate. Ex Genethliaco ab Eumenio dicto Maximiano Aug. c. 11. liquet, utrumque Imperatorem Mediolanum venisse, ut de Cæsaribus creandis, quibus tutò committi possent exercitus, curæque bellicæ communicandæ, consultarent. Quæ autem oratio, cum nullam de Constantio, & Galerio Cæsaribus fit mentio, ante an. nonagesimum primum recitata esse videtur, saltem ante 92., quo ambo Cæsares nuncupati esse videntur.

Digitized by Google

honestissimæ legationes, sed in primis Roma lumina ipsa Senatus, ac Civitatis Principes misit, nemoque omnium fuit, quin per eos dies Mediolanensium Civitatem beatissimam duceret; quæ duos tantos, ac tam concordes Imperatores gremio complexa teneret. Ceterum ipsi secreto inter se colloquuti fraterna invicem officia præstiterunt, ille dona Persica, hic spolia Germanica ostendendo, ac summe in omni consiliorum ratione concordes præcipue de Cæsaribus adjungendis inter se consenserunt, ut partem instantium bellorum in eorum curam, sedulitatemque transferrent. Ubi vero per aliquot dies unà fuere, tum eadem, qua venerant, celeritate sese ad exercitus recepere. Post aliquot inde dies Narses Rex Persarum ab Ormie fratre bello petitus legatos ad Diocletianum in Syriam de confirmanda pace misit, atque ei donis regiæ munificentiæ cultu se ipsum, totumque Regnum, (69) ut ingredi dignaretur, explicuit. Gennobon autem Rex Francorum pacem iterum à Maximiano poposcit, tum demum integra se auctoritate regnare existimans, cum ipso placato regnaret. Ille vero pacem Francis ita dedit, ut multas eorum familias in Galliæ fines traduxerit, atque in agris Nerviorum, ac Trevirorum locaverit, sic enim & terram hostium incolis exhauriri, & propriam, quæ deserta erat, expleri posse, putavit. Moris erat, ut Imperatores quinto ac decimo quoque Imperii sui anno (70) dies quosdam festos peragerent, in quibus sacra, ludosque omnis generis facerent, ac præterea diis votis se solemnibus obligarent, si se incolumes in proximum quinquennium, aut decennium conservassent, aut vota superiore quinquennio nuncupata pro retenta incolumitate persolverent. Cum ergo quintus hic Diocletiano, & Maximiano Imperii perficeretur annus, uterque quinquennalia apparatu, ut assolebat, maximo edidit. Maximianus ea Treviris celebravit, quæ tum Gallici sedes (71) habebatur Imperii. Mamertinus orator solemnem ad ea orationem composuit, sed jussu Maximiani ad decennia reservavit, quoniam lustris omnibus prædicandis ea communis esset oratio. Insequens
290 annus, qui fuit à Christo nato ducentesimus nonagesimus, Diocletianum Augustum IV., & Maximianum Augustum III. Consules, & Turrianum Gratianum Præfectum Urbis, habuit. Eo anno Diocletianus lustravit Illyricum, siquidem Hadrianopoli, Byzantiique subscripsit. Maximianus autem Treviris Natalicia sua peregit. In ea pompa Mamertinus orator, de quo dixi, Belgicus, per ea tempora clarus orationem diei, ac celebritati, quæ agebatur, accommodatam habuit, in qua primum ipsas Imperatorum vel durissimis temporibus concursationes exposuit, deinde res ab eis gestas percucurrit, Rempublicam virtute eorum Carini dominatu sævissimo liberatam, exacerbatas seculi prioris injuriis Gallias eorum clementia ad obsequium esse redactas, dies festos victoriis, ac triumphis celebratos, trophæa in media Germania constituta, limitem Rhætiæ repentina hostium clade promotum, Sarmatiam vastatam, oppressumque captivitatis vinculis Saracenum, Francos ad petendam pacem cum Rege venientes, Parthumque Diocletiano munerum miraculis blandientem. De pietate inde illorum disserens in primis admirabilem eorum concordiam extulit. *Quæ enim*, inquit, *ulla unquam videre sæcula talem in summa potestate concordiam? qui germani, geminive fratres indiviso patrimonio tam æqualiter utuntur, quàm vos orbe Romano? Laurea illa devictis accolentibus Syriam nationibus, & illa Rhætica, & illa Sarmatica te Maximiane fecerunt pio gaudio triumphare. Itidem hic gens Chaibonum, Herulorumque deleta, & Transrhenana victoria, & domitis oppressa Francis bella piratica Diocletianum compotem votorum fecerunt, obstupescerent omnes admiratione vestri, etiamsi vos idem parens, eademque mater ad istam concordiam naturæ legibus imbuissent. At enim quanto hoc est admirabilius, quod vos castra, quod prælia, quod pares victoriæ fecere fratres, dum virtutibus vestris favetis, dum pulcherrima invicem facta laudatis, dum ad summum fortunæ fastigium pari gradu tenditis, diversum sanguinem affectibus miscuistis.* Inde quanto labore media hieme ex diversis regionibus Mediolanum colloquii gratia convenissent, quanto amore simul in eodem Palatio diversati essent, atque inde discessissent; edocuit, postremo felicitatem eorum ostendit, quod securo orbe suas uterque provincias relinquere, atque in interiora Imperii secedere possent, quod diram famem, ac sævam pestilentiam ipsis ad Imperium evectis summa frugum copia, & optata corporum salubritas excepisset, & quod Deus opportune ad tranquillandum Imperium bella civilia inter nationes barbaras accendisset. *Furit enim*, inquit, *in viscera sua gens effrena Maurorum. Gotthi Burgundios penitus excindunt, rursum pro victis armantur Alemani, itemque Tervingi pars alia Gotthorum adjuncta manu Taifalorum* (72) *adversum Vandalos, Gepidasque* (73) *concurrunt.*

(69) *Hoc eodem modo Rex ille Persarum nunquam se ante dignatus hominem consiteri, fratri tuo* (Diocletiano) *supplicat, totumque, si ingredi ille dignetur, regnum suum pandit, offert*, &c.

(70) *Iteratus Bassi Consulatus indicium aliquod est Quinquennalium h. an. à Diocletiano editorum*, inquit Pag. ad præsent. Chr. an. in fin. Erant autem Quinquennalia, & id genus Festa quædam Imperii renovatio, ut Dio testatur l. 53. Nummi quamplures ea vota præsesefe-runt; sed ante Commodum nullus ex Impp. Quinquennalia, & Quindecennalia in Nummis memorari jusserat.

(71) Auctor Græcus Anonymus Descriptionis Veteris Orbis, qui libellum suum ante an. Chr. 350. scripsit, hæc habet: *Civitatem porrò Maximam habere dicitur* (Gallia) *quæ vocatur Treviris, ubi etiam Imperator morari dicitur*, &c.

(72) Hos memorat Ammian. l. 27. 13., & l. 31. 9., ubi Gentem hanc *turpem, ac obscenæ vitæ flagitiis mersam* dicit.

(73) Gepides, & Gepidi dicti populi Sarmatiæ Europææ, inter Getas, Dacosque numerati; eorumque regio in Dacia, Gepidia dicitur à Jornande. A pugna pedestri sic appellatos Isidor. tradit l. 9. Etym. Sed Consule Jornandem plura de hac Gente narrantem, de Reb. Get. p. 719., & sequ.

*runt. Ipsos Persas, ipsumque Regem ascitis Saccis, (74) & Ruffis, (75) & Gellis (76) petit frater Ormies, nec respicit vel pro Majestate quasi Regem, vel pro pietate quasi fratrem. Burgundiones Alemanorum agros occupavere, sed sua quoque clade quæsitas Alemani terras amisere, quas repetunt. Blemeyi (77) levibus modo assueti sagittis adversus Æthiopas quærunt, quæ non habent arma, & pæne nudis odiis bella internecina committunt*; augurature inde in extremo navales etiam, maritimosque triumphos, quos ex Carausio partum iri significat. Eo demum anno, cum Britannia, Ægyptus, & Mauritania amissæ animos Augustorum urgerent, placuit ambobus ad confirmandas Reipublicæ vires, & bella omnia complectenda sibi Cæsares adoptare. Hoc non solum apud Eutropium scriptum est, sed etiam in oratione, quam orator Æduus post ad Constantium Cæsarem dixit: *Toto terrarum orbe*, inquit, *non modo qua Romanus limes fuerat, virtute vestra recepto, sed etiam, qua hostilis, edomito, cum toties proculcata esset Alemania, toties obstricta Sarmatia, Vittangi, Quadi, Carpi toties profligati, submittente se Gothos pace petenda, supplicante per munera Rege Persarum urebat animum una illa tanti Imperii contumelia, quod Britannia adhuc in potestate Carausii esset*: Item: *Partho ultra Tigrim redacto, Dacia restituta, porrectis usque Danubii caput Germaniæ, Rhætiæque limitibus, destinata Bataviæ, Britanniæque vindicta gubernacula majora quærebat aucta, atque augenda Respublica, & qui Romanæ potentiæ terminos virtute protulerant, Imperium filio pietate debebant*. Hoc igitur consilio constituto Augusti ambo filios sibi adoptarunt, Diocletianus quidem Galerium Maximianum, (78) virum prope Serdicam urbem Ripensis Daciæ natum, Maximianus vero Constantium Chlorum in Dardania, ex filia Crispi fratris Claudii nuper Imperatoris progenitum. Etenim Maxentius Maximiano primum propter ætatem, deinde propter aliam offensionem parum fuit probatus: siquidem fama constans manavit, eum arte uxoris mariti animum virili prole edita retinere cupientis fuisse suppositum. Galerius autem, & Constantius Diocletiano, & Maximiano bellicis in studiis, atque laboribus ita se virtute, consilio, ac sedulitate probarant, ut idonei visi sint, qui adoptati in Imperii societatem acciperentur, ac Cæsares dicerentur. Quamobrem postero anno, 291 Cassio, & Tiberiano (79) Consulibus, Kalendis Martiis Diocletianus Galerium in Illyrico, & Maximianus Constantium, in Italiam accitum pompa, quæ adhiberi in ejusmodi celebritate solebat, adhibita, Cæsarem declaravit: unde Æduus idem dixit: *O Kalendæ Martiæ sicut olim annorum volventium, ita nunc, æternorum auspices Imperatorum*. Galerio etiam Diocletianus Valeriam filiam collocavit, à qua pars quædam Pannoniæ (80) nomen traxit, Maximianus vero Constantio Theodoram privignam; atque earum ducendarum causa uterque priores uxores dimisit. Constantius etiam, ut fraternæ fidei certum Galerio pignus daret, Constantinum filium, qui postea imperavit, ex Helena uxore, (sic enim plerique censent (81) potius, quam concubina,) susceptum obsidem dedit, eo nomine, ut prima illo duce rudimenta militiæ poneret: nam XV. tum annos agebat. Cæterum, ut inquit Ammianus, hi Cæsares ipsis Augustis tanquam apparitores obtemperarunt, ultro citroque pro eorum arbitrio commeantes. His actis Diocletianus Galerium limiti (82) Istri defendendo præposuit, ipse vero Ægyptum sibi recuperandam assumpsit. Maximianus autem Mauritania sibi destinata Constantio Britanniam recipiendam commisit. Itaque hoc anno tribus in locis adversus hostes res egregie gesta est. Nam Diocletianus in Ægypto cum multa alia prospere administravit, tum in primis urbes Thebaidis duas Busirim, & Copton, (83) quæ defecerant ad Achillem, devictas, ad prodendum adversus fidei desertores exemplum

solo

(74) Sacæ, ex Sansono, populi Scythiæ intra Imaum montem, inter Alanos Scythas, Jaxartas, & Orgasos, ubi nunc Chazalgitæ, populi Tartariæ Magnæ. Plin. l. 6. 17. ait: *Ultra sunt Scytharum populi. Persæ illos Sacas* (an hi Saeci) *in universum appellavere à proxima gente*.

(75) A Rusiana oppido Germaniæ superioris (si Ptolomæo fides) ad Rhenum, fortasse dicti Ruffi. Modò in Alsatia superiori extat *Rufach*: olim Rufiacum dictum conjicit Cellarius Geograph. antiq. l. 2. p. 303.

(76) Hi apud Plin. l. 6. *Gelæ*, Ptolomæo *Geli*, populi Mediæ in Parthiæ confinio. V. Strab. l. 11. p. 122. med.

(77) Blemmyes, seu Blemyes *Ægyptiis contermini*, ex Strab. l. 17. init. Et Zosimus l. 1. 71. Socios illos appellat urbis Ptolemaidis in Thebaide adversùs Romanos. Et Olympiodor. ap. Phot. p. 112. juxta Talmin (hæc Ægypti urbs in extremis finibus) ponit.

(78) Cognomento *Armentarium*, ut Victor de Cæsaribus scribit; à Diocletiano post adoptionem *Maximianus* dictus. L. Lactant. de mortibus Persecutor. c. 18. Cum eo simul Cæsar declaratus fuit Constantius Chlorus, Constantini M. pater. *Constantius privignam Herculei Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam: ambo uxores, quas habuerant, repudiare compulsi*, inquit Eutropius. Idacius in Fastis, & Auct. Chron. Alex. an. Chr. 291. id evenisse tradunt: *m* potiùs sequenti cum Doduvello ex Fastis Theonis, & ex Fastis Græcis pariter Heraclii, eodem curante, editis.

(79) Ambo fuere Præfecti Urbi *Cassius Dio*, & *Junius Tiberianus*, qui cum nota numerali II. legitur in Fastis Græcis Heraclii, & libello de Præfectis Urbi.

(80) Ita Ammian. l. 19. Id autem non à Diocletiano; sed à Galerio Maximiano factum, teste Victore de Cæsaribus, ubi: *Provinciam uxoris nomine Valeriam appellavit*.

(81) Zos. l. 2. concubinam dixit, & in hoc mendax; Maximianus enim Herculeus, cum Constantium in filium adoptasset, ut Theodoram Privignam suam ei uxorem daret, coegit priorem repudiare ex Eutrop. l. 9. Victore in *Diocletiano*. An unquam *repudiari* Concubinam dictum est? Nonne & palam Gallicanus Orator in Paneg. I. Constantini, Constantii Patris sui continentiam laudavit?

(82) Victor de Cæsarib. ita molem bellorum ingruentium fuisse divisam tradit: *Cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa; Africa, Italiaque Herculeo: Illyricique ora ad usque Ponti fretum, Galerio: cetera Valerius retentavit*.

(83) Βούσιρις ap. Strab. p. 552., ubi ait extitisse *templum maximum Isidis*, cujus & Herodot. meminit l. 2. 59. Urbs supra Leontopolim. Erat ad fluvium Busiriticum. Coptos vero celebre Emporium, ab Ægyptiis, & Arabibus habitatum, ex Plin. l. 5. 9. ubi ait: *Coptos Indicarum, Arabicarumque mercium Nilo proximum Emporium*.

solo æquavit. Galerius autem transmisso Istro Sarmatas, & Carpos, qui limitem violaverant, tanta mole invasit, ut victoriam clarissimam (84) reportarit. Constantius vero maxima celeritate ex Italia in Galliam maturavit: inde nec opinantibus omnibus ad Oceanum progressus Gessorigiam, (85) quod oppidum in littore adversus Britanniam situm à Carausio tenebatur, primo adventu in potestatem redegit. Quo facto subito portum urbis molibus saxorum, lignorumque injectis ita obsepsit, ut ejus usum Carausio prorsus ademerit, tum exercitum ejus adortus, qui Bononiense littus insederat, prœlio prospere facto devicit, ac victum summa clementia conservavit. Inde, navibus ad trajiciendum ædificari jussis, Batavos sibi adoriendos suscepit, qui, Britannico tumultu solicitantibus Francis cum defecissent, Cliviam oppidum Romanorum arctissime obsidebant, ac neque locorum stagnantium difficultate permotus, (nam Bataviam à Scalde (86) interlutam divortio suo Rhenus amplectebatur) neque sylvarum barbaros occultantium densitate deterritus hostes longissime, ac constantissime persequutus, demum cum conjugibus, & liberis ad deditionem adduxit, atque obsidione Cliviam liberavit: multi barbari, in primisque Franci captivi facti: quos ad agrus Lingonum, Rhemorum, Tricassinorum, & Ambianorum à solitudine vindicandos destinavit. Unde vetus dixit orator ad Constantioum, Constantium patrem ejus terram Bataviam à diversis Francorum Regibus occupatam omni hoste purgasse, ac gentes ipsas in Romanas nationes transtulisse, ut non solum arma, sed etiam feritatem ipsam ponere cogerentur, & pacem Romani Imperii cultu juvarent, arma delectu. Ex his multi provincialibus distributi aliquandiu in porticibus civitatum blandientes mansetuot, donec ad destinatos sibi sol tudinum cultus contenderent: Regibus eorum Afarico, & Gaisoni pax, cum eam peterent, est concessa. Iisdem Consulibus Junius Tiberianus (87) præfecturam urbis XII. Kal. Martias cepit, de quo Vopiscus: *Hilaribus,* (88) *quibus omnia festa fieri debere scimus, & dici, impletis solemnibus vehiculo suo me, & judiciali carpento præfectus urbis vir illustris Junius Tiberianus accepit.* Hannibaliano inde, & Asclepiodoro (89) Consulibus, Galerius Bastarnas, Carpos, & Sarmatas in finibus suis trans Istrum adortus, insigni victoria superavit, eo in bello Constantinum Constantii Cæsaris filium egregiæ virtutis adolescentem, cum ejus laudi inviderei, (90) consulto sub specie honoris variis periculis objectavit, quæ ille semper insigni animi fortitudine depulit, præcipue autem duci Sarmatarum in campum prodeunti oppositus ipsum vivum corripuit, idque primom specimeo futuræ magnitudinis edidit. Hi populi, ne quando bellum redintegrare possent, citra Istrum Diocletiani jussu traducti, atque in Romanis provinciis collocati. In Gallia cum summa per æstatem, hiememque siccitas extitisset, qua classis ad bellum Britannicum est constructa, repente ineunte vere assiduis imbribus amnes ita exundarunt, ut paratis navigiis facilem deductionem præbuerint. Cæterum, dum instructa classe Constantius tempus navigationis opportunum expectat, dies XI. Kal. Maji advenit, quem Maximianus, quia idem erat Romæ natalis, magna populi lætitia Treviris celebravit. In ea solemnitate Mamertinus idem, ut existimatur, orationem habuit, in qua expositis Maximiani rebus omnibus, quas commemoravimus, demum de Constantio, & apparatu instantis belli Britannici ita disseruit: *Vestræ felicitatis est, quod jam milites ad Oceanum pervenere victoria, jam cæsorum in illo littore hostium sanguinem reciproci fluctus sorbuerunt. Quid nunc animi habet ille pirata, cum fretum illud, quo solo mortem suam huc usque remoratus est, pene vestros exercitus videat ingressos, oblitosque navium mare refugum sequutos esse, qua cederet? quam nunc insulam remotiorem, quem alium sibi optet Oceanum? quo denique pacto effugere pœnas Reipub. potest; nisi si haustu terræ devoretur, aut turbine aliquo in devia saxa rapiatur, ædificata sunt, ornatæque pulcherrimæ classes cunctis simul amnibus Oceanum petituræ, neque solum ad perficiendas eas certatim homines laborarunt, sed etiam ad excipiendas flumina repente creverunt. Tota ferme anno Imperator, quod tibi opus erat fere-*

(84) Sed Idacios in Fastis, Fl. Valerio Constantio Cæs., & C. Galeeio Valerio Maximiano Cæs. Coss., prodid t: *His Coss. castra facta in Sarmatia contra Acinco, & Bononia.* Aquincum, seu Acincum, ex Cluver. Buda est; Bononia vero olim urbs, nunc Pannoniæ inferioris oppidum ad Danubium. De eod. hoc bello intellige Eutrop. de Diocletian., & Galre. Maximiano dicentem: *Varia deinceps, & simul, & viritim bella gesserunt, Carpis, & Basternis subactis, Sarmatis victis, quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt.*

(85) Auctor Tabulæ Theodosianæ clare dixit, *Gesoriaco, quod nunc Bononia.* Clavetius, portum *Itium* Julii Cæsaris, & *Gessoriacum* Melæ, Svetonii, & Flori eumdem esse verosimiliter opinatur.

(86) Oritur in Veromanduis, & per Nervios, aliosque populos delapsus, ubi Oceano appropinquatus, in plures dissilit partes. Ejusdem rivus Bergam attingens, olim Mosæ jungebatur; unde illud Cæsaris l. 6. 33. intelligitur. *Ad flumen Scaldem, quod influit in Mosam, ire constituit.*

(87) Qui Vopisco author fuit, quo Aureliani res gestas scriberet, cum in suum vehiculum accepisset, suppeditatis ex Ulpia bibliotheca libris linteis, & Vopisc. ipse in *Aureliano* testatur, init.

(88) Feriæ Matris deum, ex Herodian. t. to. t1. Celebrabantur VIII. Kal. April. Macrob. Sat. t. 21. Vopisc. in Aurelian. s. ait: *Hilaribus, quibus omnia festa, & fieri debere scimus, & dici.* Tunc quippe permissa ludendi, jocandique licentia; & quas quisque personas volebat, licitam induere. L. Herodian. l. s., & rectè A. N. *festa*, (verba sc.) & non *fausta* legit: Hoc enim loco Vopiscus festa verba dicere voluit, jocosa, & festiva, qualia festo, hilarique die dici conveniat; hinc & *festi homines*, quos Græci κελημένους, & Latini *festos*, & *festi dies homines* vocabant.

(89) Idem hic, qui *Prætorianus Præfectus* cùm præesset, *cum parte classis, ac legionum* præmissus deinde fuit à Constantio adversùs Allectum, qui tyrannidem in Britannia post Carausium occupavit, ex Victore de Cæsaribus.

(90) Narrat id Eusebius Histor. l. 8. 26., & 29. V. & quæ Zonaras l. 2. Annal. in *Diocletiano* tradit, cui tamen in hac re non oppido deferendam, plura narranti, quæ Eusebio penitus ignota, qui laudandi Constantini nullam omisit occasionem.

*nitate, ut navalia texerentur, ut trabes cæderentur, ut artificum animi vigerent, ut manus ne torpescerent, nullus fere dies imbre fœdatus est, hiems ipsa veris temperiem imitata est, fluvius hic noster diu pluviarum pabulo carens impatiens erat navium, solam navalibus tuis materiam devehebat. Ecce autem subito, cum deduci liburnas* (91) *oporteret, tibi uberes fontes terra submisit, tibi largos imbres Juppiter fudit, tibi totis fluminum alveis Oceanus redundavit, ita in aquis sponte subeuntes impetum navigia fecerunt, leni modo commota nixu ducentium. Facile itaque quivis intelligit Imperator, quam prosperi te successus in re maritima sequuturi sint, cum jam sic tempestatum opportunitas obsequatur Felix igitur talibus Roma principibus. Hi cum primum redeant ad te, triumphantes uno cupiunt invehi curru, simul adire Capitolium, simul habitare Palatium. Profecto mature illucescet dies, cum vos videat Roma victores, & alacrem sub dextra filium, quem ad honestissimas artes omnibus ingenii bonis natum felix aliquis præceptor expectat. Interim tamen te gentium domina, quoniam hunc optimum Principem in Galliis tuis retinet ratio Reipublicæ, quæsumus, si fieri potest, ne huic invideas Civitati, cui nunc ille similitudinem Majestatis tuæ confert, natalem tuum celebrando in ea consuetudine magnificentiæ tibi debitæ, teque ipsum Imperator oramus, ut etiam, cum vos totius orbis securitate composita illa Imperii vestri mater acceperit, amplexus ejus arctissimos interdum piis manibus resolvatis, tuque Maximiane potissimum, (credo enim hoc idem etiam Diocletianum Oriens rogat,) has provincias frequenter illustres, & profundissima licet pace florentes adventu numinis tui reddas feliciores. Vide Imperator, quanta sit vis tuorum in nos beneficiorum, adhuc præsentia tua fruimur, & reditum desideramus.* Hæc, ut dixi, Mamertinus XI. Kal. Maji loquutus est, cum apparatus Britannici belli ferveret. Interim dum hæc geruntur, Carausium (92) familiaris ejus Allectus dolo peremit, atque Imperii sibi insignia (93) vindicavit. Itaque bellum, quod Carausius erat passurus, ipse sustinuit. Unde quidam Æduorum legatus post bellum confectum sic dixit: *Accesserat diuturna sceleris impunitas, quæ desperatorum hominum inflarat audaciam, ut illam inclementiam maris, quæ victoriam principum fatali quadam necessitate distulerat, pro sui terrore jactarent, nec consilio intermissum bellum esse, sed desperatione omissum crederent, adeo ut jam communis pœnæ timore deposito archipiratam* (94) *satelles occideret, & illud auctoramentum* (95) *tanti discriminis putaret Imperium.* Allectum vero ut insignia sibi ascivisse principes cognoverunt, eo ardentius bellum jam comparatum intulerunt. Ac primum quidem, ne Constantio in Britanniam transgresso barbaræ nationes novas res aliquas molirentur, Maximianus noto itineris compendio ad Rhenum accessit, omnemque illum limitem non equestribus, neque pedestribus copiis, sed præsentiæ suæ terrore tutatus est. Constantius vero cum instructis diversis classibus tempus solvendi idoneum expectaret, demum vel adverso reflante vento littore solvit. Quod ubi sensere milites, qui à fluctu in amnem Sequanam fuerant repulsi, cunctantibus ducibus, cœlo, ac mari turbidis, ultro signum navigationis poposcerunt, ac minacibus signis contemptis, die pluvio vela fecerunt, & ventum, quia directus non erat, obliquum captarunt, mutuis his se vocibus excitantes: Quid dubitamus? quid moramur? Cæsar ipse jam solvit, jam provehitur, jam fortasse pervenit. Inde cœlum obscuris adeo tenebris est offusum, ut inimica classis apud Vectam insulam (96) in speculis, & insidiis collocata imprudentibus hostibus sit præterita. Exercitus autem ut primum Britanniæ littus obtinuit, universis navibus suis ignes injecit, ne sibi ullum fugæ præsidium reservaret. Quo cognito Allectus ab eo littore, quod tenebat, abscessit, ac classem, portumque deseruit, Constantium, cujus imminentia vela prospexerat, jam, jamque affuturum formidans, seseque ad prœlium conferendum accinxit: ceterum neque aciem explicuit, neque omnes copias, quas trahebat, instruxit, sed cum veteribus conjurationis auctoribus, & barbaris mercede conductis reliqui apparatus oblitus processit. Prœlio Asclepiodoro prætorii præfecto duce commisso nemo Romanorum occubuit: omnes illos campos, atque colles non nisi hostium corpora fusa texerunt: inter quos Allectus ipse jacuit, cultu illo, quem assumpserat, ultro deposito, & vix unius velaminis repertus indicio. Franci ad internecionem cœsi. Milites autem, qui per errorem nebulosi maris avulsi ad oppidum Londiniense pervenerant, quidquid barbarorum prœlio superfuit, cum direpta Urbe fugam capessere cogitarent, passim tota Urbe straverunt. Constantio inde in littus egredienti Britanni exultantes gaudio sese cum conjugibus, ac liberis obtulerunt, non ipsum modo, ut cœlo delapsum intuentes, sed etiam navis illius, quæ ipsum advexerat, vela,

(91) Liburnicas quoque dixit Sveton. in *Augusto*; unde liburnicum Imperium, idest navale ap. Firmicum. Levem biremen Livius dicit 3. Decad. l. 4. Ad liburnæ similitudinem erat vehiculi, seu lecticæ genus constructum *liburnum*, de quo Juvenal. Saty. 3.

(92) Eutrop. inquit: *Eum* (Carausium nempe) *post septennium Allectus socius ejus occidit; atque ipse post eum Britannias triennio tenuit*, &c. Si itaque an. 285. ut A. N. ait, Carausius Britanniam occupavit, præsenti anno peremptus fuit ex Eutrop. verbis. Sunt qui an. 286 initium tyrannidis Carausii consignant, ejusque necem anno 293. Non urgentibus validis conjecturis, non videtur A. Nostri Chronologia mutanda.

(93) V. ap. Mediob. numismata Allecti p. 429., qui triennium imperavit, teste Eutrop. supra cit.

(94) Archipyratam, Carausium nempe, Satelles, sc. Allectus occideret. Pyratam Carausium dixit & Mamertinus, bellumque adversus eumdem susceptum, Pyraticum dictum est, ut superius adnotat.

(95) Hic mercedem, & præmium denotat trucidanti propositum; unde & Vellej. Paterc. *In ea jugulati civis Romani publicè constitueretur auctoramentum*. Erat etiam pretium illorum, qui volentes lanistæ corpora sua addicebant, ex Sveton. Tib. c. 7. n. 2.

(96) Hanc in Romanorum potestatem redegit Vespasianus, quando privatus sub Claudio meruit, legatus legionis. *Insulam Vectam Britanniæ proximam, in ditionem redegit*, inquit Sveton. c. 4. vitæ.

vela, ac remigia venerantes; quippe post tot annorum miserrimam servitutem, post violatas conjuges, post filiorum turpe obsequium liberi, & vera Imperii luce recreati. Hac victoria non solum ipsa est recuperata Britannia, (97) sed Galliæ quoque, Hispaniæ, Italiæ, atque Africæ oræ perpetuis piratarum incursionibus liberatæ, nec solum Franci, sed multæ etiam aliæ gentes in conjuratione Carausii deprehensæ ad imperium accipiendum adactæ. Hæc hoc modo, atque hoc tempore gesta in oratione legati Æduorum invenio, ut mirabile illud esse videatur, quod ceteri prodidere, Allectum triennio post Carausium ab Asclepiodoro esse deletum, tumque demum Britanniam esse receptam. Hoc bello confecto Maximianus exercitum adversus Quinquegentianos Mauritaniam pervastantes immisit. Romæ IV. Nonas Augusti Claudius Marcellus
293 præfecturam urbis inivit. Postero anno, Diocletiano V. & Maximiano IV. Consulibus, Diocletianus Ægypti belli longitudinem indignatus Galerium Cæsarem ad se ex Mœsia revocavit, ut Jornandes scripsit, atque omni mole Achillem (98) circa Pelusium occurrentem adortus cum universo exercitu profligavit: deinde, cum se fuga Alexandriam recepisset, ibi corona circumdedit. (99) Non alia urbs fortius ipsa obsidionis incommoda pertulit: undique, & præcipue à mari omni apparatu bellico cincta, quanquam brevi ad maximam rei frumentariæ difficultatem adducta est, tamen omnem Diocletiani deditionis expectationem elusit, & gravioris ætatis homines ad inopiam levandam opera amicorum apud duces hostium gratia valentium emisit. Diocletiano tamen acrius in dies urgente demum octavo mense una cum Achille venit in potestatem. Victoriam tantam fœde Diocletianus exercuit, ut qui bellicarum artium, quam civilium, esset patientior. Nam & Alexandriæ muros diruit, & urbem diripendam permisit, ita ut preciosissima quæque templorum ornamenta detraxerit, & Ægyptios exiliis, ac proscriptionibus afflictavit, & Achillem defectionis artificem capitali supplicio vindicavit, & commentarios de fodiendis metallis scriptos Alexandrinis eripuit. Nabatæos (100) porro ex finibus suis ad Nilum traduxit, atque in oppidis, & opima regione locavit, ne in posterum infesti essent eis, qui Oasim (1) habitarent, verum se vindices exhiberent, Antiochiam inde reversus Daphnem (2) contendit, & Apollini solemne sacrificium fecit: reversusque Antiochiam advocatos Senatores de religione deorum retinenda admonuit, atque aliquid etiam de Christianis persequendis adjecit. Maximianus autem, & Constantius in Gallia rebus, quæ per bella superiora eversæ fuerant, restituendis intenti, oppida reædificare, eaque superioribus afflicta cladibus recreare conati sunt. In primis autem Franci ex intimis sedibus suis in Ambianorum, Tricassinorum, Rhemorum, & Lingonum deserta traducti sunt. Cum autem præcipue Flaviam Æduorum, & Flaviam Cliviensium refecissent, ob eam rem Ædui oratorem, cujus supra meminimus, ad eos miserunt, ut Britannicam victoriam gratulatum gratias de tanta erga se benignitate adjiceret. Qui dicere orsus, (3) primum superiores victorias Sarmaticas, Carpicam, Ægyptiamque sic perstrinxit: *Adoratæ sint mihi Sarmaticæ expeditiones, quibus illa gens prope omnis extincta est, & pene cum solo nomine relicta, quæ serviat. Dent veniam trophæa Niliaca, sub quibus Æthiops, & Indus intremuit. Contenta sit voce gloriæ suæ proxima illa ruina Carporum. Reservetur nunciis jam, jamque venientibus Mauris immissa vastatio, aliis hæc celebrabo temporibus. Illa vero, Cæsar Invicte, quæ ductu, atque auspicio nominis tui gesta sunt, quorum etiam spectaculo fruimur, sub hac occasione dignationis tuæ sine ulla dilatione dicenda sunt:* inde à principio repetens Britannicam expeditionem, & victoriam eo, quo scripsimus, pacto narravit. Qua multis verbis explicita sic demum peroravit: *Tenet uno amplexu Romana Respub. quidquid variis temporum vicibus fuit aliquando Romanum, & illa, quæ sæpe veluti nimia mole diffluxerat, magnitudo tandem solido cohæsit Imperio. Nihil ex omni* ter-

(97) Sed hæc anno Chr. 294. aut 295. gesta; Eutropius namque cit., postquam Carausium ab Allecto necatum refert, diserte ait: *atque ipse post eum Britannias triennio tenuit: qui ductu Asclepiodoti Præfecti Prætor. est oppressus*. Sed Authori nostro mirum videtur, Allectum triennio post victum dici, cum videatur eandem expeditionem, quæ in Carausium directa erat, eo occiso, factam in Allectum, statimque hunc superatum. Sed id destruere nequit Eutropii testimonium contrarium enarrantis.

(98) Chron. Euseb. habet juxta edit. Scalig. an. Abrahami 2313. qui Kal Octob. an. Chr. 256. inchoatur, hæc habet: *Alexandria cum omni Ægypto per Achillem Ducem à Romana potestate desciscens, octavo obsidionis mense à Diocletiano capta est*. Itaque plurimi, &c. Ubi tamen intelligendus Eusebius, non quod uno, eodemque anno Achilles & cœperit imperare, & debellatus fuerit (oppositum namque ipse idem narrat ad an. Abrah. 2304.) sed ejus verba exprimere debent, Achillem an. Chr. 287. tyrannidem arripuisse in Ægypto, cui an. respondet an. 2304. Abrahami, a Kal. Octobris incipiens; & deinde sexto post anno Alexandriam captam, an. sc. Abrah. 2313. Atque ita Eusebius per seipsum explicandus.

(99) Hac usi veteres in subita oppugnatione ad claudendum, distinendumque, ut ex Liv. colligitur 43. 18. Spissa corona dicitur apud Sil. Ital. 13. 140. Duplex fortasse, aut triplex, prout militum numerus, aut loci oppugnandi amplitudo patiebatur. Joseph. de Bell. Judaic. ait: *Duplici peditum corona urbem* (Jotapatam) *cingunt, & tertiam seriem equitum exterius ponunt*.

(100) Hi in Arabia Petræa; Strabo enim l. 16. p. 534. Petram Arabiæ urbem celebrem, Nabathæorum esse, ait. Ita & Plin. l. 6. 28. Diod. Sic. l. 3. 43. sinum Elaniticum (is est in Petræa) Nabathæos circumcolere affirmat.

(1) Duas Oases ponunt Ptolomæus, Notitia Imperii, qui distincte *Magnam Oasim* memorant. *Tres Oases* Olympiod. ap. Photium Cod. 80. *unam exteriorem, alteram interius Ægyptum versus positam; tertiam vero, quam Oasis parva, longo intervallo ab reliquis duabus remota*.

(2) *Amboetiosum Antiochiæ suburbium* vocat Ammian. l. 19. in fin. Ibi μεγαάλσος, *ingens lucus*, ex Strab. l. 16. p. 516. in cujus medio Apollinis Templum, ac Dianæ cum Asylo. Extat titulus Cod. in fin. l. 11. *de cupressis ex luco Daphnensi non excidendis*.

(3) Verba hæc ab A. N. relata sunt Eumenii c. 5. quibus Achilleum superatum, captamque Alexandriam gratulatur.

*terrarum, cœlique regione non aut metu quietum est, aut armis domitum, aut pietate devinctum. Et ex aliis quidem partibus aliqua restant, quæ, si voluntas, vel ratio desiderent, possitis acquirere, ultra Oceanum vero quid erat præter Britanniam? quæ à vobis ita recuperata est, ut illæ quoque nationes terminis ejusdem insulæ cohærentes vestris nutibus obsequantur. Nulla progrediendi causa superest, nisi si, quod Natura vetuit, fines ipsius quærantur Oceani. Omnia, inquam, Invictissimi Principes, vestra sunt, quæ sunt digna vobis: & inde est, quod consulere singulis æqualiter licet, cum universa teneatis. Itaque sicut pridem tuo, Diocletiane Auguste, jussu supplevit deserta Thraciæ translatis incolis Asia, sicut postea tuo, Maximiane Auguste, nutu Nerviorum, & Trevirorum arva jacentia lætus, postliminio restitutus, & receptus in leges Francus excoluit, ita nunc per victorias tuas Constanti, Cæsar invicte, quidquid infrequens Ambiano, & Tricassino solo, Lingonicoque restabat, Baro cultore revirescit. Quin etiam illa, cujus nomine mihi peculiariter gratulandum est, devotissima vobis civitas Æduorum ex hac Britannicæ facultate victoriæ plurimos, quibus illæ provinciæ redundabant, accepit artifices, & nunc extructione veterum domorum, & refectione operum publicorum, & templorum instauratione consurgit, nunc sibi redditum vetus illud Romanæ fraternitatis nomen existimat, cum te rursus habeat conditorem.* Eo anno Romæ III. Idus Martias Septimius Acyndinus præfectus urbem administrare instituit. In Oriente novum bellum exortum, ex quo magis, magisque Diocletiani nomen ad illustrem hominum prædicationem inclaruit. Narses (4) namque Rex Persarum, qui diu quietus Diocletiani in amicitia fuerat, avorum exemplo permotus, obscurum se Regnum acturum, nisi Diocletiani bello illustraret, est ratus. Itaque ubi ipsum Ægyptio bello, atque Alexandrino omnium gravissimo implicitum sensit, arma Orienti intulit, ac præcipue provinciam Mesopotamiam, atque Armeniam incursavit. Ea de
294 causa Diocletianus sequenti anno Constantio, & Galerio, nobilissimis Cæsaribus Consulibus, Galerium cum exercitu Antiochia ad defendendam à Persis Armeniam misit: unde bellum hoc Armenium appellatur. Lætus admodum hic utrique Imperio annus illuxit, qui fuit ipsis Imperatoribus decimus. Nam Diocletianus Antiochia Nicomediam reversus vota Imperii sui decennalia solvit. Maximianus autem, & Constantius Gallia, Britanniaque pacata Romæ sua item decennia peregerunt. Ea pompa ex more, instituto que veterum repetita insigni populi Romani concursu, ac lætitia totius Italiæ celebrata est. Maximæ Diocletiani, & Maximiani felicitati tribuit Eusebius, quod uterque decennia, ac vicennia splendidissima ludorum, pomparum, ac voluptatum hilaritate ediderint. His rebus actis Maximianus Britannico bello defunctus suas omnes ad Africam cogitationes intendit, atque exercitum eo transportandum paravit, neque enim æquo ferre animo poterat, bellum Quinquegentianorum adhuc exigua spe victoriæ per suos duces administrari. Itaque
postero anno, Tusco, & Anulino Consuli- 295
bus, & Aristobulo Præfecto Urbis, duo diversis in locis gravissima bella gesta, unum à Galerio cum Narse in Armenia, alterum à Maximiano cum Mauris in Africa, & quidem utrunque feliciter. Galerium enim satis constat duo secunda prœlia cum Rege fecisse; Maximianum autem Quinquegentianos variis contentionibus fatigatos ad loca ardua, atque aditu difficilia compulisse.
Quietæ inde post aliquot annos Galliæ 296
novum ab Alemanis (5) bellum est motum. Hi ea hieme, qua Diocletianus Augustus VI., & Constantius Cæsar iterum Consules, & Cassius Dio Præfectus Urbis inierunt, cum Maximianum longe terrarum abesse viderent, Rhenum glacie concretum nacti repente trajecerunt, atque in Lingonas proximos illati hostilia omnia facere institerunt. Quo nuncio Constantius excitatus nulla mora interposita cum exercitu promptissimo advolavit, atque in campis Vindonensium adversus hostes consedit, neque ita multo post, cum Alemani pugnæ copiam facerent, in aciem prodiit. Quo prœlio cum exercitu pulsus, ac saucius se se ad Vindonis oppidum hostibus in terga hærentibus retulit. Accidit tum res periculi magnitudine, & eventus raritate commemorabilis. Cum Vindonenses patefactis portis fugientem exercitum recepissent, ac protinus eas contra hostium insequentium impetum occlusissent, demum se Constantium suorum agmen claudentem exclusisse animadverterunt, portam vero aperire non ausi, ne hostes unà cum eo irrumperent, restem propere à mœnibus demiserunt, atque ita magna felicitate ipsum attractum in mœnia conservarunt. Ibi Constantius haudquaquam discrimine rei gestæ perterritus, neque vulnere accepto perculsus cives protinus, ac milites advocavit, eosque ad eruptionem in hostes faciendam incendit; nam eos se incautos, atque alia omnia cogitantes facile oppressuros, ac sine dubio deleturos. Neque consilium elusit eventus, post quinque horarum spatium cum armata suorum multitudine egressus improviso Alemanos fusos, ac præ victoria securos adortus adeo concidit, ut millia eorum sexaginta prostraverit. Qui ex pugna evasere, cum se

(4) Victus autem Narses fuit an. 297. ex Idacio in Fast., & ex Auct. Chron. Alex. Ille ait: *Hit Coss.* (Maximiano Herculio Aug. V. & Galerio Maximiano Cæs. II.) *victi Persæ*. Secundus autem scribit: *Persæ maximo bello à Constantio, & Maximino Jovio Cæsaribus devicti sunt*: Et paulò post: *Iisdem Coss. à Maximiano Herculio Persæ prælio victi sunt*. At emendanda duo hæc loca, cum nec Herculius Aug., nec Constantius Cæs. in Orientem profecti fuerint. Libanius in Basilico inquit, Persas, ingenti ea clade accepta à Galerio, *quadraginta annos* in parando bello consumpsisse, ut jacturam repararent, & paulò ante Constantini M. mortem bellum Romanis intulisse. Hinc recte A. N. absolutam de Narsete victoriam infra an. Chr. 297. consignat. Victor in Cæsaribus de Galerio post plura ait: *Denique ibidem* (sc. in Armenia) *Narseum Regem in ditionem subegit: simul liberos conjugesque, & aulam regiam*. Idemque bellum clarius ab Eutropio narratur.

(5) Euseb. in Chron. ad an. Abrahami 2314., qui Kal. Octob. 297. inchoatur, ait: *Juxta Lingonas à Constantio Cæsare LX. millia Alemanorum cæsa*. Illustrem hanc victoriam Eutrop., Zonaras, aliique memorarunt.

ſe per glaciem fuga in Rheni inſulam receperint, repente flumine cœlo miteſcente laxato clauſi, ac mox navigiis demiſſis obſeſſi in deditionem venere. Ea victoria maximam ei, ſi qua alia, in re militari gloriam peperit. Eodem anno Maximianus in Africa Mauros locis aſperis (6) ſe tenentes ad conferendam manum adegit, ac demum victos in deditionem ſe tradentes accepit, atque ad extremum, ne quando bellum ſumptis iterum armis renovare poſſent, ad remota loca tranſmiſit, atque inde provinciæ conſtituendæ ſe tradidit. Galerius autem in ſpem Perſici belli perficiendi adductus tertium cum Narſe commiſit prœlium inter Callinicum, & Carras, (7) oppidum Craſſi quondam ducis (8) Romani clade nobilitatum, verum cum temere exiguas copias maximis objeciſſet, cladem ingentem accepit, ſiquidem univerſo amiſſo exercitu vix ipſe ſibi fuga conſuluit. In iis rerum anguſtiis poſitus, cum eum non dolor ſolum, ſed etiam pudor urgeret, licet conſilii, ac prope mentis inops, iter ad Diocletianum, qui in Syria erat, intendit. Quem ut Diocletianus confuſum, mœſtumque ad ſe venientem proſpexit, ratus id, quod erat, ſubita concepta ira illum tanta arrogantia excepit, ut neglecta Cæſaris dignitate per aliquot millia paſſuum purpuratum pedibus vehiculum anteire permiſerit, tandem in conſpectum admiſſo, ac partim fortunam incuſanti, partim magna omnia, ſi novi daretur prœlii materia, pollicenti veniam dedit, ac novas ad inſtaurandum bellum conſcribere copias ſivit. Itaque Galerius continuo in Illyricum adiit, ac paſſim provinciales, barbaroſque conſcripſit, in primiſque Gotthos ſtipendio ex Scythia evocavit, omnino in id intentus, ut acceptam bellicæ offenſionis infamiam deleret, cladenque Perſis referret. Romæ Cajus Pontifex epiſtola ad Felicem (9) Epiſcopum Kal. Martiis data ſtatuit, ut nemo Epiſcopus fieret, niſi ante oſtiarius, lector, exorciſta, acolythus, ſubdiaconus, diaconus, & presbyter extitiſſet. Is ſævum Imperatorum erga Chriſtianos odium reformidans, licet Diocletianum ſanguinis propinquitate attingeret, latendi cauſa diu in cryptis habitavit, atque ibi demum X. Kal. Maji (10) unà cum Gabinio fratre martyrio coronatus Kal. Julii (11) ſucceſſorem Marcellinum eſt nactus. Sequens annus, quo Maximianus 297
Auguſtus V., & Galerius Cæſar iterum Conſules cum Hannibaliano Urbis Præfecto fuerunt, pace late toto Imperio parta fuit inſignis. Galerius enim bellum Perſicum maxima felicitate confecit, quod per aliquot annos cum aliqua Imperii ignominia gerebatur. Etenim cum maximis, quas conduxerat, copiis in Armeniam ſic ſe adverſus ſævientem Narſem recepit, ut nullum ſolertis, ac fortis ducis officium prætermiſerit, ſi quidem fide ſpeculatorum diffiſus ipſe quoque cum duobus equitibus ad explorandа hoſtium caſtra proceſſit, ac copiis, apparatuque eorum perſpectis, mox cum viginti quinque millibus militum adortus induſtrie adeo, fortiterque pugnavit, ut victoriam omnium, quæ de Perſis relatæ ante eſſent, nobiliſſimam, ac magnificentiſſimam egerit. Nam & majorem eorum partem concidit, & reliquos unà cum Rege ſaucio in fugam ſe dare coëgit, & caſtra opulentiſſima cepit, ubi maximam vim gazæ Perſicæ reperit. Quod vero victoriam tantam vehementius etiam honeſtavit, ad ceteros captivos factos genere, ac dignitate præſtantes ipſam etiam conjugem, ſorores, liberoſque Regis in poteſtatem adduxit, quas eximio honore habuit. Quare pace, (12) quam Rex poſtulavit, ex ſententia facta Meſopotamiam, & quinque trans Tigrim provincias recepit, atque iterum limitem ſuper Tigridem reformavit. Atque ita finibus Orientis prolatis novo victoriæ decore ſuperioris cladis ignominiam prorſus oblitteravit. Quibus rebus actis tum ad Diocletianum, qui in Meſopotamiam acceſſerat, ſeſe retulit, atque ei vim infinitam captivorum, & opum Perſicarum, in primiſque omnis generis gemmarum, & margaritarum inſignium obtulit, qui læto, hilarique vultu illum excepit, ac rebus Orientis compoſitis Nicomediam rediit. Quo eodem tempore Maximianus Africa conſtituta ſe recepit in Galliam. Notetur hoc loco, ac poſterorum memoriæ conſecretur Imperii Romani, ut rara, ſic ſumma, eximiaque felicitas. Neque enim, cum eſſet ſingulari virtute, ac concordia Principum aliquando tandem è periculoſis bellorum ſalebris ad ſecuram pacis tranquillitatem eductum, poſthac aut pro-

(6) Unde Incertus in Panegyr. Maximiano, & Conſtantino dicto, c 8. Maximianum compellans dicit: *Tu feroci ſſimos Mauritaniæ populos inacceſſis montium jugis, & naturali munitione fidentes expugnaſti, recepiſti, tranſtuliſti.*

(7) Callinic. in Meſopotamia, *munimentum robuſtum, commercandi opimitate gratiſſimum* dicit Ammian. l. 23. 6. Carræ oppidum Meſopotamiæ, *antiquum* ſane ex Ammian. l. 23. Poſt etiam colonia Romana.

(8) P. Licinius Craſſus profectus contra Ariſtonicum Eumenis filium, amiſſo exercitu, ne in manus hoſtium veniret, baculo barbarum quemdam in ſui necem provocavit. De hoc Lucanus l. 1.

*Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Carrhas.*

L. Strabon. l. 6. p. 514. Plutar. in Craſſo, ubi in locis montanis, *quæ Sinnaca appellantur*, illum periiſſe tradit.

(9) Legitur hæc epiſt. T. 1. Concil. at ſuppoſititia, cum in ea nonnulla ex Theodoſ. Codice legantur, & Aniano: plurima item ex S. Leone epiſt. 97., quædam ex Innocentio I. epiſt. 2. & ex Vigilio epiſt. etiam 2.

(10) In Chron. Damaſi legitur: *Cajus annos duodecim, menſibus quatuor, diebus ſeptem. Fuit temporibus Cari, & Carini ex die XVI. Kalend. Januarii, Coſſ. Caro II., & Carino uſque in X. Kalend. Maji Diocletiano VI., & Conſtantio II. Coſſ.* Priorum Conſulatus incidit in an. 283. Quare Pontificatus Caji recte conſignatur in Chron. Damaſi.

(11) *Pridie Kal. Julias*, legitur in Chron. Damaſi. Sedes itaque vacavit non dies undecim, ut in libro Pontificali; ſed menſes duos, & dies octo. Marcellinum hunc cum Marcello ita confundit Euſeb., ut ex duobus unum conflarit. Sed Latini omnes Rom. Pontificum texentes Catalogum utrumque diſtinguunt, ut Optat. contra Parm. l. 2. Auguſt. epiſt. 165. Tabulæ Creſconianæ, Martyrol., & Tabulæ Eccleſiaſt.

(12) *Pace facta*, inquit Rufus in Breviario, *Meſopotamia eſt reſtituta, & ſuper ripam Tigridis limes eſt reformatus, ita ut quinque gentium trans Tigridem conſtitutarum ditionem aſſequeremur. Quæ conditio fœderis in tempus Divalis Conſtantii reſervata duravit.*

provinciarum finibus latius, aut à circunstrepentibus barbaris tutius, aut publicorum operum ornatu splendidius, aut liberalium artium cultu instructius fuit. Etenim bellicis Imperatores laxati curis solum ad studia pacis excolenda animum converterunt; si quidem & novas urbes condiderunt, atque à suo nomine appellarunt, & veteres refecerunt, & antiqua in limitibus castra restituerunt, & publica in urbibus, & maxime primariis, opera ad famam magnificentiæ aucupandam ædificarunt, & liberales artes Doctoribus provehendis ornarunt, omnino ut viderentur id agere, ut prisca terris secula, quæ aurea fuisse feruntur, terris velle reducere, ac pro viribus instaurare, quemadmodum Oratores ad aures eorum oblectandas dicebant. Hanc tantam felicitatem, tamque prosperum fortunæ obsequium capere animo Diocletianus non potuit, si quidem moderatione prorsus in superbiam versa eo usque insolentiæ prodiit, (13) ut se posthac mortalitatis oblitus, tanquam Deum, adorari voluerit. Nam projicere se homines humi venerabundos, atque osculum pedibus figere pati cœpit, & gemmas vestibus, calceisque (14) inseruit, cum ante ipsum omnes Imperatores Consulari tantum salutatione contenti fuissent, & solam chlamydem purpuream privato habitui adjecissent. Quin etiam in Christianos religionis odio ita desæviit, ut omnes sacramento militari solvi, atque è castris ejici per Veturium magistrum militiæ (15) jusserit, nisi sacra gentilium suscepissent. Quod cum ille curaret, omnes Christi confessionem humano honori, ac commodo ita prætulerunt, ut etiam, si opus fuisset, mortem se non recusaturos ostenderent. Itaque Veturius eorum multitudine, & constantia deterri-
298 tus incœptum omisit. Fausto inde iterum, & Gallo Consulibus, Imperatores ad cetera opera publica toto terrarum Orbe à se regia magnificentia inchoata duo nobilissima duabus clarissimis in urbibus addiderunt. Etenim Diocletianus Romæ, Maximianus (16) Carthagine Thermas instituerunt. Romanarum quidem admiranda in hunc usque diem vestigia immensam animi Diocletiani vastitatem quandam ostendunt. Quas Maximianus perficiendas ita curavit,

A ut propterea Christianos misere admodum habuerit, cum eos, & lapides cedere, & arenas eruere operis ejus causa coëgerit, (17) quod in vetere S. Marcelli vita scriptum invenitur. In Gallia, Rhetore publico apud Clivienses extincto, Constantius civitatis ornandæ, & juventutis excolendæ gratia Eumenium Rhetorem, (18) qui sibi magister memoriæ fuerat, illi præesse auditorio jussit, ac salarium sexcentorum millium nummum ei attribuit, atque has ad illum literas dedit: *Merentur & Galli nostri, ut eorum liberis, quorum vita in augusto Cliviensium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipsi adolescentes, qui hilari con-*
B *sensu meum Constantii Cæsaris ex Italia revertentis suscepere comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium iis, quam illud conferre debemus, quod nec dare potest, nec eripere fortuna? Unde auditorio huic, quod videtur interitu præceptorum orbatum, te vel potissimum præficere debuimus, cujus eloquentiam, & gravitatem morum ex actus nostri habemus administratione compertam. Salvo igitur privilegio dignitatis tuæ, hortamur, ut professionem oratoriam receptes, atque in supradicta civitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes, nec putes, hoc munere*
C *ante partis aliquid tuis honoribus derogari, cum honesta professio ornet potius omnem, quam destruat, dignitatem. Denique etiam salarium te in sexcentis millibus nummum ex Reip. viribus consequi volumus, ut intelligas, meritis tuis etiam nostram favere clementiam. Vale Eumeni Karissime nobis.* Eumenius autem onere suscepto, ut gratiam à Cliviensibus suis iniret, præsidem Galliæ adiit, atque oratione habita postulavit, ut scholas Menianas, (19) quæ erant inter Minervæ, & Apollinis templa constructæ, reficeret, atque ad id opus pecuniam sibi à principibus in epistola constitutam adhiberet, extat
D oratio illa, in qua mentio etiam fit Africi, Persicique belli proxime confecti. Ejus sententias aliquot imaginem horum temporum, & morum exprimentes in hos annales libet includere, neque enim aliquid ad lucem hujus memoriæ pertinens prætereundum videtur: *Ante omnia, Vir perfectissime, divinæ Im-*

(13) Eusebius in Chron. *Diocletiano Aug. V., & Maximiano Herculio Aug. IV. Coss.* hæc narrat. Idem de Maximiano Herculeo Lactantius refert l. de Mortibus persecutorum c. 9., ubi eumdem Imperatorem graphyce describit.

(14) Quod & de altero ex Gallienis Trebellius Pollio narrat pag. 232. (Lugduni Batavorum) Histor. August. T. II.

(15) Eusebius in Chron. juxta edition. Pontaci ad an. Abrahami 2305., incipientem Kal. Octob. an. Chr. 298. hanc cœpisse persecutionem per Veturium narrat his verbis: *Veturius Magister militiæ Christianos milites persequitur, paulatim ex illo jam tempore persecutione adversus nos incipiente.* In edit. verò ejusdem Chron. Scaliger., uno anno serius consignatur. L. Euseb. Histor. l. 8. 4. Lactant. l. de Mortibus Persecutor. c. 9. & 10. ubi & Persecutionis causam exponit. V. Prosper. in Chron., qui Coss. Anicio Fausto II. & Severo Gallo, in Milites Christianos sævire cœptum prodidit.

(16) Euseb. in Chron. juxta edit. Pontaci an. Abrahami 2316. qui Kal. Octob. an. Chr. 299. inchoatur, habet: Thermæ Diocletianæ Romæ factæ, & Maximianæ Carthagine; cœptæ quidem eo, vel sequ. Chr. anno, at non perfectæ, nisi sequentibus. Pag. in dissert. Hypat. parte 2. c. 6. n. 11. ex plurib. Inscript. probat, an. 305. fuisse Thermas dedicatas.

(17) In dedecus plane Christianæ Religionis; nonnisi enim viliores homines ad opus publicum damnari consueverunt; hinc Paulus J. C. L. *Pedius* §. *non plurium ff. de incend. ruin., & naufrag.*, inquit: *Si sordidiores personæ erunt in opus publicum ejus temporis dabit.*

E

(18) *Ἀντιγραφεὺς τῆς μνήμης* dicitur à Petro Patricio in excerptis Legation., sc. *dictans ad memoriam*; non autem Quæstor erat, ut putavit Auct. Histor. Tripart., vertens illa, Sozom. verba l. 7. 15. *μετακαλεσαμένου τοῦ βασιλέως ἐπὶ τοῖς γραμματεῦσι τῶν θεσμῶν τότε τεταγμένον.*

(19) Meniana ædificia in ipso ingressu civitatis Augustoduni inter augustissima Templa possidebant Musæ. A Constantino M., ejusque parte Constantio, qui ex Flavia Gente originem ducebant, novis ornamentis post Bagaudicam cladem aucta Augustodunensis Civitas Flaviæ nomen nacta est, civesque Flavienses dicti: ibique scholæ restauratæ.

**A** Imperatorum, Cæsarumque nostrorum providentiæ, singularique in nos benevolentiæ scholarum etiam Menianarum instauratione parendum est, quæ civitatem istam & olim fraterno nomine gloriatam, (20) & nunc demum gravissima clade perculsam, cum latrocinio Batavicæ rebellionis obsessa auxilium Romani principis imploraret, non solum pro administratione meritorum, sed etiam pro miseratione casuum attollere, ac recreare voluerunt, ipsamque ruinarum ejus magnitudinem immortalibus benignitatis suæ monumentis dignam judicaverunt; ut tanto esset illustrior gratia restitutorum, quanto ipsa moles restitutionis immanior. Itaque maximas pecunias, & totum, **B** si res poscat, ærarium non templis modo, ac locis publicis reficiendis, sed etiam privatis domibus indulgent, nec pecunias modo, sed etiam artifices Transmarinos, & ex amplissimis provinciarum ordinibus incolas novos, & devotissimarum hiberna legionum adhibent, ut resides aquas, & novos amnes, veluti aridis fessæ urbis visceribus infundant. Ex quo manifestum est, eos, qui coloniam istam tot, tantisque opibus totius Imperii erigere, atque animare statuerunt, vel præcipue sedem illam liberalium artium velle reparari, cum peculiarem frequentiam honestissimæ juventutis illustrato studiorum honore providerint. Cui enim unquam veterum principum tantæ fuit curæ, ut doctrinæ, atque eloquentiæ studia florerent, **C** quantæ his optimis, atque indulgentissimis dominis generis humani? quos ego quidem, quantum ad votum pietatemque pertinet, liberorum parentes appellare non dubito, qui nobilissimam istam indolem Galliarum suarum interitu summi doctoris orbitatem respicere dignati suo potissimum judicio præceptorem ei, moderatoremque tribuerunt. Et inter Imperatorias dispositiones summas Reip. gubernandæ provisionibus occupatas literarum quoque habuere delectum, neque aliter quam si equestri turmæ, vel cohorti prætoriæ consulendum foret, quem potissimum præficerent, sui arbitrii esse duxerunt, ne iis, quos ad spem omnium tribunalium, **D** aut interdum ad stipendia sacrarum cognitionum, (21) aut fortasse ad ipsa Palatii magisteria provehi oporteret, veluti repentino nubilo in mediis adolescentiæ fluctibus deprehensi incerta dicendi signa sequerentur. In quo ego, Vir perfectissime, nihil laudi meæ tribuo, sed domini nostri Constantii principis incredibilem erga juventutem Galliarum suarum solicitudinem, atque indulgentiam mirari satis nequeo, qui honorem literarum hac quoque dignatione cumulavit, ut me filio potius meo pristina mea studia molientem ipsum jusserit disciplinas artis oratoriæ retractare, & hoc ipsi Palatio parentis sui munus injunxerit, ut mediocrem quidem pro ingenio meo, naturaque vocem cœ- **E** lestia tandem verba, & divina sensa principum proloquuturam ab arcanis sacrorum penetralium ad privatarum musarum adyta transtulerit, non utique, quia mihi, quem tanta dignationis respicit, quanta pro summis honoribus debet sufficere sapienti, vellet aliquid imposita ista professione detrahere, sed ut professioni ipsi ex eo honore, quem gessi, adderet dignitatem. Cui igitur dubium, quin divina illa mens Cæsaris, quæ tanto studio præceptorem huic conventui juventutis elegit, etiam locum exercitiis illis dedicatum instaurari, atque exornari velit? Inde post longo intervallo: Quis nunc sit animo tam humili, tam abjecto, tam ab omni appetitione laudis alieno, ut non & quantulamcunque memoriam suorum excitare, & sibi aliquid secundæ opinionis acquirere cum videat, omnia, quæ annorum superiorum labe conciderant, hac felicitate seculi resurgentia, tot urbes diu sylvis obsitas, atque habitatas feris, instaurari mœnibus, incolis frequentare? Quod in Ægeo mari (22) semel contigit, ut quæ opertis fluctibus vagabatur, repente insula Delos existeret, ejus nunc simile videmus tot orientibus undique civitatibus, tot insulis ad humanos cultus, quasi renascentibus, evenire. Nisi vero non gravior Britanniam ruina depresserat, quam si profuso tegeretur Oceano, quæ profundissimo Pictorum gurgite liberata ad conspectum Romanæ lucis emersit, aut hæc ipsa, quæ modo desinit esse barbaria, non magis feritate Francorum velut hausta desederat, quam si eam circumfusa flumina, & mare alluens operuisset. Nam quid ego alarum, & cohortium castra percenseam, toto Rheni, & Istri, & Eufratis limite restituta? quot ubique muri vix repertis veterum fundamentorum vestigiis excitantur? adeo, ut res est, aurea illa secula, quæ non diu quondam Saturno Rege viguerunt, nunc æternis auspiciis Jovis, & Herculis renascuntur. Sed enim, Vir perfectissime, inter omnia, quæ virtute principum, ac felicitate recreantur, nihil est admirabilius hac liberalitate, quam fovendis, honorandisve literarum studiis impertiunt, quippe, ut initio dixi, nulli unquam antehac principes pari cura belli munia, & hujusmodi pacis ornamenta coluerunt. Diversissimus enim ad utramque sectam deflexus est. Quo magis horum nova, & incredibilis est virtus, & humanitas, quæ inter tanta opera bellorum ad hæc quoque literarum exercitia respiciunt, atque illum temporum statum, quo, ut legimus, Romana res plurimum terra, & mari valuit, ita demum integrari putant, si non potentia, sed eloquentia Roma revirescat. Detur ergo illa mihi ab optimis virtutum omnium dominis tributa largitio huic operi doctrinæ, atque eloquentiæ dedicata, ut quemadmodum cetera vitæ nostræ commoda apud auxiliatores eorum deos colimus, ita singularem eorundem erga literas dignationem in antiqua literarum sede celebremus. Videat præterea in illis porticibus juventus, & quotidie spectet terrae, & cuncta maria, & quicquid invictissimi principes urbium, gentium, nationum aut virtute devincunt,

(20) Plutarc. in Cæsare p. 110., ubi Æduos rebellantibus Gallis sociatos narrat, subdit: *qui alio tempore se fratres Romanorum appellavere.* Et Tacit. l. 11. 25. *Datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.*

(21) Cognitio cum juri ordinario opponeretur, ideo Imp. hic post tribunalium mentionem, stipendia nominat sacrarum cognitionum, de quibus Sveton. Claud. 15. n. 2. *Cum decurias rerum actu expungeret, quemdam interpellatum ab adversariis de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere confestim apud se coegit.*

(22) *Insula* ex Cycladibus, Apollini sacra, quia ibi natus, ex Callimachi hymno in Delum. Plin. ex Aristot. refert l. 34. 15., ait ita dictam, *quoniam repente apparuerit enata.* Fabulæ finxere, Delum olim instabilem natasse, ac ob Latonæ partum geminis columnis, proximis insulis Mycono, & Gyaro firmatam; hinc ab Ovid. Metamorph. l. 6. v. 333. *Erratica Delos* dicitur.

Digitized by Google

*cunt, aut terrore, si quidem illic, credo, instruendæ pueritiæ causa, quo manifestius oculis discerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spatia, intervalla descripta sunt, quidquid ubique fluminum oritur, & conditur, quocunque se littorum sinus flectunt, quove ambitu cingit orbem, vel irrumpit Oceanus, ibi fortissimorum Imperatorum pulcherrimæ res gestæ per diversa regionum argumenta recolantur, dum calentibus, semperque venientibus* (23) *nunciis revisuntur Persidos flumina; & Lybiæ arva sitientia,* (24) *& convexa Rheni cornua, & Nili ora multifida,* (25) *dumque jam ad hæc singula intuentium animus affingit,* B *aut sub tua Diocletiane Auguste clementia Ægyptum furore posito quiescentem, aut te Maximiane Invicte perculsa Maurorum agmina fulminantem, aut sub dextera tua domine Constanti Bataviam, Britanniamque squalidum caput sylvis, & fluctibus exercentem, aut te Maximiane Cæsar Persicos arcus, pharetrasque calcantem. Nunc enim demum juvat orbem spectare depictum, cum in illo nihil videmus alienum.* Rebus eo modo, quo diximus, in pace ad dignitatem, & gloriam Imperatorum, ac Cæsarum studio florescentibus, sequutum est triennium nullis, quantum ex veteribus conjici monumentis possit, claris ad memoriam actionibus illustratum, quo
299 Consules fuerunt primum Diocletianus VII. C
300 & Maximianus VI. cum Avito Fausto Præfecto Urbis, deinde trecentesimo ipso à Christi ortu anno Constantius, & Galerius ambo tertium cum Pompeio Faustino præfecto urbis, tum Titianus iterum, & Nepotia-
301 nus cum Dionysio Præfecto Urbis. Libet autem opinari, principes ocio diffluentes novis condendis ad ornandam, & prodendam memoriam operibus studuisse. Nam, quod liquet, Maximianus alteras Mediolani thermas construxit, quæ Herculiæ Thermæ, sive Lavacrum Herculeum dictæ sunt. Quarum meminit Ausonius his temporibus proximus, ita ut etiam, quanta tum urbs Mediolanensium fuerit, edocuerit. Si quidem D circum, theatrum, templa, palatium, porticus, thermas Romanam magnificentiam æmulantes habuerit, sic enim inquit:

*Et Mediolani mira omnia copia rerum:*
*Innumeræ, cultæque domus, facunda virorum*
*Ingenia, antiqui mores, tum duplice muro*
*Amplificata loci species, populique voluptas*
*Circus, & inclusi moles cuneata theatri,*
*Templa, Palatinæq; domus, opulensq; moneta,*
*Et regio Herculei celebris sub honore Lavacri,*
*Cunctaque marmoreis ornata peristila signis,*
*Mœniaque in valli formam circumdata limbo,*
*Omnia, quæ magnis operii velut æmula formis*
*Excellunt, nec juncta premit vicinia Romæ.*

Aquilejæ quoque Palatium sive novum construxit, sive antiquum ornavit, atque imaginem ad ipsum Convivii aspectum effingi jussit, ut Fausta filia nondum nubilis Constantino adolescenti galeam auro, gemmisque nitentem offerebat, ut post in nuptiis Faustæ celebrandis quidam dixit Orator. Quin etiam Brixiæ Palatium condidit, quod Herculeum appellavit, cujus ad hanc usque ætatem nomen, atque illustria parietinarum vestigia permanent. De amphiteatro etiam Veronensi, quod hodie quoque à parte interiori prope integrum visitur, aliquid jure possumus suspicari, quando à quo sit conditum, ne ipsi quidem cives ostendunt. Jampridem universus pacatus terrarum Orbis erat, potentissimis Regibus victis, ac bellicosissimis nationibus debellatis, neque ex antiquo instituto triumphus erat actus ullus, qui tantæ rerum magnitudini, & tam illustri Imperatorum gloriæ constanti omnium confessione gentium debebatur. Itaque Diocletiano omnia sua ad præsentium, & futurorum hominum prædicationem consilia referenti triumphum una cum collega Maximiano agere placuit, qui partarum victoriarum claritatem, & gestarum rerum magnitudinem ostentaret. Ea pompa (26) in 302
insequentem annum, si Eusebius recte digessit, indicta est, ambobus Cæsaribus quartum Consulibus cum Numio Tusco Præfecto Urbis. Tum vero ipse Nicomedia, Maximianus Mediolano Romam convenerunt, omnibus, qua transierunt, locis incredibili hominum accolentium honore, vel potius veneratione, sic enim cupiebant, excepti, ut qui Romano Orbi externis, intimisque armorum fluctibus agitato optatam tranquillitatem, ac securitatem virtute, ac clementia revocassent. Romam autem progressi urbem infinita occurrentium Romanorum turba circumfusi triumphantes inierunt, atque in Capitolium profecti solemne sacrificium perfecerunt. Triumphaturos una ambos, Belga Orator de concordia eorum loquens prædixit, inquiens: *Hi cum simul redeant Romam, triumphantes uno cupiunt invehi curru, simul adire Capitolium, simul habitare Pa-*

(23) Unde colligere liceat, Eumenium orationem hanc recitasse an. 296. *pro restaurandis Scholis*, quo tempore bellum adversus Persas à Galerio Maximiano gerebatur, de cujus victoriis *calentes, semperque venientes nuncii* memorantur hic ab Eumenio, qui *gemma Persidos flumina* Tigrim, Euphratemque intelligit.

(24) Quinquagentianos in Lybia sitos denotat, à Maximiano Herculio domitos an. Chr. 295. Sicut & verba illa: *Et Nili ora multifida*, ad bellum Ægyptiacum referenda: *Et convexa Rheni cornua*, bellum adversus Francos feliciter gestum intelligit. *Convexa* autem *Rheni cornua* dicere voluit; ubi enim Rhenus agrum Batavorum attingit, in duos quasi amnes scissus, sinistrum in Galliam demittit: dexter verò continuat limitem Batavos inter, & Germanos.

(25) Virgil. Æneid. VI., ait: *septemgemini ostia Nili*. Sed præter hæc, plura alia sunt; at minora. Plin. l. 5. 10. *Sunt in honore, & intra decursus Nili multa oppida, præcipue quæ nomina dedere ostiis, non omnibus (XII. enim reperiuntur, superque quatuor, quæ ipsi falsa ora appellant) sed celeberrimis septem, proximo Alexandriæ Canopico, deinde Bolbitino, Sebennytico, Phatnitico, Mendesio, Tanitico, ultimoque Pelusiaco.* E

(26) Eusebius in Chron. Impp. triumphasse tradit, *Coss. Titiano, & Nepotiano, insigni pompa, antecedentibus currum eorum Narsai sororibus, liberis, & omni præda, qua Persas spoliaverant.* Valesius in Not. Eusebianis l. 8. c. 13. arbitratus est, an. sequ. initum triumphum. Sed cum Lactantius de Mortibus Persecutor. c. 17. Euseb. in Chron., Eutrop., & Cassiodorus in Chr. aperte dicant triumphum Romæ exhibitum; & ante an. 303. Diocletianus Romæ non fuerit, nonnisi eo anno triumphus actus est. Corrigendus in eo Cassiodorus, quod eumdem actum dicat, post sex annos, Coss. Constantio, atque Galerio VI., nam ante jam Diocletianus, & Maximianus Herculeus imperio se abdicarent, ut infra traditur,

A *Palatium*, triumphasse Eusebius, Eutropius, & Cassiodorus notarunt, eosdem de numerosis gentibus triumphasse adjecit Eutropius, hi vero fuere Gotthi, Bastarnæ, Carpi, Sarmatæ, Quadi, Ægyptii, & Persæ, quos vicerat Diocletianus; Franci, Alemanni, Britanni, & Mauritani à Maximiano subacti. Præcipue autem Diocletianus de Persis, & Rege eorum Narse triumphum egit, & cum ceteros captivos nobiles, militaresque Præfectos ante currum duxit, tum in primis uxorem, sorores, & liberos Regis, memorandum regiæ fortunæ inter pauca exempla spectaculum, & gazam Persicam opulentissimam prætulit, quam pompam juvat credere omnium in se oculos convertisse, B quod Persicæ opes jam inde ab Alexandri Mammeæ Imperio vel propter Regis, vel propter gentis claritatem assiduo hominum sermone celebrarentur. Maximianum ingenti Romanorum concursu freqnentatum idem Belga Orator ostendit, cum dixit: *Te primo ingressu tuo tanta lætitia, tanta frequentia Populus Rom. excipit, ut cum te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre gestiret, stipatione sui vix ad portas admitteret*. Sunt etiam, qui Cæsares Constantium, & Galerium assuisse, atque cum Augustis ovantes injisse dicant, quod quia apud neminem vererem repeti, pro certo ponere nolui. Ea pompa XI. Kal. Majas dicitur esse acta. C Triumpho inde ludi magnifici, & scenici, & Circenses adjecti. Superasse autem hanc pompam hilaritate omnes alias, quarum meminisse homines poterant, videtur conjectura probabile, quod triumphus ex tribus terrarum partibus ageretur, & à duobus Imperatoribus gloriæ cupidissimis, totidemque Cæsaribus interretur, & maxima frugum ubertas, & summa corporum salubritas, quæ duo bona perpetuo Diocletiani Imperio contigerunt, novam populorum lætitiam cumularent. Hanc vero hilaritatem auxit etiam Romana civitas, quæ nimia rerum prosperitate cæcata usque adeo luxuria diffluebat, D ut cum se in omnia deliciarum genera intemperanter effunderet, ipsa de felicitate sua prope triumphare quotidie videretur. Nam ex nobilitate alii tanto statuarum sibi ponendarum (27) studio exarserant, ut eas etiam auro circumvestirent, (28) parum memores, quid sapientissimus omnium Cato quondam de hoc toto genere ambitionis (29) sensisset, cum maluisse se diceret, mirari posteros, cur ejusmodi honorem non meruisset, quàm cur obtinuisset, alii curribus solito altioribus vecti, aut cultu laxiore ornati, aut immensis familiarium agminibus stipati per urbem gloriosius incedebant, non defuerunt etiam, qui continuandis agris, & jungendis possessionibus servientes nihil aliud contenderunt, quàm ut patrimonium suum in immensum augerent, obliti veteres Romanos, quorum virtute ipsi ad hanc amplitudinem pervenissent, nihil minus, quam de privatis colligendis opibus laborasse, immo vero insigni se paupertate admirandos omnibus mortalibus præbuisse. Cantores autem, & scenicos artifices in tanto pretio habuerunt, ut ejusmodi acroamata, (30) atque ocii liberalis oblectamenta pluris, quàm doctos, aut disertos homines facerent, mensas vero vulgo sic instruebant, ut exquisitissimis dapibus conquirendis, & conviviis intempestivis celebrandis insana perpotandi, pervigilandique libidine dies, noctesque consumerent. Ex plebe autem alii in tabernis vinariis pernoctabant, nonnulli velabris umbraculorum theatralium se abdebant, quidam aleis pugnaciter contendebant, omnes ferme totos dies in theatris, ac circis ludis, muneribusque dediti traducebant, ocium ipsum Imperatorum solertia comparatum ad voluptatem, non ad virtutem incitamentum habentes. Atque hi quidem mores, licet posteriores aliquot Imperatores emendare conati sint, tamen in dies corruptiores, deterioresque effecti sunt, quousque tota Italia ocio marcescente, ac diuturno prope languore torpente barbari Imperium ex omni parte debile invaserunt, ac sævissime distraxerunt. His igitur peractis, (redeundum est enim unde divertimus) ad captandos hominum non magis animos, quàm sermones officiis, & consiliis de Rep. ut placuit, agitatis Augusti ambo Roma exeuntes eo, unde discesserant, redierunt. Terribilis interim terræmotus, quo Sydon, & Tyrus urbes nobilitatis eximiæ, & toto terrarum Orbe clarissimæ pene à fundamentis eversæ sunt, haudquaquam ambiguum ingentis iræ Dei fuit indicium ob prava conceptæ consilia, quæ Augusti Romæ in Christianorum perniciem composuerant, ac sequenti anno ille 303
VIII. hic VII. Consules exequuti sunt, si quidem eo demum anno sævam decimæ persequutionis Christianæ (31) cladem instituerunt, quæ tanquam rapida quædam procel-
la

(27) De statuis his l. Plin. l. 34. cumque honorem multi affectabant ambitiose; hinc l. 1. & ult. C. *de statuis, & imag.* cautum, ne inconsulto Principe, vel sacra vice judicante id alicui permitteretur: sic, referente Plinio l. 1. ep. 17. Titianus Capito ab Imperatore Trajano obtinuit, ut L. Syllani statuam in foro collocare liceret.

E

(28) Auratæ statuæ à Veteribus memorantur sæpe. Trebellius Pollio meminit auratæ statuæ Calphurniæ, p. 343. Histor. Aug. T. II. Aliæ ap. alios innumeræ referuntur. Eæ dicebantur *auro illustres*, & *auro superfusæ*: item *statuæ in auro*, & *sub auro*, ut liquet ex inscriptionibus à Salmasio prolatis in Commen. ad Trebellii locum supra cit. Qui & in *Claudio* inquit, eidem in rostris positam fuisse columnam, *palmata statua superfixa librarum argenti mille quingentarum*.

(29) Hinc & de Claudio ait Trebell. in *Claudio*: *Possumus dicere, Flavium Claudium unicum in terris principem non columnis, non statuis, sed fama viribus adjuvari*.

(30) Festivas recitationes, narrationes ludicras, de quibus Cic. vers. 6. *Hic quasi festivum acroama, ne sine corollario de convivio discederet*, &c. hinc conviviis præsertim adhibebantur, nam & Sveton. de Augusto scribit: Illum acroamata ad convivas oblectandos interponi sæpe voluisse. V. & Lamprid. in Alexandro.

(31) De hac persecutione, ejusque causa V. Lactant. de Mortibus Persecutor. c. 10. Euseb. l. 2. de Vit. Constant. c. 1. At primus tempus hujus Persecutionis, mensem, diemque notat. c. 12. dicens: *Inquiritur peragendæ rei dies aptus, & felix, ac potissimum Terminalia deliguntur, quæ sunt ad septimum Kal. Mart., ut quasi terminus imponeretur huic Religioni. Ille dies primus leti, primusque malorum causa fuit ...... Qui dies cum illuxisset, agentibus Consulatum senibus ambobus, octavum, & septimum*, &c. quibus Persecutionis sævitiam narrat. Recte igitur A. N. huic an. eamdem consignat. X. vocat Oros. l. 7. c. 27. & Aug. de Civit. Dei l. 18. 52.

la superiorem omnem terrarum tranquillitatem, ac parti ocii voluptatem excussit prorsus, ac dispulit. Etenim novem ante hunc (32) Imperatores religionis Christianæ labefactandæ gratia vexationes acerbissimas exereuerant, Nero, Domitianus, Trajanus, Marcus, Severus, Maximinus, Decius, Valerianus, & Aurelianus. Quibus Diocletianus, quasi decimæ palmæ avidus socium se adjunxit. Ille vero immodicis rerum prosperitatibus ad omne superbiæ genus inflatus consilium tam atrox inivit, sive quod famam ex eo apud homines quæreret, sive quod superiorum Imperatorum exemplo acerbum erga Christianos odium gereret, idque cum collega Maximiano communicavit; quem ut in ceteris rebus, sic in bac haud ægre assentientem adeptus est. Itaque mense Martio (33) anno adhuc Imperii (34) sui nonodecimo Nicomediæ die Christi Passionis instante, edictum suo, ut assolebat, & Maximiani nomine prælato proposuit, idque toto Imperio divulgari jussit, ut Christianorum conventicula abolerentur, scripta cremarentur, (35) Magistratus honore, privati libertate spoliarentur: Unde justæ illæ querelæ Arnobii adversus gentes erupere: *Cur nostra scripta ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur Magistratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione? in quibus aliud auditur nihil, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos, familiares, communicatores rerum omnibus, quos solidet germanitatis necessitudine copulatio? Verum ita se res habet*, ut, *quoniam plurimum gladiis, & potestate valetis ferri, anteire vos etiam veritatis scientia judicetis*. Neque ita multo post alio edicto mandavit, ut qui Ecclesiis præsiderent, ubique gentium in vincula traderentur, nisi victimas diis ritu Gentilicio immolassent, ad quod omnibus tormentorum generibus cogerentur. Hoc edictum in publico propositum civis quidam Nicomediensis ubi audivit, raptim ad eum locum accurrit, ac tanquam impium manibus avulsum conscidit, itaque primus omnium sacra martyrii corona donatus est. Eo accepto ministri Imperatorum Christianos ab immolatione, & simulachrorum cultu se removentes passim bonis exuere, patria expellere, capite truncare, torquere, dilacerare, exorere, belluarum laniatibus objectare, ac demum in profluentes, aut in maria submergendos projicere. Quo factum est, ut universa Christianorum tum primum adolescens Ecclesia ingentem calamitatem acceperit, si quidem ad XVII. millia (36) intra triginta dies comprehensi totum prope Imperium late suo sanguine infecerunt, ac memorandum Christianæ pietatis, ac constantiæ documentum consecrati Deo martyres reliquerunt, nonnulli tamen etiam diri discrimen evasere certaminis, nam aut ad immolandum adducti nullo sacrificio facto, perinde ac si fecissent, dimissi sunt, aut Gentilibus eos sacrificasse clamantibus taciti eam contumeliam pertulerunt, aut semivivi pro extinctis abjecti, aut humi strati in numero immolatorum sunt habiti, quidam vero cum se clara voce sacrificium aversari, ac se Christianos esse asseruissent, à satellitibus cæsi, ut silentium obtinerent, è medio sunt amoti. Ac singulorum quidem, qui se pro Christi confessione supplicio devoverunt, nomina persequi, non est hujus historiæ. Quod vero silentio præteriri non potest, Antimus Nicomediæ Episcopus abscisso à cervicibus capite interemptus, cumque Palatium (37) forte incendio conflagrasset, ingens piorum multitudo in ejus facinoris suspicionem vocata, aut gladio trucidata, aut acervatim in eas flammas injecta, aut in mare præcipitata est. Ex Diocletiani vero familia Dorotheus, & Gorgonius (38) post varia certaminum genera faucibus laqueo elisis vitæ finem imposuerunt. Quod vero fuit insignius,

(32) Loquitur hic A. N. de persecutionibus, quas Ethnici Principes in Ecclesiam moverunt; ideoque decem solum numerat, quarum prima, Neronis persecutio à Scriptoribus Ecclesiasticis numerari solet, juxta illud Tertull. Apologet. c. 5. *Consulite commentarios vestros: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse*. Cæterum ante Neronem sæviere una, & altera persecutio; Actuum 8. & 11. describitur prima: Secunda verò Auctore Herode Agrippa, Actuum 12.

(33) Ita Eusebius l. 8. c. appetente die Christi Passionis. Auct. Chron Alex. ponit die 25. Martii, ipso die Paschæ. Hæc autem varietas oriri videtur à diversitate locorum, in quibus, diversis quoque temporibus, edictum fuit propositum. Unde quia primo propositum fuit Nicomediæ, tamquam in urbe Regia, ubi agebat Lactantius, ideo is habet, *postridie propositum est edictum, quo cavebatur*, &c. die sc. 24. Februar., quæ subsecuta est diem *Terminalium, quæ fiunt ad septimum Kal. Mart.*, ut superius ex Lactantio recitantur.

(34) Rectius vigesimo (extremis non integris) Cœpit quippe regnare ab an. 284. ex Auct. Chron. Alex., ubi *Carino Aug. II & Numeriano Aug. Coss.* legitur: *Tandem Numerianus ab Apro Præside Perinthi Thraciæ, quam nunc Heracleam, vocant, necatus est:* Subdit deinde: *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octob. Chalcedone renunciatus, V. Kal. Octob. Nicomediam purpuratus intravit, & Kal. Januar. Consul prodiit.*

(35) Cujus legis meminit præter Arnob. l. 2. adversus Gentes, & l. 4. unde A. N. hæc exscripsit, etiam August. contra Cresc. l. 7. 27. & de Bapt. l. 7. 2., ubi ait, tunc temporis cœptum esse tradi Codices sacros Gentilibus comburendos, quique id audebant *Traditores* dictos, in quos Cirtense Concilium in Numidia celebratum, ut infra.

(36) Hunc numerum exhibet Liber de Romanis Pontificib. in *Marcello*.

(37) Euseb. l. 8. 6. nescire se ait, quo casu illud excitatum incendium. Constantinus vero in Orat. ad Sanctorum cœtum c. 25. dicit, palatium fulmine ictum conflagrasse. At Lactant. de Mortibus Persecutor. c. 14. hæc habet: *Sed Cæsar* (Galer. nempe Maximian.) *non contentus est edicti legibus. Aliter Diocletianum aggredi parat. Nam, ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis, occultis ministris palatio subjecit incendium*. Vide quæ deinceps narrat in hanc rem Lactant. capitib. 14. 15. & 16.

(38) De his, Aliisque L. Eusebium l. 8. 6. inter quos Petri constantiam summopere commendat. Hi *Domestici* οἰκεῖοι, ab Eusebio indicati l. 8. c. 1. Certe Dorotheus erat Cubicularius Imp. Diocletiani, ab Eusebio l. 8. commendatus, qui cum Dorotheo, Tyri Presbytero (fuit is a Juliano Apostata trucidatus) non est confundendus, ut Baron. in Not. ad Roman. Martyrol. confundit. Neque Dorotheus alius Antiochenus Presbyter,

gnius, Petri ministri regii cum corpus flagellis ita dilacerassenr, ut ossa apparerent, acetum sale permistum in vulnera infuderunt, & cum eos ille quoque cruciatus eluderet, craticula, & igne prolato carnes ejus, quasi ad escarum usum lenta sensim adustione assarunt, neque tamen vocem ab eo ullam, nisi pietatis, & constantiæ plenam, elicere potuerunt. Hæc Nicomediæ præsente Diocletiano sunt acta. Romæ vero Marcellinus, (39) cum à ministris Maximiani supplicio intentato ad sacrificandum esset adductus, timore exanimatus thura adolevit, mox agniti erroris acri pœnitentia tactus remedium opportunum adhibuit. Etenim conventum Episcoporum in crypta (40) Suessæ in Campania habuit, atque ibi X. Kal. Septemb. cinere conspersus, & cilicio obductus effusis lacrymis flere delictum suum instituit, ac semetipsum ultro damnavit. Quod factum satis valere ad Rom. Episcopi justam expiationem est visum; nam Petrum ipsum Principem Apostolorum, cujus ille sedem teneret, eadem ratione insignem negati Domini sui labem delevisse, neque porro convenire, ut Pontifex Maximus ab aliis minoribus judicetur. Huic actioni primus subscripsit Miltiades Presbyter, qui post ad Pontificatum ascendit. Pridie Idus Novemb. Junio Tiberiano secunda urbis præfectura delata, quod in priore egregie jurisdictionem exercuisset.

304 Diocletiano vero IX., & Maximiano VIII. Consulibus, atque Heraclio Rufino præfecto urbis, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Romæ Imperii vicennalia eadem pompa, ut inquit Eusebius, qua decennalia celebrarant, egerunt. Ministri Maximiani ut cognoverunt, Marcellinum peracta pœnitentia expiatum ardentius in Christi causa persistere, ipsum deintegro corripuerunt, &

A palam sacrificare abnuenti, ac sævo Maximianum præsentem convicio laceranti caput à cervicibus amputarunt, (41) pariterque cum eo die Diaconos tres Claudium, Quirinum, & Antonium peremerunt, atque eorum corpora projecerunt, quæ sine honore sepulturæ (42) per dies triginta sex jacuere, donec VI. Kal. Majas à Marcello Presbytero collecta sepulchro sunt tradita. Inde Pancratius juvenis è Phrygia Romam deductus cum Pontificem Marcellinum apud se delitescentem rogasset, ut se sacrosancto ritu Christianorum ablueret, Marcellino mortuo, captus in via Aurelia capite multatus est, atque inde IV. Idus Majas ab Octavilla

B sepultus. Per hos dies Diocletianum tristis ægritudo, & ex ægritudine certa Imperii deponendi cupido incessit. Unde autem ille ad hoc consilii venerir, diversum auctores faciunt, alii, quod alienato animo desipere incœpisset; (43) quidam, quod Christi nomen se deleturum, uti cupiverat, desperasset, postquam singularem Christianorum in morte constantiam perspexisset. Ille se magnis rebus gestis tanquam blandis fortunæ obsequiis satiatum posthac in ocio vivere velle curis publicis vacuum præ se tulit, atque hujus decreti sui Maximianum participem fecit, eumque, licet reluctan-

C tem, obsequi voluntati suæ coëgit, ut Imperium, quod secum ceperar, ac secum admirabili concordia gesserat, secum item eadem animi æquitate deponeret. Itaque eo consilio, quod viventibus, posterisque omnibus dulcedinem imperandi specie tenus solummodo intuentibus plus allaturum admirationis erar, quam æmulationis, explicito, Diocletianus Nicomediæ Galerium, Maximianus Mediolani Constantium Augustos ex Cæsaribus declararunt (44) XI. Kal. Maji, quo die vicesimus Diocletiano Imperii

---

cujus Eusebius Histor. c. 32 meminit, cum Dorotheo Imp. Cubiculario permiscendus, ut ex diversa eorumdem conditione facile demonstrari potest. Non itaque audiendus Blondellus Apolog pro sententia Hieronymi p. 274. hos postremos duos confundens.

(39) Quanti habenda sint Acta Sinuessana, ubi hæc narrantur, facile intelliget, qui illorum temporum historiam vel è limine salutavit, & rei gestæ seriem in Actis illis expressam paululum expendere velit. Optandum proculdubio suisset, ut *eadem Acta veritati in omnibus* redderentur *consentanea, vel saltem aliqua ex parte verisimilia. Licet enim in his plurimum laboris insumserim, nihil præterea sum consecutus, nisi ut impossibile esse repererim, ad veritatis lineam eadem revocari aliquo modo posse*. Verba sunt ipsius Baronii, in priori Romana editione. Vide August. l. de unico Baptismo c. 16. ubi Petiliano respondet.

D

E (40) Centum octoginta Episcopos in Sinuessanas cryptas convenisse, persecutionis tempore, quis crediderit? Productos testes adversus Marcellinum Acta tradunt, quibus convinceretur sacrilegæ thurificationis, & tamen universam Synodum dixisse: *Tu eris judex: ex te enim damnaberis, & ex te justificaberis, tamen in nostra præsentia*. Et post depositionem dicitur ibidem: *Ore suo condemnatus, nemo enim judicavit Pontificem*, nec Præsul Sacerdotem *suum*, &c.

(41) Marcellini obitum huic anno consignat Chron. Damaso attributum, his scil. Coss. Sed ubi post ejusdem mortem ponit cessasse Episcopatum *annis VII.* emend. *annis III.* Marcellini nomen nec in Chron. Euseb., nec in Martyrol. Hieronym. reper., unde plerique Marcellinum cum Marcello confundunt. Auctor autem Chron. cit. qui Liberio sedente vixit, utrumque memorat, & tempus Pontificatus utriusque distinctim notat. Imò Aug., qui hoc exeunte sæculo floruit ambos agnovit, epist. 165. & Optatus contra Parmen. l. 2.

(42) Euseb. l. 8. 6. testatur, Impp. sententiis decrevisse, ne Martyrum corpora sepelirentur, quia Fideles eadem, veneratione prosequerentur. Cum tamen vel ipse Diocletianus, & Maximianus antea sanxissent, *Obnoxius criminum, digno supplicio subjectos, sepulturæ tradi non vetamus*. L. *Obnoxios* C. *de relig. & sump. funer.* At huic legi derogarunt in Christiani nominis odium.

(43) Ita Euseb. l. 8. 26. dicens: Qui primus nostrarum ærumnarum auctor erat, Diocletianum dico, in tam letalem, & pestiferum morbum delapsus est, ut mens inde de statu suo deturbaretur. Idem innuit Constantinus orat. habita ad Sanctor. Cœtum, ap. Euseb. c. 25. Zonaras vero, Annal. part. 3. aliique dicunt, Imperatorem desperatione actum, quod Christianam Religionem evertere minus potuisset, consilium abdicandi Imperii iniisse. Lactantius autem diserte ait *de Mortib. Persecut.* c. 17. *Demens factus est, ita ut certis horis insaniret, certis resipisceret*. Sed addit Diocletianum coactum fuisse à Galerio Maximiano, ut jam senex cederet Imperio, Nervæ exemplum secutus, qui Imperium Trajano tradidisset. Idemque Galerius egerat cum Maximiano, *injecto armorum civilium metu*, teste ipsomet Lactant. c. 18.

(44) Ex Fastis Theonis à Dodvvello evulgatis Constantius Cæsar V. & Maximianus Cæsar V. quem quintum Consulatum an. 305. suscepere; non itaque hoc anno declarati Augusti. Idem legitur in Græcis Fast. Heraclii Imp. ab

A rii annus absolvebatur, inde ambo templum Jovis ingressi populis audientibus ita dixerunt: Recipe Juppiter Imperium, quod mihi commodasti, quod ego ita depono, ut resumpturum non esse, sanctum tuum testatus numen adjurem. Atque his dictis protinus ipsis se Imperii insignibus (45) stupentibus hominibus potius, quam probantibus, exuerunt. Cæterum Maximianum Romani Mediolanum decedentem retinere voluerant, quasi ei, quod futurum erat, moram injicere cupientes. Sic enim Orator quidam post ad eum loquutus est: *Te rursus vicesimo anno Imperatorem, octavo Consulem ita amplexu* B *suo Roma voluit detinere ut videretur augurari jam, & timere, (46) quod factum est. Quod vero mærentibus omnibus fecisti, id tu quidem fecisti non Reip. negligentia, aut laboris fuga, aut desidiæ cupiditate ductus, sed consilii olim, ut res est, inter vos placiti constantia, & pietate fraterna, ne quem totius vitæ, summarumque rerum socium semper habuisses, in alicujus facti communitate desereres, neve illius, viderit quali, certe novæ laudi cederes, sed profecto exegit hoc ipsa varietas, & natura fortunæ, cui nihil mutare licuerat, dum vos Imperium teneretis, ut illa viginti annorum continua felicitas intervallo aliquo distingueretur.* Hoc depositi Imperii decus eo majus in Diocletiano eluxit, quod cum gloriæ magnitudine humanum fastigium antecederet, primus illud appetiit, nisi forte si quis Syllam, (47) qui se ultro dictatura abdicavit, in horum numerum referre voluerit. His actis Diocletianus inde Salonam in patriam, (48) Maximianus in Lucaniam, vitam in ocio traducturi se contulerunt, memorabile posteris moderati exemplum animi prodituri, nisi quam laudem virtutis, bene gerendo Imperio peperissent, eam universam injuste Christianos vexando corrupissent. Diocletiani vero præcipua fuit gloria, ut qui postea de ratione depositi Imperii interrogatus, nihil difficilius esse, quam bene imperare bono etiam, cautoque Imperatori responderit, nova certe, quæcunque fuerint, in eo hæc duo contigerunt, quod primus, ut Oratores dixerunt, Imperium & communicavit, & posuit.

---

C ab eod. Dod. editis, ubi tamen, errore Græcis familiari loco Constantii, & Maximiani, *Cæsarum*, ponuntur Constans, & Maximinus Cæsares. Cum autem certum sit, eos Augustos esse renunciat., antequam Diocletianus, & Maximianus Imperium abdicarent, consequens est, hanc abdicationem sequenti quoque an. evenisse.

(45) Anno quidem 305. id factum, quamvis Eusеb. Zosimus, aliique an. 304. consignent quos secutus est A. N, cui si Lactantii liber *de mortibus Persecutor.* innotuisset, sententiam mutasset. Lactantius autem c. 17. rem omnem per sua quæque digerit tempora. Ait enim Diocletianum, *Vicennalibus celebratis*, ex Urbe prorupisse, *impendentibus Kalendis* D *Januariis, quibus illi nonus Consulatus*, (h. an. 304. gestus) *deferebatur*. Subdit Lactantius: *Sed profectus hyeme, sæviente frigore . . . . . vexatusque per omne iter lectica plurimum vehebatur. Sic æstate transacta* (an. sc. 304.) *per circuitum ripæ striga* (per ripam nempe Danubii, ut explic. Dodvvell. singul. Dissert. de Ripa Striga) *Nicomediam venit, morbo jam gravi insurgente*. Pergit narrare ortam de Diocletiani morte suspicionem, eamque evanuisse tradit *Kal. Martiis* (anni porro 305) quibus se conspiciendum præbuit Diocletianus; qui deinde coactus fuit Galerii Maximiani verbis, eodem Lactantio referente c. 18. Imperio cedere. Vide hæc fuse apud Lact., qui *Kal. Majis*, Augustorum nuncupationem, & Imper. abdicationem contigisse prodit. Quæ ex Lactantio hactenus tradita sunt, confirmat Victor de Cæsaribus, qui de Augusteo Imperio Constantii Chlori, & Galerii Maximiani ait: Galerio Maximiano *quinquennii* Imperium, *Constantio annuum fuit*. Id autem verum non esset, si uterque ante an. 305. Augustus esset renunciatus; siquidem obiere, Constantius an. 306. mense Julio, Galerius vero an. 311.

(46) Non ita loqueretur Orator, si Maximianus Herculeus abdicasset Imperium eo anno, quo octavum gerebat Consulatum; quo quidem cœperunt Romani *timere, & augurari quod factum est* deinde an. sequenti ad octavum Consulatum. Loquitur hic Auctor incertus Panegyrici Maximiano, & Constantino an. Chr. 317. dicti.

(47) Syllæ gesta L. apud Appian. l. 1. de Bellis Civil., Plutar. in Vit. Sullæ. Is rogante Valerio Flacco Interrege Dictator creatus, post triennium se dictatura abdicavit, ad privatam vitam rediens: anno autem sequ. in agro Cumano pediculari morbo obiit, cujus corpus Romam funebri pompa perlatum, in Campo Martio sepultum fuit.

(48) *ἐν Σάλωνι πόλει τῆς Δαλματίας διῆγεν, ἣ τις ἦν αὐτῷ, καὶ πατρίς*: ait Zonaras de Diocletiano se Imperio abdicante. Hæc nobilissima in Dalmatiæ ora Colonia ex Nummo Claudii apud Golzium, & ex veteri Inscript. apud Gruter. p. 23. n. 12.

# LIBER SECUNDUS.

## CONSTANTIUS PIUS AUGUSTUS.

Constantius inde, & Galerius Imperium, quod commune Diocletianus, & Maximianus habuerant, novo, ut Orosius dixit, exemplo inter se diviserunt. (1) Constantio Italia, Africa, Gallia, Hispania, & Britannia obtigit; Galerio Asia, Oriens, Ægyptus, & Illyricum, ex quibus oriens Syriam, Armeniam, Arabiam, & Mesopotamiam comprehendit, Illyricum vero Thraciam, Mœsiam, Daciam, Pannoniam, Macedoniam, Græciam, & Dalmatiam, atque hæc tum Occidentalis, & Orientalis Imperii nomine comprehensa sunt. Constantius autem tantam animi moderationem adhibuit, ut Italiam, & Africam (2) Galerio ultro dimiserit. Quibus rebus actis ipse in Galliam, Galerius in Pannoniam abiit ad tuendos limites, qui violabantur à barbaris. Eo vero postquam venerunt, suas uterque provincias pro ingenio, judicioque suo longe diversa inter se ratione gerere instituerunt. Nam Constantius, ne cui Christianorum religionis gratia noceretur, edixit. Galerius inceptam persequutionem (3) in omnibus suis provinciis crudeliter exercere perrexit. Itaque Victorem Maurum, cum Mediolani immolare abnueret, VIII. Idus Majas necari præcepit, quem Maternus urbis Episcopus pridie Idus Maji in sepulchro recondidit. Romæ V. Kal. Julias Marcellus (4) Presbyter haudquaquam tristi Marcellini eventu deterritus desuram Ecclesiæ Romanæ accepit administra-
305 tionem. Sequenti anno Constantius, & Galerius Augusti (5) Kal. Januarii amboquintum Consulatum, pridie Idus Februarii Postumus Titianus urbis præfecturam inivit. Eo anno Galerio adversus Christianos acerbissime sæviente, Constantius cum summam erga omnes humanitatem, tum maximam erga Christianos (6) adhibuit. Etenim Galerius in eos præcipue se insulit, qui in Palatio versabantur, adeo ut ipsum sanctis viris prorsus exhauserit. Constantius vero, ut quemque maxima apud se excellere pietate cognovit, ita amplissimis eum honoribus extulit. Itaque experiendæ, quemadmodum Eusebius inquit, illorum fidei gratia quodam die optione omnibus data, hanc tulit conditionem, ut aut immolando integram potestatem præstandæ sibi operæ retinerent, aut, si sacrificare abnuerent, à consuetudine, congressuque suo recederent. Cum autem alii tuendæ illius gratiæ causa se sacrificaturos dixissent, alii in pristina Christi colendi sententia permansissent, illos, tanquam Dei sui proditores gravissima oratione increpuit, hos ob synceram, constantemque erga eundem voluntatem eximie collaudavit, atque illis amandatis, ut qui ne sibi quidem præstituri fidem essent, quam Deo fefellissent, hos Regni sui custodes constituit. Quin etiam, ut addit Eusebius, inanem multorum deorum superstitionem destituit, ac Deum unum omnium rerum moderatorem sibi colendum suscepit, neque propter religionem alicui negotium facessivit, ac propterea reliquum vitæ beatissime degit. Ex quo factum est, ut Gallia, (7) Britannia, & Hispania non solum posthac clades persequutionis non senserint, sed etiam in maxima felicitate Constantio im-
perante versatæ sint. Postero anno, Con- 306
stantio, & Galerio Augustis sextum Consulibus, Galerius in Italiam ex Illyrico reversus XI. Kal. Martias duos sororum filios Cæsares cooptavit, (8) Severum, & Maximi-

(1) Hactenus porro quamvis plures Augusti simul Imperio præessent, tamen Romanum Imperium solidum, atque indivisum gubernarunt, nullaque facta divisione Imperii, nulla quoque Provinciarum, Legionumque partitio facta fuerat. Sed, teste Eutrop. l. 10., ubi de Diocletiano, & Herculio loquitur: *His abeuntibus ab administratione Republicæ, Constantius, & Galerius Augusti creati sunt, divisusque inter eos Romanus Orbis*. Quod & testatur Euseb. l. 8. 13.

(2) Fortasse quia ex Galerii sententia Italicæ, & Africæ res regi viderentur, ideo A. N. a Constantio concessam Italiam, & Africam Galerio tradidit, quod plerique ab Eutropio colligere satagerunt. At nulla hujus cessionis mentio apud Veteres; potius enim Galerius Italiam occupare tentavit, si vera conjicit Baron. ad an. Chr. 306. n. 6. & equ.

(3) Lege quæ hujus temporis persecutione tradit Lactant. l. 1. c. 21. Sed Victoris Mauri martyrium ante Imperii abdicationem evenit, quæ an sequ. facta, ut superius dictum est.

(4) In Chron. Damasi legitur, post Marcellini obitum cessasse Episcopatum annis VII., mensibus VI., diebus XXV. sed potius corruptus is locus, legendumque ann. III. mens. III. dieb. XXV. Quamobrem Marcellini successor Marcellus Summum Pontificatum iniit die decimaoctava mensis Februar. anni trecentesimi octavi. In Chron. Damasi juxta Bucherii edit. legitur: *Marcellus anno I. mensibus VII. diebus XX. Fuit temporibus Maxentii, à Consulatu X.* (sc. Maximiani Herculei) *& Maximiani VII. usque post Consulatum X & VII.* ab an. nempe 308. usque ad an. 309., qui notatus fuit hac formula *post Consulatum X. & VII.* sed leg. ibi *usque ad post Consulatum II. X., & VII.* ad an. scil. 310.

(5) Ex iis, quæ de anno abdicationis Imperii juxta Lactantium dicta sunt, h. an. Constantius, & Galerius nondum Augusti, sed Cæsares quintum suscepere Consulatum, ut ex Fastis Heraclii, & Theonis ostenditur; in his enim: Κωνσταντῖνος καῖσαρ τὸ ε, καὶ Μαξιμῖνος καῖσαρ τὸ ε. Constantinus (lege *Constantius*) *Cæsar V.*, & Maximinus (lege *Maximianus*) *Cæsar V.*

(6) Ita Eusebius l. 8. 13., & Lactant. l. c. c. 24., qui cum Crispum Cæsarem, Constantini M. filium in Gallia jam senex latinis literis imbuit hæc ignorare non poterat; unde fallitur Baronius ad an. Chr. 303. qui per hæc tempora Gallias Martyrum sanguine redundasse putat.

(7) Est ap. Optat. Milevit. l. 1. libellus precum a Donatistis Constantino M. oblatus, ubi legitur: *Rogamus te, ò Constantine optime Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter ceteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia, petimus, ut e Gallia nobis judices dari præcipiat Pietas tua.*

(8) A. N. secutus est Socratem, Theophanem, & Eutropium, scribentes, utrumque Cæsarem creatum a Galerio, postquam in Italiam venit. At A. N. Lactantii liber *de mortib. Persecutor.* latuit. Lactant. autem Nicomediæ factam hanc creationem aperte docet,

sic-

minum, atque illi Italiam, & Africam, huic Orientem cum Asia, & Ægypto commisit, ipse vero sibi Illyricum reservavit.

## SEVERUS CÆSAR.

ERant tum forte Thermæ Diocletianæ ad summum perductæ, verum nondum de more dicatæ. Quare Galerius signis ornatas hoc demum anno dedicavit, (9) atque ita inscripsit: *Constantius, & Maximianus Invicti Augusti, Severus, & Maximinus Cæsares Thermas ornaverunt, & Romanis suis dedicaverunt*. Kalendis Martiis Severus, & Maximinus Cæsares Consules suffecti, XIV. Kal. Majas Annius Annullinus præfectus urbis. Gliscente inde persequutione X. Kal. Julias martyrium de Timotheo sumptum est. Hic superiore anno Antiochia profectus, Sylvestri, qui postea Romanæ Ecclesiæ præfuit, hospitio usus est. Cum autem Christum in urbe prædicaret, ac multos ad eum traduceret, vehementius oculos in se ministrorum regiorum convertit. Itaque in custodiam traditus capitali supplicio est affectus. Cadaver ejus, licet observatum, ne sepulturæ committeretur, Sylvester noctis silentio sustulit, ac domum occulte deportavit. Kal. Juliis iniit Cornelius Anullinus urbis præfectus. Hæc Romæ. Interim Constantius Augustus ex Gallia in Britanniam contra Pictos, Caledonasque (10) moventes trajecit. Erat adhuc Constantinus filius ejus, ut diximus, apud Galerium, jam annum ætatis tricesimum natus. Is eum insidias (11) sibi parari argumentis non dubiis comperisset, opportune fugam arripuit, & ad frustrandos insequentes publicis jumentis, quacunque iter egit, occisis, summa celeritate ad patrem redire contendit. Divino autem consilio accidit, ut eadem hora, qua ille solvebat, accesserit, quo patri Imperatori propediem morituro succederet, qui institutam in Occidente pacem Ecclesiæ, civitatibus justitiam, populis libertatem præstaret, si quidem Constantium, simulatque Eboracum pervenit, gravissimus repente morbus invasit, quo sæviente, ut sensit, finem adesse vitæ, rogatus à præsentibus, cui Imperium relinqueret, Constantino respondit, ac mox VIII. Kal. Augusti (12) decessit. Itaque Gallus orator merito postea dixit ad Constantinum: *Constantii suprema illa expeditio non Britannica trophæa, ut vulgo certum est, expetivit, sed, Diis jam vocantibus, ad intimum terrorum limen accessit, neque ille tot, tantisque rebus gestis, non dico Caledonum, aliorumque Pictorum sylvas, & paludes, sed nec Hyberniam proximam, nec Thylem ultimam, (13) nec ipsas, si quæ sunt, Fortunatorum insulas (14) dignatur acquirere, sed, quod eloqui nemini voluit, iturus ad Deos, genitorem illum Deorum ignea Cœli astra refoventem prospexit Oceanum, ut fruiturus exinde luce perpetua jam videret illic diem pene continuum; quinimmo sententiam rogatus, cui Imperium decerneret, ut decebat, dixit Constantinum Pium. Jam tum cœlestibus suffragiis ad salutem Reipublicæ vocabaris, cum ad tempus ipsum, quo pater in Britanniam transfretabat, classi jam vela facienti repentinus tuus adventus illuxit, ut non advectus cursu publico, sed divino quodam advolasse curriculo videreris, non enim illa Persarum, Cydonumve (15) tela tam certis ictibus destinata fixere, quam tempestivus patri tuo terras relicturo affuisti, omnesque illius curas, quas præsaga, & tacita mente volvebat, præsentiæ tuæ securitate laxasti*. Præter Constantinum ex Helena, ut dixi, susceptum reliquit Constantius filios duos ex Theodora, Constantium, & Dalmatium, itemque filias tres Constantiam, Eutropiam, & Anastasiam, vir cum propriis laudibus clarus, tum præcipue Constantini filii, quem Imperatorem instituit, eximiis virtutis, ac pietatis insignibus merito memorandus.

## CONSTANTINUS MAXIMUS AUGUSTUS.

COnstantinus autem, postquam patrem vita functum animadvertit, illum Gentilicio instituto in numerum Divorum (16) referendum curavit. Inde funus ejus pie adeo celebravit, ut ipse etiam sordium, ac lacrymarum plenus præiverit. Quem ut milites viderunt, Constantium sibi restitutum exi-

iisdemque Kal. Majis an. 305. quo Diocletianus, & Herculius abdicarunt, Galerius, & Constantius declarati Augusti, Severus vero, & Maximinus Cæsares nuncupati. L. cap 18. Ubi post Cæsarum creationem subdit de Diocletiano purpuram abjiciente: *& Diocletianus factus est*.

(9) Thermas Diocletianas an. Chr. 305. dedicatas ostendit Pag. in I. part. Dissert. Hypat. c. 6. n. 11. ex Inscription. ibid. allatis.

(10) Hi *Caledones* sunt Ptolomæo: *Caledonias silvas* Cæs. l. 3. 10. memorat: *Caledonios Britannos* Mart. l. 10. epigr. 44. aliique Poetæ, a *Caledonia* Regione, quam ab Occidente adluit Oceanus Caledonius. Iidem vero sunt, qui Ammiano l. 27. c. 18. *Dicalidones*.

(11) Id & alibi dictum est, quod Lactant. quoque *de mortib. Persecut.* aperte tradit addens, Galerium in animo habuisse, quidquam retentandi in Constantinum, vel præmittendi litteras, ut a Severo teneretur; eaque cum perspiceret Constantinus, fuga sibi consuluisse. L. c. 24.

(12) Præter Socratem id tradit Idacius in Fast. h. an. Falsus itaque Hankius l. de Byzantinarum rer. Scriptorib. Græc. part. I. c. 1. num. 19. & seqq. ubi Constantium an. præced. migrasse contendit, eodemque an. Constantinum imperare cœpisse. Vide Pag. Dissert. Hypat. c. 2. num. 19.

(13) Ultima Thule dicitur a Virgil. l. 1. Georgic. v. 30. & Senec. in Medea v. 379. Situs non adeo certus, cum antiqui Scriptores de disjunctissimis in Septemtrione locis non adeo conveniant. Quæ Plin. tradit l. 4. 16. hyperbolice dicta non satis aperte declarant situm, quamvis Cellar. Plinium hac in re plus cognovisse dicat pag. 446. quem V.

(14) Veteres *Fortunatas* in nostri temporis *Canariis* quærendas esse indicat Strabo, initio Operis, inquiens: *Beatorum insulæ ante Maurotaniam jacent in Occidente extremo*. Et Ptolomæus l. 4. 6. Plin. l. 6. 31. unam ex Fortunatis *Canariam* vocant.

(15) A Cydone, sive Cydonea, una ex tribus clarissimis Cretæ urbibus, quam *urbium matrem* dixit Flor. l. 3. c. 7. De Cydonibus jaculandi peritis, Virgil. Eclog. 10. v. 59. inquit:

*. . . . . libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula.*

& Silius Ital. l. 10. v. 261.

*Ecce Cydonea violatus arundine plantam.*

(16) Apotheosis primo uni Romulo decreta, in vulgarem postea, communemque Principibus traducta, gliscente adulatione. Vide quæ Plin. c. 2. 11. 2. in hanc rem argute non minus quam eleganter habet.

Digitized by Google

existimantes, extemplo Augustum salutarunt, ac purpura, licet obluctantem, ornarunt, quorum prærogativam (17) Senatus deinde à Constantino consultus summo studio comprobavit. Quo nuncio accepto repente magno provinciales omnes gaudio evecti sunt, quod Imperatorem ne brevi quidem temporis momento desiderassent. Hoc facto lætatus Constantinus Imperium illequidem accepit, sed Augusti tamen appellatione abstinuit. (18) Quare Orator illeidem sic adjecit: *Dii boni quanta Constantium Pium in excessu suo felicitate donastis. Imperator transitum facturus in Cælum vidit quem relinquebat hæredem, illico enim atque ille terris fuerat exemptus, universus in te consedit exercitus: te omnium mentes, oculique signarunt, & quanquam tu ad seniores de summa Republicæ quidnam fieri placeret, retulisses, prævenerunt tamen studio, quod illi mox judicio probaverunt, purpuram statim tibi, cum primum copiam tui fecit egressus, milites utilitati Reipublicæ magis, quam tuis affectibus servientes, injecere lacrymanti, neque enim fas erat, diutius fieri Principem consecratum, dicer. etiam Imperator ardorem illum te deposuisse exercitus fugere conatum equum calcaribus incitasse, quod quidem, ut verum audias, adolescentiæ errore faciebas*, atque his actis eximiam provincialium erga se voluntatem promereri singulari justitia, continenteque præstanda contendit. In primis autem exemplo patris Christianorum neminem violari passus est, sed liberam omnibus sacrorum, cæremoniarumque potestatem, atque arbitrium est largitus. Quod Lactantius, credo, etiam significavit, cum illum appellans ita scripsit: *Cum dies ille felicissimus orbi terrarum illuxisset, quo te Deus summus ad beatum Imperii culmen evexit, salutarem universis, & optabilem principatum auspicatus es, cum eversam, sublatamque justitiam reducens teterrimum aliorum facinus expiasti*. Constantium mortuum, & Constantinum à patre, atque ab exercitu Imperatorem substitutum, ubi fama primum, deinde imago etiam ejus ad urbem de more missa in Italiam detulit, maximus extemplo Romæ tumultus Severo Cæsare Mediolani agente, est concitus. Maxentius Maximiani filius in Cæsare cooptando à patre, ut dixi, præteritus, in villapublica sexto ab urbe lapide privatus itinere Lavicano (19) degebat. Hic ita incensus, quod Constantinus aut injusto, aut certe humili (20) matrimonio natus ad Imperium evasisset, ipse vero summi Imperatoris filius una cum illo privatus in ocio consenesceret, statim, ut hæc audivit, de vindicando sibi Imperio cogitavit. Quare milites prætorianos, in quorum potestate jam inde ab Augusto Imperante urbs erat, per Marcellum, & Marcellianum Tribunos militum ingentibus promissis ad se traducit, atque eorum auxilio urbem ingressus Abellio præfecti urbis vicario, qui se conatis suis objiciebat, occiso Augustus appellatus, VII. Kal. Octob. (21) Imperium arripit.

## MAXENTIUS IMPERATOR.

BEnigne autem à Civitate receptus ad firmandas opes primo se æquum ita universis exhibuit, ut salutaria etiam Christianis edicta ediderit, atque eos litteris etiam suis Rectoribus commendarit, (quæ actio eo fuit insignior, quo acrius eos Galerius quinto jam cœptæ persequutionis anno vexabat,) ac se Consulem in reliquum anni constituit. Severus Cæsar, postquam Maxentium Roma potitum, atque Augustum acclamatum accepit, continuo certiorem Galerium avunculum fecit, atque Augusti nomine sumpto, illius consilio, atque auxilio usus ingentem conscriptis quoque Mauris exercitum comparavit, eumque ad urbem adduxit eo animo, ut aut acie cum Maxentio decertaret, si pedem portis efferret, aut, si bellum mœnibus propulsaret, urbem in potestatem assidendo redigeret. Verum obsidione opus non fuit. Maxentius Anullino præfecto urbis sibi conciliato urbe egressus in certamen descendit, quo inito Severus haud magno negotio superatus, atque fugatus Ravennam se retulit, quæ urbs erat opere, præsidioque munita. Interim Maximianus Maxentii pater his auditis ex Lucania (22) privatus accurrit, ut hos tumultus componeret. Quem ubi Romani viderunt, Augustam quondam in eo Majestatem veneratı, summis precibus, ut Imperium resumeret, ac publica auctoritate laborantibus Romæ, Italiæque rebus consuleret, obsecrarunt, eique, quos conscriptos habebant, milites tribuerunt. Quorum ille voluntati libens paruit, atque Augustalia ornamenta, ut invitus dimiserat, sic studiose recepit. (23) Verba, quibus ipsum Romani ad resumendum Imperium adduxerunt,

in

(17) Quod primo ipsi Imperatorem salutassent; hinc prærogativa tribus, vel prærogativa centuria, quæ primo loco ad suffragium ferendum vocatur: vel cujus sententia tantum momenti, & auctoritatis habebat, ut quasi præjudicium afferret in eventum Comitiorum: sic ap. Liv. l. 6 Belli Pun. *Auctoritatem prærogativæ omnes secuti sunt*.

(18) Certe Constantinus in pluribus Nummis ap. Mediob. pag. 459. Severus verò Augustus dicitur, quæ ex Lactantio clare intelliguntur, qui l. c. c. 25. postquam narrat turbatum fuisse Galerium ob Constantinum Imperatorem declaratum, subdit: *Sed illud excogitavit, ut Severum, qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparet, Constantinum vero non Imperatorem, sicut erat factus, sed Cæsarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de secundo loco rejiceret in quartum*. Sed hic A. N subjicere debuisset ejusdem Oratoris Gallicani verba Panegyr. 1. Maximian. & Constantini, quæ sunt: *Cum tibi pater Imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus expectare malueris, ut idem te, qui illum, declararet Augustum*, &c.

(19) A *Labico*, sive *Lavico*, qui Livio sunt *Lavici*, l. 4. 47., qui & l. 26. 9. ait; Hannibalis iter describens: *Per Frusinatem, Ferentinatemque, & Anagninum agrum in Labicanum venit. Inde Algido Tusculum venit*.

(20) Anonym. Valesian. *Constantinus natus Helena matre vilissima in oppido Naisso*, &c. Erat oppidum Daciæ Mediterraneæ, nunc Serviæ dictæ.

(21) *VI. Kalendas Novembris*, Lactant. l. de mortib. Persecut. c. 44.

(22) *In Campania* tunc commoratum scribit Lactant. l. c. c. 25.

(23) Lactant. l. c. c. 26. refert, Maxentium veritum fuisse, ne *Maximianus socer .... Severum in Illyrico relinqueret, atque ipse cum suo exercitu ad se oppugnandum veniret*. Et quia cupiebat periculum vitare: *Patri suo* (pergit ibid. Lactantius) *post depositum Imperium in Campania moranti purpuram mittit*,

Digitized by Google

in vetere Panegyrico adhuc leguntur ad ipsum dicto: *Fecit Roma pro majestate nominis sui, ut ostenderet, posse se etiam Imperatoribus imperare, abduxit exercitus suos, & tibi reddidit, & cum ad sedandos animos auctoritatem privati principis attulisses, supplices tibi manus tendens, vel potius queribunda clamavit: Quousque Maximiane patiar, me quati, te quiescere, mihi libertatem adimi, te usurpare tibi illicitam missionem? An quod Divo Augusto post septuaginta ætatis, quinquaginta Imperii annos non licuit, tam cito licuit tibi? adeo ne te mihi ille, cujus tot numina colo, Hercules dedit, ut tu in suburbano ociosus sedens usum dicatæ mihi virtutis omitteres? redde te gubernaculis meis, &, quoniam tranquillo mari portum intrare non properasti, vade per fluctus mei quidem amore solicitus, sed tua majestate securus, imperasti rogatus a fratre, rursus impera jussus à matre. Non potuisti sanctæ illius parentis resistere imperio, & te vigiliis, curisque illis, quas viginti annos expertus fueras, reddidisti.* Cum igitur Maximianus Augustalia insignia recepisset, facile inde adductus est, ut nonum Consulatum cum Constantino Augusto sequenti
307 (24) anno inierit. Quo facto inde cum exercitu ad obsidendam Ravennam, ubi Severus se confirmaverat, est progressus. Cœpta oppugnatione, postquam urbe vi se potiri non posse, ac majoris, quam putarat, negocii rem esse, animadvertit, Severo, ut Romam sacramento incolumitatis accepto repeteret, persuasit. Ita Severus Maximiani fidem sequutus Ravenna excessit, atque ad Tres tabernas, (25) quod oppidum non longe ab urbe via Appia aberat, sese contulit, haud dubia spe ductus, urbem se Maximiani opera recepturum. Maximianus autem non solum promissa non præstitit, sed etiam exercitum ejus sollicitatum ad se convertit, ipsumque insidiis circumventum mediis in castris extinxit, cadaver ejus sepulchro Galieni Imperatoris illatum est, quod in via Appia novem passuum millibus ab urbe distabat. Hæc mense April. acta. Galerius Augustus, cum in oppido Pannoniæ superioris Carnunto post captam urbem, turpem exercitus defectionem, ac miseram Severi necem audisset, eam inultam relinquere, dignitatis non esse suæ putavit. Itaque statim cum majoribus copiis, quam quas Severus habuerat, Romam versus processit, & se Maxentio hostem advenisse, ostendit; verum mox, cum & suas, & adversariorum vires circumspectaret, metu attonitus in Illyricum ex prœlio retrocessit. (26) Quare in vetere Panegyrico ad Constantinum dicto ita est: *Duxit magnum Severus exercitum, & hostem suum perfidia desertus armavit, majores postea copias Galerius Maximianus admovit, & ipse transfugis visus est prospere refugisse.* Severo dominandi cupiditate per dolum sublato, Galerioque propulso Maximianus inde ac Maxentium filium evertendum (27) alienato ad Imperandi libidinem animo se convertit, ac consilio cum familiaribus suis composito, exercitu advocato in Tribunal ascendit, atque Maxentium tantis gerendis rebus imparem, & parum idoneum esse, docere cœpit. Quam vocem cum milites iniquis auribus excepissent, longius progredi oratione conantem inhibuerunt, ac probra in eum tanquam Imperium sibi improbe vindicantem ingesserunt, ac durius etiam consulturos, si pergeret, ostenderunt. Quo ille periculo exanimatus confestim ex humeris purpuram detraxit, negans, se id, quod ipsi suspicabantur, in animo habuisse, sed militum animos quemadmodum affecti erga Maxentium essent, periclitari voluisse. Itaque in antiquo Panegyrico illa sunt: *Ipse, qui pater Maxentii credebatur, descissam ab humeris purpuram detrahere coactus sensit, in illud dedecus fata sua transisse.* Hoc consilio irrito privatus inde ad Diocletianum se contulit, qui forte, ut inquit Zosimus, erat Carnunti, (28) atque ei, ut secum Imperium resumeret, pro re magna suadere instituit. Quod Diocletianus se facturum eum magna moderati animi laude abnuit, atque ita adjecit: Si tibi videre liceret olera mea manu Salonæ instituta, nunquam ut hoc à me postulares, in animum induxisses. Hac spe depulsus inde ex Illyrico perrexit in Galliam. Eo anno Constantinus compositis Britanniæ rebus (29) in Galliam reversus cum Re-

(24) Ita in Fragmento Consulari a Bucherio edito, idest, *Maximiano Herculio IX. & Constantino.* In Fastis Theonis h. an. legitur: Σεβῆρος αὐγοῦστος, καὶ Μαξιμιανὸς Καῖσαρ, *Severus* nempe *Augustus, & Maximianus Cæsar*, ubi loco *Maximini*, consueto Græcis errore, legitur *Maximianus*. At Consules hi fuere suffecti, ut A. N. superius rectissime dixit, non vero Ordinarii: & in Fastis Theonis non raro Consules designati, aut suffecti pro ordinariis obtruduntur.

(25) Τρία ταβέρναι, *Tres tabernas*, Zosim. l. 2. 11. Eutrop. & Hieronym. in Chron. Euseb., Ravennæ, seu potius ad urbem Ravennæ necatum tradunt; unde Scaliger ait, in Euseb. p. 226. *Ego non dubito, illas Tres tabernas in Agro Ravennate fuisse;* subdens, Aurelium Victorem (quem secutus est A. N.) ὁμωνυμίᾳ *loci deceptum* in Epitome, *putasse, eas esse Tres tabernas, quæ sunt ad Forum Appii. Atqui Tres taberna ultra Urbem sunt Terracinam euntibus.* Aliæ sunt Tres Tabernæ, quæ tamen ad rem non faciunt, inter Laudem, & Placentiam, ex Cluverio p. 236. ex Itiner. Hierosolym. Item Tres tabernæ inter Interamnam, & Fanum fugitivi, ut Idem Cluv. p. 636. ex eodem Itiner.

(26) Vide Lactantium de mortibus Persecutor. c. 27. ubi Galerii conatus irritos, & fugam enarrat, ad quam respexit Auct. Panegyr. cujus verba refert A. N.

(27) Hujus consilii caussam Lact. l. c. c. 29. *Juveni enim* (sc. Maxentio) *magis parebatur, quam seni,* (nempe Herculio) *quippe cum prior, & major filii potestas, qui etiam patri reddiderat imperium, ferebat iniquo animo senex, quod non posset libere facere quod vellet, & filio suo puerili æmulatione invidebat. Cogitabat ergo expellere adolescentem,* &c. quæ ab A. N. narrantur.

(28) Ita Zosim. l. 2. 10. At non recte vocat *oppidum Celticum* (si genuina est lectio) Ammianus enim l. 30. 17. Carnutum *Illyrium oppidum* dicit; & Aurel. Vict. Urbem Pannoniæ.

(29) Has antea pacaverat Constantius Constantini M. pater, firmavit forsan deinde & Constantinus; unde in Panegyr. Maximiano, & Constantino dicto, Orator inquit: *Liberavit ille* (sc. Constantius Chlorus) *Britannias servitute, tu etiam nobiles esse illic oriendo fecisti.* Quæ verba male intellecta ansam præbuere fabellæ de Constantino, quod Anglus, sive Britannus fuerit; cum ibi de Natali Imperii sit sermo, non de Natali genuino. Constantinum autem ad Britann. Gentes trajecisse testis Eusebius in Vit. Constant. l. 1. 25.

Regibus Francorum (30) Afatico, & Gaisone bellavit. Hi violata pace, quam cum Constantio patre pepigerant, Galliam illo absente incurrerant. Constantinus autem rem indignam, neque ullo modo silentio prætereundam ratus, exercitum Rhenum traduxit, atque in Francorum regionem irrupit, (erant autem, ut inquit D. Hieronymus, inter Saxones, & Alemanos locati,) ac prœlio gravi commisso Reges cepit, ac diris ad prodendum exemplum cruciatibus editis interfecit, ripamque ipsam Rheni pacavit, Maximianum inde ad se venientem tanto honore, atque adeo magnifico provincialium omnium occursu excepit, ut, si Imperator fuisset, majore excolere non potuerit, mox tam liberaliter in suo Palatio Treviris habuit, ut penes se habitum, penes illum jus Imperii residere voluerit, sic enim in Panegyrico ad Constantinum dictum est: *Tu Maximianum ab urbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum tuis provinciis, tuis copiis, tuo Palatio recepisti, privatum otium, & regias opes dedisti, impensius etiam, quam tibi, occurrere obsequia nostra mandasti, omnibus jussis sic statuisti obedire, ut penes te habitus, penes illum potestas esset Imperii*. Veteri deinde necessitudini novum quoque vinculum (31) affinitatis accessit, quod Maximianus Faustam filiam in matrimonio Constantino nuptiis copulavit, & Constantino ipsi nomen Imperatoris ab eo usque ad eam diem repudiatum impertiit. Ea sponsalia lætissimis animis celebrata, ac magnifica Oratione ab Æduo Oratore ita laudata, ut soceri etiam, generique virtutes egregie comprehenderit: *Certum est mihi*, inquit, *ea præcipue isto sermone complecti, quæ sunt hujus propria lætitiæ, qua tibi Cæsari additum nomen Imperii, & ista rum cœlestium nuptiarum festa celebrantur: quid enim rebus humanis contingere potuit aut nobilius ad gloriam, aut certius ad salutem, quam quod pristinæ vestræ concordiæ, perpetuæque pietati hoc quoque pignus accessisset summorum nominum arctissima conjunctione venerabile, ut Imperatori filiam collocaverit Imperator? quid porro aut tu carius dare, aut tu carius accipere potuisti, cum hic affinitate vestra & tibi, Maximiane, per generum juventa renovata sit, & tibi Constantine, per socerum nomen Imperatoris accreverit? Maximas itaque vobis, Æterni principes, publico nomine gratias agimus, quod suscipiendis liberis, optandisque nepotibus seriem vestri generis propagando omnibus in futurum seculis providetis, ut Romana res olim diversis regentium moribus, satisque jactata, tandem perpetuis domus vestræ radicibus coalescat, tamque sit immortale illius Imperium, quam sempiterna soboles Imperatorum. O divinum tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi jure adoptione nepotem, majestatis ordine filium, in quem se prima illius juventa transfudit, in cujus ore cœlestes illius vultus natura signavit, qui aspectum illius ad deorum concilia translati adhuc desiderantibus nobis sufficit pro duobus. Neque enim forma in te tantum patris, Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, justitia, prudentia sese votis gentium præsentat. Quo enim magis continentiam patris æquare potuisti, quam quod te ab ipso fine pueritiæ illico matrimonii legibus tradidisti. Fortitudinem autem illius jam tum in principiis consequutus es, multa ille Francorum millia, qui Bataviam, aliasque cis Rhenum terras invaserant, interfecit, depulit, abduxit, tu jam ab ipsis eorum regibus auspicatus es simulque & præterita illorum scelera punisti, & totius gentis lubricam fidem timore vinxisti. Liberavit ille Britannias servitute, tu etiam nobiles illic oriendo fecisti, cujus tanta maturitas est, ut cum tibi pater Imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus expectare malueris, ut idem te, qui illum, declaret Augustum, si quidem ipsum Imperium hoc fore pulchrius judicabas, si id non hereditarium ex successione cepisses, sed virtutibus ejus debitum à summo Imperatore meruisses, neque enim dubium, quin tibi mature sacrum istud fastigium divinæ potestatis astrueret, qui te jam olim sibi generum etiam ante, quam petere posses, sponte delegerat*. Interim Romæ, Kal. Juliis Maxentius Augustus iterum cum Maximino Cæsare iterum Consulatum inivit, ac rebus ad voluntatem fluentibus Italiam ad suum Imperium universum adjunxit, ac VI. Kal. Septembris præfectum urbis Terrullum constituit. Sub eosdem dies orto temere in urbe incendio templum Fortunæ conflagravit, ad quod extinguendum cum ingens multitudo populi advolasset, plebs militem quendam, qui probris numen Fortunæ incesserat, interfecit. Quo facto militum seditio tanta est concitata, ut ad urbem inflammandam concursuri fuerint, nisi propere Maxentius occurrisset, ac miti Oratione animos eorum exasperatos leniisset. Cum idem imaginem suam in Africam, tanquam in provinciam, Severi victoria suam misisset, milites, qui Galerio dediti erant, ne circumferretur, obstiterunt; post autem cum Maxentium expeditionem adornare in Africam percepissent, timore perterrefacti Alexandriam discesserunt; verum in itinere à majore manu oppressi Carthaginem redire coacti sunt. Maxentius adversis auspiciis, ne in Africam trajiceret, territus ad Alexandrum (32) præfectum prætorio Africæ sese contulit, & ab eo fidei causa filium obsidem postulavit. Alexander perfidiam hominis aversatus legationem repudiavit, qua de causa occulto n Maxentio scelere appetitus est. Qua re comperta milites defectione inita Alexandrum, hominem Phrygem, atque ætate provectum purpura induerunt, Augustumque consalutarunt. Et hoc anno, qui fuit Christianæ persequutionis

(30) Hoc bellum a Lactant. l. c. c. 29. memoratur, idque non diversum ab eo videtur, de quo Euseb. in Vita Constantini l. 1. 25. L. quæ Nazar. in Panegyr. Maximian. & Constantini I.

(31) Concordia hæc Faustæ. & Constantini nuptiis firmata; hinc percussi Constantini M. Nummus up. Mediob. pag 460. ubi in postica legitur: CONCORDIA FELIX D. D. N. N. P. L. C. Repræsentantur duæ figuræ paludatæ dextras jungentes, & sinistra tenentes hastas.

(32) Hoc quidem anno à militibus purpura indutus est. Alexandri meminere præter Zosimum, l. 2. 12. quem A. N. hic exscribit; etiam Victor de Cæsarib. & Victor in Epitome: Illum annos 4. imperasse ostendunt Græci Nummi up. Goltzium, ubi quartus Imperii ejus annus legitur. Debellatus autem à Maxentio fuit an. 311. Hunc Zosim. ibid. *timidum, & parum audacem, & præter hæc ætate provectum*.

nis sextus, Galerius in Illyrico, Maximinus in Oriente (33) vexationes Christianorum acerbe exercere perseverarunt. Romæ autem, & in Italia Christiani optatam pacem egerunt. Nam Maxentius partim gerendis bellis, partim conciliandis populorum animis occupatus omnino persequutioni pepercit. Itaque Marcellus urbis Episcopus, cum multos ultro ad baptismum, & pœnitentiam se conferre videret, Titulorum in urbe numerum auxit. Hos titulos Evaristus sextus à S. Petro Episcopus septem in urbe (34) instituerat, eosque singulis presbyteris distribuerat, ut in sua quisque æde sacra faceret, ac populum erudiret. Marcellus autem, ut consuleret religioni eorum, qui baptismum frequentes poscebant, Titulos ad numerum quindecim redegit, eosque quasi Diœceses quasdam esse constituit. Quin etiam Priscillæ, & Lucillæ matronis locupletibus auctor fuit, ut una Cœmeterium suis pecuniis via Salaria conderet, altera bonorum suorum heredem Dei Ecclesiam institueret. Ea de causa ambarum inde nomen inter Christianos inclaruit. Ka-
308 lendis autem Jaouariis Galerius Augustus VII. & Diocletianus X. (35) inde VII. Kal. Maji Maxentius Augustus III. & Romulus filius ejus, quem Cæsarem appellaverat, Consulatum, Idibus Aprilis Statius Rufinus præfecturam Urbis, inierunt. Eo anno Constantinus Augustus Bructeris (36) Francorum populis Regum suorum supplicia deplorantibus intulit bellum. Exercitu repente Rhenum transmisso hostes inopinantes invasit, ne copiam, ut ante, refugiendi in sylvas haberent, atque homines, pecudesque, quas nactus est, promiscue stravit, vicos incendit, puberes, quos captivos abduxit, atque indignos venia judicavit, munere magnifico edito bestiis laniandos objecit. Maxentius autem misso demum cum exercitu in Africam Rufio Volusiano præfecto prætorio Alexandrum fugientem cepit, eoque morte multato (37) juris sui Africam fecit. Inde quæstiones acerbissimæ habitæ, ac plurimi, tanquam Alexandri tyrannidis socii, in crimen vocati, iidemque aut vita spoliati, aut prorsus fortunis eversi. Quibus rebus actis nobilem de Africa, & Alexandro victo Romæ egit triumphum.

Galerius, & Maximinus septimo jam anno hostili persequutione Christianos in suis provinciis fatigarunt: inter quos Pamphilus presbyter (38) præcipue ab Eusebio prædicatur, qui cum duodecim aliis post exquisitos cruciatus, quos constantissimo animo pertulerunt, glorioso demum Cæsareæ martyrio, Firmiliano judicium exercente, donatus est. Postero anno nulli in Imperio 309
Consules ordinarii extitere, ex quo hic annus post Consulatum (39) Diocletiani X. & Maximiani VII. dicitur, in tyrannide vero Maxentius Augustus IV. & Maximus inierunt. Hoc anno Maxentius Italia, Africaque pacata, rebus secundis, ut in pravis evenire animis solet, elatus mores mutavit, ac tyrannidem Romæ, atque in Africa exercere in primisque Christianos lacerare instituit, quippe prolapsus ad omnia scelera nullum impietatis, nullum intemperantiæ genus omisit. Etenim sic se adulteriis dedidit, ut legi-

(33) L. quæ Euseb. l. 8. c. 20. At Romæ, & in Italia Christiani pace fruebantur; Ipse namque Euseb. l. 8. c. 16. inquit: *Hujus* (Herculei nempe) *filius Maxentius principio quidem Fidei nostræ professionem simulavit, ut in eo morem gereret, blandireturque Populo Romano. Itaque subditis suis præcepit, ut à persecutione Christianorum desisterent*. Quam indulgentiam in Africam quoque misit post necem Alexandri tyranni, teste Optato l. 1. contra Parmen.

(34) In libro de Roman. Pontificib habetur viginti quinque Titulos in Urbe constituisse, quasi diœceses. Quidquid sit de eodem Libro judicium, certum est S. Marcellum *Lapsos* ad pœnitentiam summopere fuisse adhortatum, ut ejusdem Epitaphium ostendit, quod refertur a Bollando die 16. Januarii in Vita S. Marcelli, & Papebrochius in Conatu Chronico-Histor. ad Catal. Pontif. p. 45. Eaque esse potuit etiam causa aucti numeri Titulorum in Urbe.

(35) Præter Italiam in reliquo Orbe Romano Galerius A. septimum iniit Consulatum; sed an Diocletianus X. hoc an. Consulat. susceperit, an verò Maximianus Herculeus X Consul processerit dubitatur. In libello quippe de Præfectis Urbi habetur: *Consules, quos jusserint DD. NN. Augusti, ex XII. Kal. Maji factum est, Maxentio, & Romulo: quod est decies & Maximiano. VII. Id. April., Statius Rufinus P. U.* In Fragmento quoque Consulari Bucherii, in Fast. Cæsareis, & Idac., in Chron. Damasi, & in Chron. Alexandr. Diversi hi Consulatus, & Consulum dilata designatio ad mensem usque Aprilis, arguant discordias ortas inter Impp. Ex præf. libello de Præfectis Urbi liquet, Maxentii Consulatum sine numerali nota exhiberi

(36) In Majores, & Minores hos dividit Strabo l. 7., & Ptolom. l. 2. 11. Iique ad Rhenum in limite: Majores vero intus ad caput Lippiæ versus, saltumque Teutoburgicum. Et si Tacitus Germ. c. 33. dicat Bructeros excisos penitus vicinarum consensu Nationum; superfuere tamen multi ejus nominis Constantini ævo, ut ex Eumenii Panegyr. c. 12. eidem Imperatori dicto, & ex Nazar. ad eumdem. Vide & Claudian. IV. Consulat. Honor. v. 450.

(37) At non præsenti an., siquidem tam ex Vict. de Cæsaribus, quam ex Vict. in Epit. quatuor annos imperasse liquet, & ex Nummis ap. Goltz., unde an. 311. circiter debellatus: præsertim quia ex Libello de Præfectis Urbi habetur, Rufium, seu Rufinum Volusianum mense Septemb. an 311. Consulem Ordinarium processisse, ob rem certe præclare gestam, & recuperatam Africam ad Consulatum evectum. Colligitur id ex Zosimo, qui, hac victoria narrata, statim subdit, l. 2. 14. in fin *Quin & Romæ triumphatum est*, &c. At hic triumphus an. 312. celebratus, ut Mediobarbus recte conjicit proferens Nummum p. 450. Maxentii, in quo Quadriga Elephantorum, ubi Imp., cui Victoria volans dextra lauream, sinistra Palmam porrigit, quæ simplicem processum Consularem non exprimunt.

(38) Cæsariensis, de quo Hierony. de Scriptor. Eccles. in *Pamphilo*. Erat apprime Eusebio amicus, quamobrem Eusebius Pamphili dici voluit. Firmiliano judice damnatus, cujus sævitiem in Christianos execratur Euseb. l. 8. 21. Sed is paulo post immanissimæ crudelitatis pœnas morte luit.

(39) In Orbe Romano, Italia excepta, Acta publica hac formula notantur: *Post Consulatum X. & VII.* nempe post decimum *Diocletiani*, (ut vult A. N., cum quo & alii plures) At melius post X. *Herculei*, ut an. praeced. ostendam: & post VII. *Galerii Maximiani*. Nulli itaque hoc anno ob Impp. discordias creati Consules. In Italia vero *Maxentius Aug. II. & Romulus Cæsar II* ut Idacius in Fast. & Auct. Libelli de Præfectis Urbi. A. N. *Maximum* cum Maxentio ponit; sed in Fastis nulla Maximi mentio; solum reperitur in Libro de Romanis Pontificib.

legitimas uxores viris ademerit, easque ignominia affectas, ac corporis ludibria deplorantes reddiderit, in quo non obscuros solum homines, sed Senatorii etiam ordinis viros læsit, rapinas ita exercuit, ut bonorum eripiendorum causa Senatores divites non exiliis solum, sed etiam morte multarit, à justitia usque adeo aversus fuit, ut paratos, qui aut insidiatos sibi, aut palam aliquid pro libertate conatos esse criminarentur, habuerit, denique Christianos eapersequi atrocitate instituit, ut ne Episcopo quidem urbis Marcello, sanctissimo viro, pepercerit. Hunc enim in ordinanda Ecclesia occupatum cum comprehendisset, Pontificatu se abdicare, & gentilitiis sacrificiis se dedere jussit, ac mox præcepta sua irridentem in catabolum (40) dedidit. Marcellus autem tantam constantiam adhibuit, ut in pistrini quoque servitute assiduis precibus Deum placare, atque urbis parœcias litteris visitare perstiterit. Itaque XVI. Kal. Februarias Epistolam quoque (41) super hac re ad Maxentium scripsit, Maxentio, & Maximo Consulibus datam. Constantinus autem Germaniæ perdomandæ intentus pontem instituit ad Coloniam Agrippinæ, non ut facultatem trajiciendi pararet (nam totum armatis navibus Rhenum instruxerat, & ripis omnibus milites disposuerat) sed ut gloriam Imperio, & limiti ornatum adjungeret, si qua ferocissimus amnis esset, vel invito pontem imposuisset. Hoc vero ubi institui opus hostes viderunt, propere legatos, qui pacem peterent, obsidibus pollicendis miserunt.

Dum autem hæc ille molitur, Maximianus eadem, qua ante, dominandi libidine stimulatus, Treviris consilia clandestina de Imperio ipsi pariter adimendo inivit, ac milites ejus aliquot præmiis ad se perducere occulte contendit. Quam rem cum forte Fausta filia comperisset, ad virum Constantinum continuo detulit, eumque ad vindicandam injuriam, & dignitatem suam tuendam incitare non dubitavit. Maximianus autem profectus in Narbonensem, specie ut Massiliæ in Italiam navigaturus conscenderet, cum in itinere omnes mansionum copias absumpsisset, ne quis se consequi exercitus posset, repente Arelate intra parietes jam tertium purpuratus emersit, ac literis ad solicitandos exercitus missis fidem militum ingentium præmiorum ostentatione tentavit. Quod ubi facinus Constantini milites acceperunt, repente tanto perdendi hominis studio exarserunt, ut protinus à Constantino signum profectionis poposcerint, nec viatico expectato, arreptis armis abierint. Itinere, quod est à Rheno ad Ararim, (42) integris viribus, animisque flagrantibus sine ulla cunctatione confecto naves exceperunt, quæ in Cabillonensi statione ad reficienda corpora fuerant præparatæ. Ibi segnem nimis, ac cunctabundum amnem esse, ac carinis tacite labentibus stare se, non ire, vociferantes usum pedum manibus aggressi navibus incubuere, & naturam fluminis urgendo vicere. Quin etiam ab Arari ad Rhodanum progressi ne ipsa quidem rapidissimi amnis velocitate fuere contenti, ubi vero Arelate profecti Maximianum se contulisse Massiliam didicerunt, extemplo navibus egressi eo contendere perrexerunt. (Massiliam vero ille petierat, ut, si necessitas urgeret, facultatem in Italiam redeundi haberet,) & cum eo pervenissent, urbem extemplo militum corona circumdederunt, haud ambigua spe freti, se illa potituros, licet portu firmissimo prædita, & mœnibus altissimis, ac turribus creberrimis, haud secus quam Cæsaris quondam ætate, esset munita, inde tanta fiducia invaserunt, ut muros statim occupaturi fuerint, nisi parandis, quas admoverent, scalis conjecturam oculorum altitudo mœnium fefellisset, multi tamen brevitate scalarum decepti, quod ad ascendendum supererat, extensis consequebantur corporibus, & succedentium humeris sublevati jam intervalla pinnarum invaserant, cum Constantinus signum receptui dedit, ac paulisper inde recessit. Post noctem autem militibus ad urbem repente reductis (43) hostes re inopinata sic exterruit, ut se tueri posse diffisi urbem dediderint. Urbe capta Maximianus in potestatem Constantini adductus, jussu ejus strangulatus (44) pares me-

(40) Locus erat, in quo feræ erudiebantur, sive ad mansuetudinem, sive ad crudelitatem, quam in *bestiarios* exercerent. Stabulum quoque jumentorum, publicæ utilitati ad vehenda onera, inservientium. Hinc Catabulenses, qui stationibus publici cursus erant addicti. De his Cassiodor. Var. 3. 10.

(41) Quæ Marcelli epistola ad Maxentium dicitur, supposititia est; incipit enim cum verbis S. Gregorii Epist. 114. libri septimi, continet & posteriorum loca quamplura, & Scripturam laudat ex Versione Hieronymi, subnotaturque *Maxentio, & Maximo* U. C. Coss., A. N. *Maximum* h. an. Consulem posuit, eadem epist. deceptus. Eodemque vitio laborat, quæ ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ data est, in qua leguntur loca ex Acacio C. P. Episcopo, Hilario, Innocentio, Gregorio, Leone, aliisque desumpta, quæ & *Maximum* Consulem exhibet.

(42) *Segnem, & cunctabundum* hic A. N. Ararim vocat juxta Eumen. Panegyr. c. 18., & Plin. l. 3. 4. Unde Cæsar l. 1. 12. inquit: *Flumen Arar per fines Æduorum, & Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit*. Notus *Araris* (ita enim ap. Dion. Cass. l. 2. 5.) ex Punico Hannibalis bello, & ex Poetis.

(43) Lactant. l. *de mortibus Persecut.*, Urbis portas à *tergo* reseratas exercitui Constantini tradit c. 29. subdens: *Adtrahitur ad Imperatorem rebellis Imperator, pater impius, socer perfidus. Audit scelera quæ fecit, detrahitur ei vestis, & increpito vita donatur.*

(44) Non tunc occisus Herculius, sed postea, ut id. Lact. prodit c. 30. dicens: *Sic amisso Imperatoris, ac soceri honore, humilitatis impatiens, alias rursus insidias machinatur est.* Narrat inde, sollicitatam ab eo Faustam ad proditionem mariti, eamque ficte consensisse, re Constantino communicata: structas à sene insidias per noctem, Constantini occursum cum globo armatorum, postremo datam ei potestatem *liberæ mortis* Herculio refert. *Ita ille Romani nominis maximus Imperator, qui per longum temporis intervallum cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit, eliso, & fracto superbissimo gutture, vitam detestabilem turpi, & ignominiosa morte finivit.* Hactenus Lact. & quidem Massiliæ, ut Euseb. in Chron. Vict. in Epit.

merito pœnas invenit. Cadaver ejus Mediolanum missum (45) ibi sepulchro commissum est. Constantinus Rep. tyrannide, & Gallia civili certamine liberata, mirum, quantum ad laudem, gloriamque profecerit, jam cunctis tantæ virtutis indoli universum Imperium spe ac studio destinantibus, & quoniam tyrannos delere instituerat, Maxentium Maximiano ingenti animorum ardore jungentibus. Inde adversus barbaros absentia sua tumultuantes contendit. Hi erant Bructeri, Clamasi, Cherusci, (46) Vangiones, (47) Alemani, & Tubantes, (48) qui primum propriis, deinde communibus armis moverant, ac vires, consiliaque belli consociarant, qua re perspecta ille B Deo subnixus, dissimulato principis habitu adit eos, benigne appellat, spes explorat, inde regressus ad suos cum exercitu in eosdem se refert, ac primo impetu, dum sociales contrahunt copias, fundit, fugatque ac victor Treviros in hiberna regressus templo Apollinis vocata (49) concepta persolvit, idque donis amplissimis ornat, quam victoriam Nazarius ita exaggeravit, ut dixerit unum hoc bellum, si debitis laudibus immorari vacaret, diem integrum absumpturum. Persequutio Christianorum in Oriente hoc anno, qui fuit ejus octavus, leniri, ac mitigari, teste Eusebio, cœpit, bello inter Maxentium, & Maximinum excitato, quo- C rum in pari scelere amicitia diu permanere firma non potuit. Maximinus magicis (50) obstrictus studiis fuit, & prave Imperium gubernavit. Nam & sæviores, quam majores sui, in Christianos quæstiones exercuit, & studiosus ceteris religionem Gentilium coluit, hinc in locupletum fortunas avidius sese intulit, crapulæ, atque abdomini dedi-

A tus sæva multa per vinolentiam, & ebrietatem commisit, mulieribus ita studuit, ut nullam civitatem adierit, in qua non aut adulteriorum, aut stuptorum vestigia impressa reliquerit, atque hæc ferme adversus Gentiles ejus libido bacchata est. Christianos autem igne, ferro, (51) clavisque cruciavit, immanibus bestiis laniandos objecit, in mare præcipitavit, membris multavit, famis, metallorum, & vinculorum ærumnis afflixit, usque adeo ut in omni genere flagitii, & crudelitatis ipsum etiam in Italia Maxentium superarit. Proximo anno, qui 310
fuit post Christum natum trecentesimus decimus, iterum post Consulatum Diocletiani, & Maximiani (52) Romæ Marcellus Pontifex nono mense per Clericos suos cataboli servitute silentio noctis eximitur, atque hospitio à Lucina matrona receptus in ædibus ejus Ecclesiam dedicat, atque ibi dies, noctesque solemniter sacris operari insistit. Quod ubi Maxentius accepit, iratus ipsum extemplo corripi jussit, ac jumenta cataboli curare eo translata coëgit, quo in opere ipse mox nudus, ac vix cilicio tectus VIII. Kal. Februarias expiravit, (53) corpus ejus à Lucina sublatum in cœmeterio Priscillæ sepultum est. Ædes illa in hunc usque diem S. Marcelli nomine decoratur. Post viginti dies Eusebius homo Græcus, (54) Episcopus substituitur. Marcelli constantiam per eosdem dies imitata est mulier Christiana. Hæc cum à ministris Maxentii ad libidinem posceretur, ubi marito metu profecto relictam se stupro, atque ignominiæ vidit, paululum temporis ad se ornandam petivit, ac cubiculum ingressa, ut pudicitiam eo, quo poterat, modo servaret, gladio sibi pectus aperuit. (55) Eusebius Pon-

(45) In Fragmento Chron. Novaliciensis Monaster. à tempore potissimum Hugonis, & Lotharii Regum Italiæ, usque ad Conradum cognomento Salicum, quod à Duchesnio tom. 3. Hist. Francor. refertur, l. 5. de Herculio legitur, detectis insidiis *non multo post strangulatum*. Subditur autem: *Circa igitur hæc tempora* (circa an. nempe 1030., quo Rajambaldus Arelates Archiep. erat) *apud Massiliam civitatem Sepulchrum ejusdem Maximiani Christianorum ingentis persecutoris inventum est. Nam sicut nobis retulerunt, qui interfuerunt, erat mirabiliter corpus ejus intus, & extra unctionem balsami, & alia nonnulla genera odoramentorum oppido perfusum*, &c. quæ describuntur inventa in loculo. Hallucinatus est igitur Zosim. l. 2. 11. in fin. dum Herculium morbo extinctum scribit κατὰ τὴν Ταρσόν, apud Tarsum, inde forsan deceptus, quod Tarsi Galerius Maximinus obierit.

(46) De his Tacit. Germ. c. 36. Olim bellicosi sub Arminio Duce contra Romanos pugnantes, ex eod. ann. 2. 16. à Cattis in Septemtrionem inter Visurgim, & Albim.

(47) Tacit. Germ. c. 28., ait: *Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt Vangiones*, &c. De his Lucan. l. 1. v. 430.
*Et qui te laxis imitantur, Sarmata braccis, Vangiones.*

(48) De his Tacit. annal. l. 2. c. 51. à Rheno ex eod. quondam depulsi l. 13. c. 55.

(49) Hinc Panegyr. Constantini 4. habetur: *Ipsa hoc sibi ornante Fortuna, ut te ibi rerum tuarum felicitas admoneret, diis immortalibus ferre quæ voveras; ubi deflexisses ad Templum toto Orbe pulcherrimum, immo ad præsentem, ut venisti Deum. Vidisti enim, credo, Constantine, Apollinem tuum, comitante Victoria, coronas tibi laureas offerentem, quæ tricenum singulæ ferunt omen annorum.* Vide quæ & de donariis ibid.

(50) Hic *vana superstitione obligatus, errorem illum in sciscitandis idolorum, & dæmonum oraculis plurimi faciebat. Etenim absque divinationibus, & oraculis nec transversum unguem (quod ajunt) se audebat commovere. Ob quam causam graviorem, & crebriorem persecutionem, quam majores sui, contra nos concitavit.* Euseb. l. 8. 27. ubi & alia in hanc rem, moresque Maximini recensentur.

(51) L. Lactantium l. de mortibus Persecutor. c. 36. ubi post plura: *Confessoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares, vel auriculæ desecabantur.* Verum quidem est post edictum à Galer. Maximiano in gratiam Christianor. emissum, Maximinum, eo accepto, præcepisse Judicibus, ut à Christianis exagitandis abstinerent, sed Galerii edicto suppresso, sola voce per Sabinum Præfectum Prætorii sui, Præsidibus Provinciarum jussis, ut persecutionem in eos inhiberent, teste Euseb. l. 9. 1, qui c. 2. scribit, *tamen ne sex quidem integris mensibus passus est eum statum permanere.* Sed hæc post h. an. evenere.

(52) In Italia *Maxentius Aug. III.* solus in Fastis Idac. & in Libello de Præfectis Urbi. In reliquo Orbe Romano præsens an. ita notatus: *Anno II. post Consulatum decimum, & septimum*, post X. nempe Herculii, & VII. Galerii Maximiani; ut ex Fast. Cæsareis, Idacio in Fast., & ex Fragmento Consulari à Bucherio relato.

(53) Vide quæ supra de Marcelli Pontificatu, ejusque duratione adnotata.

(54) Hic an. 310. Pontifex creatus, eodemque anno obiit, ut alibi ex Chron. Damasi.

(55) Narrat id Eusebius l. 8. 26. ubi eamdem *nobilissimam, & modestissimam* prædicat, virumque suum *Præfectum Romanorum* fuisse scribit.

Pontifex hæreticos in urbe deprehensos per manus impositionem (56) Ecclesiæ reconciliavit. In Pannonia vero Quirinus Sciciæ Episcopus (57) insigne documentum Sacerdotalis sanctitatis, atque constantiæ dedit. Nam, cum jussu Galerii mola collo alligata in flumen è ponte præcipitatus esset, superstes diu aquis supernatavit, atque aspectantes Christianos alloquutus, ne sui exemplo fide deterrerentur, admonuit: ac tandem vix, ut mergeretur, à persequutoribus impetravit.

Interim dissociatis Maximini, atque Maxentii animis infestum erat utriusque Imperium, nam nec mare navigari tuto poterat, & qui utrinque capiebantur, omnium tormentorum, & suppliciorum acerbitates à tyrannis patiebantur. Itaque cum ubique irruptiones, rapinæ, cædesque fierent, totum Imperium, nisi quod à Constantino tenebatur, mirandum in modum laniabatur. Ex quibus rebus tanta annonæ inopia (58) Romam incessit, quanta civitatem illam laborasse, homines non meminerant, &, cum certa in loca scuta, instrumentaque militaria ab utraque parte congererentur, nihil aliud, quam ipsa fœdi certaminis commissio, atque aspera conflictatio expectabatur. Romæ Kal. Septembris suffecti Consules Heraclius, & Eusebius. V. Kal Novembris C. Cejonius Rufius Anullinus Præfectus urbis, & III. Kal. Heraclius Rufinus iterum inierunt.

Constantinus cum ad quintum Imperii sui annum feliciter pervenisset, quinquennalia (59) vota sibi solvenda, ac decennalia concipienda putavit, ac Treviris ludos in ejusmodi celebritate solemnes magna populorum frequentia edidit: deinde natalem etiam diem urbis ejus, quæ à se restituta, atque ornata erat, magno apparatu peregit. In ea celebritate Orator quidam Æduus ipsum nobili laudavit Oratione, in qua primum se post quinquennalia acta dicere indicavit, cum dixit: *Quamvis ille felicissimus dies proxima religione celebratus Imperii tui natalis habeatur, quoniam te isto habitu primus ornavit, jam tamen ab illo generis auctore Imperii fortuna defendit*: deinde res gestas à Constantio, & Constantino, tetigit, bellum vero proximum cum Maximiano gestum enucleate descripsit, tum ipsum Constantinum ad suam quoque patriam Bibracte (60) visendam invitavit, his verbis: *Dii immortales, quando illum dabitis diem, quo præsentissimus hic Deus omnia pace composita illos quoque Apollinis lucos, & sacras ædes, & anhela fontium ora circumeat? quorum scaturigines leni tempore nebulosæ arridere, Constantine, oculis tuis, & osculis se inserere velle videntur. Miraberis profecto illam quoque numinis tui sedem, & calentes aquas sine ullo solis ardentis indicio, quarum nulla tristitia est saporis, aut halitus, sed talis haustu, & odore synceritas, qualis fontium frigidorum. Dabis & illic munera, constitues privilegia, ipsam denique patriam meam ipsius loci veneratione restitues, cujus civitatis antiqua nobilitas, & quondam fraterno nomine populi Romani gloriata opera tuæ majestatis expectat, ut illic quoque loca publica, & templa pulcherrima reparentur, sicut hic video hanc fortunatissimam civitatem, cujus natalis dies à tua pietate celebratur, ita cunctis manibus resurgentem, ut se quodammodo gaudeat olim corruisse auctior tuis facta beneficiis, video circum maximum, æmulum credo Romano; video basilicas, & forum opera regia, sedemque justitiæ in tantam altitudinem suscitari, ut se sideribus, & cœlo digna, & vicina promittant. Quæ certe omnia sunt præsentia tua munera. Quæcunque enim loca frequentissime tuum numen illustrat, in his & hominibus omnia, & mœnibus, & muneribus augentur. Nec magis Jovi, & Junoni recubantibus novos flores terra submisit, quam circa tua Constantine vestigia urbes, & templa consurgunt. Ideoque hoc votis meis sufficit, ut patriam meam videas ducente pietate, quia statim erit restituta, si videris.* Postero anno Galerium Consulem VIII. (61) sine 311
collega fœdissimus invasit morbus, (62) quippe ortum circa pudenda ulcus instrumenta libidinis ejus tabefecit, vermibusque ex putrefactione contractis malum insanabile factum, ex quo in eum furorem adactus est, ut medicis etiam intulerit manus tam iis, qui de salute desperaverunt, quam qui rem aggressi promissa non præstiterunt. Denique veritum, se propter injustas Christianorum vexationes à Deo juste affligi, gravis pœni-

(56) Ita enim reconciliabantur Ecclesiæ, & manuum impositioni conjuncta semper erat Oratio, ut colligitur ex August. l. 3. de Baptis. contra Donatist. c. 16. dicente: *Quid est aliud impositio manuum, quam Oratio super hominem?* Eadem reconciliabantur Pœnitentes publici, ut ex pluribus antiquis Canonibus cuique patet.

(57) De quo cecinit Prudent. Peristeph. hymn. 7. L. Euseb. in Chron. ann. 308. Est autem *Sciscia*, seu potius *Siscia*, ut ap. Zos. l. 2. 48. Strab. l. 7. p. 217. aliosque, in ripa Savi, in superiori Pannonia, prope Segesticam.

(58) Vide quæ Eusebius l. 9. c. 7. narrat.

(59) Quintus hic Imperii Cæsarei Constantini annus, de quo loqui videtur Eumenius in gratiarum actione eidem Constantino Flaviensium nomine, an. sequ. dicta, ubi postquam narravit, censum a Constantino relaxatum, subdit, c. 13. *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius! O lustrum, quod merito hanc Imperii tui æquavit ætatem.* At quinquennalia an. sequ. celebrata; subdit enim ipse Eumen. *Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt; illa enim quinto incipiente suscepta omnibus populis jure communia, nobis hæc propria*, (exhibita quippe an. 311.) *quia plena sunt.*

(60) *Oppidum Æduorum longe maximum, & copiosissimum* fuit, ex Cæs. l. 1. B. Gall. 23. *& maximæ apud eos auctoritatis.* l. 7. c. 55. Non tamen idem cum Augustoduno videtur; Eumen. enim in gratiarum Actione ad Constantinum dicta, Bibractem *Juliam* dictam esse testatur; sed *Flaviam* appellatam civitatem Æduorum (Augustodunum nempe) ibidem fatetur.

(61) Ita in Fastis Idacii, sc. *Maximiano VIII. Consule*; & in Fragm. Consul. a Buchesio edito habetur, *Maximiano VIII. solo*. In Libello de Præfectis Urbi, in quo Consules, qui Maxentio imperante Romæ fuere, consignantur, legitur h. an. Consules, quos jusserint DD. NN. ex mense Septemb. factum est, *Rufino; & Eusebio. V. Kalendas* Novemb. Junius Flavianus P. U. Hinc liquet, hujus an. initio nullos adhuc fuisse Consules, durante inter Impp. discordia.

(62) Ante hunc an. Lactant. enim l. de mortib. Persecut. c. 33. scribit: *Jam decimus, & octavus annus* (Imperii sc. Cæsarei) *agebatur, cum percussit eum Deus insanabili plaga*; &c. Pergit describere morbum, & Medicorum artes adhibitas, subdens: *Et hæc facta sunt per annum perpetuum.*

Digitized by Google

nitentia subiit, atque edictum suo, & Constantini nomine edidit, ut Christianis posthac parceretur, ac templa conventusque darentur, simul orans; ut ipsi solemnes pro Imperatore preces effunderent. Index edicti, quod lucem afferte huic historiæ possit, hic fuit: *Imp. Cæsar Galerius Maximianus, Pius, Felix, Invictus, Augustus, Pont. Max. Thebaicus Max.* (63) *Sarmaticus Max. V. Persicus Max. Germanicus Max. Ægyptiacus Max. secundus Carpicus Max. VI. Armeniacus Max. Medicus Max. Adiabenicus Max. Tribuniciæ potestatis XX., Imp. XIX.* (64) *Consul VIII. Pater patriæ. Proconsul. Et Imp. Cæs. Fl. Valerius Constantinus Pius, Felix, Invictus, Augustus, Pont. Max. Tribuniciæ pot. Imp. V. Pater patriæ Proconsul.* Inde cum se Imperio gerendo ineptum conspiceret, Licinium Dacum, (65) virum militaribus studiis sibi bello Persico notum, Imperii consortem adjunxit, eumque XI. Kal. Maji Carnunti Augustum appellavit, atque inde in parte anni Consulatus collegam ascivit. Qua re comperta Maximinus Cæsar (66) tanto ardore invidiæ conflagravit, ut semet ipsum ultro Augustum vocarit, neque ita multo post Galerius vita excessit. (67) Kal. Septembris Statius Vettius Rufinus, & C. Cejonius Rufius Volusianus Consules suffecti sunt. Ita Licinius tenuit Illyricum, in quo Pannonia, Mœsia, Dacia, Thracia, Macedonia, Græcia, & Dalmatia ex instituto superiorum, ut significavimus, principum claudebantur, atque ad statum rerum suarum stabiliendum fœdus cum Maximino, & Constantino percussit. Maximinus autem edicto Augustorum neglecto literas ad Magistratus suos misit, ut Christianos vexare desisterent, de templis autem restituendis, aut conventibus permittendis nihil adjecit. Quibus rebus auditis Maxentius & ipse de sua acerbitate remisit. Hunc in modum tetra à Diocletiano quondam inita persequutio, Christo pœnas de exercitoribus expetente, decimo anno finem invenit. (68) Constantinus Bibracte Æduorum oppidum cum venisset, alacriter à cuncta civitate extra urbem effusa exceptus est: vias, quibus in Palatium adibatur, ornarant, omnia signa collegiorum, omnia deorum simulachra protulerant, quin etiam clarorum modulorum instrumenta sæpius per compendium occursura produxerunt, ubi vero in Palatium venit, ultro cives ad se vocavit, &, ut necessitates exprimerent suas, mandavit. Qua voce illi audita subito ad pedes se projecerunt, & calamitates suas aperuerunt. Quos ille clementer affatus excitavit, atque illacrymans, se septem millia capitum (69) eis in quinquennium remittere dixit. Itaque cum inde se Treviros recepisset, atque ibi omnium amicorum comitatus, omniumque civitatum legati adessent, & ipsi oratorem misere, qui publico nomine illi gratias egit, extat illa oratio post quinquennalia, ut apparet, habita sic enim ille dixit: *Quinque annorum nobis reliqua remisisti, ó lustrum omnibus lustris felicius, ó lustrum, quod merito hanc Imperii tui æquavit ætatem. Nobis ergo te principem dii creaverunt, quibus singulis hæc est nata felicitas, ex quo tu imperare cœpisti. Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt: illa enim, quæ te incipiente suscepta, omnibus populis jure communia, nobis hæc propria, quæ plena sunt.* Inde in Britanniam ad res insulæ invisendas, &, si opus esset, constituendas decessit: Romæ interim, atque in tota Italia Maxentii tyrannis intoleranda evaserat, si quidem privatos homines occidisse temere non contentus, quodam etiam die populum Romanum, levi occasione trucidandum objecit barbaris, ac satellitibus suis, quibus ad omne facinus conductis Italiam universam oppleverat. Quæ mala cum ferre Romani ultra præ atrocitate non possent, nec depellendæ servituti virium, ac roboris satis haberent, clam oratores ad Constantinum miserunt, ex Britannia in Galliam opportune reversum, obsecrantes, ut duris rebus suis, quoquo modo posset, consuleret, neque urbem Imperii caput diutius à fera tam immani dilaniari permitteret. Hoc paternæ gloriæ, hoc suæ illum virtuti debere, ut justitia reducta tyrannos everteret, ac populos

(63) Vide Nummos apud Mediob. pag. 442. & sequ.

(64) Si ex Lactant. an. 18. Imperii in morbum incidit, quo per annum integrum vexatus fuit Maximianus, & paulo ante mortem edictum evulgavit, annus Imperii recte hic 19. dicitur, & ex eod. Lactant. evincitur non 291. sed an. 292. Cæsarem nuncupatum; unde & Anonymus Valesianus de Galerio Maximiano ait: *Imperavit annos XIX.* ideoque an. 291. Kal. Martiis Cæsar dictus. Præterit autem anno ingressus fuerat Kalendis Martii ann. 20 Hoc enim edictum, ab A. N. indicatum, propositum fuit *Nicomediæ pridie Kal. Majas, ipso* (Galer. nempe Maximiano) *octies* Consule, teste Lactant. l. c. c. 35. subdens mortem illius, Nicomediæ cognitam eodem mense Maji; cum futura essent Vicennalia Kal. Martiis impendentibus, anni scilic. Chr 312.

(65) An. 307. circiter Licinius Augustus appellatus fuit, quo anno Herculius vivebat, quo præsente, & Diocletiano, Licinius Imperium a Galerio accepit, substitutus *in Severi loco*, teste Lactant. l. c. c. 29 Zosimus quoque antequam Maximianus Herculius moreretur, Licinium creatum Cæsarem prodit l. 2. 11. à quibus solus Eutropius l. 10. dissentit dicens: *Per hoc tempus* (quo nempe Maxim. Herculius Massiliæ male periit) *Licinius à Galerio Imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello, quod adversus Narseum gesserat, strenuis laboribus, & officiis acceptus.*

(66) Lactant. l. c. c. 32. dicens: *Nuncupato igitur Licinio Imperatore, Maximinus iratus, nec Cæsarem se, nec tertio loco nominari volebat.* Et inferius ait: *Maximinus postmodum scribit quasi nuncians in Campo Martio proxime celebrato Augustum se ab exercitu nuncupatum*; Vide Lactant. ib.

(67) Et quidem Sardicæ, ut ex Anonymo Valesiano, qui postquam de Licinio Cæsare creato locutus est, inquit: *Deinde illo in Pannonia relicto, ipse ad Serdicam regressus, morbo ingenti occupatus sic distabuit, ut aperto, & putrescente viscere moreretur.*

(68) Persecutio h. anno non cessavit; siquidem Eusebius libro 9. 9. ait, Victo Maxentio, *Imperator Constantinus, & collega ejus Licinius uno consensu legem pro Christianis absolutissimam, & copiosissimam promulgarunt; partaque de Tyranno victoriæ nuntium, ipsamque adeo legem ad Maximinum .... transmisere.* A. N. verò persecutionis initium uno anno anticipavit.

(69) In usu enim erat *Capitatio* l. 8. 16. *de erogat.* militar. ann. l. 1. *de domesticis, & Protectoribus* L. 10. de Numerar. 8. Cod. Theod., hinc *& capite censi; de Episcopis*, L. 16. Cod. eod., ad quas Leges V. quæ Gothofredus.

los in libertatem assereret, sibi animo despondisse, qua felicitate ille patrem insanientem delevisset, eadem quoque furentem filium esse pessum daturum. Quorum ille precibus ita est permotus, ut se injurias eorum non neglecturum esse responderit, atque Maxentio arma inferre decreverit. (70) Hujus missæ legationis Zonaras, & Cedrenus auctores sunt. Ut vero prodit Eusebius Cæsariensis Episcopus, qui se cum Constantino loquutum esse, identidem repetit, Constantinus reliquo Occidente pacato suas ad Romanos cogitationes intendit, indignum esse statuens, urbem Imperii sedem jugo turpissimo servitutis oppressam. Itaque hoc sibi deberi decoris arbitratus ea parare institit, quæ ad tantum tyrannum extinguendum necessaria viderentur, atque in insequentem annum (71) milites ex omnibus provinciis suis Treviros convenire præcepit. Quo comperto Maxentius ut tantam belli molem averteret, ad magicas artes se contulit, ac modo gravidas mulieres, modo pueros infantes aperiens, modo leones jugulans, interdum etiam infandas ad dæmones excitandos adjurationes exercens eorum sibi parare subsidium instituit, ac mox alpes firmissimis præsidiis sepire, & prima quæque Italiæ oppida ad excipiendum Constantini impetum, morandamque victoriam confirmare, & urbem contractis ex Africa frumentis, militibusque munire contendit. Eodem anno Romæ Heraclio Rufino Præfectura urbis continuata. Eusebio vero Pontifice mortuo (72) Miltiades Græcus, Ecclesiæ Presbyter locum tenuit, qui Manichæos in urbe deprehendit. In Oriente Maximinus (73) sexto post superioris edicti promulgationem mense Christianos rursus prohibuit conventus habere. Antiocheni ad gentilitatis cultum sacris Christianis desefendis redacti, in omnibus provinciis Christiani urbibus exturbati, simulachrorum Sacerdotes celebrati, probra in Christum temere jacta, Episcopi passim exiliis, ac tormentis Maximino ita Nicomediæ edicente affecti. Quare divino Christi numine semetipsum ulciscente magnam hieme siccitatem fœda fames, famem sævior pestilentia con-
312 sequuta est, quæ Constantino, & Licinio Augustis, (74) ambobus iterum Consulibus, cum alias regiones, tum Orientem præcipue laceravit, novum morbi genus emerserat, ulcera carbunculorum similia, quæ toto dispersa corpore ægrotos in magna pericula conjecerunt, præcipue autem in oculis sævientia omnis generis, sexusque homines extinxerunt. Constantinus ad concordiam cum Licinio confirmandam pristino fœderi jus affinitatis adjunxit, Constantia (75) illi sorore desponsa, atque appetente vere copias omnes, quibus conventum indixerat, ad diem constitutam adesse mandavit, quæ omnes ex Gallia, Hispania, & Britannia tanta animorum alacritate præsto fuerunt, ut non ab Imperatore accitæ, sed à Deo missæ ab hominibus crederentur, ut merito de illis Nazarius orator dixisse in oratione post ad illum habita videatur: *In ore est omnium Galliarum, exercitus visos, qui se divinitus missos præ se ferebant, flagrabant horrendum nescio quid umbone corusci, & cælestium armorum lux terribilis ardebat, tales enim venerant, ut tui crederentur, hæc ipsorum sermocinatio, hæc inter audientes ferebant: Constantinum petimus, Constantino imus auxilio, illi cælo lapsi, illi divinitus missi gloriabantur, quod tibi militabant*. Hæc nonaginta millia peditum, (76) octoginta equitum fuisse Zosimus refert. Dum autem hi conveniebant, Constantino iter cum exercitu faciente gravis belli, quod moliebatur, animum cogitatio subiit, quippe rem in Italia gerendam esse non solum cum gente bellicosissima, sed etiam in provincia præsidiis, opibus, oppidisque firmata, & cum eo duce, qui non tam humanis viribus, quam magicis præstigiis ad victoriam niteretur, nimirum majore præsidio opus esse, quam quod à militari expectari virtute posset, confugiendum ad divinum auxilium esse, non eorum, quos sequuti Galerius, & Maximianus fœdissimum vitæ exitum falsis oraculis, ac vaticiniis audiendis adepti essent, sed ejus, quem pater suus veneratus, custodem, conservatoremque Regni haud dubie cognovisset. Hunc igitur toto animo cœpit implorare, ut se, quinam esset, sibi dignaretur ostendere, ac rebus, quas moliretur, opem, auxiliumque præbere. Ecce autem, dum intentus in hac precatione versatur, repente post meridiem Sole jam ad vesperum inclinante, visum mirabile, divinumque conspexit. Vidit autem Crucis signum

(70) Bellum hoc à Maxentio indictum affirmat Zosim. l. 2. 14. init. Imò & Lactant. l. *de mortib. Persecut.* 43. ubi de Maxentio ait: *Jam enim bellum Constantino indixerat, quasi necem patris sui vindicaturus*: Quam causam & Zos. refert. Ad id bellum invitari potuit à Romanis etiam Constantinus, ut A. N. refert ex Zonara, Cedreno, & in Annal. Hinc Nazarius pluribus commendat Urbis de Constantino desiderium. In Panegyr. Constant., ubi bellum Maxentio imputat.

(71) Auctor enim incertus Panegyr. Constantino dicti c. 21. testatur, eam expeditionem annuam fuisse.

(72) Eusebius anno 310. Sedem iniit, & ad Deum migravit. In Chron. enim Damasi legitur: *Eusebius menses quatuor, dies sexdecim, à XIV. Kal. Majas, usque in diem XIV. Kal. Septemb.* quæ tamen postrema verba sunt corrupta, ut liquet ex eod. Chron., quando loquitur de Melchiade ejus successore. Vide Pag. ad an. Chr. 311. n. XXII. In auctiori Chron. Veter. Pontif. post Eusebii mortem cessasse dicitur sedes dies VI. In libro vero Pontificali, dies septem; creatusque Melchiades eod. anno 311.

(73) L. Euseb. l. 9. 1. & 2. Lactant. *de mortib. Persecut.* c. 36.

(74) In Fastis Cæsareis, ubi Consules leguntur in toto Imperio Romano, præterquam in Italia, h. an. habetur: *Constantino II. & Licinio II.* At in Libello de Præfectis Urbi, in quo & Consules in Italia, & ii qui in reliquo Orbe Romano agniti sunt, memorantur, sic legitur: *Maxentio IV. Consule, qui sunt Constantino II. & Licinio II.* Ita & Idac. in Fast.

(75) Lactantius c. 43. l. c. ait de Maximino: *Tamen ut audivit, Constantini sororem Licinio esse desponsam, existimavit, affinitatem illam duorum Imperatorum contra se copulari. Et ipse Legatos ad Urbem misit occulte, societatem Maxentii, atque amicitiam postulans*. Sub finem itaque hujus an., vel sequ. init. Nuptiæ celebratæ.

(76) Zosim. l. 2. 15. *εἰς ἐννέα τε μυριάδας πεζῶν ἅπαντας, καὶ ὀκτακισχιλίας ἱππέας: qui omnes erant ad nonaginta millia peditum, & octo millia equitum*. A. N. corrigendus itaque in equitum numero.

gnum ex lucis splendore confectum in cœlo Soli imminens, quod his verbis cingebatur: IN HOC VINCE, atque illud idem exercitus, qui cum eo erat, plenus stuporis est conspicatus. Hanc rem Eusebius idem se ex ejus narrantis, & jurejurando affirmantis ore excepisse post pacatum Imperium, prodit, & Artemius miles se vidisse, ad Julianum Augustum scribens confirmavit, his verbis: *Constantino contra Maxentium bellum difficillimum ineunti signum Crucis apparuit in cœlo media die super Solem radiis coruscans literis sydereis victoriam prænuncians, nos enim, qui bello interfuimus, signum vidimus, literasque legimus, totusque conspexit exercitus, multique hodie testes extant in exercitu tuo.* Constantinum igitur hoc viso fluctuantem, & quidnam id sibi vellet, anxie perquirentem superveniens nox oppressit, in quiete inde species viri humano habitu augustioris cum signo Crucis præmonstrato se obtulit, præcipientis, ut signum ei, quod in cœlo aspexerat, compar efficeret, idque in prœliis adhiberet nam ejus præsidio victoriam relaturum, ubi vero illuxit, rei stupore attonitus amicos propere advocavit, ascendens inter eos visum exponit, inde ex eorum consilio sacerdotes, interpretesque Christianæ legis adhibuit, rogans, ut quid de diurno signo, quid de nocturno viso sentirent ex fide promerent. Cui illi constanter responderunt, eum, cujus speciem in quiete vidisset, Christum esse, Dei unius filium unigenam, signum autem notam esse immortalitatis, trophæumque victoriæ ab illo de morte, tum cum in terris egit, relatæ. Illo super his admirante, ac singula sibi explicari latius postulante, causam inde Christi adventus docent, eamque certis sacrorum vatum prædictionibus firmant, vitam deinde, ac disciplinam, ac demum mortem, & resurrectionem ejus, spesque beatæ vitæ post mortem hominibus in se credentibus ostentatas exponunt. Quæ cum audisset Constantinus, tacita religione perfusus statuit, exoletum posthac simulachrorum cultum prorsus abjicere, atque unius sese Christi tanquam veri Dei cultui consecrare ac spe sua in ejus auxilio collocata, quæ bello usui erant, eo alacriore animo instititit apparare, omnibus fere comitibus, & ducibus ejus non solum tacite mussantibus, sed etiam rei omen aperte timentibus. Itaque adhibitis peritis artificibus vexillum, ut monitus fuerat, tale construxit. Hastam oblongam, & rectam auro circunvestivit, eique transversum cornu sic applicuit, ut Crucis formam effingeret, in summo coronam posuit, margaritis, auroque contextam, atque in ea Christi nomen duabus tantum primis Græcorum literis X., & P. scriptam intexuit, ex cornu vero velum tenue lapidibus, & auro contextum suspendit, ac lectissimis juvenibus signum illud partitis muneribus ferendum dedit, posthac pro Labaro Imperatoris in acie præferendum, quod Eusebius quoque se vidisse testatur. His, ceterisque rebus, quæ ad terrestre, maritimumque bellum gerendum pertinere videbantur, paratis, Rheni limite præsidiis firmato, exercitum inde Crucibus insignitum ducere ad alpes instituit, sic enim Prudentius his temporibus proximus scriptum reliquit:

A *Christus purpureum gemmato textus in auro*
*Signabat labarum, Clypeorum insignia Christus*
*Scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.*

Alpibus superatis Segusionem accessit, quæ urbs claustrum Italiæ objicit. Segusienses situ, & muris firmissimis freti Constantino advenienti portas clauserunt. Cujus rei ille iracundia percitus, ne tempus adhibenda obsidione contereret, faces portis propere intulit, & propugnaculis scalas admovit. Cum autem incendium statim ad proxima urbis ædificia pervasisset, cives exterriti deditionem repente fecerunt. Quod ubi Constantinus vidit, ignem, ne latius funderetur, magna cura restinxit, atque eis veB niam, quam ab initio repudiarant, impertiit. Quare in vetere oratione ad ipsum dicta hæc scripta sunt: *Tibi vincendi erant milites paulo ante Romani armis omnibus more primæ classis armati, & pro facinoris conscientia nunquam, nisi morte, cessuri: probavit hoc prima obstinatio eorum, qui sub ipsis alpium jugis munitissimo scilicet muro, ac situ tenentes oppidum ausi fuerunt te imminente resistere, ac portas claudere, non credentes te ipsum adesse, quis enim crederet, tam cito à Rheno ad Alpes Imperatorem cum exercitu pervolasse? Luerunt igitur illico dementiæ suæ pœnas, cum oblatam sibi à clementia tua veniam recusassent, neque enim vallo, fossaque obsessio inC choata est, nec cuniculis agendis, nec machinis admovendis, nec incutiendo arieti tentati, quassatique sunt muri, sed statim injectæ faces portis, scalæ admotæ propugnaculis.* Reliqua inde, quæ vetustatis injuria desunt, Nazarius alia oratione supplevit: *Segusiensium*, inquit, *civitatem, quam primam iter dederat, victoria facilis amplexa est, quæ resistendi pertinacia ita in se Imperatoris vim convertit, ut pietatem tamen non alienaverit; nam cum introitus vi, manu quæreretur, & portarum inflammatio ignem late distulisset, cujus facilis per adjuncta contagio partu pestifero valescebat, maxima benignissimi Imperatoris fuit cura, non modo ut incendium non adjutum senesD ceret, sed oppressum emori posset, & longe operosior clementia, quam fortitudo, perfecta est, cum plus in conservanda urbe, quam in capienda fuerat, laboris oriretur.* Segusione capta inde in campum Taurinorum descendit, ubi exercitum hostium specie terribilem reperit. Hi erant clibanarii, nempe equi, hominesque pariter ferri operimento septi, quos superne tectos equorum pectoribus demissa lorica, & crurum tenus pendens sine impedimento gressus à noxa vulneris vindicabat. Quibus contemptis Constantinus equites cataphractos maximi in prœlio roboris opponit, his disciplina pugnandi erat, ut cum aciem arctassent, teE norem impressionis servarent, & tuti à vulneribus occurrentia omnia sine hæsitatione perrumperent, atque inde auxilium ab industria petit, quippe aciem in hostes educit, eosque in se ruentes reductis repente agminibus claudit, atque in medio interceptos clavis invadit; quæ gravibus, ferratisque nodis maxime capitibus inflictæ, quos ictu attigerant, ruere compellebant, interfectis ad unum omnibus, salvis Romanis, horror armorum ad victoriæ miraculum est translatus; quod qui invulnerabiles habebantur, sine hostium vulneribus interiissent. Eodem etiam tempore Vercellas expugnatas opi-

A opinor: has enim D. Hieronymus paulo post raro habitatore semirutas fuisse, scribit ad Innocentium, nemine alio auctore illius calamitatis extante. Hac pugna pugnata Brixiam inde processum est. Ibi cum magnus equitatus esset, conserto prœlio primo impetu pulsus Veronam, ad firmiora præsidia se recepit. Veronenses immanibus confisi copiis, quæ sub adventum Constantini metu perculsæ illuc confluxerant, & ipsi accedentis ejus Imperium detrectarunt. Cum Athesis amnis saxis asper, & gurgitibus vorticosus, & impetu ferox oppugnationem prohiberet, omnemque retro regionem evehendis copiis tutam defensamque præstaret, B id ne diutius hostibus prodesset, Constantinus effecit; nam superioribus in locis, qua lenior amnis, & ignari hostes erant, exercitus partem traduxit, atque ita ancipiti prœlio circumventos, obsessosque experiri armis coëgit, adeoque eruptionem tentantes cæcidit, ut ipse etiam dux Ruricius cum parte copiarum ad accersenda auxilia muris excesserit. Quem ut reverti sensit, parte exercitus sumpta, ne si totum produxisset, intermissa obsidione spatium respirandi clausis, aut refugiendi, aut imminendi tergo præberet, præcipitante jam die in prœlium prodiit. Et primo quidem aciem instruxit duplicem, mox proviso hostium nu- C mero explicari statim in frontem ordines, & extendi latius jussit, ac signo dato ipse se in confertissimos hostium globos immisit, prœlio inde vix multa nocte perfecto, in quo etiam dux Ruricius cecidit, Constantinum sui corripiunt lacrymantes, amplexique totum sanguine hostili perfusum, graviter, quod se tanto periculo commisisset, & parum sibi consuleret, objurgarunt, quo pereunte satis constaret totam esse Remp. perituram. Dato inde obsessis spatio pœnitendi, Aquileja, quæ oppugnationem experta se legatis missis dedebat, in fidem recepta. Inde Veronensibus, cum ponere jussisset arma, ignovit: verum ne conscientiæ timore diffugerent, in vincula tradidit. Cum D autem Præfecti, & Milites, quo modo tot vincula parari possent, ambigerent, Constantinus ex gladiis eorum gemina aptari claustra præcepit. Inde trajecto Pado urbes Æmiliæ resistentes invasit, atque oppugnando ad deditionem adduxit, Placentiam, Parmam, Brixillum, Regium, Mutinam, Bononiam, & Claternam. Mutinæ præcipua mentio est in Panegyrico. D. autem Ambrosius scribens post aliquot annos ad Faustinum, hæc omnia oppida semiruta fuisse narrat, neque aliud ferme bellum proditum memoriæ est, quo dirui ante barbarorum in Italiam impetum potuisse videantur. Adducta in E potestatem omni circumpadana Italia, recta cum toto exercitu Romam versus ire perrexit. Maxentius autem hæc audiens non solum urbe, sed etiam parietibus se tenebat, aut prodigiis, aut infaustis fortunæ suæ præsagiis territus, non in campum ire, non exerceri armis, non pulverem pati studebat, tantum in Palatio ambulabat, aut in hortos Sallustianos se conferebat, & his deliciis turpissimam suam formidinem contegebat, non enim se imbellem, sed beatum, non inertem, sed securum videri volebat, quoties milites in concionem vocabat, se solum cum illis Imperatorem, alios per limites pro se militare jactabat, ac ne tum quidem, cum adversa suorum prœlia audiit, obviam ire contendit, cum Pado limite, aut Apennini jugis uteretur, sed litteras cladium suarum indices supprimebat, interdum etiam palam, ut usque ad portas veniretur, optabat. Interim Constantinus exercitum ad Tiberim amnem adduxit, atque ibi castra fecit, ceterum nullis hostilibus copiis occurrentibus vehementer animo doluit, verens, ne Maxentius intra urbem inclusus obsideri se pateretur, nam omni Africa exhausta, omnibus insulis exinanitis infiniti temporis annonam congesserat, ipse vero ab obsidione urbis abhorrebat, ne Romanos, quorum incolumitati consulebat, graviore aliqua calamitate afficeret. Inter hæc Maxentius Palatio migravit, & cum uxore, ac filio in privatam domum, quasi se abdicaret Imperio, sponte abiit, post biduum demum, qui dies erat VIII. Kalend. Octobris, pridie, quam septimum (77) Imperii sui annum iniret, magicis præstigiis, ac fallaciis suis fretus, (78) porta Flumentana exivit, atque ad pontem Mulvium Tiberim trajecit, Romanorum & Italicorum octoginta millibus, Afrorum quadraginta millibus, Siculorum ingenti numero septus, ut totus exercitus centum, ac septuaginta millia peditum, ac decem & octo equitum contineret, atque hoc facto pontem supra Tiberim ex lintribus ita contabulavit, ut fibulis ferreis, quibus ab utraque ripa distinebatur, revulsis facile solvi posset, si quis rescindere vellet, præcepit autem fabris, ut cum primum exercitum Constantini pontem sui insequendi causa conscendisse vidissent, fibulas laxarent, ac pontem secundo ire flumine finerent. Post paulo Constantinus aciem instruere cœpit, qua re animadversa idem quoque Maxentius fecit: verum, ut eventus statim ostendit, imperitissime, nam in ripa amnis ita constitit, ut nemo suorum evadere, nemo gradum referre, &, si opus esset, prœlium redintegrare posset, cum à fronte armis, à tergo Tiberi arceretur, quem ultimorum vestigia præsagio quodam eventuræ cladis attingerent, adeo vero magnus erat exercitus, ut ultra, quam prospici posset, extenta acies pertineret, tanta porro subsidiorum, atque ordinum firmamenta erant, ut acies non porrectior, quam robu-

(77) Lactant. l. de mortib. Persecut. ait: *Imminebat dies, quo Maxentius Imperium ceperat, qui est ad sextum Kal. Novemb.* Hoc sane die ex eod. *Commonitus est Constantinus in quiete, ut cœleste signum Dei notaret in scutis*, & paulo post pugnavit. Sex autem integros annos Maxentium imperasse non obscure idem Lactant. denotat c. 44. Pridie autem quam septimum iniret, occubuit; hinc & incertus Auct. Panegyr., Constantino an. sequ. dicti, c. 16. habet: *Divina mens, & ipsius urbis æterna majestas nefario homini eripuere consilium, ut ex inveterato illo torpore, ac fœdissimis latebris subito prorumperet, & consumpto per desidias senio, ipsum diem natalis sui ultima sua cæde signaret, ne septenarium illum numerum sacrum, & religiosum inchoando violaret.*

(78) Idem Lactant. l. c. tradit, Maxentium, vocatis quibusdam Senatoribus inspici jussisse libros Sibyllinos, in quibus repertum, *illo die hostem Romanorum esse periturum. Quo responso in spem victoriæ inductus procedit, in aciem venit.*

A robuſtior validum murum utrinque præberet. Quod ubi Conſtantinus animadvertit, ſignum pugnæ dedit, ac primus, cum in prima acie ſtaret, prælato crucis vexillo in hoſtes cum equitatu invaſit. Inde pedites dignos ſe tanto duce teſtati, & ipſi magno ſe impetu incitarunt. Acri commiſſo prœlio Romani, atque Itali ſegnius ſe periculis objecere, quod acerba tyrannide ſe liberari optarent, reliquorum partim ab equitibus, partim à peditibus Conſtantini magna eſt edita ſtrages. Maxentius, ubi equitatum ſuum in fugam verſum conſpexit, & ipſe per pontem, quem diximus, ad urbem redire maturavit, quem ſequuti effuſe ſui, ſive ponte ingentem molem non ſuſtinente, ſive propter anguſtias tantam multitudinem
B excludente, omnes in flumen præcipites abiere. Hinc ripæ ſtragibus tegi, Tiberis corporum acervis repleri. Cum alios amnis hauſiſſet, Maxentium etiam cum equo, & armis inſignibus fruſtra conatum per abrupta ripæ ulterioris evadere, idem correptum gurgite devoravit, & aliorum quidem corpora, atque arma præceps fluvius volvendo devexit, illum autem eodem, quo extinxerat, loco retinuit. Victoria in urbem delata nemo aperta lætitiæ ſigna dedit, quod primo tanto rei nuncio fidem non haberent, ubi vero caput Maxentii ſumma haſta præfixum ferri conſpexerunt, univerſi gaudio exultarunt, &, cum tota urbe portaretur, vocibus contumelioſiſſimis inceſſerunt, urbs tota lætis clamoribus perſonavit. Senatores, quorum plerique in vinculis erant, liberati cuſtodiis urbe ad Conſtantinum exierunt, atque ad pedes projecti ſe, & urbem illius poteſtati, ac fidei permiſerunt. Sic enim Prudentius dixit:

*Ipſe Senatorum meminit clariſſimus ordo,*
*Qui tunc concreto proceſſit crine, cathenis*
*Squallens carcereis, aut nexus compede vaſta,*
*Complexuſque pedes victoris ad inclyta flendo*
*Procubuit vexilla jacens. Tunc ille Senatus*
*Militiæ ultricis titulum, Chriſtique verendum*
*Nomen adoravit, quod collucebat in armis.*

Hæc, ut ſcripſi, in ſecundo Conſulatu Conſtantini, & Licinii, VIII. Kal. Octobris geſta ſunt, in quem diem, quoniam prima Indictio Conſtantini (79) imperantis incurrit, ut etiam in Faſtis Conſulum Græcis eſt annotatum, ſequitur neceſſario, hos Conſules anno à Chriſto nato trecenteſimo duodecimo iniiſſe, quod facile etiam quiſque intelliget, qui Indictionum quinta decima ſpatia retro repetere numerando voluerit ab hoc, quo hæc ego ſcribebam, anno, nempe milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, qui fuit Jubileo à Gregorio XIII. Pontifice feliciſſime peracto inſignis, uſque ad hunc, quo Romanis tanta lux ſalutis, ac libertatis affulſit. Quod idcirco admonui, ut rerum, quæ mox dicentur, mira ex hoc conſtantia, ac prope conſpiratio notaretur, qua in re plerique plane titubare videntur. Hactenus, quæ Conſtantinus in Gallia geſſit, nunc quæ Romæ, & in Italia, perſequamur.

# LIBER TERTIUS.

C MAxentio, exercituque deleto Conſtantinus Senatum ultro ſe, urbemque tradentem ſubito in fidem, deditionemque accepit, ac triumphum tantæ victoriæ congruentem inſtruxit. Qua re cognita populus acerbiſſimo tandem jugo ſervitutis exemptus, urbem paſſim coronis ornavit, ac patefactis effuſus portis ipſum curru invectum tanta animorum alacritate excepit, ut ſatis conſtet, nullum Imperio Rom. diem, quo Rom. civitas majoris, atque effuſioris ſigna gratulationis ediderit, illuxiſſe, nullumque triumphum aut lætiorem, aut mirabiliorem ne ipſam quidem veterum litterarum memoriam prodidiſſe. Neque enim more ſolito agebantur ante currum vincti duces, ſed ſoluta nobilitas ince-
D debat, nec barbari in carcerem trudebantur, ſed Conſulares è carcere trahebantur. Nec Roma ipſa alienigenas captivos accipiebat, ſed ſemetipſam captivitate laxabat, &, quo nihil adjici ad gloriæ magnitudinem amplius poterat, imperium recipiebat, quæ ſervitium ſuſtinuerat. Duci vero videbantur omnibus ſubacta vitiorum agmina, quæ acriter civitatem obſederant, ſcelus, & perfidia domita, furor, & crudelitas vincta, ſuperbia, atque arrogantia debellata, luxuries, & libido conſtricta. Quem comitatum ſequebatur ſubinde caput tyranni, (1) quod adhuc ferociam, atque immanitatem ſpirare inter ipſas horrendæ frontis minas videbatur; congerebantur autem in eum vulgo probra, & contumeliæ, quaſi vero turpibus oppreſſoris ſui ludibriis ipſam auſpicari libertatem juvaret. Urbem inde ingreſſum omnes omnis ætatis, & ſexus homines fauſtis acclamationibus vindicem, liberatoremque ſuum conſalutarunt. Tum tecta moveri, & altitudo culminum attolli viſa, quacunque ipſe tardo molimine invehebatur; tanta illum populi, tanta Patrum frequentia provehebat ſimul, ac retinebat: felices, qui illum propius aſpicerent, longius poſiti nominabant, quos præterierat, loci, quem occupaverat, pœnitebat, auſi etiam quidam ſunt, ut conſiſteret, flagitare, & ubi ad Palatium venit, quod nimis cito perveniſſet, expoſtulare, & cum ingreſſus eſſet, non ſolum oculis ſequi, ſed pene etiam ſacrum limen irrumpere. Inde omnes

(79) Cœpta prior Indictio Conſtantiniana die 24. menſis Septemb. præſentis anni, à qua die Galli poſtea Indictiones ſunt auſpicati, ut ex pluribus Diplomatis Imperatorum Carlovingicorum, Regumque Francorum patet, à quibus fortaſse ad Imperatores Germaniæ mos ille derivavit. Imperatores vero Conſtantinopolitani initium à Kal. Septemb. deduxere, quos Romani Pontifices per plura ſæcula ſunt ſecuti. Variatum deinde, ut omnibus conſtat.

(1) De quo Nazarius Panegyr. poſt Victoriam Conſtantini 2., unde hæc A. N. exſcripſit, hæc habet: *Pari ſtudio miſſum ejuſdem tyranni ad permulcendam Africam caput, ut quam maxime vivus affixerat, laceratus expleret; & nondum ſatis tempeſtivo mari, affuerunt tamen navigantibus felices auræ*, &c.

omnes circumfusi, ut exiret, opperiri, tanta officii sedulitate, omnino ut viderentur eum, à quo obsidione exempti fuerant, obsidere. Per septem inde dies Constantinus gratias Deo agi de tanta victoria jussit, atque interim rebus Rom. constituendis se tradidit. Præcipue, in curiam cum venisset, comiter, ac benigne patres appellavit, & præclara quædam sancivit, quibus Senatui auctoritatem pristinam reddidit, ac dignitatem ejus in perpetuum curæ sibi fore spopondit, optimatibus in Senatorium ordinem ex omnibus provinciis lectis; ut Senatus non tam nomine, quam re, illustrior esset, cum ex totius orbis flore constaret, mox magna libertate Christum Dei filium, licet non æquis multorum auribus, nunciavit. Ad populum inde cum processisset, benigne illum affatus ad omnem laudabilem moderationem, obsequiumque hortatus est. Atque utroque quidem in loco à clarissimis, qui tum in urbe erant, oratoribus salutatus, ac divinis in cœlom præconiis est sublatus, ut non plus laudis fortitudini ejus ascriberent, quam pietati tribuerent, ipsum namque non tam sceleratos punisse, quam miseros vindicasse; ipsum Romam in perpetuum stabilisse, omnibus iis, qui statum ejus labefactare poterant, cum ipsa stirpe deletis; ipsum victoriam adeo felicem, atque incruentam tulisse, ut non bello ancipiti dimicatum, sed tantummodo vindicatum in impios videretur. Post autem, cum munera, ludosque victoriæ causa in Circo ederet, præcipue in se omnium ora, mentesque convertit, divinum oculorum fulgorem, ac cœlestem oris dignitatem intuentium, populo ipso grata spectaculorum tarditate gaudente, & vernaculis artificibus ob hoc solum favente, quod Constantino spectante certarent. Interim Romanis omnibus, qui contra se arma tulerant, veniam dedit, bona, & patriam omnibus à Maxentio spoliatis restituit, quos vero ille furoris socios, auctoresve habuerat, quæstionibus severissimis habitis condemnavit, & Prætorianos milites, qui sibi adversati, Maxentio pertinacissime faverant, funditus è Republica sustulit, ac sedem eorum Castrum prætorium, (2) quondam ab Octaviano Augusto constructum disturbavit, mox, legibus multis ad coërcendas civitatis late fluentes libidines constitutis, omnibus conqueri volentibus faciles aditus, patientissimas aures, ac benigna responsa exhibuit. Quibus officiis omnes ita cepit, ut non tam dolerent, quod tyrannunt tamdiu tulerant, quam quod talem principem nimis sero adepti erant. Ob has res ad ceteros honores habitos Senatus Maximum eum appellavit, (3) atque ei arcum, (4) qui adhuc manet, sub Palatii radicibus cum hoc elogio dedicavit: *Imp. Cæsari Fl. Constantino, Maximo, Pio, Felici, Augusto, Senatus, Populusque Romanus quod instinctu divinitatis, mentis magnitudine, exercitu suo tam de tyranno, quam de omni ejus factione uno tempore justis Rempub. ultus est armis, Arcum triumphis insignem dicavit, liberatori urbis, fundatori quietis.* Quin etiam statuam equestrem posuit Crucis signum dextra tenentem, atque ita subscripsit: *Hoc salutari signo vero fortitudinis indicio civitatem jugo servitutis liberavi, & Senatum, populumque Romanum in libertatem vindicavi, ac pristinæ dignitati, splendorique restitui.* Constantinus contra insignis beneficii, quo per signum Crucis affectus à Christo fuerat, memor multa, eaque ad memoriam illustria eximiæ suæ erga illum pietatis edidit documenta. Nam primum columnis excitatis, titulisque inscriptis salutaris signi virtutem omnibus indicavit, ac media in urbe ingens Crucis trophæum adversus hostes erexit, idque Romanorum, aliorumque omnium Imperio subjectorum esse propugnaculum declaravit. Inde populis omnibus ad Romanum Imperium pertinentibus libertatem, quam vellent, religionem colendi permisit, atque edicto, suo, & Licinii Augusti nomine, (5) edito, Christianis & templa, & conventus habere concessit, idque ad Maximinum etiam, ut in Oriente proponeret, misit. Episcopos porro ad se accersitos honoribus summis affecit, ac tanquam viros Deo suo sacratos benigne, ac liberaliter appellavit, ac secum ducere, & præsertim eum, qui à ceteris colitur, dextrum habere instituit, atque Ecclesiis Dei subsidia opulenta suppeditavit, oratoria alia augens, alia in altum erigens, ac donariorum multitudine sacraria eorum illustrans, ac varia pecuniarum instrumenta indigentibus præbens. Atque hæc quidem omnia æqualis ejus scribit Eusebius. Quod si Constantinus, illo teste, cum omnes Episcopos, tum in primis illum, qui à ceteris colebatur, excoluit, profecto Pontificem ipsum Romanum præcipuo honore complexus est, ille vero fuit Miltiades, probe ratus namque ad fidem, dignitatemque suam pertinere, ut urbem Romam, quam, ut dixit Prosper, non Romani solum arcem Imperii, sed Christianæ quoque Religionis solium esse comperiebat, illustri aliquo majoris Templi monumento instrueret, ac simul Episcopo Romano Petri Principis Apostolorum successori, & Christi vicario domicilium, tanto conveniens fastigio, compararet, Miltiadi cum prædia ac dona multa, tum in primis Augustale Palatium

(2) Castra Prætoria Ælii Sejani, cohortibus Prætoriis extruxit Tiberius, Præfecti monito, & ambitu. Vide Tacit. Annal. 4. 2. s.

(3) *Senatus Constantino virtutis gratia primi nominis titulum decrevit, quem sibi Maximinus vindicabat.* Lactant. l. de mortibus Persecut. c. 44.

(4) Is autem erectus in ipsis Constantini decennalibus, ut indicant vota decennalia, & vicennalia, quæ in ea Inscriptione leguntur, ab A. N. prætermissa. In eodem Arcu sub sacrificiis insculptis habetur:

| | |
|---|---|
| VOTIS X | SIC X |
| item, | item, |
| VOTIS XX | SIC XX |

Quæ denotant tum vota decennalia soluta, tum vicennalia nuncupata. Annis porro, quibus decennalia edebant Impp. arcus in eorum honorem erigi consuevere, & victoriæ antea relatæ nummis insculptæ fuere.

(5) Hæc Euseb. l. 9. 9. ubi & ait, Maximinum post litteras ad Sabinum Præfect. Prætorii sui a se scriptas, non permisisse Christianis Conventus agere, aut Ecclesias extruere, licet Constantinus, & Licinius datis ad ipsum litteris, id se Christianis concedere significassent. Hujus prioris edicti a Constantino, & Licinio editi mentio fit in altero sequ. anno ab eodem Constantino promulgato. Vide apud Euseb. l. 10. 5. Primum, de quo hic A. N. Romæ datum videtur, ubi reliquo hoc anno Constantinus egit: Posterius vero Mediolani.

tium in Laterano impertiit, (6) atque ipse alio ad habitandum perrexit. Quin etiam Salvatori continentem Palatio basilicam inchoavit, quæ postea basilicæ Salvatoris Constantinianæ, ac Lateranensis nomen invenit. Itaque Miltiades paulo post, cum decretum de primitiva Ecclesia in Concilio faceret, Burcardo, Ivone, & Gratiano testibus, sic scripsit: *Constantinus ex principibus primus fidem veritatis patenter adeptus dedit licentiam per universum orbem in suo degentibus Imperio non solum fieri Christianos, sed etiam fabricandi Ecclesias, & prædia constituit tribuenda, denique donaria immensa contulit, & fabricam templi primæ Sedis Beati Petri Principis Apostolorum instituit, adeo ut Sedem Imperialem, in qua Romani Principes præsidebant, relinqueret, & Beato Petro suisque successoribus profuturam concederet.* Meminit hujus Basilicæ D. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ, cum dixit: *Fabiola post mortem secundi mariti in semetipsam reversa saccum induit, ut errorem publice fateretur, & urbe spectante Romana ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, stetit in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus.* His omnibus rebus agendis duo tantum menses sunt attributi. Siquidem Nazarius dixit, quod mali sexennio toto Maxentii dominatio feralis inflixerat, id bimestrem fere curam Constantini sanasse. Cum ergo à VII. Kalend. Octobris, (7) quo die, ut scripsimus victoria, de Maxentio parta est, ferme usque ad VII. Kalend. Decembris Romæ his intentus curis egisset, inde urbe, ut Mediolanum adiret, (8) excessit. Interea vero dum ille Romæ fuit, Maxentii caput ab eo per Italiam missum tantos concursus hominum excitavit, tantasque ex oppidis effusiones commovit, ut facile, quanto in metu fuissent, præsenti gratulatione docerent. Navales autem copiæ ejus primum portus Italicos occuparunt, deinde insulas Africi maris, atque ipsam demum Africam eo transvectæ recuperarunt. Ita uno tempore Italia, atque Africa ditioni Constantini cesserunt. Ille autem urbe egressus Æmiliæ, Liguriæ, Venetiæque civitates superiore bello afflictas perlustrans adventu suo relevavit, ex quibus præcipue Mutinam, & Aquilejam, multis affectas beneficiis recreavit, unde dixit Nazarius: *Prætereo te Aquileja, & Mutina, ceterasque regiones, quibus propter insequutas incredibilium bonorum commoditates gratissima fuit ipsius oppugnationis injuria.* Itaque Mutinenses Constantino ad se accedenti testificandi animi sui causa columnam, quæ adhuc visitur, posuerunt cum hac inscriptione: *Imperatori Cæsari Fl. Constantino Maximo, Victori, Semper Augusto, Divi Constantii Filio Bono R. P. Nato.* Idem aliæ quoque fecere civitates. Italia vero scutum, & coronam auream dedicavit, ut conscientiæ debitum aliqua ex parte levaret, quod virtuti scutum deberi, coronam pietati, non ignoraret, ut in vetere Panegyrico scriptum est. Ceterum Romanis, atque Italis passim edicto Constantini ad Christiana sacra suscipienda se conferentibus Maximinus Augustus in Oriente Constantini, aut Licinii imperio cedere nolens edictum ad se missum suppressit, atque epistolam ad præfectos suos misit, qua suo nomine permitti jussit civitatibus, ut suo quisque in colenda religione arbitrio uteretur, & ne quis quemquam in suo munere impediret, verum, quoniam de templis, & conventibus frequentandis, quod erat in edicto Constantini, & Licinii, verbum nullum fecit, Orientales ea inire non ausi sunt. 313 Constantinus inde, Licinio ad sponsalia Constantiæ celebranda vocato, postero anno cum eo Consulatum inivit, qui utrique tertius obtigit, ac ludos Seculares, (9) qui in eum annum solemni repetito temporum spatio incidebant, tanquam sacris Christianis adversos Romæ fieri vetuit, atque in perpetuum, teste Zosimo, sustulit. Maxentii caput in Africam missum, quam ille in primis attriverat, incredibili omnes lætitia cumulavit, & quanquam nondum tempestivo mari, affuerunt tamen navigantibus felices auræ, & flatus secundi, beatissimæque victoriæ ipsa etiam elementa faverunt. Constantinus autem, & Licinius Mediolanum progressi Constantiæ nuptias magna lætitia celebrarunt, ad quas Helena Augusta mater, & Constantia soror, & Crispus, ac Constantia filii ex concubina suscepti occurrere. Consiliis inde inter se de Re-

(6) Imperatorias domus in Palatino positas, unde *Palatii* nomen, alias quoque regias in Urbe fuisse testatur Dio Histor. l. 53. his verbis: *Imperatoris autem ædes Palatium nominantur, non quod ita aliquando decretum sit, sed quod in Palatio Cæsar habitabat, ibique Prætorium ejus erat, ut nonnihil domus ejus nomen ab eo monte, propterea quod ibi quondam Romulus inhabitarat, splendoris acceperit; ideoque etsi alibi Imperator domicilium suum habebat, tamen id quoque Palatii nomen obtinet.* Et in l. 1. c. de Palat. l. 11. legitur Constantini Sanctio: *Sacratas nobis ædes, idest inclyta Palatia, ab omni privatorum usu, & communi habitatione excipimus.* Ædes in Laterano dictæ, incertum, an à Plautio Laterano, à Nerone occiso, quarum meminit Juvenalis l. 4. Satyr. 10. de eodem Imperatore eas sibi vindicante loquens:

. . . . . . *Et egregias Lateranorum occupat ædes*
*Tota cohors.*

Vide tamen Hieronym. in Epitaph. Fabiolæ. Has Melchiadi donatas ex spuria Melchiadis epistola, 12. q. 1. can. *futuram* §. *denique* ostendi nequit, in qua non mentio solum Nicæni Concilii, sed & Canon tertius Concilii Chalcedon., & nonnulla ex ep. 24. l. 1. Gregor. Papæ inseruntur. Certè Optatus contra Parmen. l. 1. agens de Concil. Roman. sub eodem Melchiade celebrato, illud collectum tradit in domo Faustæ in Laterano, unde Baronius infert, tunc ædes illas jam ad Summum Pontificem pertinuisse. Quod & A. N. inferius dicit. Quæ ex Burcardo, Ivone, & Gratiano hic profert A. N. ex illa Melchiadis epistola desumuntur.

(7) Vide quæ supra ex Lactantio dicta sunt de mense, & circiter die obtentæ à Constantino victoriæ adversus Maxentium.

(8) Constantinus sub finem hujus an., vel sequ. initio Mediolanum venit, & Constantiam sororem Licinio in matrimonium collocavit, ut ex Lactant. l. *de mortib. Persecutor.* c. 45. patet. Constantinum porro sub sequ. anni Coss. mense Martio Mediolani fuisse ostendit l. 1. *de bonis vacantibus*, ibid. data *VI. Id. Mart.*

(9) L. Zosim. l. 2. 5. & sequent., ubi hujusmodi ludos describit, & c. 7. in fin. conqueritur, hoc more sæculares ludos celebrandi *non observato ad infelicitatem illam rei prolabi necesse fuit, quæ hoc tempore nos urget.* Ethnici Scriptoris verba sunt, Christiano Nomini infensissimi.

A
Republica agitatis, duo decreta fecere, unum, ut Maximino tyrannidem exercenti, bellum armis communibus inferretur; alterum, ut Christianis libera concilia traderentur: id vero hoc edicto (10) complexi sunt: *Cum libertatem religionis cuique tribuendam esse judicaremus, Christianos quoque fidem suam pro arbitrio suo colere jussimus, quoniam vero multæ ex eo edicto subortæ controversiæ sunt, factum est, ut multi ab ejusmodi religione recesserint. Cum igitur ego Constantinus, & ego Licinius Augusti Mediolanum venissemus, atque ibi in Concilio, quæ ad Rempublicam pertinerent, accurate disquireremus, illa etiam populo Romano utilia decernenda*
B
*statuimus, quibus divinus cultus contineretur, hoc est, ut Christianis, & aliis omnibus liberam optionem daremus eam religionem sequendi, quam ipsi vellent. Quare hanc nostram sententiam recto judicio in edictum retulimus. Proinde quicunque posthac Christiana sacra sibi observanda susceperit, eum libere, ac tuto facere posse, jubemus, eadem ratione templa, & loca, in quibus convenire solebant, restitui, & nova construi posse statuimus*. Fuere autem Mediolani per mensem Martium, siquidem rescripta inde illo mense à Constantino, & Licinio tertium Consulibus data reperiuntur in Codice, quem Theodosius Imperator confecit, cujus auctoritatem sæpe abhinc in
C
his digerendis, explicandisque temporibus adhibebimus. Nam qui in actionibus Imperatorum, ac Pontificum, Regumque narrandis annorum, & mensium diligentiam omiserunt (quod adhuc plerique omnes fecerunt) ii aliena quædam, ac prope portentosa in eorum historiam intulerunt.

His Mediolani actis, Licinius Illyricum, Constantinus Galliam repetivit, atque uterque ibi rem gessit, ille cum Maximino, hic vero cum Francis. Maximinus namque, cum æquo animo ferre non posset, sibi aliquid à Constantino, & Licinio mandatum esse, qui summum inter eos, ut ipse jactabat, locum teneret, spreto fœdere, quod
D
cum Licinio icerat, repente è Bithynia in Thraciam, Illyricumque trajecerat. Quod ut Licinius sensit, subito contracto exercitu obviam ire contendit, & primo victus, deinde redintegrato prœlio victor ipsum è Thracia in Bithyniam repulit, ac subinde insequutus eo perrexit. Ibi Maximinus inani responso vatum, atque ariolorum prospera omnia (ut fieri in ejuscemodi negotiis assolet) promittentium confirmatus, cum ingentes copias comparasset, bellum instauravit, & signa ad Astacum (11) contulit, verum primo concursu pulsus in fugam se dedit, à militibus suis præter paucissimos derelictus. Quare consilii inops, ne agno-
E
sceretur, Imperii insignia posuit, ac, fuga arrepta, cum paucis ex pago in pagum occulte procedens in Ciliciam usque pervenit, ubi se in oppido Tarsi munito inclusit. Ibi vero furore accensus, vates ac Sacerdotes omnes, quorum vaticinio fretus, summi certaminis discrimini se commiserat, interfecit, ac rerum actarum pœnitentia captus edicto proposito Christianis templa demum, ac liberos conventus indulsit.

Neque ita multo post, dum exercitus ejus in Bithynia relictus prœlio cum Licinio certat, misera morte occumbit, (12) acerbis repente doloribus corporis cruciatus, atque atroci liquescentium membrorum ardore, (quem Medici sub hecticas febres referre non inepte possent) consumptus; ut Galerii non tam vitam, & mores, quam mortem, & mortis genus fuisse videatur imitatus; cum, teste Victore, quadriennio Cæsar, triennio Augustus imperasset. Licinius re prospere gesta, Nicomediam cum conjuge Constantia ovans inivit, eamque urbem Diocletiani, & Maximini more post sedem Orientalis Imperii habuit. Inde Antiochiam progressus Maximinum, tanquam tyrannum, publico decreto notavit; statuas, ac tabulas, quæ illi, ac filiis ejus positæ fuerant, sustulit; gentilitatis cultoribus omnes honores ademit; fautores, & filios Maximini vita exuit, provincias Asiam, Ægyptum, & Orientem sibi ascivit, & Rempublicam una cum Constantino conjugis suæ germano magna concordia administrare perrexit. Ex quo communi nomine leges, & edicta Christianis secunda, ac salutaria multa conscripta sunt. Qua re excitati iis provinciis Episcopi magna cura templa tyrannorum imperio disturbata restituere, nova condere, atque encænia (13) passim ingenti lætitia celebrare, crebriores conventus habere de rebus ad fidem, & Ecclesiam constituendam pertinentibus incœperunt, magnus ubique populorum concursus, summa gratulatio erat, quod membra Christi divulsa aliquando tandem in unius quasi corporis conspirationem coissent, ubique chori gratias Deo agentium audiebantur, in suis quique Ecclesiis Episcopi populos alloquuti, ut cuique dicendi copia suppetebat, ingens hoc Dei beneficium enarrabant. Hæc Licinius in Illyrico. Constantinus autem, cum Francos fœdus violasse, ac delectis irruptionis auctoribus ad Rhenum transeundi causa venisse audiret, eadem festinatione, qua redierat in Galliam, ad inferiorem Germaniæ limitem properavit, ac præsentia sua, ne transirent, effecit: mox periclitandæ illorum fidei gratia ex iis locis cum exercitu abiit, nuncio majoris in superiore limite tumultus simulato, atque eis potestatem trajiciendi fecit, cum reliquisset in occulto duces, qui securos adorirentur. Neque à consilio abhorruit eventus. Illi Constantinum vere cessisse rati ad ripas irrumpendi gratia convolarunt, qua re Constantinus audita,

(10) Secundum hoc edictum prioris explicatio fuit; in primo namque pleraque erant verba, quibus Gentiles, Novatiani, Montanistæ, aliique offendebantur, quod in eo Hæretici vocarentur; hinc Constantinus altero edicto mentem suam h. an. aperuit, ne Gentiles prohibitum ab ipso Deorum cultum conquererentur.

(11) Pugnatum in ea Imperii parte, quam Licinius regebat, inter Heracleam, & Hadrianopolim, ubi ex Lactant. l. c. c. 46. *Campus intererat sterilis, ac nudus, quem vocant serenum*. Et quidem Kalendis Majis, ut ibid. Lactant.

(12) Hanc pluribus narrat Lactant. l. de mortibus Persecut. c. 49. Non statim autem obiit, nam, *Tauri montis angustias petit, munimentis ibidem, ac turribus fabricatis iter obstruere conatus est* ad arcendos insequentium Licinianorum impetus, eod. Lact. teste.

(13) Feriæ novo operi facto, dicandoque consecratæ. Vide Suid. Augustin. in Julian. 48. interpretatur *festum Dedicationis Templi*. De Encæniis L. Gyrald. Synt. Deor. 17. p. 502.

dita, navibus Rheno eximia celeritate devectus in fines eorum invasit, atque agros, domosque illorum depopulatus tantam vastitatem intulit, ut regionem prope deleverit. Cum autem milites Romanos secum deduxisset, eos oblitos, ut vetus dixit Orator, deliciarum, circi Maximi, (14) Pompejani theatri, (15) & nobilium Lavacrorum, (16) Rheno, Danubioque prætendit, ac, limitis ejus agere excubias jussis, Arelate, ad conventus de more agendos, se retulit. Ibi dum esset, Donatistarum hæreticorum literis solicitatus est, ut judicium sibi contra Cæcilianum Episcopum Catholicum daret. Ea vero res multos, gravesque tumultus excitatura sic habuit. Prioribus annis in Africa multi Donato quodam Numida auctore se ab Ecclesiæ Catholicæ communione secreverant filium patre minorem, filioque Spiritum Sanctum esse dicentes, ac Catholicos novo baptismate inficientes, biennio vero ante, (17) libertate Christianis per Maxentium restituta, vacante Carthaginis Ecclesia, populus ad Episcopum creandum convenit, atque omnibus Catholicorum suffragiis Cæcilianum Diaconum, hominem Catholicum, declaravit: cumque Felix Aptungitanus (18) Episcopus consecravit. Hoc facto Donatus, & socii ejus, qui alium ex suo corpore suffici voluissent, cum Cæcilianum multis de criminibus (19) apud Anullinum Proconsulem Africæ accusassent, ab ejus communione se removerunt, & templo egressi adversus illum quendam Majorinum Episcopum (20) designarunt. Itaque gravi propterea seditione conflata duos libellos Cæciliani crimina continentes Proconsuli obtulerunt; quorum unus quintodecimo Kalendas Majas (21) Constantino, & Licinio Augustis tertium Consulibus Carthagine datus erat, qui à Sancto Augustino in Epistolis memoratur; eosque, ut ad novum Principem Constantinum mitteret, popo scerunt. Quibus acceptis Constantinus, licet juris ejusmodi imperitus, tamen Cæcilianum cum suis bono animo rebus vacare divinis jussit, ac literas ad Anullinum scripsit, ut possessiones Ecclesiæ occupatas curaret restituendas, & Clericis vacationes à civilibus muneribus largiretur, quæ literæ ab Eusebio in Historia referuntur. Qua re comperta, Donatistæ contra literas alias ad Constantinum miserunt, quarum Optatus Afer meminit in libro contra Donatistas, fuerunt autem hæ: *Rogamus te, Constantine optime Imperator, quoniam ex genere justo es, cujus pater inter ceteros Imperatores persequutionem non exercuit, & ab hoc scelere immunis est Gallia, cum in Africa inter nos, & ceteros Episcopos contentiones exarserint, ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua.* Quibus Constantinus respondit singulari moderationis, atque æquitatis exemplo: *Petitis à me in seculo judicium, cum ego ipse Christi expectem judicium.* Dedit tamen judices Maternum Agrippinensem, Rheticum Augustodunensem, & Marinum Arelatensem Episcopos, atque Miltiadi Episcopo Romano scriptis literis hujus causæ cognitionem, ut propriam, commendavit. Eas literas S. Augustinus epist. CLXV. missas significavit, Eusebius vero (22) in Historiam quoque conjecit, his verbis: *Quoniam literis Anullini Proconsulis Africæ audio, Cæcilianum Episcopum Carthaginis ab Episcopis Africanis multis criminibus onerari, ægre autem fero, in his provinciis, quas ultro mihi Deus concessit, plebem, & Episcopos inter se discordia laborare; placet, Cæcilianum cum decem Episcopis accusatoribus ejus, totidemque, quos ipse asciverit, Romam venire, ut ibi coram vobis, & Rhetico, Materno, & Marino collegis vestris, quos ea de causa Romam adire jussi, possit audiri, prout lex Dei sanctissima jubet: mitto etiam litteras Anullini ad me scriptas, ut ex iis liti modum imponere queas, neque enim vos latet, me tantam reverentiam Sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ adhibere, ut nolim ullum dissidium, aut dissensionem aliquo in loco hærere.* Ex quo apparet, cum dicat, suam erga Ecclesiam Apostolicam reverentiam Miltiadi esse perspectam, Miltiadem, atque Ecclesiam Romanam superiore anno à Constantino Romam adventante vere iis, quibus diximus, officiis esse cultam. Contendere igitur Romam tres ex Gallia Episcopi, (23) atque alii quindecim accitu Miltiadis ex Italia, atque, ut inquit Opatus, convenere in Laterano, Constantino Augusto tertium, & Licinio Augusto tertium Consulibus, quod est argumento, Miltiadem Lateranum inhabitasse priore anno sibi à Constantino donatum.

VI.

(14) Inter Urbis opera admirandum prædicat Dionys. Halic 3. p. 200. A Tarquin. Prisco institutus primo non ex stabili ædificio, sed ex asseribus, ligneisque tabulatis, non à Rege constructus, sed a privatis Senatoribus, equitibusque in proprium usum: *Tunc primum,* inquit Liv. 35. *circo qui nunc maximus dicitur, designatus locus est: loca divisa Patribus, equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati,* &c. Stabilis deinde factus à Tarquinio Rege; Dionys. l. c. de eodem Plin. 36. 15. cujus vastitatem suo tempore Juven. admiratus, inquit Satyr. XI. v. 195. *Totam hodie Romam circus capit.*

(15) Quod primum in Urbe stabile, & perpetuum fuit; idque Pompejus è bello Mithridatico reversus condidit, *expressum è Mityleneo,* ex Plutarc. p. 641. Dionis quoque tempore insignis, 39. p. 107.

(16) Sua quisque domi fere habebant nobiles cives ad privatos usus. Donat. de Urb. Rom. 3. 19. Comitibus, ac Magistris militum à curiis civitatum gratuito præbebantur: Tribunis vero militaribus ab Arcadio, & Honorio id negatum, ne tot sumptibus civitates onerarentur. L. 1. c. *ne rei milit. comit.*, vel trib. lavac. præst.

(17) Schisma Donatistarum ante annum 311. non contigisse ostendit Valesius in Dissertatio. de Schismate Donatist. ejusque origo ab ordinatione Majorini repetenda ex Optat. l. 1. contr. Parmen., & August. contr. Parmen. l. 1. c. 3.

(18) Vide infra adnotatione 58.

(19) Refert hoc Schisma Optatus Milev. lib. 1. contra Parmen.

(20) Verius Pseudo-Episcopum. Consule Baronium ad annum 306.

(21) *Decimoseptimo Kal. Majas.* In epist. namque Aug. 68. ad Januarium ita legitur.

(22) L. scil. 10. c. 5. Earum quoque litterarum meminit Aug. in brevic. Collat. di. 3. c. 22.

(23) In quibus Rheticius Episc. Augustodunensis, quem Hieronymus epist. 133. Romam missum à Constantino ex hac causa testatur: at error in eum locum irrepsit, dum *sub Silvestro* missus dicitur, cum August. contra Julianum l. 1. 3. aperte dicat: *Rheticium ab Augustoduno Episcopum magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore Episcopatus sui, gesta illa Ecclesiastica nobis indicant, quando in Urbe Romana, Melchiade Apostolicæ Sedis Episcopo sedente, cum aliis Judex interfuit, Donatumque damnavit,* &c.

VI. Nonas Octobris sexta feria consedere Miltiades Episcopus Romæ, Rheticus, Maternus, & Marinus Galliæ, ex Italia vero Mœrocles Mediolani, Florianus Senæ, (24) Zoticus Quintiani, (25) Stemnus Arimini, Felix Florentiæ, Gaudentius Pisarum, Constantinus Faventiæ, Proterius Capuæ, Theophilus Beneventi, Sabinus Terracinæ, Secundus Prænestis, Felix Triumtabernarum, Maximus Ostiæ, Evander Ursini, (26) Donatianus Foriclaudii. Causa cognita in Donatum sententia lata est, quia confessus est, se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab instituto Ecclesiæ Catholicæ abhorrebat. Cum testes producti à Donato confessi essent, se non habere quod in Cæcilianum dicerent, Cæcilianus omnium sententiis absolutus est. Miltiades autem judicium his verbis finivit, ut Divus Augustinus epistola centesima sexagesima secunda, & Optatus exposuit: *Cum constiterit, Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusatum, neque convictum à Donato fuisse, in suæ communionis Ecclesiasticæ integro statu retinendum censeo*. Hæc iniquo animo Donatistæ passi, iterum ad Constantinum se contulerunt, (27) atque hanc causam, neque totam auditam, neque rite judicatam esse conquesti, ut novo eam judicio committeret, postularunt. Itaque Constantinus alterum Arelate judicium ad Kalendas Augusti in postetum annum indixit, quo Episcopos Galliæ alia de causa adesse præceperat, atque eo Chrestum (28) Episcopum Syracusanum cum duobus, quos ille optaret, Siciliæ Episcopis advocavit. Hæc apud Eusebium, Optatum, & Sanctum Augustinum, ita ut retulimus, hoc anno acta à Constantino Cathecumeno, sive, ut inquit Sanctus Augustinus, Christiano, leguntur. Constantino, dum Arelate esset, puer è Fausta natus est, (29) quem Constantinum vocavit. Inde Treviros in hiberna recessit, ubi ludos victoriæ Francicæ regia magnificentia edidit. In ea celebritate orator Gallus, ipso præsente, orationem habuit, qua ei victoriam Maxentianam, atque hanc postremam Francicam, ac modo natum Constantinum puerum gratulatus est, ita exordiens: *Unde mihi tantum confidentiæ, Sacer Imperator, ut post tot disertissimos homines, quos & in urbe sacra, & hic rursus audisti, dicere auderem, nisi nefas esse ducerem, & commissi cujusdam sacrilegii religionem vererer, si is, qui semper res à numine tuo gestas prædicare solitus essem, hæc tanto majora pristinis silentio præterirem, per quæ non pars aliqua servata, sed universa sibi est Respublica restituta? Neque enim ignoro, quanto inferiora sint ingenia nostra Romanis, siquidem Latine, & diserte loqui illis ingeneratum est, nobis elaboratum, & si quid forte commode dicimus, ex illo fonte, & capite facundiæ imitatio nostra derivat, sed quamvis conscius mihi infirmitatis ingenitæ, & inchoati potius studii, quam eruditi, cohibere me silentio nequeo, quominus de recuperata urbe, Imperioque Romano, & tandem ex diuturna convulsione solidato, & ipse aliquid coner effari, ut inter tantos sonitus disertorum mea quoque vox tenuis exaudita videatur*. Inde de ludis agere ingressus, subjecit: *Quid hoc triumpho pulchrius, quod cædibus hostium utitur etiam ad nostrum omnium voluptatem, & pompam munerum de reliquiis barbaricæ cladis exaggerat, ac tantam captivorum multitudinem bestiis objicit, qui, cum exitum differre liceat, perire festinant, sesequelethalibus vulneribus, & mortibus offerunt. Ex quo apparet, trucem Francum ferina sola carne distentum, qui vitam contemnat, quantæ molis sit superare, vel capere, quod tu Imperator in ipso conspectu barbariæ paulo ante fecisti*. In extremo autem de filio nato sic loquitur: *Quamvis divina soboles tua ad Reip. vota successit, & adhuc speretur futura numerosior, illa tamen erit vere beata posteritas, ut cum liberos tuos gubernaculis orbis admoveris, tu sis omnium maximus Imperator*. Ibi etiam pridie Kal. Novembris Constantinus legem pro Clericis (30) Catholicis tulit, his verbis: *Hæreticorum factione comperimus, Ecclesiæ Catholicæ Clericos ita vexari, ut nominationibus, seu susceptionibus aliquibus, quas publicus mos exposcit, contra indulta sibi privilegia prægraventur. Ideoque placet, si quem tua gravitas invenerit ita vexatum, eidem alium subrogari, & deinceps à supradictæ religionis hominibus hujusmodi injurias prohiberi. Datum pridie Nonas Novembris Constantino A. III. & Licinio A. III. Consulibus*. Hæc à Constantino hoc anno in Gallia acta. Eodem anno Diocletianus, (31) qui Imperio se abdicaverat, Salonæ veneno hausto est mor-

(24) *Florianus à Cesena*, inquit Optat. l. 1.

(25) Quintianum, & Quintiana ex Ortelio pagus agri Brixiensis. Item Quintianum, Africæ urbis Episcopalis. de qua Optatus Afer.

(26) *Urbmi*; *Ursentini* Baron. ad hunc annum; sed fuere Ursentini Populi in Lucania; nulla autem Urbs eo nomine appellata; illorum namque Oppidum, teste Brusonio, *Contursia*, dicebatur.

(27) Constantini vero responsum apud Optatum contra Parmen. l. 1. *O rabida* (Imperator inquit) *furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt*. Quæ & habentur in epist. Constantini (extat in append. ad Optatum Parisiis editum ex Biblioth. Petri Pithœi) non sunt referenda ad appellationem Donatistarum a Synodo Romana, sed a Synodo Arelatensi (de quo infra) ad Constantinum. Id enim disertè evincunt Augustini verba l. 2. contra Literas Petiliani c. 92. *Si autem, quod verum est, petentibus majoribus vestris Episcopale judicium dederat Constantinus, & apud Romam, & apud Arelata, quorum primum apud eum accusastis, ab altero ad eum appellastis*, &c.

(28) Chrestus non a Christo; nomen enim erat æque Gentilibus usitatum; unde Lucian. in Philop. *Pauci Chresti, idest, fruges sunt, quemadmodum ubique video*. Alio etiam sensu Chrestologi dicebantur, qui cum bene loquerentur, male agerent; idque Pertinace Imp. dictum, testis est Jul. Capitolin. Ita & Apost. ad Roman. χρηστολογίας, *Chrestologiam* in ead. significatione usurpat. Extat ap. Euseb. l. 10. 5. Constantini epist. ad Chrestum Syracus. Episc.

(29) Pag. ad an. Chr. 316. n. 11. Arelate natum Constantinum Juniorem, eod. an. 316. putavit.

(30) Extat in l. 1. Cod. Theod. *de Episc., & cler.* Quæ vero essent *nominationes*, a quibus clericos immunes Constantinus esse voluerit, ostendit L. Diocletiani, & Maximiani, l. 2. Cod. lib. 10. Quæque *susceptiones*, evincit titulus *de susceptoribus* Cod. Theod. lib. 12. & Codex Justin. l. 10. tit. 71.

(31) Recte A. N. huic an. mortem Diocletiani reddidit, quamvis Auct. Chron. Alex., & Idac. in Fast. evenisse tradant an. 316. Flavio Cejonio Sabino, & Rufino Coss. Lactantius enim l. *de mortib. Persecut.*, statim ac mortem Diocletiani narravit, de interitu Maximiani

mortuus. Cum enim à Constantino, & Licinio ad nuptias Constantiæ invitatus non venisset, uterque ægre tulit, cumque, ut qui Maxentio nuper favisset, tum vero Maximino bellanti studeret, insimulavit. Cujus criminationis dolorem usque adeo impatienter tulit, ut veneno epoto sibi mortem consciverit, cum esset annos tres, ac septuaginta natus; (32) imperasset autem annos viginti; ac novem postea, ut inquit Victor, egisset privatus. Singularia hæc ei duo contigere, quod ultro se Imperio abdicarit, atque in proposito usque ad finem vitæ permanserit, & quod privatus inter Divos (33) relatus sit, quem honorem ab Augustis admiratione virtutis accepit. Cum Heraclius Rufinus urbis Præfectus civitatem Romanam per triennium jure dicundo rexisset, demum hoc anno VI. Idus Decembris Rufium Volusianum (34) successorem est nactus. Basilica Lateranensi ingenti Christianorum gratulatione Miltiadis Pontificis cura surgente, res Romanæ lætæ in primis,
314 tranquillæque fuere. Volusiano inde, & Aniano Consulibus, Constantinus concilio Episcoporum (35) ad Kalendas Augusti Arelate coacto, Cæciliani causam cognoscendam commisit. Episcopi causa cognita à Miltiadis Pontificis decreto non discedentes Cæcilianum iterum innocentem pronunciarunt. Ea re perculsi adversarii rursus Constantinum appellaverunt, eamque rem ut ipse cognoscere vellet, orarunt. Cum ille postulatum hujusmodi rejecisset, ac talem cognitionem, ut parum homini profano convenientem, repudiasset, tamen ad extremum vehementibus eorum flagitationibus victus cessit, &, cum Romam iter intendisset, partes eo se ad causam orandam sequi præcepit, ut Sanctus Augustinus epistolis prodidit. (36) Ibi Cæcilianus adesse jussus non affuit. Mediolanum inde procedens Donatistas judicium pronunciari urgentes eo se subsequi jussit, ac multis per iram à causa peragenda se removentibus, reliquos ab officialibus (37) custoditos Mediolanum accedere imperavit, atque ibi demum causa cognita (38) Cæcilianum præsentem innoxium, adversarios vero improbissimos, Miltiadis, & Episcoporum judicio comprobato, pronunciavit, ac res eorum Fisco addixit, ut Sanctus Augustinus sæpe repetiit. Ticini etiam templum Sancto Michaëli dicitur construxisse ob victoriam Francicam precibus ipsius Archangeli partam, atque eo Ravenna corpus Sancti Eleocadii transtulisse. Eisdem Consulibus, Miltiades Pontifex IV. Idus Decembris cessit è vita. (39) In ejus locum

---

ximini locuturus c. 43. subdit: *Unus jam supererat de adversariis Dei, cujus nunc exitum, ruinamque subnectam*. Diocletianus itaque ante Maximinum obiit. Vide Lactant. de Diocletiani morte loquentem c. 42. Victor quoque in Epit. quoad mortis annum Lactantio suffragatur, quamvis de genere mortis discrepet. Hic enim ait: *venenum dicitur hausisse*. At Lactantius l. c. narrat, *æstuante anima per dolorem, nec somnum, nec cibum capientem*, tandem *fame, atque angore* confectum.

(32) Victor in Epit. habet: *Vixit annos sexaginta octo, ex quibus communi habitu prope novem egit*. Hi vero novem anni ita computandi, ut annus 305. quo Diocletianus abdicavit, & annus 313. quo obiit, ambo incompleti numerentur pro integro; unde privatæ vitæ Diocletiani erunt anni novem. Dum autem Id. Vict. in Epit. scribit, Diocletianum *annis viginti quinque* imperasse, ejus Imperium usque ad ann. 309. quo Salonas rediit producit, unde non amplius exiit.

(33) Verba ex Eutrop. l. 9. A. N. exscripsit. Etsi autem ap. Mediob. in Numismatis Impp. nullum proferatur, quo Diocletiani apotheosis innotescat, ea tamen, non modo ex Eutrop. cit., sed ex Maximini Aug. edicto pro Christian. an. 313. paulo antea mortem edito clare deducitur. Illud refert Euseb. l. 9. 10. ubi Maximinus loquens de Lege, qua Persecutio decreta fuerat, inquit: *Quæ à Divis Diocletiano, & Maximiano parentibus nostris lata erat*. Et rursus: *Ex jussione Divorum parentum nostrorum*. Atqui Divi nomen nonnisi jam defunctis vita à Romanis tribui consuetum post fundatum Imperium.

(34) Hic ille Rufius Volusianus, qui an. 311. Consul Romæ creatus fuit à Maxentio; unde Idac. in Fast. eumdem profert cum numerali nota. Idque confirmatur ex Inscript. num. 40. inter Romanas Inscriptiones à Mabillonio relatas T. 4. Analector. pag. 494. in qua Cejonius Albinus filius dicitur, *Rufi Voluziani bis ordinarii Consulis*.

(35) Hoc illud Concilium, de quo inter Eruditos tantum controversiæ fuit, præsertim inter Launojum, & P. Joannem Nicolai in Differt. de Concilio Plenario, an hujus sc. nomine intellexerit August. Arelatense I. (h. an. celebratum) an Concil. Nicænum, dum S. D. ait, in Plenario Concilio finitam Quæstionem *de Baptismate Hæreticorum*. Lis adjudicata P. Joanni, affirmante, de Nicæno locutum August. de numero item Episcopor. qui Arelatensi interfuere Synodo non minor contentio. L. Valesium in Differt. de Schism. Donatist. c. 9. Sirmondum T. I. Concil. Labbei, Schelestrat. p. 2. Antiquit. illustrat. Differt. 1. c. 7. art. 3. §. 2.

(36) L. ejusdem epistolas 68. & 162. ubi Constantini factum excusare conatur, qui de causa Ecclesiæ post Episcoporum judicia ausus fuerit judicare.

(37) Hi Ministri, seu Apparitores Magistratuum. Paulus l. 5. *sent.* C. de Fisc. Advoc. Vide Spartian. in *Caracalla*. Ita sumitur C. *de filiis Officialium*. Eodemque sensu ap. Ulpian. l. 1. §. *si quis ultro* 19. ff. de quæst. In posteriori edicto Maximi de Christianis ap. Euseb. Officiales dicuntur, qui eidem in priori *Beneficiarii* sunt dicti.

(38) Non autem h. anno; Augustinus enim in libello contra Donatistas post collationem c. 33. ait: *Constantinus ad Eumalium Vicarium de purgatione Cæciliani scripsit, Sabino, & Rufino Coss. IV. Idus Novemb.* &c. Hi autem Consules processere an. Chr. 316. Nec audiendus Gothofredus in Chronol. Cod Theodos., dicens, literas à Constantino ad Eumalium datas anno quidem 316. sed anno post Cæciliani purgationem, quam Gothofr. ipse an. 315. alligat. Augustinus enim l. c. subdit: *Et idem Imperator ad Valerium Vicarium de illorum exilio soluto, & eorum furore Deo vindici remittendo, litteras dederit, Crispo, & Constantino iterum Coss. tertio Nonas Majas, idest, post quartum annum, & mensem fere sextum*. Si itaque Donatistæ an. 321. (quo iidem Coss. II. processere) post prædictum spatium exilio soluti, nonnisi an. 316. in exilium acti; ab an. namque 316. die X. mensis Novembris, (quo die scripsit ad Eumalium Constantinus) ad diem quintum mensis Maji, anni 321. anni quatuor, & menses sex intercedunt, quinque tantum exceptis diebus. In exilium autem acti Donatistæ post Cæciliani purgationem, ejusdem innocentia, & calumniis Donatistarum ab Imperatore, detectis. Vide quæ Valesius in Differt. de Schism. Donatist. c. 12. supplens Donatistarum Historiam.

(39) Recte hoc an. A. N. mortuum Melchiadem scribit, sed non mense Decemb. in Chron. enim Damasi legitur: *Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus novem, ex die sexto nonas Julias, à Consulatu, Maximiano VIII. solo, quod fuit mense Septembri, Volusiano, & Rufino,*

locum V. Kal. Januarii subrogatus est Sylvester civis Rom. atque Ecclesiæ Presbyter, vir & sanctitatis, & eruditionis magnitudine inclytus. Cujus sanctis præceptis Constantinus, cum jam Mediolano Romam reverrisset, imbutus inchoatam sub Miltiade Christianæ pietatis laudem perfecit, siquidem Constantini Imperium totum Sylvestri Pontificatum, qui fuit annorum unius, & viginti, (40) exhausit, atque illius auctoritate, postero anno ineunte, se, & Licinio
315 ambobus quartum Consulibus, Ecclesias duas, unam Sancti Petri Apostoli, alteram Sancti Pauli sibi instaurandas, atque augendas suscepit, quarum illa erat in Vaticano, quod ibi Petrus sub Nerone actus in crucem esset; hæc via Ostiensi, quod eo in loco Paulo eodem die amputatum caput fuisset, singulas vero Basilicas auratis trabibus, ac multiplici columnarum ordine, ut omnem superarent templorum veterum opulentiam, exornavit, ac patrimoniis toto Occidente dispersis ad Ecclesiarum usum, ac magnificentiam auxit, quibus mox Sylvester dignitatem etiam, ac venerationem adjunxit sacris ipsorum Apostolorum corporibus illuc ex propinqua, ubi hærebant, sede translatis, unde procedente tempore limina ipsa Apostolorum pio civium, advenarumque concursu certatim vota, donaque ferentium supra omnia templa sunt celebrata. Basilicæ quidem Vaticanæ splendoris illud est argumento, quod Ammonius Monachus, (41) teste Socrate, cum Romæ una cum Sancto Athanasio, Julio Pontificatum post Sylvestrum administrante, diversaretur, ex admirandis tam multis urbis operibus, nullum nisi hoc, sibi visendum existimarit; venerationis vero, quod quemadmodum Sanctus Joannes Chrysostomus scripsit, cum ceteros vel remotissimos homines, tum præcipue Imperatores ipsos eo venientes pio quodam horrore, ac religione perfuderit; sic enim ille scripsit: *Servorum Christi clara sunt sepulchra, regiam urbem assequuta sunt, & dies noti sunt, diem festum terrarum orbi facientes, eadem regiie aulæ sunt splendidiora, non ædificiorum amplitudine, ac splendore, (nam in hac parte excellunt,) sed quod multo amplius est, convenientium studio; nam ipse purpuratus peregre visitat, & fastu posito consistit Sanctos rogans, ut sibi apud Deum adsint, & scenarum artificem, ac piscatorem patronos etiam mortuos precatur ipse, qui diadema gerit.*

*Per eosdem dies Constantinus fœdo lepræ morbo repente tentatus sanguinem cæsorum infantium* (42) *præsens ostentatum à medicis remedium aversatus divino monitu Beatum Sylvestrum Pontificem accersivit, atque ab eo sacrosanctum Baptismi lavacrum obtinuit.* (43) *Ea vero res cum ab aliis Scriptoribus, tum inprimis à Sancto Hadriano Pontifice in epistola ad Constantinum,* (44) *& Irenem Augustos missa, & secundo Concilio Nicæno intexta, his verbis narratur. Cum aliquando Constantinus Imperator per noctem somnum caperet, ecce Beati Apostoli Petrus, & Paulus dormienti astiterunt, dicentes, quandoquidem sanguinis effusionem horruisti, missi sumus à Christo Jesu Domino dare tibi sanitatis recuperandæ consilium: audi ergo monita nostra, & fac omnia, quæcunque indicabimus tibi. Sylvester Episcopus civitatis Romanæ ad montem Soractis persecutiones tuas fugiens in cavernis petrarum cum suis Clericie latitat, hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertio merseris, omnis te valetudo deseret lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem Salvatori tuo compensa, ut omnes jussu tuo per orbem totum Romanum Ecclesiæ restaurentur, tu autem purifica te, ut relicta omni superstitione Idolorum tu Deum unum, qui verus, & solus est, adores, & excolas, & ad ejus voluntatem te dirigas. Exurgens itaque à somno Imperator statim convocat eos, qui observabant Palatium, & secundum tenorem somnii sui misit ad montem Soractis, ubi Sanctus Sylvester erat. Profectus inde Sylvester pervenit ad Regem, ad quem ingressus, inquit, Pax tibi, & victoria de cœlo ministretur, quem cum Rex alacri animo, & vultu suscepisset, omnia illi, quæ facta, quæque revelata sibi fuerant, exposuit. Inde percunctatus est, quinam isti essent dii Petrus, & Paulus, qui illum visitassent ob causam salutis suæ, & ejus latebras detexissent. Sylvester respondit: Hi quidem dii non sunt, sed idonei servi Christi, & Apostoli electi ab eo, & missi ad invitationem gentium, ut credentes salutem con-*

*fino, usque in III. Id. Januar., Volusiano, & Anniano Coss.* Atqui Melchiades, sive Miltiades an. 310. die II. Julii, ordinatus fuerat; hoc itaque anno, die 10. mensis Januar. cessit e vita. *Quarto Id. Januar.* habetur in Indiculo depositionis Episcoporum ap. Bucherium, & in Martyrol. Hieronymian.

(40) In Catalogo Damasi legitur: *Silvester annis viginti uno, mensibus undecim. Fuit temporibus Constantini, à Consulatu Volusiani, & Anniani, ex die pridie Kal. Februarii, usque in diem Kalendarum Januar. Constantino, (lege Constantio) & Albino Coss.* Anno itaque 314. Pontificatum iniit, quo Volusianus, & Annianus Coss. fuere.

(41) Hunc *virum admirabilem* Socrates vocat l. 4. 28., ubi narrat, quæ A. N.

(42) Plinius l. 26. c. 1. postquam morbum elephantiacum in Ægypto peculiarem fuisse scribit, hæc subdit: *Et cum in Reges incidisset, populis funebre, quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam.*

(43) L. hæc in Actis Silvestri, & quæ fuse Baronius ad an. 324. differit pro hac historia tuenda. Conjice deinde oculos in ea, quæ Eusebius l. 4 Vit. Const. 61. & 62. Sozomen. l. 2. 34. cum quo Socrat. l. 1 39. Item Hieronym. in Chron. Ambros. in funere Theodos. M. Zosimus l. 2. post Crispi, & Faustæ necem Constantini jussu patratam, in causa ait fuisse, cur Imperator *criminum piacula postularet*, quæ cum nulla dari intelligeret apud Ethnicos, apud Christianos invenisset. Zosim. verba occasionem dedere existimandi, Constantinum Romæ baptizatum. At Zosimi narrationem falsitatis postulat Socrates l. 1. 5. ostendens, eamdem in Christianæ Religionis odium ab Ethnicis confectam. Penitus autem audiendi non sunt, qui utramque opinionem conciliaturi, Constantinum Romæ à S. Silvestro baptizatum, dicunt, & iterum Nicomediæ ablutum sacro lavacro ab Eusebio. Arianos enim rebaptizasse ante Vandalicæ persecutionis tempora nullum indicat, vel levissimum antiquitatis monumentum. Vide quæ in hanc rem tradit Papebroc. in Vita S. Constantini M. die 21. Maji.

(44) Si ex hac epist. hujus narrationis veritas asseri potest, ex ejusdem Hadriani epistola 3. ad Carolum Magnum verum quoque putandum erit mirabile illud ex Christianis, Judæisque Sacerdotibus conflatum Concilium, cui S. Silvester interfuisse dicitur in *Actis*, quod & in cit. epist. narratur.

*consequuntur, cumque ille hæc diceret, interrogare cœpit Augustus, utrum nam ipsos Apostolos haberet aliqua imago expressos, ut ex pictura disceret, quos revelatio docuerat. Tum S. Sylvester misso Diacono imaginem Apostolorum sibi exhiberi præcepit, quam Imperator aspiciens ingenti clamore cœpit dicere, ipsos esse, quos viderat, nec debere jam differre Spiritum Sanctum ostensionem piscinæ, quam istos promisisse suæ saluti memorabat. Constructo itaque Lavacro Constantinus cum sacro rore tinctus esset, confestim est sanitati pristinæ restitutus. Deinde non immemor accepti beneficii Ecclesias Dei exædificare cœpit, columnas earum passim sacris imaginibus in memoriam Incarnationis Domini nostri Jesu Christi, omniumque Sanctorum reverentiam exornavit, nec alia de causa, quam ut Christianismum in lucem, & veritatem, Deique cultum proveheret, & omnes gentes à cultu Idolorum, & diabolica deceptione converteret. Constantinus inde, ut gratiam tanti beneficii Sylvestro referret, Edictum, quod nunc quoque VI. Kal. Aprilis datum legitur, scripsit, in quo hac historia enarrata adjicit, se ad referendam gratiam Sylvestrum omnibus ad amplitudinem, & dignitatem Apostolicæ Sedis ornandam insignibus decorare, atque eundem, & successores ejus ipso insuper Occidente donare. (45) Quod Edictum Ecclesia Romana, atque adea etiam Orientalis in hunc usque diem constantissime tenuit, Theodoro Balsamone, (46) & Emanuele Caleca, & Gennadio Patriarcha, Græcis Scriptoribus, testibus, quorum Illustrissimus Cardinalis Sirletus opportune jam inde Roma usque admonuit.*

Quin etiam iidem egregii operis Baptisterium, quod adhuc visitur, condidit, cujus cum Vaticana, & Lateranensi Basilica Prudentius meminit, inquiens contra Symmachum, Jovis aram ab omni populo respui, qui

*Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,*
*Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses,*
*Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,*
*Unde sacrum referat regali chrismate signum.*

His rebus actis inde adversus Licinium Augustum (47) arma tulit. Quippe æquum esse existimans, se illius victoriæ, quæ suis quoque armis quæsita esset, præmium aliquod reportare, partem provinciarum, quas Licinius superiore bello Maximino Augusto ademerat, repetivit, ubi vero legatos, ac postulatum suum ab eo vidit repudiati, exercitibus suis in eam rem convocatis in Pannoniam maturavit. Licinius infesto Constantini in se adventu comperto & ipse magnum pedestrium, (48) equestriumque copiarum numerum expedivit, & cum iis ad Cibalas (49) constitit. Id oppidum erat Pannoniæ inferioris in colle situm ab una parte palude, quam Hiulcam vocabant, ab altera planicie lata circumdatum. Cum autem Licinius castra in campo locasset, Constantinus adveniens ad montem consedit. Neque inferenti signa Constantino ulla conferendo prœlio est interposita mora, utrinque magno ardore, telis emissis, usque ad vesperam hastis est dimicatum. Liciniani à dextro cornu, cui Constantinus præerat, loco moti, ubi Licinium, equum ad fugam paratum ascendentem viderunt, repente omnes per noctem trepidi abiere, pecoribus, ceterisque rebus relictis præter tantum panis, quantum ad pellendam per diem famem esset satis. Licinius Sirmium prætergressus, quod oppidum ab utraque parte Savus amnis in Danubium influens abluit, ponte interciso in Thraciam ire, ibi recollecturus exercitum, properavit. Constantinus quinque millibus militom ad eum insequendum immissis castra varia, atque opima præda referta cepit, ac Cibalas, & Sirmium, aliaque oppida à Licinio fugiente relicta in potestatem redegit. Inde ponte in Savum refecto transgressus & ipse Licinii vestigiis institit. Sub ortum Solis Licinius conspecto cum parato exercito Constantino aciem instruit, belli socio Valente assumpto, quem, postquam Cibalis discesserat, Cæsarem appellaverat. Exercitus inter se congressi acriter ptimom sagittis, & jaculis, deinde hastis, & gladiis depugnarunt. Dum autem illi confligunt, qui à Constantino ad persequendum Licinium missi fuerant, cum propter viæ inscitiam sequi illum non potuissent, de repente supervenerunt, & flexo per collem itinere suis se adjungere maturarunt, quos Liciniani fortiter sustinuerunt, atque prœlio æquo Marte confecto cesserunt. Licinius, cum in castra exercitum reduxisset, belli difficultate ad consilium revocata postridie legatos ad Constantinum de concordia misit. Neque Constantinus gravate eam accepit orationem,

(45) Ævo Hadriani primi, & Caroli Magni prodierat jam Constantini *Donatio*. An opera Isidori Mercatoris? Græcus certe illius Auctor non fuit, nam C. P. Sedi postremum attribuit locum, quam injuriam Illi non intulisset Auctor Schismaticus, & Græcus. Laudatur *Donatio* illa ab Hincmaro Rhemensi, qui iis temporibus floruit.

(46) Ex Actis S. Sylvestri Papæ, sub Eusebii Cæsariensis nomine falso græce scriptis edidit edictum Constantini *de Donatione*; ea tamen arte, atque consilio, ut Patriarcham C. P. ostenderet antiquissimum, homo in Latinos pessime affectus. Nec ejus testimonium, utpote Scriptoris 12. sæculi, attendendum: Multo minus Emanuelis Calecæ, atque Gennadio.

(47) Bellum hoc adversus Licinium h. etiam anno à Petav. in Paralipom. Libror. de Doctr. Tempor p. 861. At ex Anonymo Valesiano an. 314. gestum aperte demonstratur, qui ejusdem belli seriem narrans, pacemque initam Constantinum inter, & Licinium, concludit: *Et sic ab utroque concorditer regnaretur. Itaque Constantinus, & Licinius simul Consules facti.* Consulatus autem hic præsenti anno susceptus, ac proinde bellum, & pax sancita an præcedenti. Idac. etiam in Fastis, Volusiano, & Anniano Coss. inquit: *His Coss. Bellum Cibalense fuit VIII. Idus Octob.* Hujus belli causam pluribus tradit Idem Anonym., quem Vide.

(48) Unde genus duxerunt Valentinianus, & Valens Augg teste Ammian. l. 30. 24 & Philostorg. l. 8. sect. 16. Supra Sirmium est palus *Hiulca*, cui in colle adsidet oppidum *Cibala*, quod Cibalis à Ptolom., & Zosimo dicitur l. 2. 18. ubi lacus, & urbs diligenter descripta. Jacobus Gothofredus ad l. Philostorgii locum observat, quo loco Cibalis ceterorum est, in Tabula Peutingeriana poni, *Ad labores*, idque nomen ex acri illo conflictu, loco esse impositum conjicit.

(49) Licinium quinque, & triginta millium peditum, equitumque habuisse testatur Anonymus Valesianus, Constantinum vero peditum viginti millia, quot vero equitum ei fuerint incertum; in eo siquidem textu aliquid deest.

nem, præsertim vero Constantia sorore, ut mitiora consulere vellet, orante. Itaque pax his conditionibus convenit, ut Licinius Constantino Illyricum, id est, Dalmatiam, Macedoniam, Pannoniam, Mœsiam, Daciamque dimitteret, ipse Thraciam (50) cum Asia, Ægypto, & Oriente sibi haberet; (quo Oriente quæ provinciæ clauderentur, supra scripsimus;) Valens autem Cæsar, tanquam artifex eorum malorum, abdicaret. Atque ita fœdus utrinque conscriptum, & jurejurando firmatum est. Eusebius bellum hoc Cibalense Licinianum vocavit, gestum autem ob eam, quam diximus, causam, & eo, quo expositum est, ordine, Zosimus retulit. Illyrico constituto Constantinus revertit Romam: instabat enim annus illius Imperii decimus, qui ab excessu patris V. Kal. Augusti initium duxit, quem Romæ agere, & vetere de more vota Imperii decennalia solvere, ac vicennalia concipere cupiebat. Reversus autem ludos victoriæ causa ingenti omnium lætitia edidit, & quidem primos cruenti, ut Eusebius dixit, sacrificii expertes, ac decennalia (51) apparatu magnifico celebravit, atque ad cumulandam illius celebritatis hilaritatem Crispum, & Constantinum filios Cæsares declaravit, (52) quibus ut fartam cum Licinio gratiam confirmaret, Licinium etiam ejus filium nondum viginti menses natum eadem dignitate ornatum adjecit. Itaque extant rescripta (53) Idibus Septembris hoc anno data, quibus supra scriptum est: *Constantinus Augustus, & Cæsar*: quo verbo Crispus designatur, decennalibus Cæsar allectus. Decennalibus actis inde Crispum Cæsarem in Galliam ad limitem Rheni tutandum misit, datis magistris, qui juvenem & in re bellica regerent, & in omnibus liberalibus artibus erudirent, quorum unus fuit Lactantius Firmianus, vir disertissimus, qui divinarum Institutionum libris (54) Constantinum sic appellavit: *Hoc opus nunc tuo auspicio inchoamus Constantine Maxime Imperator, qui primus Romanorum Principum repudiatis erroribus Majestatem Dei singularis, ac veri & cognovisti, & honorasti*. Itaque rescripta, quæ hoc anno, & sequentibus Treviris data (55) à Constantino Augusto reperiuntur ita à Crispo Cæsare Galliam cum Imperio obtinente putandum est processisse. Siquidem testatur Sozomenus, Crispum leges una cum patre, ut qui secundas Imperii teneret, constituisse: idque ex temporibus subscriptis, & legumlatoribus suprascriptis intelligi posse.

Inde Vettio Rufino (56) urbis Præfecto relicto, qui XIII. Kal. Septembris inierat, Constantinus in Illyricum se recepit, quod à Gothis, Sarmatis, Scythisque aliis Pannoniam, Mœsiam, & Thraciam incursantibus vexabatur. Itaque Murgillo (57) Pannoniæ oppido XV. Kal. Novembris de Judæis ad Evagrium ita scripsit: *Judæis volumus intimari, quod si quis post hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit Sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis, aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognovimus, ausus fuerit attentare, mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus, si quis vero ex populo ad eorum nefariam Sectam accesserit, & conciliabulis eorum se applicuerit, cum ipsis pœnas meritas sustinebit*. Eodem anno Donatus Carthaginem reversus, ubi se Cæciliano obesse non posse vidit, in Felicem Episcopum, (58) qui illum consecrarat, invasit, ac proditionis insimulavit, quod persequutionis tempore sacrorum Scriptorum monumenta incendio delevisset. Eam causam Ælianus Africæ Proconsul, cum Verus Præfectorum Vicarius incommoda valetudine esset affectus; cognovit, atque ita sententiam tulit: *Felicem Episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum Deificorum constat, quod nemo in*

(50) Obtinuit Licinius *minorem* quoque *Scythiam*, teste Anonymo Vales. idest Mœsiæ partem sic vocatam, ex Jornande *in Geticis*.

(51) Hæc an. sequ. celebrata; nam L. Cod. Theod. 1. *de longi temporis Præscript.* data est sub sequ. an. Coss. Sabino, & Rufino, in qua Constantinus, ut Fisci calumnias reprimeret, quæ usque ad sua Decennalia a superioribus Principibus concessa fuerant, confirmat. Eadem Arelate peracta conjici potest ex L. 1. *de Temporum cursu, prid. Non. Maji*; Viennæ data, unde Arelatem venit, ubi Idib. Aug. datæ leges 5. & 6. *de Appellationib.* Ibidem ex Fausta conjuge natus Constantinus Junior, ut Zosim. l. 2. 20. in fin., & Vict. in Epit.

(52) In Fastis Idac. sub Consulatu Gallicani, & Bassi, an. 317. gesto habetur: *His Coss. levati tres Cæsares, Crispus, Licinius, & Constantinus die Kal. Mart.* Idemque habet Auct. Chron. Alex. Hinc & recte intelligitur Euseb. l. 4. de Vit. Const. 40. *Filius cognomine Patris, Constantinus, primus Cæsar factus, anno Imperii Patris decimo*; scil. jam completo.

(53) L. nempe 1. *de jure Fisci*. Cod Theod cujus inscriptio *Constantinum, & Cæsarem præfert*. Constantinum, & Licinium, ambos IV. Consules certe præferre debet, cum hoc an. nondum tres Cæsares Crispus, Constantinus, & Licinius junior appellati essent, ut ex Idac. & Auctore Chr. Alex. ostensum superius. Mendum autem in Inscriptionem irrepsisse inde patet, quod Constantini nomen absque nota numerali ponatur.

(54) Lactantius sub Dioclet. Imp. Nicomediæ Rhetoricam docuit. In extrema senectute Crispi Cæsaris Præceptor fuit, cujus in divinarum Institut. libris septem eloquentia commendatur, in quibus feliciter Ethnicam Religionem perstrinxit, sed plura a recta Ecclesiæ doctrina aliena scripsit, ut legenti patebit.

(55) Extant in Cod Theodos. L. 2. *de Naviculariis* Kal. Jun. Dat. Treviris, vel potius ex Gothofr. in Chronolog. p. 10. *III Kal. Jan.* & L. 1. *de officio Judic. omn.* III. Id. Jan. ibid. data an. sequenti.

(56) Ad quem extat Recit. *in Senatu Nonis Septemb.* l. 1. *de maternis bonis*, quæ data 15. Kal. Aug. à Constantino directa ad Consules, Pretores, &c.

(57) Ita legendum putat Gothofred. L. 2. Cod. Theod. de Judæis, & Cœlicolis. Ptolomæus habet: *Mursilla*, seu *Mursa minor*. *Mursa* autem *major* in Tabula Peutingeriana est cum Urbis insignibus, & *ab Hadriano condita* dicitur a Stephano Byzant. de Urbibus. Ejusdem meminit Zosim. l. 2. 43. Ambæ autem Mursæ sunt in Pannonia inferiore, ut ostendit etiam lapis antiquus ap. Gruter. p. 1007. Inscript. 3.

(58) Hic Felix Aptungitanus à Donatistis postulatus incensorum Sacrorum Codicum, quod eos scil. cremandos persecutionis tempore tradidisset, quod *Traditionis* crimen dicebatur, unde *Traditores* dicti, quorum sæpe mentio apud August., & Optatum, ubi adversus Donatistas agunt. Hoc vero judicium institutum an. 314. *Volusiano, & Anniano Coss. XV. Kal. Martias*, ut August. in Libro ad Donatistas post Collationem. L. Acta purgationis Felicis Episcopi Aptungensis T. II. Miscellaneor. Baluzii, & Notas, quibus eadem illustravit. Vide Optat. contra Parmen. l. 1. qui Æliani sententiam recitat.

*in eum probaverit, religiosas Scripturas corruptas, aut incensas fuisse.* Sabino inde, & Rufino Consulibus, Constantinus VIII. Idus Januarias ex Illyrico ad Rufinum Præfectum urbis scripsit, jubens eos, qui res ex donatione ad Fiscum pertinentes usque ad sua decennalia possedissent, securos possidere, (59) atque inde Romam repetiit, ita ut inde VIII. Idus Martias rescripserit. (60) Sub eosdem dies res in urbe, atque adeo in aula, & familia Imperatoris accidit memorabilis. Constantia (61) Constantini filia, virgo jam adulta, Medicinam ulceri insanabili, quo vehementer affligebatur, exquirens, amicorum monitu ad sepulchrum S. Agnetis Virginis, & Martyris intempesta nocte accessit, ac licet gentilitate adhuc imbuta, tamen credula, ut Sanctus inquit Ambrosius, animi intentione preces fideliter fundere cœpit, ac repentina somni suavitate correpta in quiete sibi audire visa est Agnetem præcipientem, ut in Jesum Christum crederet, & certam ab illo valetudinem expectaret. Divino viso Virgo paruit, & continuo sanitati pristinæ restituitur, domumque reversa receptam valetudinem patri gratulatur. Qua re cognita tota civitas coronata in lætitia magno cum infidelium dolore versatur. Itaque cum multis ex aula Imperatoris Baptismum ab Episcopo Sylvestro accepit, atque ibi Templum S. Agneti, & sibi Mausoleum, (62) patre impensam suppeditante, construxit. Pridie Nonas Augusti Ovinius Gallicanus in locum Prætextati Præfecturam urbis inivit. Vir summæ virtutis, eximiæque apud Constantinum auctoritatis, Constantiam virginem, specie ac virtute inter ceteras eminentem sibi in matrimonium postulavit. Constantinus libenter & ipsi, & Comitibus, ac Præfectis omnibus pro illo orantibus morem gessisset, si Virginem Christo dicatam perpelli posse ad matrimonium viri adhuc errore gentilitatis infecti duxisset. Qua ex re cum vehementer animo angeretur, Constantia ei dixit: Noli propterea laborare pater, sed sponde; si ille Scytharum gentem, qui se in Thraciam intulerunt, armis domuerit, fore, ut me Consul ducat: proinde duas suas filias Atticam, & Artemiam apud me interim ponat, atque ipse Joannem, & Paulum Primicerium meum apud se habeat, ut & ipse me per familiares suos alloqui, & ego illum ex filiabus ejus possim agnoscere. Hujus consilii ratione probata Constantinus rem cum Gallicano confecit, ac postulato Constantiæ expleto ipsum in Illyricum destinavit. Interim Constantia supplici à Deo oratione magnopere petiit, ut sibi Gallicanum, & Gallicani filias redigere ad sanctum ipsius cultum liceret, quam orationem se à Constantia accepisse, Terentianus hujus auctor historiæ refert in eo libro, in quo vitam Sanctorum Martyrum Joannis, & Pauli descripsit. Gallicanus sacris in Capitolio factis, votisque more patrio nuncupatis, urbe egressus properavit in Thraciam, ac rem cum Scythis magna mole gerere instituit: deinde in urbe Philippis tantis viribus ab eis obsessus est, ut copiarum suarum exiguitate diffisus, ac pugnis aliquot adversis exterritus, salutem suam non in virtute militum, sed in munitione murorum posuerit: inde à militibus destitutum, ac sese fuga ex obsidione eximere molientem Joannes, & Paulus, quos commemoravimus, monuere, ut votum Deo faceret, se, si victoriam retulisset, Christi cultui dediturum. Quo facto oblata est illi species juvenis statura excelsi, ferentis humero Crucem, qui dixit: Sume gladium tuum, & sequere me: illo vero obediente, armati apparuere milites, qui se illi operam navare dixerunt; proinde extemplo castra hostium invaderet, & Regem eorum appeteret. Quod cum ille fecisset, insigni victoria negotio nullo potitus, Regem procumbentem ad pedes habuit atque hostium nemine violari permisso Scythis ex Thracia pulsis tributum annuum imperavit, ex tribunis autem militum, qui ad se redierant, neminem, nisi in Christum credentem recepit, qui vero Christo se devoverunt, ad gradum sublimiorem provexit, ceteros munere militiæ spoliavit. Postero 317
vero anno reversus Romam, atque honorifice à Constantino exceptus, antequam urbem iniret, sacra, ut inquit Terentianus, Apostolorum limina in Vaticanum adivit, ac gratias Deo Omnipotenti more Christianorum de tanta victoria egit. Cujus rei admiratione captus Constantinus: Quid hoc rei est, Gallicane, inquit, quod tu, cum ad bellum proficiscereris, Capitolium ingressus dæmonibus immolasti, nunc victor reversus, Christum, & Apostolos ejus adoras? Cui Gallicanus rem omnem, ut evenerat, enarravit, (63) illud demum adjungens, se tanto à Deo beneficio affectum æta-

(59) Fecit id & Titus, teste Sveton. in ejus vita, c. 8. & Nerva, cujus edictum extat ap. Plin. l. 10. aliique, quorum exemplo Constantinus Fisci calumnias repressit hac lege, possessorumque securitati consuluit. Est autem l. *de longi tempor. præscript.* Cod. Theod.

(60) Præter legem mox relatam nulla h. an. data, sive proposita Romæ exhibetur h. an. præter l. 1. *de feriis* ad Maximum P. U., quæ tamen referenda est ad Consulatum Severi, & Rufini an. 323. gestum, *VI. Non. Febr.* data, cum tamen, ex *Notitia Præfector. Urbi*, Vettius Rufinus usque ad prid. Non. Augusti eamdem gesserit Præfecturam. Vide Chronolog. Cod. Theod.

(61) Ab incerto Auctore desumpta narrat hæc Ambros. serm. de pass. Agnetis.

(62) Sic dicta magnifica sepulchra: De Mausolei magnificentia multi scripsere, quos ad Philonem Leo Allatius congessit. Vide Necyom. p. 414. Unde Propert. l. 3. eleg. 1.

*Nam neque Pyramidum sumptus ad sydera ducti,*
*Nec Jovis Elei cœlum imitata domus,*
*Nec Mausolei dives fortuna sepulchri*
*Mortis ab extrema conditione vacant.*

Admirabili inde ejusdem sepulchri structura summopere gloriabantur Halicarnassenses.

(63) Narrationem hanc fatetur A. N. se exscripsisse ex Actis SS. Joannis, & Pauli, quæ à Surio die 26. Jun. recitantur. Si autem hæc Acta in omnibus legitima forent Bellum Scythicum, quod præsenti anno alligat A. N. anno 329. consignandum esset; siquidem in iis legitur, Gallicanum, postquam Gothos, seu Scythas superasset, Consulem à Constantino M. creatum: fuit autem Gallicanus Consul anno 330. quo tempore Helena multos ante annos jam obierat, & tamen in Actis dicitur: Beatam Helenam occurrisse Gallicano Imperatoris Palatium ingredienti. Altum deinde silentium apud omnes Byzantinos Scriptores de Constantia Constantini M. filia nupta Gallicano. Lege eadem Acta, & cum illorum temporum Historia concilia, si potes. Si vero hoc bellum ad præsentem an-

ætatem posthac suam in ipsius Dei servitio consumere, atque à conjugio abstinere firmo animi decreto constituisse; proinde illum orare, ut sibi successorem daret, quo libere posset religioni vacare, & in cognita veritate persistere. Quem complexus Constantinus filias ejus Christo consecratas edocuit, atque ipsum in Palatium duxit, cui Helena Augusta mater, & Constantia virgo, & Attica, atque Artemia filiæ occurrerunt, eumque omnes perinde atque Augusti generum honorarunt. Demum cum privatus vellet abire, rogatu Constantini XIII. Kal. Martias Consulatum cum Basso inivit, in quo quinque millia servorum libertate, ac civitate donata, prædiis urbanis rusticisque locupletavit. Inde, cum Consulatu, & Præfectura se abdicasset, Basso Idibus Maji Præfecturam ineunte, secessit Ostiam, & cum Sancto Hilarino vivens ædibus ejus ad recipiendos peregrinos accessionem adjunxit, ibique in omni Christianæ pietatis officio maxima cum omnium admiratione se exercuit, cum homo Augustis carissimus ex Præfecto, & Consule pedes lavaret, mensam sterneret, aquam manibus funderet, & languentibus acri studio ministraret. Quin etiam ipse primus ædem Ostiæ S Laurentio Martyri condidit, atque officia Clericorum instruxit. Constantinus, cum VI. Idus Majas (64) Romæ fuisset, inde in Illyricum adversus barbaros rursus incursantes contendit, quod rescripta indicant ab illo Romæ, Sirmii, Naissi, & Serdicæ data. Crispus filius Germaniæ limites egregie est tutatus. Idibus Augusti Fausta Augusta puerum alterum peperit, quem Constantinum appellavit. Ceterum, cum ordinarius Consulatus insignis adhuc Romæ dignitas haberetur, ut à quo anni nominarentur, & Fasti decorarentur, statuit Constantinus eum honorem filiis, sororisque filio Cæsaribus tradere: nam fratres male concordes, ut ex alia matre natos, sero admodum honoravit. Ita-
318 que sequens annus Licinium Augustum quintum cum Crispo Cæsare Consulem habuit. Eo anno Crispus ipse Francos rebellantes insigni victoria domuit: inde post Nazarius (65) in Quinquennalibus ejus dixit: *Francorum natio ita raptim adolevit ad gloriam vestram, ut fortissimo Cæsari primitias ingentis victoriæ daret, cum memoria acceptæ cladis non infracta, sed asperata pugnaret*. Basso urbis Præfecto ad Constantinum Augustum profecto, Julius Cassius vice illius cognovit. Bassus regressus Præfecturam resumpsit. Interim Romæ, & in Italia Constantinus summo studio templa nova instituit, nam & via Tiburtina Beato Laurentio Martyri Basilicam, & Capuæ, Neapoli, Albæ, & Ostiæ alias inchoavit. Quæ vero Ostiæ Petro, & Paulo Apostolis instituta est, ea à Gallicano insignibus donis ornata est. Neque vero templa ædificare ad religionem amplificandam satis habuit, quin etiam ad populi usum, & urbis decus thermas, & porticum nobilissimam condidit, multaque vetera opera instauravit, ita ut urbem clarorum ædificiorum magnificentia multo illustriorem spectantibus omnibus exhibuerit. Ex quo post dixit Nazarius in Quinquennalibus: *Vacat remissioribus animis delectamenta pacis adhibere celeberrima, quæ urbis nobis operibus enitescunt, nec obsoleta modo per vetustatem redivivo cultu insigniuntur, sed illa ipsa, quæ antehac magnificentissima putabantur, nunc auri luce fulgentia indecoram majorum parsimoniam prodiderunt. Idcirco ipsæ maxime sublimes porticus, & rutilantes auro columnæ tantum inusitati ornatus dederunt, ut illo non minus cupide conveniatur loci gratia, quam spectaculi voluptate.* Non prætereundum illud etiam, eloquentiam per hæc tempora summo studio Romæ, & in Italia celebratam, testis est Divus Hieronymus, qui ad Rusticum scripsit: *Mater post studia Galliarum, quæ florentissima sunt, misit te Romam, ut ubertatem, nitoremque Gallici sermonis gravitas Romana condiret*. Floruere autem hac laude Romæ Nazarius, qui Rhetoricam docuit, & Minucius Felix, (66) qui causas oravit, & Lampridius, (67) Spartianus, Capitolinus; & Vopiscus, qui vitas superiorum Imperatorum literis mandaverunt, qui quanta dicendi facultate valuerint ex scriptis eorum perspici potest. Post Nazarium inde Paterius (68) Rhetor, & Eunomia (69) Nazarii filia eximie celebrati, quorum D. Hieronymus meminit. Postero anno Constantinus 319
Augustus V. cum Licinio Cæsare (70) Consulatum occepit, &, cum III. Idus Maji (71) Sirmii esset, ad Rufinum Præfectum Prætorio rescripsit. Kal. Septembris Valerius Maximus urbis Præfecturam inivit. Per hos annos Basilica Salvatoris Lateranensis V. Idus

an. rejiciatur, ut A. N., quomodo Acta ipsa tradunt, Gallicanum abdicato Consulatu in humili vivendi genere usque ad Juliani tempora perseverasse, cum tamen Consul processerit, Symmacho Collega, an. 330?

(64) Duæ leges Romæ h. an. datæ à Constantino exhibentur, prima VI. Id. Mart. Lex nempe 2. *ad legem Jul. de vi*; altera XII. Kal. Aug. lex scil. *in exercendis* 15. Cod. Just. *de fide instrumentorum*: at hæ propositæ potius Romæ, quo enim tempore datæ dicuntur Constantinus ibidem esse non potuit. Serdicæ eo tempore in Dacia fuit, ut docet l. 1. ad L. Jul. de vi, pacem cum Licinio firmaturus. Mox & Sirmii constitit, quemadmodum ostendit L. 7. *de appellationibus*.

(65) Qui Constantino Panegyrim recitavit, cujus initium: *Dicturus Constantini augustissimas laudes* &c.

(66) De quo Hieronym. de viris Illustr. ait; Romæ insignem causidicum fuisse; ejusdem extat Dialogus, qui *Octavius* inscribitur, ubi Christianus, & Ethnicus disputant. L. Lactant. l. 1. divinar. Institut. c, 11. & l. 5. c. 1. Eucher. epist. ad Valerium. Num autem usque ad hæc tempora vixerit incertum.

(67) Ælius Lampridius qui ad Diocletianum *Antonini Commodi* vitam, ad Constantinum vero Antonini Heliogabali, & Alexandri Severi vitas scripsit. Vide Voss. de Hist. Lat. l. 2.

(68) *Paterius Rhetor Romæ gloriosissime docet*. Inquit Hieronym. in Chron. ad an. D. 339.

(69) De qua Hierony. in Chron. ibid. ait: *Nazarii Rhetoris filia Eumonia virgo Christiana in eloquentia patri coæquatur*.

(70) Hinc patet nondum Licinium Aug. fuisse profligatum, cum ejus filius h. an. processerit Consul. Sed de secundo Liciniano bello infra.

(71) A. N. Sirmii fuisse Constantinum ex hac Lege ostendere vult; sed Gothofred. *in Prosop.* hanc referendam putat ad an. D. 352. & Constantio adjudicandam. Est autem l. *de Sponsalib.* Cod. Theod. ex quo aliæ suppetunt leges à Constantino Sirmii datæ; ut L. 1. *de Denuntiatione*. L. 2. *de Relationib.* L. 1. *de filiis milit. apparit*; aliæque quamplures præsenti an. ibidem datæ.

Idus Novembris, & S. Petri Vaticana XIV. Kal. Decembris ad summum perductæ, sunt conseeratæ. Rebus Occidentis egregie, atque ex Imperatoris, & populorum sententia procedentibus duplex, & quidem fœda, ac perniciosa utraque calamitatis tempestas incurrit, quæ totum Orientem non solum inexpiabili inter se odio, ae simultate distraxit, verum etiam in multos annos civili, ac sacro sanguine cruentavit, usque adeo ut ea labes aliqua etiam ex parte Occidentem tetri cujusdam incendii more afflarit. Earum unam turpe gentilitatis studium; alteram pravum Christianorum Antistitum de Deo dissidium intulerunt, Licinio, Arrio-

B que auctoribus. Licinius Augustus anno, ut notavit Cedrenus, Imperii Constantini quartodecimo, ægre passus, se à Constantino Illyrici provinciis per arma civilia spoliatum, simulata prioribus annis amicitia occultis ipsum insidiis sæpe appetiit, quibus ad irritum divino numine detegente redactis, ac semel, iterumque reconciliata concordia, demum ut Constantini animum vulneraret, ad gentilitatem, quam in gratiam ejus reliquerat, se recepit, & Christianis, (72) quorum illum studiosissimum esse videbat, inimicus evasit, ac primum edicto proposito Episcopos inter se de more convenire, ac de rebus ad Ecclesiam pertinentibus

C consultare prohibuit, alterutrum necessario consequuturum arbitratus, ut aut dicto non audientes capitali supplicio vindicaret, aut obedientes à Christi veneratione averteret: deinde omnes, qui Christianorum sacris imbuti essent, Palatii sui liminibus arcuit, & summis honoribus usos ad illiberalia ministeria adhibuit, & bonis publicatis, mortem omnibus, qui Christum appellassent, indixit: quo modo totum Orientem, tum primum sese à superioris persequutionis cladibus attollentem, vehementer afflixit. Arrius autem (73) flagitiosam in Ægypto hæresim, quæ post latius dissipata eundem Orientem misere perdidit, hoc modo invexit.

D Alexander Episcopus Alexandriæ nuper in locum demortui Achillæ suffectus Ecclesiam de more advocavit, ac præsente Clero subtilius aliquando, quam moris erat, de Sancta Trinitate cœpit disserere, filium ejusdem substantiæ, atque honoris esse cum patre adversus Paulum, Apollinaremque præcipiens, ubi vero peroravit, Clerum, quid

A sui judicii esset, rogavit: tum Arrius Presbyter, sacrarum literarum interpres, homo multarum doctrinarum cognitione imbutus, sive odio, (74) quo erga illum flagrabat, inductus, sive Sabellianam hæresim unam tantum ut substantiam, sic personam constituentem aversatus, ad opinionem prorsus contrariam declinavit, ac Christum creaturam, & factum esse, sibi videri respondit: Nam si pater, inquit, filium genuit, qui genitus est, suæ essentiæ principium habuerit, necesse est: ita sit, tempus fuisse, cum filius non fuit, eumque ex nihilo essentiam accepisse. Cum autem hæc ita conclusisset, factum est, ut multorum, qui aderant, ad

B veritatem indagandam ingenia exeitarit, ex quo ea quæstio inde paulatim totam Ægyptum peragravit. In exitu anni Constantinus Augustus ex Illyrico Romam reversus, ut filiorum Cæsarum Quinquennalia celebraret, (75) tertio filio auctus est, quem Constantem vocavit, ac proximo anno, qui fuit post Christum natum trecentesimus vi- 320
cesimus, cum sextum Consulatum, Constantino Cæsare assumpto, iniset, una cum Crispo, qui sæviente hyeme ex Gallia Romam redierat, & puero Constantino, operam Quinquennalibus dedit. Ea vota ingenti Principum, populique lætitia persoluta sunt. Nazarius Orator magni ea tem-

C pestate, ut dixi, in urbe nominis solemnem in eusmodi celebritate Orationem habuit, in qua præcipue Constantini Augusti victoriam celebravit, quam primum de Maxentio, post de Germanis insultantibus tulit. Ex quo declaratur, Constantinum nihil interim aut in Pannonia, aut in Thracia contra barbaros memorabilis rei gessisse, neque enim ille recentes victorias, atque inauditas præteriisset, ut veteres, ac sæpissime decantatas ornaret. Nam Cibalense bellum ipso vivente, & nondum apertas inimicitias exercente Licinio, credo, non esset ausus attingere. Deinde de Cæsaribus, Augusto,

D & his Quinquennalibus ita disseruit: *Quintum decimum annum maximus Princeps salutaris Imperii degit, sed auguramur jam vicennalia. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis decenniis jam vota properantia, & spes volucres constiterunt. Crispus Cæsar jam obterendis hostibus gravis terrorem paternum, quo semper barbaria omnis intremuit, derivare ad nomen*

(72) Sozomen. l. 1. 7., postquam capite superiori de priori bello Liciniano locutus est, subdit: *Licinius, qui ante Religionem Christianam coluerat, post cladem illic acceptam animo mutatus, multos Sacerdotes, qui in suis partibus degebant, graviter afflixit.* Ad gentilitatem se

E recepisse testatur ib. *Præterea cum iterum pugnaturus esset adversus Constantinum, victimis, & divinationibus ad futurum bellum se præparabat, seductusque à quibusdam, qui victoriam illi pollicebantur, ad Gentilium superstitionem destruit.*

(73) Is ex Lybia oriundus, teste Epiphanio, ea videlicet, quæ Ægypto est vicina, & Alexandriæ contributa; hinc Constantius ap. Socrat. l. 1. 19. Alexandriam vocat Arii patriam. Hæresim evulgare cœpit iis diebus, quibus Crispus, & Constantinus Junior, Cæsares sunt creati, ex Oros. l. 7. 28. Certe ante Licinii Persecutionem sævientem; quod tamen ostendi nequit ex Lactantio l. 4. Divinar. Institut. c. ult. in quem locum Arianorum nomen irrepsit, nec in melioris notæ Codicib. legitur.

(74) Ægre ferens sibi in electione ad Episcopatum Alexandrinum, prælatum fuisse D. Alexandrum, teste Theodor. l. 1. Hist. Eccles. 2., & l. 4. Hæretic. Fabular. 1. Falsus igitur est Philostorgius Arianus Historicus l. 2. 3. scribens, Arium S. Alexandri electioni fuisse benevolentissime suffragatum. Arii errores I. ap. Athanas. in epist. de Synodis Arimini, & Seleuciæ, ubi fragmentum ex Arii *Taleja* refert. Item Orat. 2. contra Arianos p. 138. Epiph. hæresi 69. Theodoret. l. c.

(75) Hæc an. sequ. celebrata indicant eorumdem Cæsarum Numismata, in quibus uterque Cæsar cum habitu consulari repræsentatur, & hæc vota exprimuntur. Crispus autem, & Constantinus frater anno sequ. secundum Consulatum iniere. Vide ap. Mediob. p. 472. Romæ autem non aderat Constantinus, quando exhibita Quinquennalia, ut ex Nazarii orat. 3. patet, ubi: *Quis oro, Constantine maxime, (præsentem enim mihi alloqui videor) qui etsi à conspectu abes, revelli tamen à mentibus non potest.*

*nomen suum cœpit. Constantinus jam Consulatum, jam venerationem sui sentiens, si quid intactum aut parens, aut frater reservet, declarat mox victorem futurum, qui animo jam vincit ætatem. Ad gloriam vestram fœcunda malis suis Francorum natio ita raptim adolevit, robusteque recreata est, ut fortissimo Cæsari primitias ingentis victoriæ daret, cum memoria acceptæ cladis non infracta, sed asperata pugnaret. Tantorum Roma compos bonorum, quæ quidem ei sunt cum toto orbe communia, habuit semper ingentis spei fructum, quem propositum sibi ex Cæsaribus nobilissimis habet, eorumque fratribus, quorum jam nomina ipsa veneramur. Deelarant ecce rationem, cupiditatemque votorum facta Crispi Cæsarum maximi, in quo velox virtus ætatis mora non retardata est, pueriles annos gladiis triumphalibus occupavit, qui quidem nunc nobilissimus Cæsar venerandi patris, fratrum, suorumque omnium fruitur aspectu, seque fruendum omnibus præbet, cruda adhuc hyeme iter gelu intractabile, immensum spatio, nivibus infestum incredibili celeritate confecit. Quæ tuum, Constantine Maxime, pectus inundavit gratulatio, cui tanto intervallo videre filium licuit, & videre victorem, narravit utique exhausta bella, & hoc ad tuam gratiam, non ad sui ostentationem, qualis excipiendo hoste, quam resistenti vehemens, quam facilis supplicanti. Nunc te omnes rogamus, cum præsentem laudaveris, cum jam Reip. flagitanti, cum Gallis desiderantibus reddes, iterum atque iterum moneas revertentem. Te vero, Constantine Cæsar, incrementum maximum boni publici, quibus modis amplectitur humana felicitas? quæ de te tantum expectat, quantum nomine polliceris, & licet ætas adhuc avocet ab imitatione virtutis paternæ, jam tamen ad pietatem ejus natura deducit. Quinquenniis igitur feliciter inchoatis decennia Cæsarum nobilissimorum ultra posteros nostros extendenda quam impense rogare, & orare nos conveniat, ipsis bonis temporum, & Reip. rationibus admonemur. Jacet in latere Galliarum, Constantine Maxime, aut in sinu suo fusa barbaria. Persæ amicitiam tuam petiverunt, nulla in terris tam ferox natio est, quæ te non metuat, aut diligat, omnia foris placida, domi prospera, an non ubertate fructuum copiæ? exornatæ mirandum in modum, ac prope de integro conditæ civitates, novæ leges gerendis moribus, & frangendis vitiis constitutæ, cæterum calumniosæ ambages recisæ captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt. Pudore tuo munita conjugia, securæ facultates ambitione sui gaudent, nec aliquis habendi quamplurimum metus, sed in tanta bonorum affluentia magna verecundia non habendi. Hic denique status rerum est, ut obtinendæ potius felicitatis votum geramus, quam augendæ cupiditatis. Unum modo est, quo fieri possit Roma felicior, maximum quidem, sed tam solum, ut Constantinum conservatorem suum, ut beatissimos Cæsares videat, ut fruendi copiam pro desiderii modo capiat, & hos alacris excipiat, & cum Reip. ratio digredi fecerit, receptura dimittat.* Inter hæc nuncius est allatus, veteranos in Gallia atrocem post Crispi excessum concitasse seditionem. Quo audito Constantinus, quod res videbatur sua præsentia indigere, quanta maxima celeritate potuit, illuc accurrit, res Kal. Martiis in oppido Bellovacorum est acta, civilium munerum, (76) quam postulabant, vacatione concessa tumultus omnis sedatus est. Inde Crispo in provincia relicto Romam repetiit. In Oriente Licinius legem adhuc acerbiorem tulit adversus Christianos, (77) ne viri cum mulieribus precationis causa in Ecclesiis convenirent, neve Episcopi mulierum aures sacris præceptis imbuerent, neve populi, nisi in campis suburbanis, conventus haberent, milites autem, nisi nudato capite sacrificiis interessent, muneribus exuit, quo pacto ingentem numerum hominum damnis, ignominiisque affecit, usque eo vero crudelitatis, truculentiæque processit, ut neque iis, qui in vinculis tenebantur, alimenta suppeditari, nec qui suam proximis misericordiam tribuissent, in bonorum numero haberi voluerit, atque eadem pœna eos, qua qui sontes erant, plectendos censuerit, quin etiam novas leges de nuptiis, ac funeribus edidit, quibus veteribus abrogavit, nova, eaque gravissima tributa in agros imposuit, atque ob id metiri omnes voluit, novosque agricolis census indixit. Et hoc 321
anno Romæ Valerius Maximus idem urbis Præfectus jus dixit. Crispo inde, & Constantio (78) Cæsaribus ambobus Consulibus iterum, Constantinus Augustus bellum acre cum Sarmatis gessit. Quippe comperto, (79) Sarmatas Mæotidem accolentes trajecto navigiis Istro provincias suas se absente depopulari, in Illyricum regressus exercitum ducere adversus eos instituit. Qua re perspecta illi cum Rege Rausimodo adventum ejus prævertentes oppidum quoddam adorti parti ejus superiori, quæ ex materia constabat, incendium intulerunt, verum à propugnatoribus, qui pro muris stabant, telis, missilibusque propulsi propositum tenere non potuerunt. Superveniens inde Constantinus tanta illos mole oppressit, ut multis desideratis reliqui vix tempus nacti sint evadendi. Rausimodus cum iis, qui superstites erant, Istro superato fuga sibi consuluit. Post aliquot

(76) Hæc A. N. desumpsit ex L. 2. Cod. Theod. *de Veteranis*, quæ dicitur data *Kal. Martii in Civitate Velovocorum, Constantino Aug. VI. & Constantio Cæsare Coss.* Volevocorum enim nomine *Belovacorum* in Gallia urbem intelligit. Verum non *Velovocorum*, sed *Velanorum* legendum; quæ urbs in Mœsia superiori fuit, & quidem mediterranea, non ad Danubium sita, sed ab eo dissita, ex Ptolomæo l. 3. 9. media pene inter Serdicam, & Sirmium. Neque Constantinus hoc tempore in Gallia substitit, sed vel in Pannonia, vel in Mysia, aut Dacia, Sirmii, aut Serdicæ, ut Leges Cod. Theod. evincunt, & sane propter bellum Sarmaticum. Varia laud. L. privilegia Veteranis conceduntur.

(77) Quæ persecutio anno præcedenti cœpta, cæ hoc anno sæviit aeerbior; unde Anonym. Vales. ait: *In Orientis partibus, Licinio, Constantino Coss.* (Legendum Constantino V. & Licinio Cæsare Coss.) *repentina rabie suscitatus Licinius omnes Christianos à palatio jussit expelli*. Quæ an 319. facta. Quamobrem Martyres, qui in Actis Sanctorum passi dicuntur in *Liciniana Persecutione*, non ante id tempus morte affecti fuere. Vide quæ Licinius adversus Christianos gessit ap. Euseb. l. 10. 8. Socrat. l. 2. 2.

(78) Legendum, *& Constantino Cæs.* Neque enim Constantius antea Consul fuit, neque hactenus Cæsar.

(79) Præter Zosimum l. 2. etiam Porphyrius in Constantini Panegyr. c. 21. & 23. Sozomen. l. 1. 8. Euseb. in Vit. Constant. l. 4. 5. & 6.

quot dies Constantinus certior factus, Rausimodum nova de Istro trajiciendo consilia coquere, ante illum transmittere maturavit, eumque adortus prœlio facto in collem præcipiti suga compulsum interfecit, ac magna Sarmatarum strage edita reliquæ multitudini fidem suam imploranti pepercit, & cum ea in castra se retulit, qua in oppida provinciæ distributa Thessalonicam recessit. Hujus belli Zosimus est auctor. Ibi vero legem tulit, (80) quæ V. Nonas Julias Romæ proposita est, ut unusquisque vita cedens bonorum suorum partem Catholico concilio relinquere posset. In Oriente interim res in dies tetriores, fœdioresque committebantur. Nam Licinius jam templa passim evertere, Episcoposque, quos sibi adversos, Constantino vero deditos esse judicabat, variis suppliciis lacerare adortus erat. Præter ceteros autem insigne fuit Basilii Amasiæ Ponti Episcopi (81) martyrium, à Joanne Nicomediensi Presbytero, (82) qui se interfuisse dicit, ad fidem conscriptum. Huic Nicomediam adduci jusso, quod deis immolare abnueret, caput desecari, & cadaver in mare abjici jussit, quod mox à piscatoribus integrum inventum, incredibile dictu est, quantum omnium in se piorum oculos, animosque converterit. Hæresis autem Arriana ex Ægypto jam in Asiam incendii more sese ferox effuderat. Præcipue autem Eusebius Nicomediensis Episcopus (83) eam avide arripuit, ac palam tueri instituit, cujus maxima erat in Asia auctoritas, quod Licinius Nicomediæ sedem habebat, atque eo amico præcipue, & consiliorum arbitro utebatur. Quod ubi Alexander comperit, ita fervidus advocato Episcoporum Concilio (84) Arrium, atque illius sectatores damnavit, atque ad omnes Episcopos scripsit, nominatim levitatem Eusebii carpens, ut qui primum Berytiensi Ecclesia relicta (85) Nicomediensem aucupatus per ambitionem fuisset, deinde eorum, qui ab Ecclesia Catholica defecissent, patrocinium suscepisset, atque eos ab illo audiendo tanquam impie sentiente studuit avocare. Contra vero Arrius cum ad alios, tum maxime ad Eusebium (86) de re, quæ in controversiam venerat, & de damnatione sui literas dedit, eumque ad opem sibi ferendam oravit. Itaque Eusebius cum ab Arrio temere inductus, tum ab Alexandro propter contumeliosas de se literas infensior factus in Arrii partes transivit, ac conventu Episcoporum habito Arrium insontem pronunciavit, ac scriptis ad Episcopos literis cum plerosque auctoritate sua movisset, nascenti incendio ingentes faces admovit. Hac de causa pro- 322
ximo anno, quo Probinus, (87) & Julianus Consules fuerunt, hæc pestis per Ecclesias Ægypti, Asiæ, & Orientis bacchari truculente cœpit, siquidem Clericis inter se aspere, ac contumeliose jurgantibus imperita multitudo non solum factorum spectatrix, sed etiam dictorum disceptatrix evaserat, ac pars horum, pars illorum sententiam approbabat, de his etiam in theatris cum magno religionis ludibrio differens. Constantinus autem Romam reversus, ut in summa frugum inopia extremæ multorum egestati succurreret, pridie Nonas Julias cavit, ne quis victus inopia liberos venderet, (88) sed ad eos alendos, annonæ quod satis esset, à Fisco acciperet. Cum autem nefanda jampridem Licinii flagitia (89) percepisset, neque precibus, neque monitionibus pepercerat, ut ipsum ad saniora consilia revocaret, sed variis rationibus delusus nihil profecerat, proxime autem cum Basilii Episcopi indignam adeo necem, ac summam in martyrio constantiam, & ingens post mortem miraculum com-

(80) Est 4. Cod. Theod. *de Episcopis*, &c. cujus verba sunt, decedentem licentiam habere, *bonorum quod optaverit, relinquere Catholico, venerabilique Concilio*; idest cujuscumque generis bona, in quacumque re, vel specie, ut loquitur lex generalis 13 Cod. *de Sacrosanctis Eccl.* Omnibus autem Catholicis Ecclesiis bona relinqui poterant hac lege; *Concilii* enim nomine Ecclesia cujuscumque loci intelligitur, ut sumitur in edictis Constantini, & Licinii ap. Euseb. l. 10. 5. Tertullian. de pudicit 10 de Jejuniis 53. Male itaque Alciatus hic *Concilium* pro Synodo Ecclesiastica accipit.

(81) De quo Niceph. *l. 7.* 44. nec ejus Martyrium in dubium revocandum, ut perperam Vales. in Not. ad l. 2. Euseb. de Vit. Constant. c. 1. quamvis enim Acta Basilii apud Merephr. fabulosa videantur, at omnes Græci Scriptores Licinii jussu cæsum Basilium tradunt. Neque audiendus Philostorgius (cum quo Nicetas l. 5. Thesauri Orthodoxæ Fidei 7.) dum Basilium Nicænæ Synodo interfuisse scribit, l. 1. 8. hallucinatus est enim; nam in Subscriptionibus ejusdem Conc. legitur: *Eutychius Amaseæ*, Episcopus scil., qui Basilii successor fuit.

(82) Acta hæc Henichenius die 26. April. exhibet, Joannis nomen præseferentia; at cum illorum historia parum apte cohærent, præsertim cum dicant, Licinium à Constantino debellatum, in Gallias fuisse relegatum, & tamen Anonym. Vales. testatur Thessalonicam in exilium missum, ibique Constantine jubente occisum.

(83) Qui Arii, ab Alexandro damnati, patrocinio suscepto Concilium in Bythinia convocavit, ex quo ipse, ejusque Symmistæ literas ad omnes Episcopos dederunt, adhortantes, ut communioni suæ Arium restituerent, ejusque asseclas. Superest una ex his epistolis ad Paulinum Episc. Tyri, ap. Theodoret. l. 1. Hist. 6.

(84) Hujus Concilii meminit S. Epiph. Hær. 69. & ex eo Encyclicam epistolam ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episc. dedit Alexander, quam Vide ap. Socrat. l. c. 3. cui interfuerunt ex Ægypto, & Lybia Antistites fere centum.

(85) Vita functo Eustolio Nicomediensi Episcopo successit Eusebius, adnitente fortasse Constantia Augusta Licinii Imperatoris uxore.

(86) Arii epistola ad Eusebium Nicomed. extat ap. Theodoret. l. 1. Hist. Eccles. c. 5 & Epiphan. Hær. 69. Arianorum vero epistolis libellum opposuit S. Alexander, eumque misit ad Episcopos Ægypti, Thebaidis, Lybiæ, Pentapoleos, &c. qui eidem subscripsere, & unanimi consensu ad Fidei veritatem tuendam cum Alexandro conspirarunt; eod. Theodoret. teste l. 1. Hist. 4.

(87) Petronius *Probianus*, ut ex Inscript. excusa formis Plantin. p. 69. n. 31. ubi utriusque Consulis recordatio. Et ex l. 2. *de alimentis* Cod. Theod.

(88) Extat in Cod. l. 1. Theod. *de alimentis*, itemque 2. illa pro Italia; posterior vero pro Africa lata: utramque confer cum iis, quæ Lactantius scribit Divinar. Instit. l. 6. 20. Sævum hunc morem tunc ex inopia viguisse ostendit etiam Lex un. eod. Cod. *de his, qui sanguinolentos emptos, vel nutriendos acceperint*; quam Vide.

(89) Anonym. Vales. ait: *Per tempora, quibus nondum gerebatur bellum civile, sed item parabatur, Licinius scelere, avaritia, crudelitate, libidine sæviebat: occisis ob divitias pluribus, uxoribus eorum corruptis.*

Digitized by Google

comperiſſet, juſta ira ſuccenſus, ut Chriſtianis rurſus laborantibus ſubveniret, eoſque indigno jugo ſervitutis eximeret vim ſibi adhibendam, neque affinitatis rationem habendam putavit, atque homini gratiam, atque auctoritatem ſuam jam aperte repudianti bellum indixit, ad quod ſe compulſum iri proſpiciens portum Theſſalonicæ prioribus menſibus inſtituerat, urbemque novis operibus confirmarat. Itaque cum hanc arcem ſibi ad invadendum Licinium delegiſſet, eo demum omnia ad magnum bellum adminiſtrandum neceſſaria contulit; (90) nam triremes ducentas, atque onerariarum amplius duo millia, peditum centum, & viginti, equitum ad decem millia confecit, in quibus magnus etiam Gothorum numerus fuit, ac Criſpum Cæſarem ſocium expeditionis futurum ex Gallia evocavit, Conſtantinum vero Galliæ præfecit, quam ille deinde obtinuit uſque ad exitum vitæ, ac Roma profectus Theſſalonicam adiit. Quo rerum apparatu percepto Licinius & ipſe ex provinciis ſuis ingentem numerum utriuſque militiæ convocavit, ut pedeſtrium copiarum ad centum quinquaginta millia, equitum ad quindecim in armis habuerit, &, cum Conſtantinus claſſem ſuam in Piræo Athenarum portu (91) conſtituiſſet, ipſe ſuam in Helleſponto locavit, & cum omnibus terreſtribus copiis ad Hadrianopo-
323 lim in Thracia ſubſtitit. Novo inde ineunte anno, (92) Severo, & Rufino Conſulibus, Conſtantinus cum terreſtri exercitu Theſſalonica egreſſus ad flumen Hebrum acceſſit, quod ad lævam Hadrianopolim attigit, atque in ripa ejus adverſus Licinium conſedit, qui caſtra ad montem urbi imminentem poſuerat. Cum igitur armatus utrinque ſtaret exercitus in ſummi certaminis dimicationem paratus, Licinius princeps ſuos in lucum ſeduxit, variis deorum ſimulachris refertum, quibus cum cereos accendiſſet, ac victimas immolaſſet, tum converſus ad eos ita dicere cœpit: Hi ſunt Dei, quos à majoribus colendos accepimus, & quorum auxilio rem publicam, & privatam hucuſque optime geſſimus. Conſtantinus autem patris inſtitutis neglectis novum quendam, ac peregrinum Deum ſibi ſuſcepit colendum, ac turpi ejus inſigni ſuum dehoneſtavit exercitum, ejuſque numine fretus ad nos deoſque noſtros tollendos infeſtus procedit, verum propediem apparebit, utri numini cultus ſit adhibendus, nam à qua parte certaminis victoria ſtabit, ab eadem potiorem religionem eſſe conſtabit. Hæc ab illo dicta ſe audiviſſe ab iis, qui interfuerunt, Euſebius aſſerit. (93) Conſtantinus autem divino, ſi quando alias, auxilio ſibi opus eſſe intelligens ſalutiferum Crucis vexillum, cujus virtutem expertus incredibilem fuerat, præferebat, ac ſacris Sacerdotibus advocatis, piis, atque aſſiduis eorum ad Deum orationibus ſe totum tradiderat, vates, arioloſque irridens, qui Licinio aderant, eumque ridicula Gentilium arte confiſi inani ſpe rerum ſecundarum inflabant. Itaque in urbibus Licinii multi per eos dies multas Conſtantini cohortes meridie per urbes tranſeuntes, tanquam victrices ſe vidiſſe, affirmarunt, omenque victoriæ, quæ inſtabat, fecerunt. Interim Conſtantinus pontem ſe tranſeundi fluminis cauſa facere velle ſimulat, qua in parte latiſſimus amnis erat, dumque ei rei impediendæ hoſtes intentos videt, quinque millia ſagittariorum peditum cum equitibus octoginta in colle quodam ſylvis pleno in inſidiis collocat. Inde alia in parte flumine, qua arctiſſimum erat, ſuperato, repente in hoſtes irrumpit, ac ſigno Crucis illato eorum triginta millia ſtravit, ac ſub noctem caſtra etiam cepit. Hæc V. Nonas Julias acta. Licinius ſuis, ut unum Crucis vexillum peterent, ac lacerare contenderent, imperarat. Narrat autem Euſebius, ſe ab ipſo Conſtantino audiſſe, cum vexillifer in ipſo pugnæ ardore telorum ingruentium multitudine conſternatus periculi declinandi cauſa vexillum proximo tradidiſſet, atque acie exceſſiſſet, factum eſſe, ut ipſe extra aciem tragula trajectus obierit, qui vero vexillum ſervaverat, incolumis inter tot undique impetentia tela, vexillo ipſo multis in partibus perforato, evaſerit. Licinius, cum impetum Conſtantini ſuſtinere non poſſet, arrepta fuga Byzantium ſe recepit. Liciniani omnes, qui prœlio ſuperfuerunt, ſeſe Conſtantini fidei permiſerunt. Conſtantinus inde Licinium inſequutus Byzantium adiit, atque oppidum obſidione circumdedit, & claſſem, quæ è Piræo in Macedoniam venerat, ad Helleſpontum adeſſe juſſit, quæ ubi advenit, Conſtantini duces triremibus octoginta in faucibus Helleſponti prœlium commiſerunt, atque Abantem Præfectum Licinii ducentarum triremium claſſem agentem invaſerunt, ac multis hoſtilibus navibus demerſis uſque ad noctem certamen produxerunt. Inde dirempto prœlio, alii ſe ad Eleuntem (94) Thraciæ, alii ad portum Ajacis recepere. Abas poſtridie, cum hoſtilem claſſem triginta triremibus auctam cerneret, prœlium detrectavit, claſſis Licinii, quæ partem exercitus è Byzantio in Aſiam tranſmiſit, ne obſeſſam urbem multitudine premeret, ſæva tempeſtate ſuborta prope tota conſumpta eſt. Abas Aſiam cum qua-

(90) De hoc belli apparatu l. Zoſ. l. 2. 20. ubi fuſe quot quæque a variis Gentibus ſuppeditatæ fuerint Licinio naves, exponit.

(91) Hunc Themiſtocles condidit, ex Nepote in Vita c. 6. L. Thucyd. l. 1. pag. 62. Ejuſdem meminit Cic. de Clar. Orat. 13. Poetæ hoc nomen contrahunt, Stat. l. 12. Theb v. 616. Ovid. l. 6. Metam. v. 445.

(92) Bellum hoc Licinianum præſenti anno cœptum, ſequenti vero confectum, A. N. recte ſcribit; Cedrenus enim tradit, illud duraſſe *annum, & octo menſes*, cum autem an. 324. debellatus fuerit Licinius, ex Idacio in Faſtis, ſub Conſulatu nempe Criſpi Cæſaris III. & Conſtantini Cæſaris III. proinde h. an. 323. inceptum. Non igitur an. 325. ut Auct. Chron. Alex., nec debellatus Licinius an. 323. ut Gothofr. Bellum hoc fuſe ab Anony. Valeſ. & Zoſimo l. 2. 22. & ſequentib. deſcribitur.

(93) Vit. Conſtant. l. 2. 5. & 6. Sozom. l. 1. 7. Niceph. l. 7. 45.

(94) Hujus portum memorat Arrianus exped. Alex. l. 1. p. 32. Herodot. l. 7. 21. Portum vero *Ajacis*, Antiquitus *Iſſi* ab Urbe cognomine Ciliciæ Vide Bodrandum Lex. in *Iſſus*, ex Plinio 5. 27. & Ptolemæo 5. 8. Maty Dictionar. Geog. in *Ajazzo* non Corſicæ, ſed Aſiæ minoris, ſive Natoliæ, dictum ab Urbe cognomine, quæ & *Iſſus*, & *Adjacium*, hinc etiam *ſinus Iſſicus*. Jacet inter veterem Ciliciam & Cyprum. Nune inter juriſdictiones Turcarum Aleppi & Alexandrettæ. Maty Diction. Geograph. *in Ajazzo*.

quatuor navibus fuga petiit. Constantinus commeatibus abunde subvectis obsidionem urgere perrexit; nam & aggerem patis cum muro altitudinis excitavit, & in eo turres ligneas constituit, atque inde murorum defensores incessere, atque eis remotis tuto machinas admovere contendit. Quibus rebus Licinius exterritus infirmiore militum parte Byzantii relicta cum fortioribus, & sibi fidelioribus Chalcedonem in Bithyniam navigavit, ac navale ejus Chrysopolim tenuit, (95) atque ibi Martinianum (96) magistrum officiorum Cæsarem appellavit, eumque cum exercitu Lampsacum misit, ut impedimento esset, quo minus hostes è Thracia ad Hellespontum accederent, ipse castra in collibus, & faucibus ad Chrysopolim fecit, Romæ Idibus Septembris Lucrius Verrinus, (97) urbis Præfectura affectus est. Constantinus inde, dum Byzantium obsidet, quod onerarias naves ineptas esse ad Bithynicum littus capiendum videret, per hyemem navigia leviora construxit, qua Crispus, & Constantinus Cæsares tertium Con-
324 sulatum ceperunt, atque opportuno tempore ad Sacrum promontorium, (98) quod est ad ostium Ponti situm ducentis à Chalcedone stadiis, classem appulit, atque expositis copiis colles quosdam occupavit. Qua recognita Licinius Martinianum Lampsaco evocavit, atque instructo exercitu adversus Constantinum processit. Ibi acri pugna edita Constantinus quoque fuit superior. (99) De Licinianis, qui centum triginta millia fuisse dicuntur, vix triginta millia evaserunt. Ea re Byzantium nunciata, Byzantii patefactis portis Constantinum receperunt. Byzantios vero repente Calcedonii subsequuti. Licinius ex prœlio fugiens cum paucis peditum, atque equitum millibus Nicomediam se recepit. Quod ubi cognovit Constantinus, Nicomediam inde exercitu illuc admoto obsedit. Tum demum Licinius, quam non suarum virium illa esset dimicatio, cernens pacem sibi petendam vel iniqua conditione putavit, ac Constantiam uxorem (100) ad fratrem Constantinum iterum misit, ut sibi

A veniam impetraret. Hanc lacrymantem, ac summis precibus pro se, pro viro, pro liberis supplicantem diutius sustinere pius Imperator non potuit, ac se hoc precibus ejus daturum esse respondit, ut Licinius depositis insignibus Augustalibus, atque Imperii administratione relicta Thessalonicam ad privatam vitam agendam secederet. Quam conditionem Licinius, ut necessariam magis, quam utilem, aut decoram accepit, atque privati hominis habitu sumpto ad Constantinum accessit, & petita erroris suppliciter venia, jussu ejus inde Thessalonicam cum Martiniano privato se contulit. Licinianum bellum, Licinio Nicomediam compulso, de-
B cem & octo mensibus confectum scribit Cedrenus. His rebus prospere administratis, Constantinus Nicomediam ingressus veteranos dimisit, (1) Asia, Ægypto, & Oriente in ditionem adductis. Hujus rei meminit ipse in epistola ad Florianum Præfectum, his verbis: *Veteranis, qui ex die quinta Nonarum Juliarum, cum prima per Thraciam victoria universo Orbi illuxit, & qui postea apud Nicomediam nostram missionem meruerunt, certa per edictum indulsimus.* Cui tamen epistolæ falso Consulatus Licinii V., & Crispi Cæsaris vulgo subscriptus est. Ceterum hac victoria parta Constantinus Secundus omnium vocibus, clarisque præco-
C niis celebratus est, quod sævissimo tyranno remoto gravi Ecclesias miseria, populosque servitute acerbissima liberasset, neque enim dubitabatur, quin idem studium ad statum Orientis formandum adhibiturus esset, quod ad Occidentis attulerat. Neque eorum illes spem, opinionemque fefellit, namque edicta statim proposuit, quibus exules à Licinio factos restituebat, damnatos ad metalla liberabat, spoliatis bona, dignitatesque suas reddebat, templa reædificari, conventus frequentari, religionem Christianam maximo ardore concelebrari jubebat, atque hæc ad Orientales Ecclesias misit, XVII. autem Kal. Junias (2) adversus Licinium sic edi-
D xit: *Remotis Licinii tyranni constitutionibus, & legibus omnes sciant, veteris juris, & statuto-*

(95) Socrat. l. 1. 2. Chrysopolim urbem Bithyniæ *Chalcedonis navale* appellat; prope Chalcedonem ut Strabo l. 7. p. 221. & Zos. l. 2. 30. ubi veteris Byzantii murus ad κέρας, *Cornu* excurrens, dicitur *è regione Chrysopolis* fuisse.

(96) Qui omnium officiorum Palatinorum princeps, & magister erat; nam Zosimus l. 2. 25. de eod. loquens ait: *qui ordinum Palatinorum dux erat*, (Romani magistrum officiorum vocant) *Cæsarem*, &c.

(97) Ad quem data L. 1. *famil. ercisc.* Cod. Theod. & L. un. *de his qui ven. ætat.* & P. V. fuit ab Id. Sept. h. an. per sequentem, ut prima Lex eit. ostendit, data 3. Kal. Sept. Crispo, & Constantino, ambobus III. Coss. cum Cæsares essent.

(98) Ptolom. l. 3. 5. Peninsulam describens, quæ Græce Δρόμος Ἀχίλλεως, *Dromos Achilleos* dicta fuit, (de qua Pompon. Mela l. 2. 1.) promontoria laterum, occidentale, *Sacrum promontorium*, assignat; orientale vero *Mysarin promontorium*.

(99) Hæc ap. Zos. l. 2. 26. ubi rei gestæ seriem, & centum millia Licinianorum strata eo prælio tradit Scriptor ceteroquin Constantino infensus.

(100) Ita & Anonym. Vales. addens: *Ita Licinius privatus factus est, & Convivio Constantini adhibitus: & Martiniano vita concessa est.* Hæc autem evenere præsenti an., ut præter Cedren. Idacius in Fast. ait: *Bellum Hadrianopolitanum die V. Nonas Jul., & bellum Chalcedonense XIV. Kal. Octob.* Crispo Cæs. & Constantino Cæs., ambobus 3. Coss.

(1) Extat hæc lex I. *de Veteranis* in Cod. Theod. de quorum privilegiis aliæ ibid. leguntur Constantini leges: hac vero eorumdem Privilegior. securitati prospexit, permittens Veteranis, ut ipsa *Encauto* scribere liceret, quod erat expressio litterarum per adustionem facta, & cestrum adustorium. Erat quoque Encaustum, quod *sacrum* dicitur l. 6. Cod. *de divers. rescript.* purpurea nempe Scriptura, qua cocti muricis, & conchylii ardore paginæ signabantur. Item concedit Veteranis cerussæ usum in conscribendis Privilegiis; hinc *cerussatæ tabulæ* in l. 1. *de alim. quæ inop.* &c. quæ scil. incrustatæ plumbo in acutiori aceto soluto. Mutilam autem hanc legem profert A. N., quia reliqua pars ad rem suam non erat.

(2) Latas à Licinio Leges abrogat hic Constantinus; mos namque Principum fuit, debellatis Tyrannis, eorumdem statuta infirmare. Injustas nonnullas Licinii leges memorat Eusebius in Hist. Eccl. fin. c. penult., & Auct. l. 1. de Vit. Constantini 47. & 48. Sozomen. quoque testatur, Constantinum *Edicto publico statuisse, ut irrita essent quæ circa superstitionem decreta, actaque ab Ecclesiæ persecutoribus fuissent.* L. 1. c. 8. Vide & Auct. de Vit. Constant. 2. 42.

*tutorum observari debere sanctionem*. Per eosdem dies in Oriente res ab Arrianis, & Catholicis prope tragicæ agebantur, bello civili, quod inciderat, magnam licentiam ad omne flagitium exhibente, neque enim peregrini, & hostes, ut antea, Ecclesias oppugnabant, sed ejusdem tribus, contuberniique, atque adeo etiam ejusdem mensæ participes infestas contra se linguas acuebant, & paulatim præcipites ad arma capienda ruebant. Constantinus autem harum rixarum, ut qui nunc primum Asiam, alieni eousque juris provinciam, attigisset, ignarus, ac plane hospes Nicomedia egressus iter in Orientem intendit, ut primo quoque tempore præsens illatis à Licinio vulneribus mederetur, cumque aliquanto viæ spatio processisset, tristem nuncium de Orientali tumultu, & causa ejus accepit, quo vehementer pro pietate sua permotus pedem extemplo retulit, ac rem non negligendam ratus, confestim Osium Cordubensem Episcopum, (3) qui cum aliis Episcopis in comitatu erat, virum fide, doctrinaque insignem, cum literis ad Alexandrum Episcopum, & Arrium Presbyterum misit, rogans eos, ut pravo omisso contentionis studio salutem, atque honorem Ecclesiæ potiorem haberent. Osius maxima celeritate profectus Alexandriam, nihil, quod ad controversiam componendam pertineret, omisit, verum accensis utrinque animis parum profecit, atque ad Constantinum reversus, quo res in articulo verteretur, edocuit. Ea de causa Constantinus, re cum Sylvestro Romano Pontifice communicata, Episcopis universis concilium in insequentem annum ex illius auctoritate indixit, (4) ac literas ad omnes Episcopos, ut Nicææ urbe Bythiniæ ad VIII. Kal. Majas proximas convenirent, perferendas curavit, quo vero omnes ad diem adesse possent, in omnibus regionibus equos, mulos, mulasque publicas, quibus ad celeritatem subinde uterentur, certis disposuit mansionibus. Interim Licinius inquieti homo ingenii, ac perfidæ mentis Martiniano socio occulte rebus Thessalonicæ novis studebat, & contractis militibus populos ad defectionem solicitabat. Quod postquam Constantinus pro comperto accepit, justa indignatione accensus, ferro sibi vindicandum putavit. Itaque Paulino, (5) & Juliano Consu- 325
libus, & Acilio Severo Præfecto urbis, ingenti Gothorum manu Thessalonica missa, urbem recepit, ac Licinium in potestatem adduxit, quem, cum fidem, ac misericordiam suam imploraret, simulque affinitatis vinculum, & sororis matrimonium identidem memoraret, omni indignum venia judicavit. Itaque statim capite multatus, tandem meritas suæ erga Deum, hominesque impietatis pœnas persolvit. (6) Martinianus inde, ceterique furoris ejus socii comprehensi ultimum pariter supplicium subierunt. Itaque Constantinus pridie Idus Februarias ad universos provinciales de Licinio ita scripsit: (7) *Tyranni, & ejus judicum gestis infirmatis, nemo per calumniam id, quod ipse sponte fecit, evertere audeat.* Inde gaudio exultans festos dies, ludosque una cum toto populo Nicomediæ pro victoria celebravit. Dum autem hæc ab eo aguntur, Episcopi, qui itineris laborem suscipere potuerunt, edicto ejus accepto ad trecentos octodecim Nicæam advolaverunt, quorum plerique membris, aut parte aliqua corporis superiore persequutione manci, ac debilitati conspiciebantur. (8) Sylvester Pontifex, cum ætate confectus adesse non posset, Presbyteros duos Vincentium, & Victorem (9) misit, qui partes suas implerent, quibus singulis loca, lautia Constantinus attribui jussit, ac perfectis ludis, & ipse Nicæam accessit, at-

que

(3) Licet Eusebius Hosium non memoret l. 2. de Vit. Constant. 62. ubi virum missum à Constantino dicit ob tumultus ab Ario Alexandria excitatos; illum vero nominat Socrat. l. 1. 4. Sozom. l. 1. 15. quibus adde Phot. in Bibl. Cod. 266.

(4) Ita porro intelligendus Euseb. l. 3. Vit. Constant. 6. Socr. l. 1. 5. Theodor. l. 1. 7. Sozom. l. 1. 16. aliique dum a Constantino Synodum convocatam scribunt; unde Legati à Silvestro missi fuere, cujus nutu Patres Nicænos convocatos patet ex sermone acclamatorio in VI. Synodo Act. 18., cujus verba irritò Launojus part. 6. Epistolar. ep. ad Ludovicum Habertum Monmorium, elevare nititur. Requirebatur autem Imperatoris opera, quia in urbe Imperiali Concilium erat convocandum, publicisque expensis deducendi, reducendique Episcopi; ut factum fuit, unde *Tractoriarum* usus.

(5) Hic *Anicius Paulinus* patruus fuit Anicii Paulini, qui an. 334. Consul processit, & Junior dictus est. Vide Reines. *in Familia Anicianа p. 67.*

(6) Licinius *Herculei Maximiani soceri sui motus exemplo, ne iterum depositam purpuram in perniciem Reipublicæ sumeret, tumultu militari exurentibus in Thessalonica, jussit occidi. Martinianum in Cappadocia.* Hoc quidem anno, nam Victor in epit. ait: *Hic Licinius annum dominationis fere post quintum decimum, vitæ proxime sexagesimum occiditur*, qui XV anni numerandi sunt utrinque incompleti ab an. 311., quo mortuus Galerius Maximianus. Carpit Zosimus more suo Constantinum l. 2., quod τὰς ὅρκους πατήσας, violata nempe jurisjurandi religione jusserit occidi Licinium, quod & S. Hieronym. scribere non dubitavit, Eusebianum Chronicon interpretatus: sed Constantini factum Oros. l. 7. excusat; & Zonaras scribit, postulatum esse ad supplicium a militibus consentiente Senatu Romano, tamquam ἄσπονδον πολλάκις, *sæpe fœdifragum*, nec privatum ἠρεμεῖν, *quievisse*; sed τυραννίδα μελετᾶν, *tyrannidem affectasse*. Cedren. item: *Thessalonicæ rursus Barbaros conducens res innovare molitus est.* Idem scribit Socr. l. 1. 4.

(7) Infirmatis Licinii gestis, multi hanc nacti occasionem, revocanda censebant, quæ sub eodem sponte, ac legitime gesta forent; occurrit hac L. Imperator, quæ est 2. Cod. The. *de infirmand. his quæ sub Tyran.* Ne Emancipationes, Manumissiones, Transactiones, & alia ejusmodi juxta leges facta, & sponte à Provincialibus revocarentur, quamvis irrita antea declarasset, quæ per tyrannidem sub Licinio fuissent facta.

(8) In quibus Potamon, & Paphnutius, ille Heracleæ in Ægypto, hic Thebaidis Superioris, teste Socrate l. 1. c. 5. 8. uterque altero oculo orbatus ex tyrannorum injuria. Item Spiridion, de quo Rufin. l. 1. 5.

(9) *Victorem* legit A. N. in Epit. Canon., quam Hadrianus Pont. Carolo M. obtulit an. Chr. 773. & ap. Auxilium in l. *de Ordinationibus Formosi R. P.* c. 15. aliosque posterioris ævi; sed legendum *Vitonem*, sive *Vitum*, ut Gelasius Cyzicenus l. 2. *Hist. Conc. Nicæni*; Phot. Cod. 88. Socr. l. 1. 9. aliique. Sed præter hos duos Hosius quoque Cordubensis Episc. Pontificius Legatus Synodo præfuit, ut ex Scriptoribus laud. patet. ll. cc. adeo ut turpissime hallucinetur Launojus Epist. ad Raymund. Formentin. illius πρoεδρίαν impugnans.

que in maxima Palatii aula (10) sellas disponi ac certo die convocari præcepit. Undecimo Kal. Junias (11) omnes affuerunt, ac Legatis Sylvestri Pontificis, Eustathio Antiocheno, (12) Alexandro Alexandrino, & Macario Hierosolymorum Episcopis præsidentibus suo quisque in loco sederunt. Tum Constantinus paucis inermibus ex familia præcedentibus est ingressus, cunctis ad ejus conspectum patribus è vestigio consurgentibus, atque ipsum tanquam Angelum è cœlo lapsum vultu, cultuque Augustissimum intuentibus, & nutu eorum in humili, sed aurea sella in medio aulæ consedit, nova tantorum Episcoporum Majestate mirabiliter captus. Quo facto Eusebius Episcopus Cæsariensis, (13) ex cujus potissimum hæc historia sumpsimus, assurrexit, atque ipsum brevi oratione laudavit, hymnumque ad gratias pro illo Deo agendas recitavit: ubi vero assedit, silentio consequuto, Constantinus oculis in universos conjectis in hanc sententiam est loquutus: *Voti compos mei factus ingentes Deo gratias ago, quod tot patres in unum convocatos video. Oro porro vos, quando fœda tyrannorum dimicatio contra Deum suscepta manu, ac fortitudine profligata est, ne patiamini religionem, ac disciplinam ejus iniquis hominum obtrectationibus lacerari. Ego enim adepta victoria cum id agerem, ut una cum iis, qui auxiliante Deo in libertatem essent vindicati, communem animi fructum perciperem, simulatque de vestra dissensione audivi, opportunum tanto malo remedium exquisivi, ac sine interpositione moræ vos advocavi. Quamobrem quando ipsi convenistis, obsecro vos, ut omnes controversiarum causas amoveatis, atque idem sentientes optatam Ecclesiis concordiam restituatis.* His Græco sermone interpretatis tum de ea, quæ concordiam distinebat, quæstione refertur. Cum autem multi Episcopi loco sententiæ indignas finitimorum Episcoporum criminationes deferrent, ac libellis prodendis caussas ab eo cognosci postularent, tum Constantinus libellis in sinum sine ulla lectione conjectis ita perrexit: *Deus vos Sacerdotes constituit, & potestate de nobis judicandi affecit, & ideo nos recte judicamur à vobis, vos autem nefas est ab hominibus judicari, quare Dei solius inter vos judicium expectate, & vestra jurgia, quæcunque sunt, ad illud Divinum examen reservate: ego enim, si Episcopum delinquentem viderem, non solum à judicando abstinerem, sed veste etiam mea contegerem, quoad possem. Quod vero instat, propositam Sanctæ Trinitatis causam, sine ulla animorum simultate transigite.* Atque his dictis simul omnes delationum commentarios jussit exuri. Ita ceteris rebus omissis per dies sequentes de re proposita diligenter, & accurate ab utraque parte argumentis, auctoritatibus, & sanctarum scripturarum collationibus disputatum est. Quæ omnia æquissimis auribus Constantinus audivit, quousque rem ad exitum optatum redegit. Ad extremum in una confessione omnium animi consenserunt, Filium Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri (14) esse, atque Fidei Symbolum pluribus verbis complexi usque ad mentionem Spiritus Sancti perduxerunt. Sabellium vero nominatim damnarunt, & Manetem, & Paulum, & Apollinarem, ceterosque, qui usque ad Arrium, Christum aut Deum tantum, aut hominem tantum asseruerant, quique eundem verum Deum, & verum hominem esse negaverant. Inde Arrium Presbyterum, Eusebium Nicomediensem (15) Episcopum, Theognim Nicænum, Marim Chalcedonium, & paucos præterea alios, qui cum Arrio ab hac sententia discrepabant, communione removerunt, Ecclesiis spoliarunt, & libros eorum cremarunt, (16) atque hæc decreta constanti post omnium subscriptione firmata sunt. Ceterum quod in subscribendo accidit exemplum memorabile prodidit. Episcopis duobus, antequam subscriptio celebraretur, ex rebus humanis ereptis reliqui ad sepulchrum eorum venerunt, & tabulis symboli à se conscripti allatis mortuos illos perinde, ac si spiritum duxissent, auribusque captassent, orarunt, ut fidem, quam una secum constituissent, si

acta

(10) Ita Euseb. l. 10. Hist. Eccl. c. 10. ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μέσῳ οἴκῳ τῶν βασιλείων, ὃς δὴ καὶ ὑπερφέρειν ἐδόκει μεγέθει τοὺς πάντας: *In ipsa media Regalis Palatii æde, quæ reliquas omnes amplitudine superabat.* Sed c. 7. ejusd. libr. aperte ait, unam Ecclesiam, seu Basilicam tot diversarum Gentium Episcopos ambitu suo complexam fuisse; unde conjicit Valesius, Episcopos primo in Ecclesia convenisse, ut de Ario, & de Fidei regula plures per dies agerent, tandem vero die ad rem definiendam constituto, convenisse in Palatium. Vide Vales. in Notis ad l. 3. Vit. Constant. c. 10.

(11) Ita Socrat. l. 1. 13. Sed potius *XIII. Kal. Julias*, ut legitur in Collectione Græca à Tilio edita, & ap. Auctorem Chron. Alex. quibus Latina Collectio accedit. Cresconiana appellata, ubi habetur durasse Concilium à *die XIII. Kal. Julii usque ad diem octavum Kal. Septembris*.

(12) Hic orationem habuit in Concilio, quem Sozomenus l. 2. c. 10. eloquentia admirabilem prædicat. L. Theodoret. l. 1. 7. Hinc non mirum, si primo loco ab A. N. ponatur quamvis tertiæ Sedis Patriarcha; Alexandrinus enim præcedebat Antiochenum.

(13) Eusebius ipse l. 3. Vit. Constant. 11. inquit: *Episcopus autem, qui in dextro ordine primam sedem occupabat, assurgens perbrevi oratione Imperatorem affatus est, hymnumque* &c. Sozomenus deinde l. 1. 18. arbitratus est, hunc Episcopum Eusebium ipsum fuisse, quod modestiæ causa nomen suum reticuisset. Sed Theodor. l. 1. 7. diserte testatur fuisse Eustathium Antiochenum.

(14) Græce ὁμοούσιον; quam vocem apposite inseruere Symbolo Patres: nec ea nova debuit reputari, cum ante Nicænam Synod. Theognostus, & uterque Dionysius, Alexandrinus, & Romanus usurpassent, ut refert Athanas. l. *de Synodis*. Et nonnisi in sensu Pauli Samosateni proscripta in Antiocheno Concil. ut probat idem Athan. l. c.

(15) Eusebius hic, Theognis Nicænus, cæterique Arianarum partium Episcopi, Nicænæ Fidei symbolo ficte subscripsere, teste Athanasio l. *de Synodi Nicænæ decretis* pag. 402. quamvis primo renuissent; Hieron. *in Dial. advers. Luciferian.*, Theodor. l. 1. Hist. Eccles. 7. Patet etiam ex nominibus Episcopor. subscribentium. Solus Arius, & cum eo Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis Episcopi ab Ecclesia ejecti, ut constat ex epist. Synodica Nicænorum P. P. ad Eccles. Alex.

(16) In iis libris erat *Taleja*, cujus fragmentum refert S. Athanas. in epist. de Synodis Arimini, & Seleuciæ. Vide Sozom. l. 1. 20. ubi illam conscriptam tradit, *Sotadicis cantibus similem præ mollitie*. Fuit autem *Sotades Cretensis Maronita à demonio vexatus, Jambographus scripsit Phlyacas, sive Cinædos lingua Jonica*. Ait Suidas in verbo *Sotades*.

acta esse rata censerent, subscriptione sua sancirent, quando nullo jam humanitatis velo interjecto splendore Trinitatis illustrati veritatem ad liquidum exploratam haberent. Hæc cum illi dixissent, & obsignatas tabulas ad tumulum reliquissent, abiere, ac postridie reversi inviolato signo illarum manu subscriptas reperere. (17) Quæstione de Trinitate explicita tum de Paschate celebrando, (18) nam & hoc quoque movebatur, est actum atque adversus eos, qui illud quotannis in quartam decimam diem Lunæ Hebræorum more conjiciebant, decretum, Sanctæ Resurrectionis commemorationem quotannis die Dominico inter quartam decimam, & vicesimam primam Lunæ diem peragendam. Tum de moribus Ecclesiæ formandis relatum, ac multi in eam sententiam Canones scripti. (19) Quibus rebus X. Kal. Julii (20) perfectis, Legati Sylvestri tabulas actorum omnium Romam VIII Kal. confirmandas miserunt. (21) Constantinus autem ex auctoritate Patrum ad omnes Ecclesias misit, ac sancte custodiri præcepit: nominatim autem Nicomediensibus, ne Eusebium reciperent, (22) interdixit, illo etiam nomine sibi privatim offensum, quod Licinio adversus se auxilium attulisset. Convenire inde arbitratus, ut aliquam tantæ gratulationis significationem publice ederet, patres omnes convivio magnifico excepit, & accumbere ordine jussos omnibus comitatis, ac liberalitatis exemplis excoluit, quin etiam, cum mutilata in multis membra, oculosve effossos videret, atque ex eo constantiam, & fortitudinem eorum in persequutione conjiceret, labia cicatricibus eorum venerabundus admovit, sibi persuadens, Sanctam se illo osculo benedictionem hausturum. Convocatos inde alio die rogavit, ut communi paci, concordiæque studerent, & contentionum, ac pertinaciæ finem facerent, neque aut sapientia

A superiores invidia, aut inferiores despicientia premerent, verum toto pectore in communem omnium salutem incumberent, utque in primis pro seipso, atque Imperio preces effunderent. Atque his dictis suam quemque eorum repetere Ecclesiam jussit. Nicæa inde profectus sese Nicomediam retulit, &, quod is annus Imperii sui esset vicesimus, ibi Vicennalia, (23) ut in urbe Orientalis Imperii Sede ingenti magnificentia, atque incredibili populi frequentia celebravit, ac populis cum per agros, tum per oppida dissipatis, magnam vim pecuniæ ad eam recolendam memoriam dedit. Quin etiam, ut Decennalibus Crispum, & Con-
B stantinum filios Cæsares declaraverat, atque provinciis Occidentalibus exornaverat, sic Vicennalibus Constantium eadem appellatione affecit, atque Imperio Orientali præposuit. (24) Gratiis inde Deo actis, de rebus à se tam bene, ac prospere gestis animum ad Imperium Orientale constituendum intendit. Ceterum cum in hac consultatione versaretur, prima illa animum cogitatio subiit, ut quod ante Maxentio superato Romæ, atque in Italia instituerat, idem nunc quoque Licinio profligato in Oriente ad Imperium suum adjuncto perficeret, idest, ut ad Christianam evehendam Ecclesiam primoribus in urbibus magnifica Christo fana
C construeret; præstabant autem ceteris vel ipsorum Imperatorum ibi magnam partem temporis residentium judicio Nicomedia, Antiochia, & Alexandria, quarum prima Asiæ, secunda Orientis, tertia Ægypti caput habebatur. Hierosolymorum tamen, quæ memorabili Christi Passione, & admiranda Resurrectione nobilitata erant, antiquior, ac potior cura fuit. Cum enim audiret, gentilium principes Sepulchrum Domini ad delendam ejus memoriam olim quondam terra obruisse, atque ibi fanum Veneris extruxisse, rem indignatus Præfectis suis statim

(17) Refert Nicephor. l. 8. 23. eosque Episcopos Chrysanthum, & Musonium vocat; & Lipoman. Tom. 6. idem narrat ex Gregorio Cæsariensi Presbyt. in orat. quam de Nicæna Synodo habuisse dicitur. Sit autem ejus rei penes ipsos fides, cum nullum exter vestigium ap. Athanas. Hilar. aliosque nil prætermittentes quæ negotium facesserent Arianis.

(18) Ecclesiæ enim Syriæ, Ciliciæ, & Mesopotamiæ in Paschate celebrando claudicabant. Hac de re L. Athanas. l. de Nicænæ Synodi decretis, Euseb. l. 3. Vit. Constant. 17. & 18. Epiph. Hær. 70. Theodoret. l. 1. 10.

(19) Sed non plures quam viginti editi fuere, quem numerum prætulerunt omnes antiquæ versiones, eaque præsertim, quæ sub Attico Episcopo C. P. a Theilone, & Tharisto elaborata est, quando ab eod. Attico Nicæni Canones missi sunt ad Carthaginense Concilium sextum, cui hactenus sunt adnexi, an. Chr. 419. Viginti quoque memorat Theodoret. Hist. Eccl. l. 1. 8. totidem Gelas. Cyzicen. l. 2. 31.

(20) Antiqua Canonum Collectio, vulgo Cresconiana appellata, habet: *Factum est Concilium apud Nicæam Bithyniæ Metropolim à die 13. Calendas Julias, quod tenuit usque ad 8. Calen. Septemb. Paulino, & Juliano Coss.* duravit itaque inter diem 19. Junii, & 25. Aug. Hinc Sozom. l. 1. c. ult. ait Constantini M. Vicennalia cum Concilii fine concurrisse: hæc autem in diem VIII. Kalendas Aug. Imperii ejus natalem incidebant. Horum celebrationem dilatam ad diem VIII. Kal. Septemb. conjiciunt docti viri, cum mense Augusti occupati essent Episcopi in Concilio,
D cui & Imperator intererat.

(21) Legit A. N. litteras, quæ S. Synodi nomine ad Silvestrum datæ circumferebantur, in quarum fine habetur: dat. *VIII. Kal. Jul. Accept. XIII. Kal. Novemb.* Sed hæ spuriæ, ut phrasis indicat, ex qua vix sanum sensum haurire liceat; Macarii item ibi nomen, nec Alexandri, nec Eustathii Patriarcharum. Ejusdem farinæ est Sylvestri Rescriptum, notatum Consulatu Constantii 4. & Constantini 8. sive 7. ut alia omittantur indicia.

(22) Ex Socratis narratione l. 1. 5. id A. N. excepit, ubi Eusebium Nicomediensem, aliosque Arii patronos Symbolo Fidei a PP. edito subscribere noluisse, indeque exauctoratos, quod falsum esse superius demonstratum est. Philostorgius, tribus circiter post Nic. Synod. elapsis mensibus Eusebium relegatum scripsit.
E Eusebius itaque, ac Theognius non a Nicæna Synodo damnati, sed ab aliquot Episcoporum Conventu, annuente Constantino, atque depositi, ut colligi videtur ex Athanas. l. *de Synodis*, & Theodoret. l. 1. 19. deinde in exilium missi.

(23) Recte hoc anno celebrata dicuntur, & non praeced. ut putavit VVilthemius in Nummis Consularibus Constantioi, & Filiorum. *Patet* ex Euseb. Vit. Constant. l. 3. 24. 25. 26. & 22. Sozom. l. 1. c. ult. Niceph. l. 8. 26.

(24) Anno 323. Cæsarem creatum Constantium Victor in Epit. docet, dicens: *Interiit anno ævi quarto, & quadragesimo, Imperii nono atque tricesimo*. Atqui obiit an. 361. *Tauro, & Florentio* Coss. ex Auct. Chron. Alex., *mense Dio, seu Novembri, die tertia*; anno itaque 323. Cæsar nuncupatus.

A ſtatim negotium dedit, ut Templum illud diruerent, terramque egererent, ac loco Sepulchri detecto Baſilicam ibi magnifici operis conderent. (25) Erant cum eo Helena mater, & Fauſta uxor. Ex his Helena Divino ſpiritu tacta, ut pacata omnia ſenſit, Palæſtinam ſibi inviſendam exiſtimavit, nimirum, ut gratias Deo de ſecundis filii ſucceſſibus ageret, ac terram, quam Chriſtus pedibus triviſſet, oculis perluſtraret, ſimulque, ut gentes Orientales nuper Imperio filii additas præſens viſeret, quas ſæpe fama celebrari audiſſet, ac comitatu honeſto accepto illuc ire contendit. Conſtantinus autem his actis tempus eſſe ratus, ut in B Italiam, unde quarto ante anno Liciniani belli cauſa diſceſſerat, ſe referret, in Illyricum ſe recepit, atque ibi Rempublicam ordinare, ac legibus munire perrexit: ſiquidem XV. Kal. Octobris Naiſſi de judicio petitoris reſcripſit, (26) & ad univerſos Provinciales edictum miſit, quod eodem die Nicomediæ fuit propoſitum in hæc verba: *Si quis eſt cujuſcunque Loci, Ordinis, Dignitatis, qui ſe in quemcunque Judicum, Comitum, Amicorum, vel Palatinorum meorum aliquid veraciter, & maniſeſte probare confidit, quod non integre, atque caſte geſſiſſe videatur, intrepidus, & ſecurus accedat, interpellet me, ipſe audiam omnia, ipſe cogno-* C *ſcam, &, ſi fuerit comprobatum, ipſe me vindicabo.* Item aliud, quod propoſitum fuit Beryti Kal. Octobris de gladiatoribus abolendis, (27) & ceteris cruentis ſpectaculis. Hæc tanta Conſtantini decora per tot jam annos domi, foriſque incredibili cum hominum admiratione quæſita ecce derepente inſana domeſtici doloris puniendi libido corrupit. Criſpum enim filium, qui ſe bello Liciniano fortiſſime geſſerat, in Italiam præcedentem verbis Fauſtæ uxoris impulſus in oppido Iſtriæ Pola comprehendi, & ſive ferro, ſive, ut quidam etiam prodiderunt, veneno perimi juſſit. (28) Sunt, qui tradant, Fauſtam inſano adoleſcentis amore ſuccenſam, cum ad ſtuprum pellicere caſtum juvenis pectus non potuiſſet, furore percitam ipſum ad patrem detuliſſe, & ſe ab illo ſolicitatam inſimulaſſe, alii affectati eum regni crimine obruiſſe, veritam, ne Conſtantinus eximia juvenis indole captus ipſum ſuis filiis etiam tum pueris anteponeret. Itaque Licinium etiam Cæſarem occiſum eſſe, (29) ne quam tyranni impuriſſimi prolem relinqueret, quæ aliquando ocium Imperii, ac pacem turbare Eccleſiæ poſſet. Hæc à Conſtantino hoc anno in Orientali Imperio geſta. In Italia vero res admirandæ, ac portentorum ſimiles evenere, ſiquidem, ut notat Cedrenus, terra vehementi adeo motu concuſſa eſt, ut duodecim oppida in Campania procubuerint. Sol autem tanta obſcuritate, Luna orbem ſubeunte, infectus eſt, ut ſtellæ interdiu, perinde ac noctu, micuerint, quæ ſi quid forte triſte Italiæ portenderunt, nimirum impendentem Romanæ urbi veteris dignitatis imminutionem Byzantio illi amplitudine adæquando ſignificarunt. Romæ autem Sylveſter Pontifex tabulis Concilii Nicæni acceptis, confeſtim occidentalium Epiſcoporum Concilium advocavit, (30) ut, quemadmodum ſcribit S. Athanaſius de Julii Pontificis Concilio loquens, Nicæna decreta pro Romanæ Eccleſiæ auctoritate examinaret, &, ſi veritati Catholicæ congruentia reperiſſet,

ipſe

(25) Quæ *Arelbaſis*, & *Dominicum* dicebatur. De hac Euſeb. Orat. de laudibus Conſtant., & l. 3. & 4. de ejus vita; Socrat. l. 1. 13. Hieronym. epiſt. ad Pammachium. Ejuſdem Baſilicæ excitandæ negotium Draciliano Agenti vices PP. ſe commiſiſſe ait Conſtantinus epiſt. ad Macarium Epiſc. Hieroſolymit. relata ab Euſeb. l. 3. Vit Conſtant. 31. D Dracilianus autem h. an. eaſdem vices ſupplebat, ex L. 1. Cod. Theod. *de uſuris* ad ipſum directa, ideo vel præſenti, vel ſequ. anno hujus Baſilicæ ædificatio conſignanda; nam & an. 326. adhuc Dracilianus eo munere fungebatur, ex L. 1. Cod. Theod. *de Hæreticis*.

(26) Data Naiſſo l. 2. *de Fide teſtium* Cod. Theod. Nicomediæ propoſita l. 4. *de accuſatorib.*, quam hic, ſed non integram refert A. N., eaque Imperator evocat accuſatores, præmio quoque propoſito; ſubdit enim: *Illum autem qui hoc prodiderit* (loquitur de accuſatore) *dignitatibus, & rebus augebo*. Hujus rei ap. Tacit., Sveton., aliosque Aug. Hiſt. Scriptores plura ſuppetunt exempla. In E ipſomet Cod. Theod. quamplures Leges, veluti l. 1. *de maleficis*: L. 2. *de falſa moneta*; L. 1. *de raptu virginum*. Et præ ceteris illa Theodoſii M. 6. *ad leg. Juliam Repetundarum*.

(27) Non per univerſum Orbem Romanum hi ludi cti. Lege ſublati, ſed tantum in Oriente, præſertim Berythi in Syria Phœnice, ubi lex hæc propoſita. Sed deinceps hi ludi adhuc uſurpati in proxima Cœle Syria, Antiochiæ, ut liquet ex Libanio Antiochen. l. de vita ſua pag. 3. Editi quoque in Italia, ex Ambroſ. l. 2. officior. 21. Romæ pariter, ut docet L. 2. Cod. Theod *de Gladiator.* a Conſtantio lata, & Honorii 3. Et Auguſt. l. 6. *Confeſſion* 8. ſcribit *Alypium Gladiatorii ſpectaculi inhiatu incredibiliter abreptum*.

(28) Criſpum an. ſequ. ad Concil. Nicæn. adhuc in vivis fuiſſe, & Romæ Decennalia ſua celebraſſe una cum poſterioribus Vicennalibus Conſtantini Romæ editis oſtendit Porphyrius in Panegyr. Conſtant. eadem occaſione recitat. canens:

*Sancte Pater, rector Superum, Vicenalia læta Auguſto & decies creſcant ſolemnia nati.*

Criſpo ſcil., & Conſtantino juniori Cæſaribus. Polæ in Iſtria interfectum, teſtis eſt Ammian. l. 14. 11. At Zoſimus id Romæ factum ſcribit l. 2. 29. ob ſuſpicionem, *quaſi cum Fauſta noverca conſueſ erat*. L. Hieronym. de Script. Eccl. *in Lactantio*. Oroſ. l. 7. 28 Eutrop l. 10. Aliam vero necis cauſam affert Gregor. Turon. Hiſt. l. 2. 36. Criſpum nempe, & Fauſtam Regni proditores fuiſſe tradens. *Frigore veneni* necatum Criſpum Sidonius Apoll. l. 5. epiſt. 8. ſcripſit.

(29) Oroſ. l. 7. 28. & cum eo Hieronym. in Additamento Chr. Euſeb. Licinium juniorem eodem, ac Criſpum, tempore occiſum referunt. Necis cauſam latuiſſe ibid. Oroſ. ſcribit; ſed in Licinianæ ſtirpis odium factum conjicit A.N., ne eo vivente pax turbaretur Imperii, ſicut Licinio patre vivo acciderat.

(30) Fictitium ſane hoc Concilium, cujus canones neque integros protulit A. N., quia fortaſſe novit & ipſe, eos abhorrere à Veteri Eccleſiaſtica diſciplina, & ineptos omnino, cujuſmodi eſt pars illa Canonis, ſcil. *Subdiaconus, Exorciſta, Lector, niſi (ſicut ſcriptum eſt) in ſeptem teſtimoniis*, (damnabitur) *filios, & uxores habentes, & omnino Chriſtum prædicantes*. In ejuſdem Concil. Prologo Photinus damnatus dicitur, cujus hæreſis longe poſtea emerſit, nec ante Sirmienſe Concilium damnata. Ducenti octoginta quatuor Epiſcopi conveniſſe dicuntur, & quidem omnes *cives Romani*, ut ibid. habetur. Cætera prætermittantur ſuppoſitionis indicia.

Digitized by Google

A ipse auctoritate sua interposita confirmaret. Res autem ex actis Concilii acta est in hunc modum; Cum Episcopi ducenti septuaginta septem convenissent, recitatis Nicæni Concilii tabulis, rebusque, quæ controversiam facerent, in disquisitionem adductis, Sabellium, & Arrium, tanquam prave de Trinitate sentientes damnarunt, quæque de ea in Concilio Nicæno decreta essent, iis standum esse constituerunt. Paschatis etiam observationem ita custodiendam esse sanxerunt à Luna quarta decima ad vicesimam primam, ut die Dominico eluceret. Præterea uno nomine quidquid trecenti octodecim illi patres ad robur Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & Apo-
B stolicæ decrevissent, & ipsi sua sententia confirmarunt, quicunque vero ab eorum decretis recessissent, anathemate perculerunt. Quibus actis scita inde alia ad disciplinam Ecclesiæ pertinentia subjecerunt, fuere autem hujusmodi: *Presbyterum Arrianum, nisi resipiscentem, nemo recipiat, nisi Episcopus ejusdem loci eum reconciliet, & Sacrosancto Chrismate per Episcopalis manus impositiones Sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest: confirmet. Nemo laicus* (31) *Clerico crimen inferre audeat. Presbyter adversus Episcopum, Diaconus adversus Presbyterum, Subdiaconus adversus Diaconum, Acolythus adversus Subdiaconum, Exorcista adversus Aco-*
C *lythum, Lector adversus Exorcistam, Ostiarius adversus Lectorem accusationem non deferat. Præsul non damnetur, nisi sexaginta duobus testibus; summus Præsul à nemine judicetur. Presbyter Cardinalis non damnetur, nisi sexaginta quatuor testibus, Diaconus Cardinalis, nisi triginta septem, Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lector, Ostiarius, nisi septem. Testes aut accusatores nulla sint notati infamia, & uxores, ac filios habeant, atque omnino Christum confiteantur. Testimonium laici adversus Clericum nemo recipiat. Clericum nemo examinare præsumat, nisi in Ecclesia. Nemo Clericus, aut Diaconus, aut Presbyter propter quamlibet causam intret in Curiam,*
D *nec ante judicem cinctum* (32) *causam dicat. Sacrificium Altaris nemo celebret in panno serico,*
A *aut tincto, sed in puro lineo* (33) *ab Episcopo consecrato. Si quis in Ecclesia militare desideret, primum Ostiarius, deinde Lector, deinceps Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Custos martyrum, Diaconus, Presbyter, postremo Episcopus esto. Missas Presbyter nemo celebret, nisi in locis ab Episcopo consecratis, qui sui particeps in posterum voluerit esse Sacerdotii.* Sylvester porro eximio pietatis studio percitus multos restituit ab Episcopis communione depulsos, & à tyrannis oppidis deturbatos, & Ecclesiis reddidit, in quibus fuerant instituti, ac Transmarinum hominem ad Clericatus gradum admitti Romæ prohibuit, nisi quinque Episcoporum testimonio esset
B probatus. Hæc Romæ. In Ægypto Alexander, Episcopus Alexandriæ, quinto, ut inquit Theodoritus, (34) post Concilium Nicænum peractum mense vita cessit. Is cum se morti proximum cerneret, ut Ecclesiæ suæ saluti etiam spiritu in extremo consuleret, Athanasium Presbyterum suum, qui acerrime Arrio in Concilio repugnarat, absentem, tanquam successorem sibi cooptaturus, sæpius requisivit. Itaque Episcopi tanti viri auctoritate permoti, postea Athanasium Ecclesiæ Alexandrinæ etiam reluctantem (35) præposuerunt, tenuit inde Ecclesiam magnis certaminibus Athanasius annos
C quadraginta sex, (36) auctore Socrate, siquidem Gratiano Augusto iterum, & Probo Consulibus vita est functus. Quod admonendum putavi, quia per hoc temporis spatium tanquam vindex Nicæni Concilii, multis ab Arrianis insidiis appetitus, & assiduis contentionibus cum magna Ecclesiæ clade est fatigatus, ut sequens historia demonstrabit. Postero anno, qui Constantinum Au- 326
gustum septimum, & Constantium nobilissimum Cæsarem Consules habuit, Helena Augusta Hierosolyma profecta ministris se filii summa ope sepulchrum Domini eruere laborantibus ducem adjunxit. Fano autem Veneris disturbato, & terra, quæ sepulchro
D superjecta fuerat, diligenter egesta, tum V. No-

(31) Hincmarus Metropolita Rhemensis Nicolai I ætate suppositionem hujus Canonis novit epist. 7. dicens: *Quæ quam aversa à sanctis Canonibus, à sacris legibus sint, nemo est qui dubitat, qui hæc dicta cum ratione attenderit, & sacras regulas, ac leges diligentius legit.* Ejusdem farinæ est Canon de Præsule non damnando *nisi in 72. testimoniis*; cum constans fuerit Ecclesiæ disciplina, ut à duodecim Episcopis posset Episcopus judicari; & Canon 13. ab A. N. jure merito prætermissus: *Nemo nisi velamen celeste acceperit primum conjugii per manus Sacerdotis, ad Clericatus honorem accedat.* Sed hic non pauca addi possent ejusmodi, si res per se ipsa non loqueretur.

E (32) Cinctus Judex, à Principe delegatus, cingulo donatus; Hinc Senator in Psal. 29. ait: *Cingulum significat, quod ad judiciis pertinet dignitatem*, &c. Idem l. 6. var. epist. 2. in *Formula* Patriciatus habet: *Hinc est, quod & honor ipse cinctus est, cum vacaret, nihil jurisdictionis habens, & judicantis cingulum non deponens*, &c. Sed hic *cinctus judex* opponitur judici Ecclesiastico.

(33) Id in Libro Pontificali legitur. *Iliton* Græci vocant quod nos *Corporale*, de quo Chrysost. in Liturgia, ejusque discipulus Isidor. Pelusiota l. 1. epist. 123. apposite ad hanc Sylvestri constitutionem: *Pura*, inquit, *illa sindon, quæ sub divinorum donorum ministerio expansa est, Josephi Arimathensis est ministerium. Ut enim ille*, &c. . . . *eodem modo nos propositionis panem in sindone sacrificantes, Christi corpus sine dubitatione reperimus.* In Ordine Rom. sæpe *Corporale* legitur, & *palla corporalis*. Antiquitus autem majoris erat longitudinis, unde duo Diaconi expandebant, totidemque complicabant, ex eod. Ord. Rom.

(34) Ita quidem Theodoret. l. 1. 26. Sed Auctor Histor. Cophtitarum Patriarchar., ait defunctum *die XXII. Bermude*, die sc. 27. April. Apertius autem Auct. Libelli Synodici in Synodo Cæsariensi ait: *Alexander Papa Alexandriæ, quinto post mense, quam Nicæa domum reversus esset, ad Dominum digressus*, &c. Idem insinuare videtur D. Athanas. in Apolog. 2. Anno igitur sequ. obiit.

E (35) L. Sozomen. l. 2. c. 17. D. Epiphan. Hæresi 68. scribit, coactam fuisse Episcoporum Synodum, quo Athanasius ordinaretur: sed in collectionibus Conciliorum nulla hujus Synodi mentio. Vide quæ de Patriarcharum ordinatione advertit Valesius Observat. Eccl. ad Socrat., & Sozomen. l. 3. 14.

(36) Integros quidem, ut Cyrillus Alexandr. epist. 1. ad solitarios aperte docet; unde Athanasii ordinationem rejicit Pag. ad an. Chr. 326. sed ad *VI. Kal. Januarii*, ut ad genuinum Bedæ Martyrol. additur in MS. Ecclesiæ Vaticanæ; ut igitur integri sexaginta sex anni computentur, non Gratiano II. & Probo Coss. ut Socr. l. 4. 20. an. nempe 371. obiit, sed 373. Vide Pag. ad an. 372. n. IX.

Nonas Maji sepulchrum cum tribus non longe jacentibus Crucibus, clavisque, quibus Cruci affixus Christus, & titulo, qui Cruci superpositus fuerat, oculis se piorum objecit. In maxima omnium gratulatione, quod tantus thesaurus tanta felicitate esset inventus, illa subito hæsitatio ingentem animis curam, ac prope mæstitiam intulit, quod ex tribus Crucibus, quæ latrooum, quæque Christi Corpus sustinuisset, incerti animo fluctusbant. Nam titulus, qui omnem erroris caliginem eripere potuisset, ab ipsa, cui hæserat, Cruce erat avulsus. Aderat inter cæteros Macarius urbis Episcopus idem, qui ouper in Concilio fuerat, hic cum justam astantium omnium solicitudinem cerneret, divino numine afflatus talem inveniendæ veritatis iniit rationem, mulierem summo loco natam, quam gravi diu morbo conflictatam fuisse liquebat, advehi, ac singulis Crucibus admoveri præcepit, mulier ubi Crucem Domini, quæ tertio sorte sita loco erat, tetigit, repente plaudentibus omnibus sanitatem recuperavit. Inde, ut inquit Sozomenus, S. Sulpicius, & S. Paulinus, (37) vir etiam modo vita functus advectus, isque attactu subito vitæ est pristinæ restitutus. Veritate, quod satis esset, explorata, Helena Crucem Domini divisit, ac parte una Episcopo conservanda relicta, alteram sibi sumpsit, ac confestim Constantinum de re tota missis literis, nuociisque commonefecit. Is castris ex Illyrico motis mense Aprili Aquileiam processit, ubi rebus, quæ necessariæ videbantur, peragendis ali qoot dies transegit. Inde recta Romam versus (38) iter intendit ab universa occurrente Italia magno studio, atque alacritate animorum exceptus, ut qui gloriæ magnitudine supra humanum fastigium esset elatus, universo terrarum Imperio, tyrannis deletis, constituto, & antistitibus inter se reconciliatis Ecclesia ad pristinam concordiam, pacemque redacta. Ad urbem inde progressos proximam Maxentianæ victoriæ lætitiam populo renovavit. Siquidem universa obviam effusa civitate urbem de Licinio tyranno triumphans inivit, ac mox omnia, quæ in ejusmodi gratulatione erant solemnia, oblectandi populi causa, ludos quippe, ac munera edidit. His festis addita inde sunt Vicennalia Imperii, quæ priore anno Nicomediæ, cum io iis locis versaretur, edita, nunc majore pompa Romæ, ut in ampliore, & justiore theatro sunt celebrata. In quibus verisimile est, solemni quoque præstantis alicujus oratoris oratione præsentem illius felicitatem rebus ab eo gestis commemoratis esse laudatam. Quæ dum aguntur, ouncius de Sepulchro, & Cruce Christi inventa accessit, qui & ipsum, & Pontificem Sylvestrum, & universum piorum populum ingenti lætitia extulit. Itaque erectior ad magnifici templi constructionem effectus, extemplo, ut inquit Eusebius, literas ad Macarium Episcopum in hæc verba dedit: *Tanta Salvatoris nostri erga nos benignitas declarata est, ut nequaquam explicari pro dignitate possit, quid enim admirabilius esse potest, quam insigne passionis ejus monumentum, quod per tot annos ipsius terræ visceribus delituerat, tum se ipsis Dei servis patefecisse, cum illi hoste deleto libertatem recuperassent? Quare sic fac existimes, nihil nobis æque curæ esse, quam ut sacer ille locus, quem Dei jussu turpissima simulachrorum mole purgavimus, præclaro templi opere decoretur. Quare tuæ erit prudentiæ efficere, ut non modo Sanctuarium Templi, sed omnes etiam ejus partes reliquis omnibus, quæ ubique in terris sunt, pulchritudine præstent. Ac cæterarum quidem rerum Dracilsano reliquarum provinciarum Rectori, vestræque provinciæ Præfecto negotium dedimus: de columnis vero marmoreis, quas ipse aut ad decus illustriores, aut ad diuturnitatem firmiores censueris, ad nos perscribito, ut consilio tuo cognito illas curare possimus.* Interim converso ad ordinandam Remp. animo, cum iniqua Licinii decreta prorsus irrita reddi studeret, varia adversus eum edicta edidit, quorum duo præcipue extant, Romæ data, unum Antiocho Præfecto Vigilum (39) VIII. Idus Julias: *Quæ tyrannus contra jus rescripsit, non valere præcipimus, legitimis ejus scriptis minime impugnatis:* alterum Idibus Juliis ad Senatum: *Super iis, (40) qui ex Senatoribus ad navicularium munus à tyranno dejecti sunt, ac restitui suis natalibus deprecantur, placuit vestræ sanctitati judicium, examenque mandare, ut vos eligatis, qui splendori vestro patrimonii viribus, & honestate vivendi, & natalium dignitate respondent. Incongruum est enim tantæ dignitatis arbitrium alteri potius, quam vestris suffragiis, sententiisque committere. Eorum autem, quos ut dignos elegeritis, nomina Præfectus urbis nobis insinuet, ut vestrum judicium comprobemus.* Inde Mediolanum decedens accessit Spoletum, ubi IX. Kal. Octobris ita de Novatianis veteribus hæreticis sanxit: *Novatianos non comperimus* (41) *prædamnatos, ut iis, quæ petiverunt,* cre-

(37) Vide Sozomen. l. 2. 1. Sev. Sulp. Hist. l. 2. Paulin. epist. 31 tom 9. Biblioth. Sanct. Præter cit. L. Ambros. orat. in fun. Theodosii. Ruffin. Hist. l. 1. 7. & 8. aliosque.

(38) In Kalendar. Lambeciano ad XII. Kal. Augusti legitur: *Adventus Divi*. Et Zosim. l. 2. p. 865. & sequ. ait, Constantinum Romæ fuisse quo die *Transvectio* Equitum in Capitolium, seu Equitum probatio Romæ celebrabatur. Qui dies erat *Idus Julia*, ut ex eod. Kalendar. liquet. Hinc L. 3. Cod. Theod. *de infirmandis his quæ* &c. dicitur data *Romæ* VIII. Id Julii, & L. 4. ejusd. Cod. tit. eod. *dat. Id. Jul.*

(39) Ab Augusto instituta dignitas hæc, teste Svetonio. Ejusdem officium v. ap. Dion. LV. p [illegible]. & L. 3. ff. de offic. præf vig. Antea quoque extitit nocturnorum vigilum mos; & forma: Vide Cæsarem *bell.* civil. 5. p. 746.

(40) Hac lege, quæ est 4. Cod. Theod. *de Infirmandis his quæ sub Tyrann.*, &c. statuit Imperator, Senatores ad Naviculariam functionem a Licinio dejectos, pristinæ dignitati restituendos, expressis ibid. conditionibus servatis. *de Naviculariis* extat tit. Cod. eod. Naviculari hi erant, qui in classe singulis præerant navibus, teste Vegetio 4. 32. antea vero navium Domini ita appellabantur, ex Tacit. Annal. 12. 55. Cicer. pro Man. & Verr. 5.

(41) Hæreticorum dolo circumventus hic videtur Constantinus dicens: *Novatianos non comperimus prædamnatos*. Quos jamdudum Rom. Synodus perstrinxit, ut liquet ex epist. Cornelii Papæ ap. Euseb. Hist. Eccl. l. 6. 35. Illos Nicænum Concil. can. 8. extra Ecclesiam esse reputavit. Socrates tandem, l. 1. 7. satis declarat, quæ Constantini mens fuerit circa Novatianos. L. Sozom. l. 2. 30. iis antea prohibuisse Imp. ne coirent in coetum, enar-

*crederemus minime largienda. Itaque Ecclesiæ suæ domos, ac loca sepulchris apta sine inquietudine eos firmiter possidere præcipimus, ea scilicet, quæ ex diuturno tempore, vel exemplo habuerunt, vel qualibet quæsiverunt ratione, providendum erit, ne quid sibi usurpare conentur ex iis, quæ ante dissidium ad Ecclesias perpetuæ sanctitatis pertinuisse manifestum est.* Demum Mediolanum adiit, unde X. Kal. Novemb. (42) rescripsit, & Præfecturam urbis Anicio Juliano commisit, qui Idibus Novembris inivit, ac deinde se Romam rebus constitutis recepit. Interim Hierosolymis Templum splendidissimum, militibus, ac provincialibus omnibus certatim operam jussu Constantini navantibus, ædificabatur. Ceterum, quod incredibilem omnibus religionem incussit, locus ille, in quo postremum Christus vestigia fixerat, cum in cœlum nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuit: siquidem quæcunque applicabantur, insolens humana recipere terra rejecit, marmoribus sæpe in apponentium ora excussis. Quin etiam, ut inquit S. Sulpicius, auctor hujus historiæ in primis idoneus, attriti Christo pulveris adeo perenne documentum mansit, ut vestigia etiam impresse conspicerentur, & cum postea quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diriperet, damnum tamen arena non sentiret, & eandem adhuc sui speciem, velut impressis signata vestigiis, custodiret. Dum Templum hoc ad Calvariam conditur, Helena honesto filii exemplo, atque imitatione permota, duo alia fana extruere est adorta, unum in Bethleem, alterum in monte Olivarum, ut non solum Mortis, sed etiam Nativitatis, & Ascensionis Dominicæ loca monumentis ad accendendam religionem illustribus insigniret, atque ea, filio pecuniam, operamque subministrante, perfecit, atque interim puellis, quæ virginitatem Deo devoverant, uno in loco accumbentibus ministrare ancillæ modo pro pietatis magnitudine instititit. Inde Orientem peragrare ingressa, usque adeo facilem se universis gentibus præbuit, ut omnibus ad se adeuntibus munera benigne impertiverit, damnatos pœna exemerit, exulesque reduxerit, Constantino matri rebus in omnibus inaudita indulgentia obsequente. Quibus rebus magna pietatis laude peractis,
327 sequenti anno Constantio, (43) Maximoque Consulibus, Crucis parte, & titulo, & clavis assumptis decessit Romam. Ad urbem vero ut venit, honesto Imperatoris, omniumque occursu excepta sanctas Dominicæ passionis reliquias obtulit, quæ à Pontifice, & Clero ea, qua decuit, reverentia sunt acceptæ. Inde, sumptum, suppeditante filio, magnificam Basilicam in Palatio Sessoriano instituit, atque ibi sacri ligni portionem auro, gemmisque inclusam, Titulumque ipsum Crucis, qui adhuc servatur, dicavit, ea Basilica Hierusalem appellata, etiam ab ipsius nomine Helenianæ nomen invenit, cum ornamentis illustribus, tum opimis possessionibus præcipue à Constantino affecta. Sylvester Pontifex diem inventæ Crucis V. Nonas Majas festum Christianis esse solemni posthac ceremonia statuit. Constantinus ex tribus clavis uno galeam, altero frenum equi ornavit. Hanc tantam gratulationem domestica statim tempestas turbavit. Helena, cum nepotem Crispum præclarum juvenem, atque virtute una ad laudem, gloriamque nitentem pravo Faustæ nurus instinctu peremptum audisset, ut primum vacuas filii aures adepta est, magno dolore affecta acri ipsum increpare oratione non dubitavit. Ille vero, sive facti pœnitentia tactus, sive pietate materna victus, sive scelere uxoris compulsus, ut facinus commissum corrigeret, Faustam (44) in balneas ardentes immisit, ubi nimio æstu animam præcludente fœdum in modum expiravit. Quare vulgo improbata, Ablavius, (45) qui postea Consul fuit, diram Constantini in suos crudelitatem notans, auctore S. Sidonio, hos versus Palatinis appendi foribus jussit:

*Saturni aurea secla quis requirat?*
*Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.*

Nimirum, quod, ut ille inquit, frigore veneni filium, & calore balnei conjugem peremisset. Faustam inde Helena proxime consequuta est. Etenim, cum esset octogenaria, testamento præsente filio, ac nepotibus condito, XIII. Kal. Augusti est mortua. (46) Constantinus autem ipsam funere extulit splendidissimo, cumque Basilicam via Lavicana inter duas Lauros Sanctis Marcellino, & Petro Martyribus inchoasset, Mausoleum adjecit, atque ipsam ibi in monomento porphyretico posuit, ac studio ejus Basilicam instrumentis ingentis pretii, & prædiis ampliorum vectigalium decoravit, ut

enarrantem. Extat hæc L. 2. Cod. Theod. *de Hæreticis*. Sed cum Sozom. l. 2. 30. præstat dicere, meliorem fuisse Novatianorum sub Constantino conditionem, quam aliorum Hæreticorum.

(42) Dedit nempe, Cod. Theod. legem I. *unde vi*; quæ tamen in Cod. Justinianeo male dicitur data *Constantinopoli*. Vide Gothofr. in eamd. L.

(43) Constantius ai sque Nota numerali certe esse non potest, utpote qui an. præced. Consul processit cum Constantino Aug. VII. ut ex fastis Græcis Theonis a Doduvello editis constat. Constantii loco *Constantinum* ponendum, probat Pag. ad an. Chr. 327. n. 1. & de hoc Consulatu idem agit in 2. parte Dissert. Hypat. c. 13. putans, hunc vel fuisse filium alterius Constantini fratris Constantini M., vel ipsummet Constantini fratrem.

(44) Narrat Zosimus l. 2. 29. uno tenore Crispi, & Faustæ necem, adeo ut non multum temporis inter utramque necem intercesserit; anno itaque præced. evenisse verius est, quo & Helenam defunctam esse constabit infra.

(45) In hunc invehit Eunapius Sardianus, Vit. Philosoph. veluti auctorem necis Sopatri Platonici, Constantino acceptissimi. Præfect. Præt. fuit, & an. 331. Consul, Basso Collega. Illius Distichon Sidon. refert l. 5. epist. 8.

(46) Theophanes Helenæ obitum consignat anno 326. Idque sundetur ex Consulatu Flav. Valerii Constantini, fratris Constantini M. sequ. an obtento; Helena namque sedulo curasse videtur, ne Constantii liberi, Constantini M. fratres Imperium aucuparentur; unde illos pene exules, quoad vixit, semper detinuit, ut Julianus in epist. ad Corinthios, cujus fragmentum extat ap. Libanium, Orat. pro Aristophane Corinthio p. 217. ubi Liban. prodit, Helenæ artibus, & novercalibus odiis, Constantium Juliani patrem hac, & illac fuisse traductum.

ut Anastasius prodidit. (47) Atque hæc quidem à Constantioo in Occidentali Imperio, & præcipue Romæ acta comperimus, quæ uno concludenda libro putavimus.

# LIBER QUARTUS.

Quemadmodum qui longum iter ingressi arduo monte superato, aut sævo flumine, marive transmisso lætantur, arbitrantes se majorem partem itioeris confecisse, quia difficillimam sint emensi, sic mihi administratum Constantini in Occidente Imperium exequuto par prope voluptatis sensus offunditur; per inde quasi è maximis Historiæ salebris emerserim, quia præcipua ejus tempora, actionesque digesserim, oeque enim rebus ejus sive pro Republ. sive pro Ecclesia gestis, ut in tota antiquitate nihil est ad memorandum magnificentius, sic in veteribus monumentis aliquid fingi potest ad conjiciendum, aut digerendum obscurius, abhinc si quid angustius, aut, quod nolim, inordinatius afferetur, leviore multo id nostro crimine committetur: oos enim res Occidentales scribere profitemur, ille vero omnem post hac curam in exeolendo Oriente consumpsit. Etenim, postquam res Romanas, atque adeo totius Occidentis, quod satis esse videbatur in præsens, ordinavit, Orientem sibi repetendum constituit. Itaque Juliano eodem urbis Præfecto, in hunc, & posterum annum relicto, Roma, nunquam postea reversurus, excessit, atque inde Nicomediam se recepit. Ibi vero cum Dei benignitate omni belli occupatione vacaret, opera pacis, quorum studiosissimus fuit, moliri perrexit, nam & in Bithynia Drepanem (1) vicum, ubi Lucianus sub Licinio passus fuerat, muris sepsit, atque in memoriam matris Helenopolim appellavit, & Antiochiæ Basilicam inchoari nobilissimam jussit, quod Dominicum Aureum (2) dictum est. Nam Templa Deo dicata Dominica; Sanctis vero Martyria nominabant. (3) Inde majoribus spiritibus inflatus opos multo splendidius, & ad posteritatem memorabilius est adortus. Quippe diviso jampridem Imperio illud deesse ad integram dignitatem, atque amplitudinem repræsentandam intelligens, ut urbs magnitudine, ac nobilitate Romæ æqualis pararetur, quæ ut illa Occidentalis, sic hæc Orientalis Majestatem Imperii sustineret, Magnificum, atque Illustre nomini suo fore putavit, si hac urbe constituta tantum ipse decoris invexisset, oeque enim ego iis assentior, qui hoc ab illo aut Romanorum, (4) aut Nicomediensium odio excogitatum affirmant. Igitur consilio de nova condenda urbe explicito, locum prope Ilium (5) urbem in Sigeo promontorio sitam, decennali quondam Græcorum bello nobilitatam, muoire constituit, atque eo profectus non solum fundamenta jecit, sed muros etiam ad aliquam altitudinem excitavit, cum jam Consules Januarius, & Justus inissent, tum vero 328
eo consilio reprobato animum ad Chalcedonem, quæ est in Bithynia, contolit, cum Nicomediæ esset, unde per Martium mensem (6) rescripsit, verum designato vix opere Aquilæ devolarunt, ac fabrûm funiculos raptos trans fretum Byzantium detulerunt. Qua re animadversa, tanquam divino adversante numine perturbatus eo adiit, ac situm contemplatus magnopere approbavit, & translatis eo cum omni parata materia fabris subinde opus instituit. Fuit autem antiqua, ac nobilis urbs Byzantium in Thracia ad Propontidem sita: (7) verum superio-

(47) Libro de Munificentia Constantini erga Urbis Ecclesias, cum agit de Basilica Marcellini, & Petri. Socrates vero l. 1. 13. in fin. corpus ejus C. P. translatum postea, scribit. At Euseb. solum ait, *deportatum fuisse ad civitatem, quæ principem locum tenet Imperii.* Niceph. l. 8. c. 31. biennio post, Constantinopolim delatum tradit.

(1) Auct. Chron. Alex. sub hujus an. Coss. habet: *Constantinus instaurata Drepani urbe in Bithynia ad cultum S. Luciani Martyr., illam à Matre sua Helenopolim nuncupavit.* Eidemque anno conditam Helenop. Hieronymus in Chron. consignat.

(2) Hujus Templi structuram describit Euseb. Vit. Constant. l. 3. 49., & Orat. de Laud. ejusd. Aureum dictum, quia *permagna auri, ærisque copia, & reliqua pretiosa materiæ ornamentis* illud Constantinus decoravit. Euseb. ibid.

(3) *Martyrion* dictum fuisse Hierosolymitanum Templum a Constantino excitatum tradit Cyrill. Alex. Cath. 14. Testimonium nempe Resurrectionis Chr. D., ut Euseb. Orat. de Laud. Const. At deinde sacras Ædes in Martyrum memoriam constructas *Martyria* designarunt, ut L. 7. Cod. Theod. *de Sepulcbris violat.* Isidor. l. 15 9. *Martyria* proprie etiam ipsa Martyrum sepulchra, *memorias, confessiones*, quibus superædificata altaria fuere, significabant, ut in Libro Pontificali *Damasi* dicti *in Felice I.*, & ap. August. l. 22. Civit. Dei 10., & alibi.

(4) Zosim. l. 2. 19. in fin., & 20. init. scribit de Constantino: *Quumque profectas ab omnibus, prope dixerim, exsecrationes haud ferret, urbem quamdam Romæ parem quærebat, in qua* &c. Populi Romani in eum convicia L. ap. Libanium Orat. 13. ad Theodos p 412. Horum caussa fuit Constantini studium in superstitione evellenda, unde invisum habuit Senatum, teste Zos l. c. 19. Ornamentorum deinde translatio ex Urbe Roma. L. Liban. cit.

(5) Locum hunc ita describit Sozomen. l. 2. 2. *Profectus ad campum pro Ilio situm non longe ab Hellesponto, paulo supra Ajacis tumulum, quo in loco fertur, Achivos qui olim Trojam oppugnabant, & navale, & castra babuisse*, &c Pergit deinde narrans, per somnum divinitus admonitum, ut alium condendæ Urbi locum quæreret. Prodigia vero quæ illum adegerunt aliam sedem eligere, varia produntur a Beda de loc. Sanct. c. ult. Glyc l. 4. Zonar. Annal. tom. 3. Cedren. in Compen. an. 18. Constantin. Quæcumque vero hæc fuerint, certe Justinianus Imp. C. *de veteri jure enucleando* §. *sed & si quæ*; ait, Constantinopolitanam Urbem melioribus auspiciis ædificatam esse, quam veterem Romam.

(6) *Kal. Martiis Dat. Nicomediæ* L. unic. *de mensis olearis*. De hac ipsa Constantini mora ibidem, his Coss., testis est Auct. Chr. Alex.

(7) Byzantium prædicat Cicero in ea quam habuit de Provinciis Consularibus orationem. At multis deinde cladibus afflictum; nam à Vespasiano fuit libertate privatum, Sveton. *in Vespas* 8. A Pescennio Nigro occupatum; Et a Severo diu obsessum, & nonnisi fame captum; unde in vici formam Urbs redacta, quæ aliarum omnium in Thra-

floribus annis Severus Imperator occupatam à Pescennio Nigro, qui Imperium in Oriente invaserat, illo occiso diruerat, atque urbe in vici formam redacta agrum Perintho, (8) quæ Heraclea dicebatur, adjudicaverat, itaque Byzantii Episcopus ab Heracliensi confirmari solitus erat. Hujos igitur oppidi Liciniana à se nuper victoria parti antiquum ambitum dilatavit, ac muros tollere, (9) atque ædificiis publicis, & privatis passim ad usum, & decus explere instituit, accitis ad navandam operam non solum provincialibus omnibus, sed etiam sociis barbaris, ac præcipue, Jornande auctore, Gotthis. Ædificia vero publica eo numero, dignitateque fuerunt, ut in omnibus rebus Romanam amplitudinem adæquarent, palatium, curia, circus, porticus, thermæ, fora, arcus, obelisci, columnæ, quæ marmoribus, atque opificibus aliunde accersitis eximia properatione curavit, ita ut pleraque propter nimiam adhibitam in ædificando festinationem infirma succedentibus proximis annis firmiore opere fuerint instauranda. Inter templa, (10) quæ & in urbe, & in suburbio erecta sunt, præcipue memoratur templum S. Sophiæ, nimitum infinitæ ipsi Dei sapientiæ consecratum, templum Pacis, & Sanctorum Apostolorum. Ex foris id celebratur, quod ipse à suo nomine appellavit, in quo medio postea columnam ex porphyritide lapide posuit Roma devectam, in cujus summo signum Apollinis ex Ilio propter operis nobilitatem translatum collocavit, atque in basi nomen suum
329 inscripsit. Postero autem anno, se octavum cum Constantino Cæsare quartum Consule, surgentibus jam ædificiis publicis domos etiam privatas instituit, & ad frequentandam urbem eximiæ nobilitatis viros cum ex aliis civitatibus, tum præcipue ex Romana vocavit, quorum aliquot etiam Glycas in Annalibus nominavit, Olybrium, Verum, Urbicium, Zoticum, Eugenium, Eobulum, Stadium, Florentium, Callistratum, Maurianum, Severum, & Isidorum, & certa vectigalia ad ædificia perficienda, & copiam annonæ parandam attribuit. Eodem etiam anno per aliquot menses fuit in Illyrico, quod rescripta indicant (11) Sirmio, Naisso, & Sardica data, atque ibi opus aliud memorandum maxime iniit. Nam Gotthos, & Sarmatas magnitudine rerum, opumque suarum exterritos posthac quieturos ratus, castella, & præsidia in ripis Istri à Diocletiano restituta removit, (12) ac milites limitaneos in proxima oppida dispertivit, ac pontem lapideum (13) in Istrum fecit, ne Trajano, qui illud idem gloriæ cupiditate perfecerat, videretur inferior, cujus æmulatione duci videbatur, ipsum herbam parietariam vocans, quod plerasque ædes suis titulis inscripsisset. Romæ VII. Idus Septembris Optatianus, VIII. Idus Octobris Petronius Probianus inierunt Præfecturam urbis. Proximo anno, qui fuit à Christo nato trecentesimus tricesimus, Symmacho, & Gallicano Consulibus, Indictione tertia, Constan- 330
tinus urbem novam jam ad egregiam aliquam speciem ædificiorum adductam primum Republica sibi putavit ornandam, deinde solemni ceremonia consecrandam. Igitur Rempublicam ita descripsit. Cum priores principes Imperium in duas partes tribuissent, atque unam Occidentis, alteram Orientis fecissent, in primis eam & ipse rationem retinuit, atque utrunque Imperium in multas portiones sive divisit, sive ab aliis ante divisum paucis mutatis servavit. Ceterum Occidentalis partes duæ sunt constitutæ, quæ Italiæ, & Galliarum nomine sunt appellatæ, atque ambæ in tres Diœceses partitæ, illa in Italiam, Illyricum, & Africam, hæc in Hispanias, Gallias, & Britannias. Provinciæ porro Italiæ septemdecim factæ, Venetia, Liguria, Alpes Cottiæ, Æmilia, Flaminia cum Piceno annonario, Etruria cum Umbria, Picenum suburbicarium, Valeria, Campania, Lucania cum Bruttiis, Apulia cum Calabria, Samnium, Sicilia, Sardinia, Corsica, Rhætia prima, Rhætia secunda. Illyrici vero sex, Pannonia prima, Pannonia secunda, Savia, Dalmatia, Noricum ripense, Noricum mediterraneum. Africæ quinque. Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifensis, Mauritania Cæsariensis, Tripolis. Hispaniæ septem, Bætica, Lusitania, Callæcia, Tarraconensis, Carthaginensis, Tingitana, Baleares, Galliæ septemdecim, Lugdunensis prima, Lugdunensis secunda, Lugdunensis tertia, Lugdunensis quarta, sive Senonia, Maxima Sequanorum, Belgica pri-

Thracia felicissima erat, viribus, opibusque florens, ex Herodian. l. 5. Benignitate vero Antonini Caracallæ vetera jura obtinuit, ut Spartian. *in Caracalla*. Gallieno imperante iterum depressa, ex Trebellio *in Gallieno*, à quo deinde restaurata per Cleodamum, & Athenæum Byzantinos. Hinc Liciniano bello Byzantium à Constantino expugnari non potuit, cujus cives eidem se dedidere, victo Licinio.

(8) Perinthi situm describit Diodor. Sic. l. 16. 77., quando autem nomen Heracleæ obtinuerit incertum Nummi ap. Spanhem. pag. 826. Severi tempore, & Getæ ap. Harduin. p. 398. *Perinthum* exhibent; unde conjici potest, recentiori calamo adjectum Ptolomæo *sive Heraclea*, ubi Perinthum nominat. Vopiscus, & Eutropius *Heracleam* vocant, ubi de Nece Aureliani. Philostorg. l. 8. 17., & l. 9. 14. similiter.

(9) Chronicon Alex. Januario, & Justo Coss., post nempe an. primum Byzantii murum a Constantino instauratum scribit, &c. Hinc Petav. in Not. ad Julian., & l. 11. de Doctr. Temp. 48. huic an consignat., quem sequitur Gothofred. in Chronolog. Cod. Theod. His vero mordicus refragatur Pag. ad an. Chr. 324. n. 19. ubi pluribus conatus evincere, jacta C. P. fundamenta an. Chr. 325., & quidem mense Novemb., ex Codino l. de Constantinopoli, Socrate l. 1. 16., aliisque.

(10) De Templis à Constantino in Nova Roma excitatis l. Cangium in *Constantinopoli Christiana*. Quæ autem hic ab A N memorantur, horum Socr. l. 1. 12. Niceph. l. 7. 49. in fin. Sozomen. l. 2. 2. & Euseb. Orat. de laud. Constant. meminere.

(11) Sirmio L. 4. *de operibus publ.* Naisso L. 2. *de integri restitut.* Sardica L. 18. *de appellationib.* omnes Cod. Theod., hinc Constantius hic Coss in Dacia, in Pannonia ... item in Thracia substitit; nam Heracleæ dedit L. 13. de appellationib. Cod. eod.

(12) Id Zosim. l. 2. 24. init. vitio vertit Constantino; sublatis enim limitaneis militibus, *in ditionem Populi Romani liberum barbaris aditum præbuit*.

(13) Id habetur in Chron. Alex. Januario, & Justo Coss. an. D. 328. Aurel. Vict. in Epit. p. 51. de Constantino ait: *Hic pontem in Danubio construxit*. Idque innuere videntur Numismata ap. Mediob. p. 467.

prima, Belgica secunda, Germania prima, Germania secunda, Viennensis, Narbonensis prima, Narbonensis secunda, Alpes maritimæ, Alpes Grajæ, Aquitania prima, Aquitania secunda, Novempopulana. Britanniæ quinque, Maxima Cæsariensis, Valentia, Britannia prima, Britannia secunda, Flavia Cæsariensis. Jam vero Orientalis Imperii partes item duæ effectæ, Oriens, & Illyricum. Orientis diœceses quinque institutæ, Oriens, Ægyptus, Asia, Pontus, Thracia. Illyrici duæ, Macedonia, & Dacia. Provinciæ porro Orientis quiodecim, Palæstina, Phœoice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Isanria, Palæstina salutaris, Palæstina secunda, Phœnice Libani, Eufratensis, Syria salutaris, Osrobena, Mesopotamia, Cilicia secunda. Ægypti sex, Libya snperior, Libya inferior, Thebais, Ægyptus, Archadia, Augustamoica. Asiæ decem, Pamphylia, Hellespontus, Lydia, Pisidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia salutaris, Lycia, Caria, Insulæ. Ponti decem, Galatia, Bithynia, quæ post Honorias dicta, Cappadocia prima, Cappadocia secunda, Pontus Pelemoniacus, Hellenopontus, Armenia prima, Armenia secunda, Galatia salutaris. Thraciæ sex, Europa, Thracia, Æmimons, Rhodope, Mœsia secuoda, Scythia. Macedoniæ sex, Achaja, Macedonia, Creta, Thessalia, Epirus vetus, Epirus nova, & pars Macedoniæ salutaris. Daciæ quinque, Dacia mediterranea, Dacia ripensis, Mœsia prima, Dardania, Prævalitana, & pars Macedoniæ salutaris. In primis autem cum singulorum Imperiorum binæ partes essent, his etiam binos Præfectos prætorio præposnit, ut essent quatuor, nam ante ipsum duo tantum fuerant, ac singulis suas diœceses attribuit. Ita fuere Præfectus prætorio Italiæ, Galliarum, Orientis, & Illyrici. Patricios inde binos, in singulis Imperiis singulos fecit. Consulum numerum conservavit, eosque promiscue ex utroque Imperio legi voluit. Præfectum urbis Romanæ tantum reliquit, qui deinde Constantinopoli quoque ascitus est, Senatum geminum instituit. Magistros peditum, equitumque (14) intulit, qui curam militum conscribendorum, instituendorum, & corrigendorum haberent, quæ ante Præfecti prætorio fuerat. Duces enim vectigalia exigere statuit, & ex iis stipendia militibus numerare, quod ante Præfectus prætorio fecerat, provinciarum vero administrationem pristino instituto partim Consularibus, partim Præsidibus, partim etiam Correctoribus commendavit. (15) Officia publica, Palatina, & militiæ ab Hadriano instituta paucis mutatis retinuit. Cum igitur in hunc modum utriusque Imperii Remp. ordinasset, atque illius Romam, hujus Byzaotiom domicilium destinasset, tum vero sibi dedicandum suscepit. (16) Itaqne advocatis rursus Orientis Episcopis aore diem V. Idus Majas magna ceremonia urbem novam Deo, ac Virgini Dei Matri consecravit, eamque oovam Romam, & Constantinopolim appellavit, atque ad dignitatem urbi addendam Ecclesiam ejus ad honorem Patriarchatus, (17) ut Græci Scriptores prodiderunt, evexit, ejusque Episcopum Metrophanem (18) post Alexandrinum sedere instituit. Hæc facta vicesimo quinto Imperii anno (19) D. Hieronymus in Chronicis diserte notavit, & Cedrenus io historia non obscure significavit, cum urbem consecratam tertia Indictione fuisse prodidit. Huc accedit, quod idem annus in quinqueonalia Cæsarum incidebat, (20) quem maxima celebrare lætitia assueverat. Itaque idem ipse Constantinus, cum his Consulibus ad Ablavium Præfectum prætorio

(14) Ex hoc tempore Præfecti Prætorio cessarunt esse Cæsareorum Exercituum supremi Magistri, & *Comites Augustorum per omnes expeditiones eorum*, ut in Inscriptionibus vocantur; sed publici status Administri, ac supremi Judices, quorum officium egregie describit Cassiodor l. 6. formula 3. quæ est Præfecturæ Prætorianæ. L. Zosim l. 2. 33.

(15) Hi magistratus erant Provinciales, iique in Italia frequentiores, medium inter Consulares, & Præsides locum habentes. Extra Italiam Corrector Paphlagoniæ in Asia, & Corrector Augustanicæ primæ in Ægypto memorantur in Notitia Provinciar. Hierocl. Corrector limitis Tripolitani in Cod. Theod. 12. 1. 133. In Notit. Imp. utriusque Corrector Syriæ in Pannonia recensetur.

(16) *His Coss. dedicata est Constantinopolis die V. Idus Majas*. Inquis Idac. in Fastis. Eique consentit Auct. Chron. Alex. addens, *Feria II. Indictione III.* & sane h. an. feria 2. incidit in diem Maji undecimam.

(17) Zonaras Ann. tom. 3. eo processit, ut diceret: *Constantinus M. cum aliis multis Urbem adornavit: tum Byzantium, quod prius Thraciæ Heracleæ Episcopatus erat, à Severo Perinthiis post captivitatem subjectum, . . . . in Patriarchatus dignitatem restituit*. Dignum sane homine Græco mendacium. Theodor. Balf. in Nom. Phot. tit. 8. spurium Constanti. profert edictum, in quo C. P. Patriarchatus asseritur; illud antiquis quoque Græcis incompertum, qui à Constantinopolitanæ Synodi I. can. pr., & Chalcedonensis can. 28. tantæ dignitatis originem repetere conati sunt, quibus canonibus collata dicitur jurisdictio Episcopo C. P. in Diœceses Thraciam, Ponticam, & Asiaticam. Nonnisi tamen in Lateranensi IV. can. 5. sub Innocentio 3. primus locus post Roman. Sedem Patriarchæ C. P. delatus est.

(18) Hoc tempore in vivis esse non poterat Metrophanes, qui ut omnes fatentur jam à pluribus annis ante Nicænum Conc., Constantinopolitanam, seu Byzantinam Sedem occupavit; neque amplius quam annis decem sedit, (Baronius ad an. Chr. 317. n. XVII. tribus solummodo sedisse tradit) hinc præsenti anno vivere non potuit. Gelasius Cyzicenus, se ex 3. l. Eusebii de Vit. Constant. hæc se transcripsisse testatur: *Urbis autem illius, quæ nunc imperat, Episcopus, Metrophanes nomine propter senectutem non adfuit;* (scil. Nicæno Concilio) *Ipsius vero Presbyteri qui aderant, locum ejus supplevere, quorum unus erat Alexander, qui Urbis Episcopatum post Metrophanem adeptus est*. Sedit Alexander an. 23. obiitque an. 340. non igitur ultra annum 327. protrahenda Metrophanis vita. De numero annorum Sedis Alexandri V. Socrat. c. 3. in fin., & 4. Sozomen. l. 2. 3.

(19) Præter Hieronym. in Chron. an. 25. Constant., & Cedren. in Compend. ab A. N. laudatos Vide quæ supra ex Idac. in Fast., & Auct. Chron. Alex. sunt dicta.

(20) In hunc annum incidunt Constantini Augusti Imperii quinta quinquennalia: Non tertia quinquennalia Crispi, & Constantini junioris; nec quinquennalia Constantii, quem an. 323., & non 325. Cæsarem creatam superius est adnotatum, ad an. sc. 325. Crispus autem, & Constantinus junior Cæsares nuncupati, an. 317., ut ad an. 315. observatum.

torio III. Kal. Decembris scriberet, (21) Constantinopoli subscripsit, nimirum Byzantio dicturus, nisi novo urbs nomine decorata fuisset. Cassiodorus (22) tamen XXVII. dedicatam retulit, multo tolerabilius, quàm ii, qui X., & qui XX. prodiderunt, quorum errorem facile coarguere ipsa rerum expositarum nexa inter se series potest.

331 Consules inde novi facti Bassus, (23) & Ablavius, (24) qui, ut inquit Eunapius, domo Ægyptius erat, propter incredibilem sapientiæ opinionem maximam apud Imperatorem auctoritatem adeptus. Eo anno Constantinus, Hieronymo, & Cedreno testibus, (25) exoletis gentilium sacris inexpiabile bellum indixit: nam Templa, & Simulachra eorum deturbari Constantinopoli, atque in toto Orienti præcepit, signaque Constantinopolim ex omni parte collata in foro à se nominato conflavit. Itaque omnes gentiles, atque Judæi, qui Constantinopoli versabantur, Christiana sacra suscepere, atque aras, & cruenta Sacrificia reliquere, contra vero Basilicam nobilem Nicomediæ Christo instituit, & cum apud Quercum Mambre (26) in Palæstina Abrahamum olim consedisse audisset, indignatus, locum tam venerabilem simulachris esse fœdatum, ipsum purgari, ac Templo ornari, litteris ad Macarium Hierosolymorum, & Eusebium Cæsariæ Episcopos datis mandavit. Cum autem Sopater Syrus (27) singularis eruditionis, atque eloquentiæ vir fama Deorum toto Orbe celebratissima jussu Constantini videret everti, rem iniquo animo passus, ad Aulam Imperatoris, auctore Eunapio, venit, ut ipsum à proposita ratione deduceret, verum nihil profecit, à Constantino tamen eximiæ prudentiæ opinione cultus, apud eum mansit. Leges inde constituto à se Imperio ferens, ad omnes Provinciales Edictum Kal. Augusti dedit, quod Constantinopoli propositum fuit, his verbis: *A Proconsulibus, (28) & Comitibus, & iis, qui vice Præfectorum cognoscunt, sive ex appellatione, sive ex delegato, sive ex ordine judicaverint, provocari permittimus, ita ut appellanti judex præbeat opinionis exemplum, & acta cum refutatoriis partium, suisque litteris ad nos dirigat. A Præfectis autem Prætorio, qui soli vice sacra cognoscere vere dicendi sunt, provocari non sinimus, ne jam nostra contingi veneratio videatur.* Item Kal. Decembris ad Provinciales Constantinopoli: *Cessent jam nunc rapaces (29) Officialium manus, nam si moniti non cessaverint, gladiis præcidentur. Non sit venale judicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium, non visio ipsa præsidis cum precio, æque aures judicantis pauperrimis, ac divitibus referentur. Absit ob inducendum ejus, (30) qui Officii princeps dicitur, deprædatio. Nullas litigatoribus adjutores eorundem Officii principum concussiones adhibeant. Centurionum, aliorumque Officialium parva, magnaque poscentium intolerandi impetus oblidantur, eorumque, qui jurgantibus acta restituunt, inexpleta aviditas temperetur. Semper invigilet industria præsidalis, ne quidquam à prædictis generibus hominum de litigatore sumatur. Qui si de civilibus causis quidquam putaverint esse poscendum, aderitque armata censura, quæ nefariorum capita, cervicesque detruncet, data copia universis, qui concussi fuerint, ut præsidum instruant notionem. Qui si dissimulaverint, super eodem conquerendi vocem omnibus aperimus apud Comites cunctos provinciarum, aut apud Præfectum prætorio, si magis fuerit in vicino, ut his referentibus edocti super talibus latrociniis supplicia referamus.* Per eosdem etiam

(21) Dedit nempe l. 2. *de Judæis* Cod. Theod., & quidem *Constantinopoli*, ubi mense Majo apertum à Constantino lavacrum Zeuxippi, Circo, & Palatio proximum, teste Auct. Chron. Alex., Gallicano, & Symmacho Coss.

(22) Hic in Chron. *Pacatiano, & Hilariano* Coss. Urbis dedicationem factam ait, an. nempe Chr. 332., qui est Imperii Constantini 27. Cassiodori errorem detexit Baron. ad an. Chr. 330. n. II., quem V. referentem num. I. quod Niceph., & Gregor. Presb. de anno dicatæ Constantinopoleos falso prodiderunt.

(23) Hunc à Septimio Basso distinguit Gothofred. in Prosograph. Cod. Theod. pag. 353., quem V. Septimius Consul processit, Collega Ovinio Gallicano, an. D. 317.

(24) De quo præter superius notata L. Eunapium *in Ædesio*, p. 37., & sequ., ubi pilam, & ludum fortunæ extitisse Ablavium narrat, ut in Historiæ decursu quoque patebit.

(25) Ille in Chron., anno sequenti ad Urbis dedication. Cedr. vero *anno* Imperii Const. *XX.* id factum dicit. Vid. & Eus. Vit. Constant. l. 3. 52.

(26) Abraham diu sub quercu, sive querceto Mambre, in valle ejus nomine juxta Hebronem incoluit, Gen. 35. 27. Forte à Mambre Amorrhæo dicta, cum quo Abraham icerat fœdus. Qui locus dein apud Christianos, exterosque celeberrimus fuit habitus, & IV. sæculo extasse dicitur ab Euseb. Terebinthus, sub qua tres Angelos ab Abrahamo receptos dicitur. Demonstrat. l. 5. 9.

(27) De quo L. Eunap. *in Ædesio* pag. 34., & sequentib., ubi quæ passus fuerit ab Ablavio narrat. Hinc hallucinatur Sozom. l. 1. 5. negans, Sopatrum unquam cum Constantino locutum fuisse. Eunapio Zosimus suffragatur l. 2. 40., ubi Ablavium necatum scribit, *ipsa vindicta merita hominem pœna multante, quod per insidias Sopatro Philosopho mortem machinatus fuisset, dum ei Constantini familiaritatem invideret.*

(28) A quibusnam judicibus appellari possit, sanxit Imperator, præcipiens, ut appellanti sententiæ, seu opinionis exemplum præberetur, ut Refutatorias dare posset, sive gravamina exponere, quæ ad scrinia deinde transmittebantur. Soli excipiuntur P. P. inter vice sacra judicantes, à quibus nequeat appellari; & de hoc privilegio fidem faciunt plures leges in C. *de appellat.* 30. & 32. ibid., aliæque, nec non Cassiodorus lib. 6. variar. 3. *in formula Præfecturæ Prætorianæ.* Neque privilegium hoc ante Constantini tempora obtinuisse unquam videntur Præfecti P., cujus aliquod in Scriptoribus, & præcedentibus legibus suppeteret monumentum. Extat hæc L. 16. *de appellat.* Codic. Theod.

(29) Est prima *de Offic. Rect. Provinc.* Cod. Theod., qua cautum voluit, ne Officiales, seu Apparitores litigantes concuterent, quorum deprædationes verborum atrocitate perstringit; detegit prædarum sinus, primo ne sit venale *Judicis velum*; *Secretarii* namque foribus (ubi Judex, seu Rector Provinciæ jus reddebat) *Vela* prætendebantur, quo turba excluderetur; unde *velum Judicis* ingressum ad Judicem notat, quem venalem esse prohibet Imp. Ad hæc *Vela*, foresque *Secretarii* Officiales remanebant.

(30) Gothofr. in hanc L. eos reprehendit, qui legunt ita, (quod habetur in Cujaciana edit. ad marginem) & legendum vult, *ab inducendo*, idest ab eo, qui in Secretarium Judicis immitti postulat. At cur dici nequit, *ob inducendum?* nempe propter introductionem illius, qui postulat in Secretarium Judicis immitti. Neque legis sensus ideo immutatur.

etiam dies eunochos, (31) qui cubiculum Imperatoris servabant, coërcuisse videtur, de quibus sic Lampridius in Alexandro, scribens ad Constantinum: *Postquam intellexisti, quid mali eunuchi habeant, & quemadmodum principes circumveniant, tu eos eo loci habes, ut nec chlamyde uti jusseris, sed necessitatibus domesticis delegaris.* Romæ pridie Idus Aprilis Anicius Paulinus, (32) flos Romanæ nobilitatis, urbis Præfecturam inivit. Huic statuam inauratam Senatus Populusque Rom. posuit cum hoc meritorum ejus Elogio: *Anicio Paulino Juniori V. C. Pro-Cons. Asiæ, & Hellesponti, Consuli ordinario, Præfecto urbis, vice sacra judicanti ob meritum nobilitatis, eloquii, justitiæ, atque censuræ, quibus privatim, ac publice clarus est, petitu Populi Rom. testimonio Senatus, judicio D. D. N. N. Triumphatoris Augusti, Cæsarumque florentium statuam secundam auro superfusam locari sumptu publico placuit.* Hila-
332 riano inde, & Pacatiano Consulibus, Dalmatio (33) Dalmatii fratris filio Cæsare constituto Constantinus bellum intulit Gotthis, (34) qui à Diocletiano domiti suis adhuc se finibus continuerant, atque in fœdere, & amicitia Romanorum permanserant, nunc vero remotis ex limite Istri à Constantino præsidiis, nova irruptione facta in Mœsiam, ac Thraciam se intulerant, atque omnia populationibus, incendiisque miscuerant. Qua injuria percitus Constantinus in Mœsiam cum exercitu venit (siquidem pridie Idus Aprilis Marcianopoli fuit) atque eos ex Thracia pepulit, pulsosque trans Istrum insequutus in Sarmatarum regione cæcidit, & fœdere icto XL millia militum dare ad bella urgente necessitate coëgit, ut D. Hieronymus, (35) Jornandes, & Zonaras prodidere; nam paulo se-

A cus res ab Eusebio gesta narratur. Cum superiores, inquit, Imperatores tributa Scythis pependissent, id alienum esse Romana majestate ratus Constantinus, Christi auxilio fretus, Crucis vexillo in eos illato brevi omnes subegit, ac reluctantes quidem armata manu coërcuit, reliquos vero disertis legationibus mulcens ab inculta, & fera vita ad humanam, civilemque traduxit. Bellum autem ingens fuisse, atque ingentem Constantini nomini gloriam peperisse constat. Itaque Anicius Paulinus, qui & hoc anno urbis Romæ fuit Præfectus, his auditis publicum monumentum ad perennem Constantini memoriam à Senatu excitan-
B dum curavit, cum his verbis: *D. N. Constantino, Maximo, Pio, Felici, ac Triumphatori, Semper Augusto ob amplificatam toto orbe Remp. factis, consiliisque S. P. Q. R. dedicante Ancio Paulino Juniore V. C. Consule, Præfecto urbi.* Inter hæc, Ecclesia Christiana jam non solum opibus, sed etiam dignitate florente, iterum in Oriente res turbari, ac misceri magno populorum, ac religionis damno sunt cœptæ. Eusebius Nicomediensis Episcopus, (36) & socii ejus in Concilio Nicæno damnati, cum aliquandiu in exilio fuissent, tandem sive vera, sive falsa pœnitentia ducti, ac libello fidei suæ Episcopis præbito absoluti Ecclesias suas iis,
C qui invaserant, deturbatis, receperant, Ario solo communione Ecclesiæ Alexandrinæ excluso ab Athanasio Episcopo, viro in suscepta causa uno omnium constantissimo. Cum autem per aliquot annos conticescentibus magis, quam languentibus animis, summum de Trinitate silentium omnes tenuisset, demum hoc anno verba iterum inter Episcopos fieri cœpta sunt. Huic disputationi materiam præbuit verbum, Consubstan-

(31) His cubiculi Augustalis cura erat, ut Leo Nov. 98, in l. penult. C. Just. *de Præpos. sacri cubic.* Evagr. l. 4. & jam antea Eunuchi in præcipuis Aulæ Davidis Magnatibus recensiti, l. 1. Paralip. In Aulis Principum eo pervenerunt, ut & universi orbis regimen administrarent; unde Heliogabalus *mancipium Eunuchorum* vocatur à Lampridio. Id malum coercuit Gordianus tertius, ex Capitol. 24. Eunuchos fieri vetuit Domitianus, ex Sveton. c. 7. n. 5. Philostr. Apollon. 6. 17. Cum autem omnia possent in aula, summasque dignitates civiles, militaresque obtinerent, clamyde utebantur, quod vetuit Constantinus.

(32) Hic eamdem Præfecturam obtinuit per annum quoque sequentem, ut testatur Auctor Præfectorum Urbi, *Pacatiano scil., & Hilariano Coss.*, unde L. 4. *de sponsalib.* data est *ad Pacatianum* non *PF. V.*, sed *PP*, ut in Cod. Just. præfert L. 2. *de advocat. fisci*: item L. 1. *de sicariis*.

(33) Hic Dalmatii Censoris, fratris Constantini M. filius, *Julio Constantio, & Cejonio Rufio Albino Coss.*, an. sc. D. 335. Cæsar dictus *VIII. Kal. Octob.*, ut Auct. Chron. Alexan., vel *XIV. Kal. Octob.*, ut Idac. in Fast. iisdem Coss. habent. Unde Euseb. in Vit. Constant. l. 4. 46. Orationem paulo post Tricennalia Constantini se recitasse fatetur, in qua ait: *Fortissimos deinde quatuor Cæsares, quasi quosdam equuleos uno Imperialis quadrigæ copulans jugo*, &c. alludens ad tres Constantini filios, & Dalmatium Cæsarem. Atqui Tricennalia Constantini in an. Chr. 335. incidere.

(34) *His Coss. victi Gothi ab exercitu Rom. in terris Sarmatarum die XII. Kal. Maji.* Idac. sub h. an. Coss. inquit. Certe Constantinus M. Marcianopoli egit mense Aprili, ut ostendit L. Cod. Theod. 4. *de sponsalibus*, quæ Urbs fuit Mœsiæ secundæ in Gothorum, Sarmatarumque vicinia. Zosim. l. 2. p. 687. Barbaros hos victos *Thaifalos* vocat Scythicam nationem. Scythas appellat Euseb. Vit. Con-
D stant. l. 4. 3. Socr. l. 1. 18. cum Sozom. l. 1. 8 nominat Gothos; consuevere porro Romani omnes Transistrianas gentes, uti Gothi, & Thaifali, Scytharum nomine appellare; Græci vero Scythas, quos Latini Gothos.

(35) In Chron. an. 27. Constantini; Jornandes vero de Reb. Get. p. 722. 42. prope fin., ubi: *Nam & dum famosissimam, & Romæ æmulam in suo nomine conderet civitatem, Gothorum interfuit operatio, qui fœdere inito cum operatore, XL. suorum millia illi in solatio contra gentes varias obtulere.* Vide Euseb. ab A. N. cit. Vit. Constantin. l. 4. 5. Bellum sane ingens fuit; nam Anonym. Vales. scribit: *Deinde* (post Urbis nempe dedicationem) *adversum Gothos bellum suscepit, & implorantibus Sarmatis auxilium tulit. Ita per Constantinum Cæsarem centum prope millia fame, & frigore extincta sunt.*
E Julianus quoque Apostata Orat. 1. pag. 16., inquit, unum ex Constantini filiis victoria sua Gothicam firmasse pacem.

(36) Philostorg. l. 2. c. 7. scribit, Eusebium, Marim, & Theognium *post triennium Constantini Imp. jussu ab exilio revocatos*, oblato libello satisfactionis à Socrate l. 1. 14. & Sozom. l. 2. 16. relato. Idem vero Philostorg. ibid. num. preced. ait, *post biennium*. Certe Concilium Antiochenum non serius quam an. 328. celebratum, in quo Eustathius Episc. Antiochenus ab Eusebio Nicomediensi, suisque asseclis depositus fuit, falsis criminibus impositis, clare evincit longe ante præsentem annum, Episcopos Arii fautores ab exilio revocatos.

Digitized by Google

stantiale, quod novum in Symbolo fuerat positum, in quo Filium Patri Consubstantialem esse confitebantur, de quo cum non idem Arriani cum Catholicis sentirent, simultates inter se exercere distractis non minus animis, quam opinionibus, institerunt. In primis autem Episcopus Antiochenus Eustathius scripto edito Consubstantiale defendit, atque Arrianos adhuc ex damnatione furentes, vehementius irritavit. Itaque cum contraria ab utraque parte scripta prodiissent, placitum est, ut ad rem constituendam conventus Episcoporum (37) Antiochiæ haberetur. Hanc occasionem, quam nunquam spe, animoque conceperant, Arriani adepti, ne iterum Catholicorum multitudine, ac potentia premerentur, diligenter sibi posthac providendum putarunt. Itaque, cum aliter non possent, duos Catholicorum Principes Eustathium, & Athanasium tollere subornatis accusatoribus, fictisque criminibus decreverunt. Hujus vero doli artifex Nicomediensis Eusebius fuit. Is Hierosolymorum Templum, cujus pulchritudo, splendorque prædicabatur, se visere velle professus, Comite Theognide Episcopo perditorum suorum consiliorum participe sumpto, Antiochiam adiit, & simulata amicitia ad Eustathium, comiter ab illo exceptus, divertit. Inde Hierosolyma progressus, colloquio cum nonnullis Episcopis Arrianæ sententiæ inito, insidias, quas Eustathio moliebatur, aperuit, & cum iis Antiochiam se recepit. Ibi Concilio instituto ejusdem instinctu processit quidam, qui Eustathium de adulterio postulavit, idque præsentis mulieris, quæ se puerum ex eo genuisse confitebatur, testimonio comprobavit. Episcopi, cum mulieris jurejurando potius, quam Eustathii inficiatione standum censuissent, sententiam in eum severissimam, licet Catholicis reclamantibus, protulerunt, atque Ecclesia spoliatum perpetuo exilio affecerunt. Qua ex re gravis adeo Antiochiæ seditio est conflata, cum alii Eustathium retinere, alii emittere vellent, ut vix ab armis, & sanguine temperatum sit. Tumultu inde auctoritate Constantini sedato, plerique Eusebium Cæsariensem sibi depoposcere Episcopum, quem ille honorem repudiavit, atque ex ea re laudem à plerisque, & præsertim à Constantino egregiam tulit. Eustathio pulso Eusebius inde animum suum convertit ad Athanasium affligendum, ipsum Arrium in Ecclesiam, quod semel damnatus esset, recipere recusantem. Cum autem non solum Alexandriæ, sed etiam Constantinopoli res variis pro cujusque in causam studiis jactaretur, Constantino haudquaquam æquo animo ejusmodi contentionibus iterum permisceri Ecclesiam audiente, novum eis præsidium ad dejiciendum Athanasium est oblatum. Quippe Constantia (38) Constantini soror mortem oppetiit. Hæc, cum à fratre morbo oppressa iterum, ac sæpius viseretur: Presbyterum illi quendam Arrianum, quocum sibi magna familiaritas intercesserat, insignis pietatis, & egregiæ fidei nomine commendavit, atque inde vitam destituit. Presbyter Constantiæ commendatione Constantini familiaritatem adeptus, Eusebii impulsu, libertate loquendi parta, ipsum monere Constantinum non dubitavit, Arrium insigni injuria fuisse affectum, quod cum recte sentiret, ab Ecclesiæ communione secretus esset. Mirante autem Constantino, ac dicta ejus nutu magis, quam oratione, rejiciente professus est, ipsum, si ad colloquium ejus admissus esset, planum facturum, quam minimum à Nicænis decretis, ac sententiis discreparet. Quo audito Constantinus, atqui, si Arrius, inquit, cum Concilio sentiet, non modo meum illum in conspectum admittam, verum etiam ad Ecclesiam suam dimittam, atque ita advocari Arrium jussit, quo cunctante demum V. Kal. Decembris ad eum ita scripsit: (39) *Jamdudum significatum tibi est, ut ad nos venires, quo nostro frui conspectu posses, quod abs te non extemplo curatum esse miramur. Quare da operam, ut publico vehiculo sumpto ad nos accurras, quo nostra erga te voluntate perspecta redire in patriam possis.* His litteris acceptis Arrius demum ad eum Constantinopolim venit, ac secum Euzojum Diaconum, quem eadem de causa Alexander abdicarat, adduxit, rogatique ambo, ut formulam fidei suæ cum Nicæna congruentem proferrent, Christum Dei Filium ex ipso ante omnia sæcula genitum, verbo Consubstantiali omisso, confessi sunt. Qua professione audita Constantinus eos tanquam minime à Concilii sententia dissidentes Alexandriam jussit repetere, atque insequentem annum edidit Consules Dalmatium fratris filium, (40) & Xenophium.
(41) Eo anno Arrius cum Euzojo Alexandriam reversus se in communionem Ecclesiæ recipi postulavit, neque id obtinere ab Athanasio potuit. Quod ut Eusebius audiit, 333
Atha-

(37) Nulla suppetunt monumenta, quæ h. an. Antiochenum hoc Concilium coactum evincant. Philostorgius aliunde l. supra laudat. n. 7. revocatos Episcopos Arii patronos *post triennium* ab exilio narrans, subdit, illos *Symbolum hæreticæ fidei edidisse, & Eustathium deposuisse*. Atqui hi Episcopi relegati paulo post Nicænam Synodum, ut Socr. l. 1. 14., & Sozomen. l. 2. 16., itaque ad an. 328. aut 29. Eustathii injusta depositio rejicienda. Vide quæ Valesius in Not. ad l. 3. Euseb. de Vit. Constant. c. 59. Certe non ad tempora Constantii, ut Baron. ad an. 340. n. XXI., referenda ejectio Eustathii, sed Constantini, ex Theodoret. l. 1. 21. Socr. l. 1. 18. Sozomen. l. 2. 18.

(38) Hæc Arianorum fautrix, narrante Ruffino l. 1. 11. unde Hieronym. ad Ctesiphontem epist., inquit: *Arius, ut Orbem deciperet, sororem Principis ante decepit.*

(39) Constantini litteras ad Arium Socr. refert l. 1. 19. Libellum vero Arii, & Euzoji Imperatori porrectum, ubi altum omnino de Consubstantialis voce silentium (erat illa Catholicæ Fidei tessera per eam ætatem) profert Sozom. l. 2. 26.

(40) Julius Delmatius Hannibaliani, Delmatii quoque dicti, filius fuit; Hannibalianus vero Constantini M. ex patre tantummodo frater, teste Anonymo Valesiano. Mirum quibusdam visum fuit, Constantinum Delmatio filio Consulatum, & non Delmatio seniori contulisse, qui *Censor* dictus. At Chron. Alex. Delmatium filium prodit Consulem processisse: Et Itinerar. Burdigal. pag. 41. *Item ambulavimus Dalmatio f. Dalmatii, & Zenofilo Coss.*

(41) *Anicinum Paulinum* ponit Chr. Alex., at sequi præstat Fast. Bucherii, Theonis, & Idacii juxta P. Sirmondi edit. p. 53. 8. Prosp., nec non Victor. An. 320. Zenophilus, quem Xenophilum Onuphr. p. 285. vocat, Proconsul Africæ fuit, fortasse idem qui Consul. h. an.

Athanasium primum suis, (42) deinde morem sibi gerere recusantem, Constantini litteris de recipiendo in communionem Arrio, atque Euzojo monuit. Quibus Athanasius constanter rescripsit, nefas esse, (43) ut qui fidem infirmassent, atque anathemate à Concilio perculsi fuissent, tanquam postliminio redeuntes gradum suum recuperarent. Quo responso accepto Constantinus accensus, ut concordiam stabiliret, Athanasium se de Ecclesia depulsurum denunciavit, nisi in auctoritate sua fuisset, neque propterea Athanasium de suscepta sententia depulit. Cum hoc igitur statu res essent, Eusebius occasionem alienatæ Constantini ab Athanasio voluntatis adeptus, diram adversus eum conjurationem conflavit, omnibus non solum Arrianis, sed etiam Meletianis in societatem ascitis. (44) Arriani fuere Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, ac præter hos Ursacius, (45) Singidonis, & Valens Mursæ, uterque Pannoniæ Episcopi, Meletiani à Meletio (46) dicti erant, is civitatis cujusdam in Ægypto Episcopus, à Petro Alexandrino Episcopo regnante Diocletiano Episcopatus munere spoliatus, quod Christum inficiatus simulachris immolasset, (47) socios (48) erroris sui quosdam contraxerat, ac Petro Episcopo martyrio affecto Achillam primum, deinde Alexandrum maledictis incesserat, ac demum exorientibus Arrianis (49) adjunctus cum suis à Nicæno damnatus concilio fuerat, mortuo vero Alexandro eodem Athanasium animo infestus urgebat. Conjuratione igitur cum his facta Eusebius per eosdem Athanasium apud Constantinum accusavit, qui Constantinopoli, ubi III. Nonas Maji fuisse reperitur, Nicomediam se contulerat, quod novum vestis lineæ (50) tributum Ecclesiæ Alexandrinæ persolvendum in Ægypto instituisset, & aurum inde collectum Meletio in Thebaide, & Ægypto seditionem agitanti suppeditasset. Verum id crimen falsum esse Alypius, & Macarius Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyteri, qui tum forte Nicomediæ erant, opportune coarguerunt. Quare Constantinus accusatoribus graviter increpitis ad se Athanasium advocavit. Ubi vero Eusebius eum adventantem accepit, alio eum crimine, quod Imperatoris edictis resistere moliretur, appetiit, de quo Constantinus, cum in Psamathia suburbio Nicomediæ cognovisset, & Athanasium innocentem comperisset, ipsum cum honore dimisit, atque Alexandrinæ Ecclesiæ commendavit. Eodem anno Sarmatæ Limigantes (51) Gotthorum vicinorum suorum armis oppressi, cum justas ad resistendum liberorum hominum copias non haberent, tanquam in extremo periculo servos suos armarunt, atque eos contra Gotthos duxerunt. Mox autem, cum à servis deficientibus appetiti, ac sedibus ejecti patriis essent, auxilii ac consilii inopes ad Constantinum subsidium imploratum, & sedes tutas petitum se contulerunt. Eos vero

(42) Has litteras Athanas. Apolog. 2. commemorat, quemadmodum & alias Constantini, quas detulerunt Palatini Syncletius, & Gaudentius. Vide Athanas. ibid.

(43) Non recipiendum Arium in Ecclesiam scripsit Athanasius, non quod putaret, denegandam Ecclesiam pœnitentibus reis gravium criminum, ut perperam Novatiani docuerant; in epistola namque ad Antiochenos, eos hortatur, ut execratos hæresim Arianam *in communionem* admittant. Sed ita scripsit tum quia probe noverat subdolum Arii consilium, & emendatam fidem: tum quia hæresiarchæ, quamvis pœnitentes gravioribus pœnis erant obnoxii in Ecclesia Dei, quam alii heretici; idque Imperatori rescripsit, qui sane, Arianorum malis artibus deceptus, lapsus fuit.

(44) Erant & hi Athanasio infensi, turbasque excitaverant in Ægypto, ut idem testatur Apolog. 2., hinc ab Euseb., cæterisque Arianis sollicitati, inito fœdere, bellum Athanasio intulerunt, & Fidei Nicenæ.

(45) Hic Politicus Episcopus, & Valens, ambo Arianismo fœdati, & calumniarum Athanasio illatarum conscii, deinde libellum retractationis, & pœnitentiæ Julio P. R. obtulerunt, quem vide ap. Athanas. Apol. 2. p. 602., & sequ. *Singidon* autem, ex Theophylacto Simocatta l. 1. 4, aliisque, *Singidonum* verò, & *Singidunum*, ex Jornan. *de Reb. Get.* 55. Quod oppidum sit hodie, quove loco non plane constat. Si vere loquitur Holstenius ad Ortelium adnotans, nunc *Zenderin*, *sedes non ita pridem Despotæ Serviæ, paulo sub Tauruno*.

(46) Is Lycopolis in Ægypto Episc., nefarii schismatis auctor an. Chr. 301. circiter. Baronius ad an. D. 306. n. 44. Schismatis hujus originem refert, ex Athanas. in *Epist. Encyclica contra Arianos ad Episcopos Ægypti, & Lybiæ, quæ per oscitantiam sub nomine Orationis primæ contra Arianos* ejusdem Operibus inseritur. At ea epistola parum favet Annal. Parenti, ut illam legenti patebit. Vide Pag. ad an. 306. n. 29. de Meletio legendi sunt Athanas. Apol. 2. Socr. l. 1. Hist. Eccl. 3., ubi testatur, Meletium probra in Sanctos Antistites Alexandrinos Petrum, Achillam, & Alexandrum evomuisse, Ario, ejusque asseclis suppetias tulisse. L. Theodoret. l. 1. Hist. Eccl. 9, & Hæret. Fabul. l. 4. 7.

(47) Narrat id Athanas. Apol. 2., cui major adhibenda fides, quam Epiphanio hær. 68., primus enim Schismatis ortum vidit, & in historia est longe accuratior Epiphanio, qui in Meletiana acta ab ejusdem Sectæ Scriptore aliquo conficta incidens, Meletium inter Episcopos Martyrii Candidatos recenset. Athanasio Socr. l. 1. Hist. Eccl. suffragatur, & Nicephorus l. 8. Hist. 5.

(48) Extat *Breviarium Meletii Episcopo Alexandro datum*, ubi Meletiani clerici recensentur ap. Baron. ad an. 325. p. 253. Inter illos autem celebriores fuere Joannes, Meletio in Episcopatu suffectus, ex Socr. l. 2. 20., quem Athanas. Apol. 2. histrionem Arianorum vocat; Paphnutius Monachus, alius quidem ab Antonii M. discipulo, & à Paphnutio illo, qui in Nicæna Synodo spectatissimus fuit habitus; & Callinicus, cujus meminit Athanas. Apol. 2.

(49) Ex Socr. l. 1. 3. dicente: *Interea quæstio de Ario habetur. Meletius cum fuit Ario subsidium fuit, cumque illo una contra Episcopum* (S. scil. Alexandrum) *conspiravit*. Neque Socrates hallucinatur, ut contendit Baron. l. supra cit., dum ante Nicænam Synodum initum inter Meletianos, Arianosque fœdus affirmat.

(50) Ita Sozom. l. 2. 22., qua veste in Sacris Ministri Ecclesiæ uti solebant. Athanas. Apol. 2 *linteorum* meminit: linteamina quippe offerebantur a fidelibus, iisque ornabantur Ecclesiæ, quorum mentio habetur ap. D. Gregor. l. 2. ep. 14., & 15., l. 8. 38., & alibi.

(51) Sarmatæ Limigantes servilis erant conditionis, teste Ammian. l. 17. 13., ubi a Sarmatis *Liberis* distinguit; qui & disertè tradit: *Sarmatas liberos ad discretionem servorum rebellium appellatos*. A Constantio quoque Aug. victi in alias sedes deinde fuere translati, ut idem Amm. l. c. iterumque rebellantes, maxima suorum strage sunt repressi ab ipsomet Constantio. Vide Ammian. l. 19. 11.

vero Constantinus benigne auditos in pro- A
vincias suas recepit, atque alios sacramen-
to militari adegit, alios ad agrorum cultio-
nem adhibuit. Scribit etiam Jornandes, (52)
Vandalos quosdam à Gotthis acie superatos
sedes à Constantino petiisse, easque in Pan-
nonia recepisse. Itaque Zosimus adjicit,
Constantinum primum omnium barbaros Ro-
manæ militiæ adscripsisse, eamque rem ma-
gnorum, quæ subsequuta sunt, malorum
initium attulisse. Quod vere dictum esse,
post hujus historiæ contextus ostendet. Con-
stantini enim sive consilium, sive liberalita-
tem, sive fortaise etiam necessitatem imitati
subinde Constantius, Valens, & Theodosius
integras nationes transire fluvium cupientes B
in suas provincias admiserunt, ac fortissi-
mum, (53) & prudentissimum ex eis quem-
que honoribus militaribus evexerunt, ac
Romanis militibus posthabitis Remp. solis
prope barbaris commiserunt, Gotthis, in-
quam, Alanis, Gepidis, Vandalis, Hunnis,
Suevis, & Francis, qui occasionem nacti
aut legitimis Imperatoribus manus intule-
runt, aut populares suos spe prædæ, ac se-
dium concitatos ad agrorum populationes,
provinciarum vastationes, ac demum ad ca-
put ipsum Imperii Romam occupandam,
ac diripiendam impulerunt. Romæ VII. Idus
Aprilis Optatianus Præfecturam Urbis ini-
vit. (54) Interim Arriani consiliis novis C
compositis alios delatores Athanasii compa-
rarunt, ac novis criminibus ipsum apud
Constantinum obruerunt, uno, quod Ar-
senium Episcopum Meletianum occidendum
curasset, & manum ei mortuo amputatam
adhibere ad artes magicas voluisset; alte-
ro, quod stuprum cum muliere commisis-
set. Itaque de industria Arsenium alio able-
garunt, & manum recisam homini mortuo
protulerunt, & mulierem, quæ se ab illo
vitiatam assereret, produxerunt. Invidia
etiam conflata est, quod Macarius ab eo in
Maræotidem missus, (55) mensa Domini
eversa, calicem mysticum confregisset. Ha- 334
rum rerum cognitionem Constantinus, Opta-
to, & Paulino Consulibus, (56) Dalmatio
Cæsari (57) Antiochiæ sedenti mandavit.
Verum Dalmatius hoc judicium exercere
bello avocatus non potuit. Itaque Constan-
tinus Arrianorum impulso concilium Cæsa-
reæ Palestinæ indixit, (58) atque ea cogni-
tione illuc rejecta, eo adesse Athanasium
imperavit. Dalmatius autem certior factus,
Calocerom quendam (59) res in Cypro no-
vas moliri, atque ad tyrannidem aspirare,
justo conscripto exercitu eo se contulit, at-
que acie cum Calocero decertavit, eumque
victum in potestatem redegit. Inde pacata
insula cum se domum referret, Tarsi in
Cilicia vivum comburi jussit. Romæ V.
Kal. Maji Anicius Paulinus urbis Præfectus
creatus. Postero vero anno Constantius (60) 335
Constantini Augusti, ut notavit Athanasius,
frater, & Rufius Albinus, viri clarissimi
Consules inierunt. Concilio Episcoporum
Cæsareæ superiore, ut diximus, anno coa-
cto Athanasius per multos menses expecta-
tus non affuit. Qua re Arriani confirmati
novam ejus ad Constantinum contumaciam
detulerunt. Is ratus Athanasium odio Epi-
scopi urbis Eusebii (61) ab illo conventu
refu-

(52) *De Reb. Get.* 43. dicens: *Sed mox ipse rex Wandalorum Wisumar morna cum parte gentis suæ prosternitur. Gebarich vero dux Gothorum eximius superatis, deprædatisque Wandalis ad propria loca, unde exierat remeavit. Tunc perpauci Wandali, qui evasissent imbellium suorum manu, infortunatam patriam relinquentes, Pannoniam sibi à Constantino Principe petiere, ibique per quadraginta annos plus minus sedibus locatis, Imperatorum decretis, ut incolæ famularunt*; &c. De Barbaris a Constantino Romanæ militiæ scriptis Vide Zosim. l. 2, & alibi passim, ubi Barbaros admissos conqueritur a R. Impp.

(53) Præter hos Impp., quos A. N. commemorat, etiam Julianus, victis, & in deditionem acceptis Saliis, & Chamavis, selectos ex iis robustiores inter auxilia scripsit, teste Zos. 3. 7., hinc Salii inter Auxilia Palatina numerantur in Notitia Imperii. Libanius in Orat. funeb. de eodem Juliano ait: *Barbaris adversus barbaros auxiliaribus est usus.* Valentinianus id præstitit, ex eod. Zos. l. 4. 12.

(54) A VII. Id. Aprilis usque ad VI. Idus Majas, quo die Præfecturam iniit Cejonius Julianus Kamænius. Not. Præf. V. D

(55) Hujus sæpe meminit Athanas. in Apolog. adversus Arianos, dicens: *Mareotes regio est Alexandrina* &c. sect. 85. & antea sect. 17. De eadem Plin. l. 5. 6 *Quæ sequitur Regio, Mareotis Lybia appellatur, Ægypto contermina.* Ibi in Meletianorum Ecclesia calicem fractum Athanasii opera, illius hostes causabantur. Vide Athan. Apol. 2. E

(56) Hic Anicius Paulinus *junior*, ut liquet ex Inscriptionibus ab Onuphrio recitatis in Fastis, ex ead. igitur Familia fuit Anicii Paulini, an. 325. Consulis. Viri porro eodem nomine donati, si ejusdem essent Familiæ, *junioris* epithero plerumque distingui per hæc tempora solebant.

(57) Dalmatius, sive Delmatius, an. 335. Julio Constantio, & Cejonio Rufio Albino Coss. an. D. 335. Cæsar nuncupatus, *VIII. Kal. Octobris*, ut habet Auct. Chro. Alex., vel *XIV. Kal. Octob.*, ex Idacio in Fast., unde Euseb. in Orat. de Tricennalib. Constantini eo anno habita, inquit: *Fortissimos deinde quatuor Cæsares, quasi quosdam equuleos*, &c. tres nempe Constantini filios memorans, & Dalmatium. A. vero N. Socratem legit, qui l. 1. 27., ait hunc Dalmatium, filium fuisse Dalmatii Censoris, Constantini M. fratris. At Sozomenus l. 2. 24. Socratis errorem emendavit, & Dalmatio Censori hujus causæ cognitionem à Constantino demandatam scripsit. Quod diserte ipsemet Athanas. tradit in Apolog. ad Constantinum pag 782.

(58) Triginta circiter mensium spatio Athanasium profectionem suam distulisse, ne ad hoc Concilium veniret, testes sunt Sozom. l. 2. 25. Nicephor. l. 8. 49. Adeo ut necesse fuerit, ut Episcopi Tyrum convenirent, ut mox A. N. enarrat, ibique conventum agerent, qui an. D. 335. celebratus fuit; unde evincitur Concilium Cæsareense indictum fuisse an. D. 332. aut sequenti.

(59) Quem Aurelius Vict. de Cæs. in fin. *Magistrum pecoris Camelorum* vocat, cujus conatibus obstitit Dalmatius, eo *excruciato, ut fas erat, servili, aut latronum more.* Inquit Id. Vict. Theophan. p. 24. vivum Tharsi incensum affirmat, idque consignat an. 29. Constantini, cui Hieronym. in Chron. suffragatur ad an. 335. Ad præsentem vero an. 334. refert A. N., quem & Tillemont. sequitur ad an. 29. & 30. Constantini.

(60) Recte A. N. hunc Constantini fratrem dicit, non autem filium, ut vult Onuphrius in Fast., qui non appulit animum ad epistolam datam a Presbyteris, ac Diaconibus Mareoticis, datante adhuc Conciliabulo Tyrio, inscriptam: *Coss. Julio Constantio illustrissimo Patricio, fratre religiosissimi Constantini Aug., & Rufino Albino, clarissimis* &c.

(61) Hunc non modo Arianis partibus studuisse, suscepto Arii patrocinio, sed ejusdem erro ri occulte favisse etiam post Nicænam Synodum,

A refugere, Episcopos Tyri jussit convenire, atque Athanasium illuc adesse. Publicis vehiculis sumptis, confestim eo Episcopi una cum Athanasio convolarunt, frequenti concilio cum alia ad concordiam Ecclesiarum pertinentia sunt statuta, tum Athanasio præsenti manus Arsenio abscissæ, & stupri perpetrati crimen illatum. Ibi demum utrumque facillime, & cum maxima accusatorum infamia dissolutum est. Nam Arsenius, qui ab Arrianis amandatus fuerat, diligentius conquisitus, atque inventus in Concilium est productus. Quare, cum jussus utramque manum exeruisset, accusatorum causam prope in comœdiam vertit. Mulier inde

B adducta, ac mendacii convicta non solum innocentiam Athanasii patefecit, sed insidiosas etiam adversariorum actiones omnes aperuit. Nam Athanasio, qui de stupro causam dicere jussus erat, silentium obtinente, Timotheus Presbyter, qui illi aderat, quasi ipse Athanasius esset, ita mulierem compellavit: Egone mulier tecum rem habui? egone tuam domum inivi? affirmante autem illa, & annulum quem ab eo acceperat, proferente, nemini dubium fuit, quin mercede corrupta ad id testimonium accessisset, ut quæ Timotheum pro Athanasio appellaret. Ita Athanasius utroque judicio est absolutus. Inde lis Macario de calice fracto

C intenta accusatoribus hoc judicio fractis in Maræotidem cognoscenda dilata est. Hoc facto erectus Athanasius extemplo lembum conscendit, ac summa celeritate Constantinopolim ad conquerendam accusatorum calumniam advolavit. Arriani, ubi Athanasium Tyro abiisse senserunt, astute novum crimen objecerunt, quod ad Concilium Cæsariense citatus non affuisset, atque absentem indicta caosa damnarunt. Jam nobilissimum Hierosolymorum templom perfectum erat, ejusque consecratione Constantinus tricesimum hunc Imperii sui annum insignem relinquere cupiebat. (62) Itaque cum concilio Tyri peracto (63) Episcopos jam ad

D concordiam rediisse audiret, litteras ad eos dedit, (64) ut omnes Hierosolyma properarent, ac templum concordibus animis de-

A dicarent. Quo mandato accepto universi e vestigio se se Hierosolyma contulerunt, ac lautissime omnes egregia Constantini cura, ac liberalitate accepti, templum martyribus magna ceremonia una cum omni thesauro, quo Ecclesiam ille donaverat, consecrarunt. Inde à Presbytero Arriano impulsus litteras alias ad eos scripsit, ut, quando una convenissent, finem tandem controversiæ, Arrii cognoscenda fide, imponerent, &, si eum aut commode sentire, aut de prava sententia decessisse censerent, in Ecclesiæ communionem admitterent. Episcopi convocati cum assedissent, Arrium, & Euzojum auditos non pessime sentire pronunciarunt,

B atque ad Episcopos Ægypti, & Clerum Alexandrinum scripserunt, ut ipsos, in communionem statim acciperent, tanquam Imperatoris, & Concilii judicio absolutos. Interim Constantinus ab Athanasio Constantinopoli aditus de iniquis Arrianorum criminationibus edocetur. Qua de re non levi adversus eos ira concepta novas ad Concilium litteras misit, ut ad se primo quoque tempore Concilii Tyrii rationem reddituri accurrerent. Eo tempore Tricennalia Imperii celebraturus erat eo majore, quam unquam, apparatu, quod hæc prima vota in nova urbe Constantinopoli persolvebat, quam magnifica institutorum omnium novi-

C tate decorari volebat: in iis tertium filium Cæsarem appellavit, (65) atque ei partem Occidentalis Imperii (66) Italiam, Africam, Illyricumque mandavit. Eusebius Episcopus Cæsariensis Hierosolymis profectus solemnem in tali celebritate orationem habuit, (67) in qua, ubi Constantinum egregie collaudavit, demum ita perrexit: *In singulis festis, & conventibus decimo quoque anno celebratis singuli filii ejus ad sedem Imperii participandam à Deo designati sunt. Itaque filius ejus natu maximus, qui patris nomine est appellatus, decimo Regni anno socius Imperii cum patre renunciatus est, qui vero ei proxime ac-*

D *cedebat ætate anno vicesimo ad eundem honoris gradum evectus est, tertius deinceps hoc tricesimo, quo nunc festum celebratur, eadem dignitate ornatur*, & post: *Deus hunc conven-*

*tum*

---

dum, evincunt ejus gesta in Conciliabulo Tyrio, & Antiocheno, libri adversus Marcellum Ancyranum, & Commentaria post prædictam Synodum evulgata; unde signifer Arianorum à S. Hieronymo dicitur l. 2. adversus Ruffin. 2.

(62) Ad hunc quippe imperii annum, nemini post Augustum pervenire licuit. Infaustus tamen ejusdem Imp. nomini fuit ob Athanasii iniquam *depositionem*, quam collatis viribus Ariani in Conciliabulo Tyrio procurarunt.

(63) L. fuse ap. Theodoret. l. 1. Histor. Eccl. 30. Athanasium ipsum Apolog. 2. Socrat. l. 2. 20. de gestis in hoc Conciliabulo, in quo cum securus non esset Athanasius è Synodo

E discessit; favebat enim Arianis Dionysius Comes, ut ipsemet testatur l. c.

(64) Has describit Athan. Apolog. 2. p. 622., Socrat. l. 1. 22., Sozom. l. 2. 27. Quare Constantinopolim adierunt plerique Episcopi, utrque scil. Eusebius Nicomediensis, & Cæsariensis, Theognius, Patrophilus, Ursacius, & Valens l. ap. Athan. Apol. 2. p. 624. Vide & epist. Synodicam Episcopor. Ægypti, quæ ap. eumdem Athanas. legitur.

(65) Constantem hic Cæsarem nuncupatum intelligit A. N. Sed Idac in Fast. habet: *His Coss.* (Delmatio sc., & Zenophilo, an. 311.) *levatus est Constans die VIII. Kal. Januar.* Quo anno edita Constantini Cæsaris Vicennalia. Idacio suffragatur Eusebius in Chron. juxta editionem Pontaci, eam nuncupationem consignans anno Abrahami 2350., qui à Kalendis Octob. an. Chr. 333. inchoatur. Nec ullus testis proferri potest, qui ad an. Chr. 335. referat Constantis nuncupationem. Hoc itaque anno in Tricennalibus Constantini Cæsar nuncupatus fuit Delmatius, ut supra ostensum est.

(66) Ita per hæc tempora Rom. Imperiom regebatur, ut Gallias Constantinus junior administraret, quibus antea Constantius (qui

E modo Orientem moderabatur) vel adhuc puer præfuerat, teste Juliano Orat. 2. pag. 14. & 40. Africam, Illyricum, & Italiam Constans. Ripam Gothicam regeret Dalmatius, docente Anonym. Valesf. immo & Mesopotamiam, ut prodit Auct. Chron. Alex. ad an. 337. Pontum, Cappadociam, & Armeniam minorem Hannibalianus Rex, quem Auct. ejusd. Chr. d. an. Regem nuncupatum, purpura indutum fuisse, & Cæsaream Cappadociæ missum scribit; de qua re L. Victor. in Epit.

(67) *De Constantini laudibus*, cujus & ipse Eusebius meminit in ejusd. Vita l. 4. 46. Vide autem, quæ Valesius in Notis ad prædict. Oration. advertit Eusebii mentem assecutus de Cæsaribus nuncupatis.

*tum ejus causa curavit celebrandum, eumque victorem omnium hostium fecit, denique illum, utpote egregium veræ pietatis exemplar, cunctis mortalibus proposuit ad imitandum. Hic claro Cæsarum filiorum suorum splendore homines ingenti locorum intervallo disjunctos illustrat. Itaque & nobis, qui Orientem incolimus, suam ipsius præsentiam non sine maximo omnium commodo impertivit, & alteri hominum generi versus Occidentem unum ex filiis præfecit, & alios duos in aliis locis collocavit: porro autem Imperii quadrifariam dispertiti jugum quasi quatuor equis, id est, sibi, & tribus filiis Cæsaribus imponens, ipse eos divini animorum consensus, & concordiæ frenis colligatos cœlitus moderatur*. Ibi Eusebius Nicomediensis unus pro omnibus Constantinum acrius pro Athanasio contendentem sustinuit. Constantinus, cum fratres honoribus Consularibus honestasset, inde ad affines quoque id beneficium transtulit, atque in insequentem annum Nepotianum (68) Eutropiæ sororis filium Consulem declaravit. Per eosdem dies magnus ille Abbas Antonius (69) in Ægypto, id est, in extremis Imperii finibus, collocatus cum ab aliis hominibus, tum in primis ab Imperatore, totaque Aula Regia celebratus est. Nam & Constantinus Augustus, & filii ejus Constantius, & Constans Cæsares magnitudine virtutis, ac sanctitatis ejus audita, multis cum litteris ad rescribendum provocarunt, quibus ille acceptis haudquaquam elatus, convocatos Monachos ita est alloquutus: Reges sæculi litteras ad nos scripserunt; verum quid Christianis hoc æstimandum? nam licet diversa sit dignitas, tamen eadem est nascendi, moriendique conditio, illa sunt nobis magnifacienda, quod Deus hominibus legem scripserit, & quod per Filium suum Ecclesias propriis eloquiis exornarit, quid Monachus rationis habet cum Regibus? cur ego litteras eorum accipiam, quibus solita reddere salutationis officia nesciam? Monentibus autem fratribus, videndum esse, ne ille silentio suo animos Regum adversus se irritaret, rescripsit, laudantes eos primum, quod Christum colerent, deinde monens, ne Regiæ potestati tantum tribuerent, ut præsentis Imperio carnis inflati se homines esse, & à Christo judicandos fore obliviscerentur, & ut clementiæ, ac justitiæ erga subditos inservirent. Quarum ex litterarum lectione summam principes voluptatem ceperunt. Romæ III. Kal. Januarias Rufus Albinus Præfecturam urbis inivit,

A postridie vero Sylvester Pontifex (70) cum maximo piorum mœrore vita migravit, Ecclesia Dei in optimo statu relicta, cum insigni, ac præcipuo Constantini beneficio auctoritatem Pontificiæ Sedi maximam addidisset, & urbem Romam Templis magnificentissimis instruxisset, & Ecclesiam Romanam opibus auctam legibus sanctissimis temperasset. Initio inde sequentis anni Neopotiano, & Facundo Consulibus, Marcus (71) 336
Diaconus XVII. Kal. Februarias Sylvestro suffectus est. Interim Eusebius nunquam, nisi confecto Athanasio, quieturus ipsum apud Constantinum novo crimine affecit, minatum esse multorum testimonio insimulans, se prohibiturum, ne frumentum Alexandria, uti solebat, Constantinopolim deferretur. Quod ubi Constantinus accepit, Athanasium sive iræ indulgens (nam civitas maxima tum forte frumenti inopia laborabat) sive (quemadmodum scripsit junior Constantinus) (72) ipsum inimicorum crudelitati subtrahere cupiens Treviros relegavit. Athanasio, id quod jampridem tentabatur, tandem Ecclesia deturbato, Arriani, quasi triumpho aliquo de Catholicorum parte relato inde ad Nicæna decreta labefactanda se contulerunt. Arrius Alexandriam reversus, cum absente Athanasio ipsam Ecclesiam de integro permisceret, à Constantino adire Constantinopolim jussus est. Ubi vero eo venit, repente præsentem adjutorem Eusebium nactus, eodem urbem illam veneno inficere, quo Alexandriam, instituit, & ab Alexandro civitatis Episcopo Ecclesiæ propterea communione semotus gravia cum illo quoque certamina iniit. Quibus ut modum imponeret Constantinus, die quodam Sabbati ipsum in Aulam vocavit, atque ab eo fidei suæ formulam postulavit, & cum aliam ille fidem verbo, aliam mente professus esset, eundem sentire cum Catholicis arbitratus, Alexandro ut postridie in communionem reciperet, imperavit. Prioribus diebus Alexander prævalentibus adversariorum se premi opibus conspicatus, humana ope deplorata ad divinam confugerat, atque in Templo Pacis per multas noctes effusis lacrymis Deum oraverat, ut Ecclesiæ suæ periclitanti adesset, in primisque, ut Arrius tantarum turbarum concitator meritas aliquando pœnas expenderet. Cujus precationis votum haud irritum esse Deus permisit. Nam Arrius postridie cum ab Aula Imperatoris digressus (73) magna Eusebianorum caterva stipatus alacris ad Alexandrum,

(68) Hic Popilius Nepotianus, qui Augustum se appellavit an. 350., quique filius Eutropiæ Constantini sororis erat. Vide du Cange, Byzantinor., seu Oriental. Augg. famil. p. 46. cumque filium Nepotiani, qui Consul processit 301. existimat idem Auctor.

(69) Qui natus an. D. 251. vixit usque ad 356. cujus Vitam Athanasius extremos ætatis dies agens conscripsit; unde hæc A. N. excripsit.

(70) In Catalogo Damasi legitur: *Silvester annis viginti uno, mensibus undecim. Fuit temporibus Constantini, à Consulatu Volusiani, & Anniani, ex die pridie Kal. Febr., usque in diem Kal. Januar., Constantino*, (legendum *Constantio*) *& Albino Coss.* In Martyrol. Hieronym. ad diem 31. Decemb. legitur: *Depositio S. Silvestri Episcopi*; unde Auctor Catalogi dicendus est excludere diem Kalendarum Januar., præsertim quia etiam Libellus depositionis Episcopor. apud Bucher. habet: *Pridie Kal. Januar. Silvestri in Priscillæ*.

(71) In Chron. Damasi legitur: *Marcus menses octo, dies viginti. Fuit temporibus Constantini, Nepotiano, & Facundo Coss. ex die XV. Kal. Febr. usque in diem nonarum Octob. Coss. ss.* idest suprascriptis.

(72) In epist. nempe ad Populum Alexandr. pro Athanasii restitutione data; quam ipse S. Doctor refert Apol. 2. p. 624., subjungens: *Cum igitur ex hac causa in Gallias amandati simus, quis non videt simul & Imperatoris mentem, & Eusebianorum sanguinarios animos, & Principem id propterea fecisse, ne graviori calumnia ab illis opprimeremur? Simplici enim animo in audiendo fuit*.

E (73) Ita Socr. l. 1. 12. Ruffin. autem l. 1. 12. ait: *Summo quidem mane ab Eusebianis Episcopis educitur domo, ut, antequam Ecclesia ab Alexandro præoccuparetur, eam invaderent: atque in via positus, cum perurgeretur ea alvi exonerandi necessitate, paulo divertens à via, eo miserando interitu extinctus est*.

drum, ut Ecclesiæ sociaretur, contenderet, A
in ipso victoriæ suæ articulo expiravit. Siquidem ubi ad Forum Constantini pervenit, laxata forte alvo locum latrinæ quæsivit, & cum mox in præmonstratum locum secessisset, divina voluntate viscera simul cum excrementis ejecit, ac repente fœdissimo genere mortis perculsus interiit. Cujus rei fama per totam subito urbem pervagata ingenti omnes stupore defixit, in primisque intolerandam jam Arrianorum insolentiam labefecit. Athanasius, antequam Alexandria cederet, Marcum Romæ Pontificem per litteras (74) obtestatus est, ut, quoniam tabulæ Concilii Nicæni corruptæ ab hæreticis essent, integrum, atque inviolatum earum B
exemplum ad se remitteret, quæ à Victore, & Vincentio legatis ad decessorem ejus Sylvestrum missæ fuissent. Cujus ille voluntati obtemperavit, extant litteræ VIII. Kal Octobris Nepotiano, & Facundo Conf. ad Athanasium datæ. Ipse Marcus Episcopum Ostiensem honore pallii decoravit, (75) cum eo ut Romanum Episcopum consecraret, (76) quo jure solus Ostiensis Episcopus per multos inde annos est usus. Idem Basilicas duas construxit, unam via Ardeatina, alteram in urbe ad Palatinas, quas Constantinus in suo erga Romanam Ecclesiam studio perseverans, & opimis fundis instruxit, & aureis instrumentis ornavit. Inde pridie Nonas Octobris diem suum obiit. (77) Post C
viginti dies Julius Diaconus locum ejus tenuit. Constantius Cæsar Eusebiam mulierem (78) nobili, ac splendido loco natam sibi despondit. Ea sponsalia pater summa hilaritate, ac magnificentia celebravit, nam & ipse sponsum manu duxit, & convivium splendide apparavit, ac separatim singulos vi-

rorum, ac mulierum choros muneribus eximiis coluit. Ab eodem Indorum etiam legati dona ferentes, benigne excepti, & ossa Sanctorum Lucæ, & Andreæ, & Timothei adducta Constantinopolim, de quibus sic D. Hieronymus adversus Vigilantium: *Constantinus sanctas reliquias Lucæ, Andreæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores illorum se sentire præsentiam confitentur.* Urbe Constantinopolitana in magnam rei frumentariæ difficultatem adducta, naves in diversas dimissæ partes fuerunt, quæ frumenta deveherent. Hæ cum onustæ rediissent, appelli ad littus deficientibus ventis non potuerunt. Quo cognito populus ad theatrum sæva famis stimulatus rabie convolavit. Tum Constantinum ea de re animi anxium, & tempestatis adversæ rationem exigentem æmuli Sopatri, qui vir propter sapientiam in aula Constantini conspiciebatur, in primisque Ablavius Præfectus Prætorio adierunt, atque ita dixerunt: Quod ventos votis refragari tuis vides id scito Sopatri, quem tu tantis honoribus extulisti, perniciosa nobis sapientia fieri, is enim arte sua ventos devinxit, & quo minus navibus aspirent, inhibuit. Qua re audita, illi assensus Sopatrum propere comprehendi, ac securi percuti jussit. (79) Hujus rei auctor Eunapius. Constans Cæsar Romæ secunda Imperii Tricennalia egit, eodem Albino Præfecturam
urbis administrante. Titiano inde Maximo, 337
& Feliciano Consulibus VI. Idus Martias Valerius Proculus urbis Præfectus inivit. Hoc demum anno scribit Eusebius Constantinum sacro esse baptismate expiatum, cujus, quoniam ab Ecclesiæ Romanæ auctoritate dissentit, ne mendacii arguamur, verba

(74) T. 2. Oper. S. Athanas. p. 623. habentur epistolæ duæ, quarum prior inscribitur, *Athanasii, & Ægyptiorum Episcoporum ad Marcum Papam pro exemplaribus Conc. Nicæni, quia Ariani eorum exemplaria incenderant.* Alterius vero, *Rescriptum Marci Papæ de missione Capitulorum Nicæni Concil. Athanasio, & omnibus Ægypti Episcopis.* Sed utraque spuria. D
Quæ Marci est, scripta ponitur Kal. Novemb., cum Marcus obierit h. an. Nonis Octob. Athanasius ex *Alexandria* scripsisse dicitur, cum tamen mense circiter Februario fuerit à Constantino in Galliam relegatus, ut palam deducitur ex epist. Constantini junioris ad Populum Alex., data XV. Kal. Julii, an. 338., post duos annos, & menses quatuor exilii, ut Theodoretus affirmat l. 2. 1.

(75) Pallium, seu ὠμοφόριον, *plenitudinis Pontificalis insigne*, c. *antiqua*, de Privileg. ad solum R. Pontificem antea pertinebat: deinde hæc prærogativa pluribus Episcopis concessa, tandem ad solos Patriarchas, & Metropolitas limitata, & singulari privilegio nonnullis paucis Episcopis Pallium collatum, in E
quibus est Papiensis. Antequam autem recipiatur, non licet Archiepiscopo sui gradus obire munia; hinc Joannes VIII. ep. 93. ad Archiepisc. Arelat. conqueritur abusum irrepsisse contrarium in Gallias.

(76) Antiquissimus mos iste videtur; nam Dionysius Papa à Maximiano Ostiensi Episcopo consecratus fertur. Illius certe tamquam vetustissimi Augustinus meminit in Brevi. Collat. diei 3. c. 16.

(77) Ita Auctioris Chron. Auctor, ex quo & Anastasius; in Chron. autem Damasi (cujus verba supra relata fuerunt) legitur, sedisse Marcum usque *in diem Nonar. Octobrium.* Sedes autem vacavit non dies viginti, ut A. N. ex Anastasio scribit, sed menses tres, dies viginti novem; ex Chron. namque Damasi discimus, Julium Marci successorem *ordinatum* anno sequ., *die sexta Februar.*

(78) Quæ ex Zosim. l. 3. *summa præstabat eruditione, supraque muliebrem sexum prudens erat.* Fuit autem infœcunda, & aliarum partui insidiatrix, & invida, ut Ammian. l. 16., eaque & Ariana labe conspersa. Constantium plures habuisse uxores testatur Vict. in Epit. Prima fuit filia Constantii patrui ex Galla Juliani noverca, (si rectè conjicit Cangius in Fam. Byzant. Aug.) quam Julianus epist. ad Senat., populumque Athen. certe Constantium duxisse testatur, sed an primam duxerit, non exprimit. Habuit & Faustinam, ex Ammi. l. 26. 6. Euseb. l. 4. vitæ Constant., Constantinum h. an. uxorem dedisse Constantio filio tradit, sed uxoris reticet nomen: Eusebia vero esse non potuit; scribit enim Julianus Imp. Orat. ad eamd. Eusebiam, Constantium totius fere compotem Imperii, post vindicatam de injusto tyranno, Magnentio nempe, ditionem suam, Eusebiam sibi junxisse conjugem: atqui non ante an. 353. Magnentius victus, & Constantii Monarchia cœpta.

(79) Hæc ex Eunapio A. N. ad an. 326. Baron. n. 98. eadem refert, & tamen ex ipsomet Eunapio serius accidisse colligitur. Is quippe de Constantinopoli loquitur tamquam de Urbe referta frequentissimo populo, quem Constantinus è debellatis Gentibus illuc transtulerat, adeo ut onerariæ naves, quas mittebat Ægyptus, totaque Asia cum Syria, atque Phœnice; neque frumentariæ copiæ ex aliis provinciis vectigalibus comportatæ explere, & satiare multitudinem possent, quæ de Byzantio diei, per an. 326. vix poterant. Sed non mirum si Annal. Parens referat ad annum prædictum hæc omnia, qui male in annum 324. Constantinopolis jacta fundamenta conjecit.

ba referemus: *Sapor*, inquit, *Persarum Rex*, (80) *qui Constantio Cæsare limitem tuente sæpe irrumpere, sed frustra, conatus erat, in Mesopotamiam incursavit. Quo cognito, Constantinus hanc sibi superesse de Persis victoriam jactans, exercitum contrahere properavit, atque Episcopos de expeditione suscipienda admonuit, ac nonnullos secum educere cupiens, tabernaculum instar Templi construxit, ut in eo Deum cum Episcopis supplicaret. Quo apparatu percepto Sapor exterritus Oratores ultro de compositione misit, quos ille benigne audivit, lætosque cum pace remisit, eo die, quo solemnis Paschatis agebatur, quod ipse cum ceteris pernoctans, ac Deo vota faciens celebravit. Inde sepulchro sibi opportune in Apostolorum Templo constructo, morbo repente jactari cœpit, quem cum ferre sævientem non posset, remedii causa Soteropolim* (81) *ad aquas calidas est egressus, quibus non proficientibus, Helenopolim in Bithyniam adiit, ut earum aquarum beneficio uteretur. Ibi vota Deo in Martyrio facientem salutaris admodum cogitatio subiit, extremum vitæ suæ finem adesse, opportunum tempus, quo peccata deleret, quæ ipsa humanitas contraxisset, satisque persuasus arcanorum verborum vi, & salutari lavacro animum expiari, positis humi genibus, Deo suppliciter peccata sua confessus per manus impositionem* (82) *precatione dignus habitus est, inde Acironem Nicomediæ suburbanum se deferri jussit, atque advocatis Episcopis ita dicere cœpit; Hoc est tempus salutis, quod dudum à Deo consequi exoptavi, tempus est, ut insigni immortalitatis, ac sigillo salutis afficiar. Hoc in amne Jordane* (83) *facere statueram, in quo etiam Salvator ad nostrum exemplum lavacrum adeptus esse dicitur. Quoniam tamen Deus, quod utile est, videns, his nos hoc in loco dignatur, nulla dubitatio relinquatur. Si enim qui vitæ, mortisque dominus est, me superstitem esse, & cum populo convenire, & precationibus una cum omnibus interesse voluerit, vivendi leges Deo convenientes mihi constituam. Hic dictis illi solemnibus adhibitis cæremoniis instituta divina explerunt, & arcana communicarunt. Ita solus omnium à sæculo Imperatorum Constantinus in Christi Martyriis regeneratus initiatus est, ac divino sigillo dignus effectus. Cæremoniis vere omnibus absolutis nitidus ille, ac regiis vestibus indutus candidissimo in lecto recubuit purpuram amplius nolens attingere, tum vero clara voce, cum gratias Deo egisset, hæc intulit; Nunc vero me beatum esse, nunc immortali vita dignum evasisse, nunc divinæ lucis participem factum esse intelligo, miseros autem illos, qui his bonis orbati sunt, duco. Interim Tribuni, ac Centuriones ingressi varios questus jactare, semet destitutos fore deflentes, cœperunt, eique vitam longiorem precati sunt. Quibus ille respondit, se veræ vitæ compotem factum esse, solumque quantis bonis poteretur, cognoscere, quamobrem se ad Deum suum sine cunctatione migrare. Deinde testamentum rite condidit. Ac Romanis quidem annua munera dedit, filiis vero, tanquam patrimonium aliquod, Regni hereditatem distribuit, nempe Gallias, Hispanias, & Britannias Constantino permittens; Thraciam, Asiam, Ægyptum, & Orientem Constantio; Italiam, Africam, Illyricumque Constanti. Quin etiam Athanasium, licet Eusebio præsente, ac contradicente, tanquam omnis expertem culpæ restitui jussit, ac testamentum Presbytero,* (84) *de quo diximus, Arriano commisit, neque ita multo post tertio die Pentecostes* (85) *XI. Kal. Junias decessit è vita, cum annos ætatis sexaginta quinque complesset,* (86) *unum & triginta regnasset.* (87) Hæc de Constantini baptismo, & morte à nobis allata in vita ejus ab Eusebio Cæsariensi (88) ad verbum scripta reperiuntur, quem, ut unum omnium, qui de Constantino scripserunt, antiquissimum, sequuti sunt apud Græcos Socrates, Sozomenus, Theodoritus, & Evagrius, quæ reticenda esse, fidelis Scriptoris officio servientes in re, & controversia vulgatissima non putavimus, fide apud auctores relicta. Cæterum Con-

(80) Liban. Orat. 3. affirmat, Persas longo antea tempore se ad bellum gerendum præparasse, Saporis Regis consilio. p. 118. eumque quinque Tigris Provincias, à Narsete quadraginta ante circiter annos, Romanis concessas, poposcisse à Constantino prodit Aur. Vict. p. 525. & Mesopotamiam incursionibus invasisse docet Eutrop. p. 588. Aliam hujus belli causam Vide ap. Ammian. l. 25. pag. 295.

(81) Oppidum Bithyniæ apud Nicomediam, nunc autem teste Porphyrogenneta Pythia vocatur. Ibi Constantinus venenum a fratribus datum hausisse scribit Zonaras T. 2. Annal., indeque Nicomediam delatum obiisse.

(82) Catechumeni namque per manus impositionem ab Episcopis fiebant, ut ostendit can. 39. Concilii Illiberitani, & can. 6. Arelat. I. Sever. Sulpit. Dial. 2., & 2. de Mirac. S. Martini, Aug. l. 2. de Peccator. merit., & remiss. c. 26.

(83) Plerique ejusdem ætatis Catechumeni in Jordane baptizari cupiebant, teste Eusebio in l. *de Locis Hebraicis*, quem S. Hieronym. latinitate donavit: *Bethabara* (inquit) *trans Jordanem, ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat; unde & usque hodie plurimi de fratribus, hoc est de numero credentium, ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur.*

(84) Ita & Socrat. l. 1. c. 26., & Sozom. l. 2. 32., ut scilicet Constantio testamentum traderet, (teste Ruff. l. 1. 10.) qui paulo post supervenit.

(85) Tam Idac. in Fastis, quam Auct. Chr. Alex. obiisse tradunt XI. Kal. Jun., postremus addit, ipso die Pentecostes; recte quidem; hoc enim anno Festum Pentec. cum die 22. Maji, seu cum XI. Kal. Jun. concurrit.

(86) Totidem assignat Ruffin. l. 1. 11., Socr. l. 1. c. ult., Sozom. l. 2. c. ult., hinc quando Hieronym. in Chron. scribit, mortuum *an. ætat. suæ LXVI.*, annos utrimque incompletos pro integris numeravit. Et Euseb. l. 4. Vit. Const. 53. dicens: *Imperii quidem curriculum duobus & triginta annis explevit exceptis mensibus, ac diebus paucis: vitæ vero spatium duplo fere longius fuit*; ita intelligendus, ut ly *fere* latinum, quemadmodum σχεδὸν apud Græcos tam excessum, quam defectum significet, & *circiter* sonet. Natus itaque Constantinus an. Chr. 272., h. an. è vivis excessit.

(87) Regnare quippe cœpit die 25. Julii, an. 306. Imperavit igitur annos 30., & menses decem, ut Eusebius tradit in Chron. Neque mirum si in Vit. Constant. l. 4. 53. dicat: *ac Imperii quidem curriculum duobus & triginta annis explevit* &c. quæ supra; etenim in ejusdem Vitæ proœmio docet, se Imperii Constantiniani annos numerare per Decennalia, Vicennalia, Tricennalia: cum autem postrema hæc an. 335. 25. Julii celebrata fuissent, oratorio potius more, duos alios numerat Imperii annos. Vide Spanhemium hæc observantem *de Præstant.*, *& Usu Numism.*

(88) Vide quæ supra observata de Baptismo Constantini ex Actis S. Silvestri, ubi loca Græcorum Scriptorum indicata invenies.

Constantinus vir magni animi, & virtutis eximiæ fuit, atque inter omnes Imperatores hoc uno nomine maxime memorabilis, quod primus ex Imperatoribus non solum Christum amplexus sit, sed Christianos etiam Imperatores reliquerit, atque hoc est, quod D. Ambrosius in laudatione Theodosii dixit: *Theodosius Constantino adhæret, cui licet baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata Deus dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem fidei dereliquit, magni meriti locum reperit.* Quod si Augustum jure admiramur, quod eo regnante ad unum Imperatorem, unumque Deum omnium terrenarum, cœlestiumque rerum summa redacta sit, multo justiore studio ipsum suspicere Constantinum debemus, cui Deus concessit, ut tam religionem, (89) quam Imperium gentium constituerit. Ejus mortis nuncia stella crinita fuerat, quæ per multos ante dies clarissime fulserat.

# LIBER QUINTUS.

## CONSTANTINUS JUNIOR, ET CONSTANS AUGUSTI.

DEinceps acta filiorum, posterorumque Constantini expediemus, ut consequi ingenio, diligentiaque poterimus, qui tantum à paterna animi indole in omni genere laudis, atque officii recesserunt, quantum ille superiores Principes omnes pietate, atque animi magnitudine præstitit. Neque enim Constantino filio quisquam ad vitam incautior, Constante ad indecoras voluptates proclivior, Constantio aut levior, aut ad arrogantiam intolerantior fuit. Accessit, quod ut Constantius à Catholicis ad Arrianos, sic Julianus fratris filius à Christianis ad gentiles inaudita ante impietate se retulit, ac plurimum ipsi tum primum se corroboranti Ecclesiæ nocuit, ambo tamen Imperium multis tempestatibus hostium, tyrannorumque jactatum successoribus integrum, atque incolume tradiderunt.

Constantini morte comperta, milites, qui custodiæ corporis assistebant, abscissis vestibus, humi corpora projecerunt, atque illisis muro capitibus nullis questibus pepercerunt, quos in tali casu ingens suggerere dolor posset. Quos Præfecti, & Centuriones, atque omnes subinde milites sunt sequuti, flebilibus vocibus identidem conservatorem, custodem, ac parentem se amisisse testantes, quin etiam cives per urbem vagi, ac furentibus similes altissimis ejulatibus mœrorem suum, cujus magnitudinem capere non poterant, ediderunt: reliqui demisso vultu incessere tanquam attoniti, singuli præcipua se calamitate affectos querentes, ac semet tanquam tum demum omnibus humanæ vitæ spoliatos muneribus, deplorantes. Ubi luctus resedit, paulatimque mœror elanguit, milites sublatum cadaver aureo loculo incluserunt, ac purpurea veste contectum Constantinopolim deportarunt, atque in Palatio, loco, ut ab omnibus conspiceretur, excelso deposuerunt, ac luminibus circum accensis vigiles, qui diurnam, nocturnamque custodiam agerent, addiderunt. Ibi cum esset, pristina Regiæ species est servata, nam & Comites, & ceteri principes, quibus Imperatorem venerari consuetudo fuerat, subinde ingredientes ipsum eodem, quo viventem, officio salutarunt. (1) Quin etiam eadem reverentia à Senatu, & Magistratibus est adhibita, reliquisque privatis, quorum incredibilis turba repente sive honesto pietatis officio, sive curioso rari in terris spectaculi studio convolavit. Interim fidi nuncii ad filios Cæsares missi in diversas terrarum partes tristem famam Constantini obitus distulerunt. Qua accepta exercitus, qui ubique erant, extincto patre, filiis se obtemperare velle dixerunt, ac continuo ipsos pro Cæsaribus Augustos appellaverunt, (2) brevique spatio sua inter se decreta communicarunt. Romæ autem, ubi Constantinum Augustum vita excessisse percrebuit, nullus dolori, mœstitiæque à Senatu, populoque modus est factus; nam & balneas occluserunt, & foris, ac ludis abstinuerunt, & omnino omnia, quæ prosperis, lætisque temporibus celebrari solita erant, intermiserunt. Cæterum, ut se longe omnium miserrimos, qui tanto Imperatore orbati essent, sic ipsum beatissimum, judicabant, qui vitam tanta cum gloria terminasset. Itaque ad cæteros honores, quos illi habuerunt, hunc quoque præcipue tribuêre, quod pictis excolentes (3) tabellis ipsum super cœlestes orbes in æthereo cœtu considentem fecere. Mox cum Cæsares Augustorum nomine decorassent, legatos ad Constantium destinarunt, petentes, ut cadaver ejus ad se remitteret, atque urbem Romam clarissimis Augustissimi Regis exequiis hone-

(89) Ideo in Menæis Græcorum appellatur ἰσαπόστολος, par nempe Apostolis, & Auctor Libelli Synodici in Synodo Nicæna ait: *Constantinus inter Christianos Impp. Apostolus*. L. Papebroch. die 22. Maji in V. S. Constantini M.

(1) Inutilem hunc morem servabant Romani Augustos defunctos, teste Herodiano ubi pompam funebrem Severi describit, salutandi, eumque fortasse obsoletum renovarunt in honorem Constantini.

(2) Id factum V. Id. Septemb., ut Idacius in Fast., sub hujus an. Coss. Unde post Constantini mortem, tribus circiter mensibus Interregnum fuit, nullusque per id tempus in Orbe Romano Augustus, quod & innuit Eusebius l. 4. Vitæ ejusd. 67. dicens: *Solus post mortem imperavit Princeps beatissimus, cunctaque more solito administrata sunt*, quasi adhuc in vivis esset, & clarius c. 71. *Ipse etiam post mortem Imperium retinens, quasi redivivus universum Orbem gubernans, Victor Maximus Augustus, suo adhuc nomine Rempublicam regeret*. Hinc & L. 2. Cod. Theod. *de excusationib. artific.*, quæ dicitur data *IV. Non. Aug. Feliciano, & Titiano Coss.*, nomen præsefert Constantini M., quamvis mense Majo obiisset. Neque legendum cum Gothofredo *IV. Non. Aprilis*.

(3) Cultum à Græcis Constantinum veluti Sanctum, & in Tabulis Ecclesiasticis recensitum apud Orientales est inconcussum. L. Theodoret. l. 1. c. ult., Nicephorum in fin. l. 7., & de cultu exhibito Constantinopoli statuæ ejusdem Imp. Vide quæ scribit Auct. Chron. Alex. ad an. Chr. 330., & Hesychius in Originib. Constantinopolitanis.

honestaret. Is, cum solus ex filiis, ut qui propius aberat, Antiochia advenisset, atque accepto ab Arriano Presbytero testamento, Imperium Orientale iniisset, patrem sepeliri Constantinopoli voluit. Elatus est funere magnificentissimo, ac plane regio, præiere, ipso duce Constantio, peditum ordines, inde longo agmine armati milites successere, ut vero ad ædem Apostolorum est ventum, cadavere ibi relicto abiere, reliqua officia Sacerdotes cum astante populo divinis precibus adhibendis solenni cæremonia persolvêre. Constantius inde justis solemni Christianorum ritu peractis non contentus, ipsum etiam numero Divorum ascripsit. Fama, eaque non obscura manavit, Constantinum Augustum fratrum insidiis esse peremptum, (4) ideoque eum scripto commentario filium monuisse, ut non solum eos caveret, sed etiam vindicaret. Eum commentarium Constantius postquam ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, cui creditus erat, accepit, ac testamento aperto Dalmatium Cæsarem, & Aniballianum nobilissimum puerum fratrem ejus sibi cohæredes relictos invenit, odio incitatus de illorum cogitare pernicie cœpit, atque Ablavio Præfecturam ademit. (5) Cæterum cum Constans in Italia, & Constantinus in Gallia Imperium ex testamento patris iniissent, rebus cæteris ex partibus ad diuturni spem otii tranquillatis Constantinus tumultui, qui post gravis exarsit, novam materiam præbuit. Nam Imperii portione sibi à patre tradita non contentus, (6) litteras ad Constantem fratrem misit, quibus ab eo Italiam, Africamque poposcit; æquum esse interpretans, ut qui cæteros ætate anteiret, idem etiam Imperii dignitate, ac latitudine superaret. Cui Constans respondit, se testamento patris stare velle, atque ipsum extremam illius quoque voluntatem tueri oportere, qui si ætati aliquid tribuendum esse putasset, nimirum pro summa sua sapientia detulisset. Hoc modo utriusque animi tacita simultate infecti nihil tamen tum hostile moliti sunt. Interim Eusebius, cæterique Arrianorum principes in spem certam ingressi causam suam intermortuam excitandi, quod Presbyterum Arrianum, qui apud Constantium primas auctoritatis, & gratiæ obtinebat, socium, adjutoremque haberent, omne studium intenderunt, ne Athanasius Alexandriam se referret, verum proposito exciderunt. Nam Constantinus præclara patris in Catholica fide tuenda vestigia persequutus, ipsum statim Ecclesiam suam repetere jussit, (7) ac litteris Constantio fratri, & Alexandrino populo commendavit. Hæc XV. Kal. Julias Treveris erant datæ in hæc verba: *Neminem vestrum ignorare arbitror, Athanasium à patre meo in Galliam ad tempus ablegatum fuisse, ne nefario improborum hominum scelere periculum aliquod aut salutis, aut dignitatis adiret, jussum in mea ditione manere, ne quidquam ei deesset, quod ad vitæ necessitates pertineret. Cum autem idem eum Ecclesiæ suæ restituere in animo habuerit, neque morte præventus potuerit, voluntatem ejus mihi exequendam existimavi, quem quanto honore complexus sim, ex ipso facile, cum aderit, cognoscetis.* Atque ita Athanasius post duos annos, ac tres menses, quam Treviris exularat, Alexandrinam Ecclesiam summa populi voluntate recepit. Urso inde, Polemioque 338
Consulibus, atque Hilariano Præfecto urbis, Constantinopolis Regia variis principum cladibus est fœdata, eorum nimirum, quos Constantius Augustus parum aut patri amicos fuisse, aut sibi esse idoneos censuit. Milites ad hoc parati, ac spe, præmiisque impulsi tumultu in urbe concitato, Constantium Constantii Augusti patruum adorti trucidarunt, (8) ac subinde Dalmatium

(4) Tacuit id Eusebius, ne Constantini felicitatem elevaret, cujus texebat Panegyrim, Xenophontem imitatus. Fratres erant Constantius, & Annibalianus, quorum insidiis, veneno potatum Constantinum Cedrenus in Compen. prodit: & legitur in Actis Artemii M. ap. Metaphr. die 20. Octob., Artemium Præfectum Augustalem coram Juliano Apostata id affirmasse. Narrat ibid. Cedrenus, quæ A. N. subdit de litteris Eusebio Nicomed. traditis à Constantino propediem morituro.

(5) Qui eo amplitudinis pervenerat, tametsi humili loco natus, ut filiam suam Olympiadem Constanti Aug., Constantii fratri sponderit uxorem, quam occiso Constante, Constantius nuptui dedit Arsaci Armeniæ Regi, ut Ammian. l. 22. Vir consulatu, & Prætorii Præfectura ornatus, eadem modo privatur; de quo etiam alibi dictum.

(6) Divisionem Imperii non omnino placide transactam, compositam tamen à Constantio in Pannonia, affirmat Julianus Orat. 3., unde ortum deinde dissidium de pertinente ad Cartaginem Africa, & Italia, Constantinum inter, & Constantem, quod cum per triennium durasset, demum fatale ipsi extitit Constantino.

(7) Haud sane h. an., alias non cohærerent, quæ A. N. ait; ponit enim, an. 336. Athanasium exulem amandatum, & in exilio mansisse annos duos, & menses tres, (Theodoretum secutus) quod consistere nequit, si an. 337. restitutus dicatur quintodecimo Kal. Jul. Quidquid sentiat Vales. l. 1. Observ. Eccles. in Socr. c. 1, ea fultus ratione, quod Constantinus junior in restituendo Athanasio litteras dederit cum hac Inscript. *Constantinus Cæsar populo Catholicæ Eccl. Alexandr.* Si *Cæsar*, & non *Augustus*, infert Valesius, datæ igitur litteræ præsentis anni mense Junio, quo tempore filii Constantini nondum nuncupati erant Augusti. Item, subdit, si an. 338. restitutus fuisset Athanasius, non à Constantino juniore, sed à Constantio, cui Orientis Imperium obtigerat, fuisset restituendus; cum tamen Athanas. Apol. 2. à Constantino se restitutum dicat. At neutrum Valesio favet. Nam Constantinus jun. *Cæsar* dicitur ibi, non *Augustus*, quia ad Alexandrinos scribebat, Constantio fratri subjectos. Cujus moris plura suppetunt exempla, in quibus est illud desumptum ex actis purgationis Cæciliani coram Æliano Proconsule Africæ habitis an. Chr. 314. cum enim Africa Constantino M. non autem Licinio pareret, dicitur: *Constantinus Maximus semper Augustus, & Licinius Cæsar, ita protatem* &c. Fiebat quippe Judicium illud in Regione ad Constantinum Aug. pertinente. Neque secundum momentum Valesii valet; nam Constantinus restituit Athanasium Treviris exulem, urbe sibi subjecta, & probante Constantio, ex Epiph. hæres. 68. Immo Athanasius ipse epist. ad Solitarios, testatur se dimissum à tribus Impp., quod sane fieri non potuit paucorum dierum spatio, qui ab obitu Constantini ad diem XV. Kal. Jul. (qua die datæ sunt litteræ Populo Alex.) interfluxerunt. Anno itaque sequ. S. Doctor restitutus fuit post biennium, & menses quatuor exilii, ut Theodor. l. 2. 1., quem injuria Valesius sugillat l. c.

(8) Eutrop. emollire nititur aliquantulum Constantii facinus, l. 10., dicens: Delmatium occisum factione militari, Constantio patruela

tium Cæsarem, (9) & eum eo Optatum Patricium confoderunt; &, cum quidam de industria succlamasset, neminem se, nisi Constantini filium imperantem esse passurum, Annibaliano etiam fratri Dalmatii manus intulerunt, quin etiam Gallum, & Julianum Constantii filios (10) impetus aggrediendi cepit, sed Gallum morbus neci subtraxit, Julianum ætas, quippe annos octo tantummodo natum, missi etiam Spatharii (11) sunt ad occidendum Ablavium, qui post Præfecturam à Constantio abrogatam in Bithynia privatus vitam in otio traducebat, quorum primores, ut jussi erant, cum se, ot in salutando Imperatore assolebat, ad genua inclinassent, litteras reddiderunt. Quibus lectis ille erectus vestem purpuream, quæ mittebatur à Constantio, flagitavit. Cum autem illi subjecissent, se litteras tantum de dignitate afferre, qui vero pro foribus starent, trabeam habere, (12) intro vocati illi pro purpurea veste necem purpuream intulere. Ita Constantius, Imperio crudeli suorum cæde firmato, Antiochiam se recepir. Interim Sapor Rex Persarum audito Constantini excessu (13) erectus animo, in proximam Mesopotamiam multo, quam ante, insolentius incursavit, ac duobus mensibus Nisibim oppidum (14) circumsedit. Qua re accepta Constantius sese in Mesopotamiam retulit, atque armis conatus ejus reprimere pro virili contendit. Constans in Pannonia adversus barbaros trans Danubium habitantes insedit, argumento est, quod pridie Idus Junias Viminacii (15) ad Celsinum Præfectum prætorio scripsit. Constantinus item adversus Transrhenanos hostes consistens rebus Galliæ ordinandis incubuit, quæ ex annalium memoria exciderunt.

Sequenti anno, Augusti Constantius secundum, Constans primum iniit Consulatum, pridie Idus Julias L. Turcius Apronianus, (16) VII. Kal. Novembris Ti. Fabius Tatianus Præfecturam urbis. Eo anno Athanasio Alexandriam reverso, principea Arrianorum se victos interpretati ingenti dolore exarserunt, ac Romam (17) ad Julium Pontificem, & ad Imperatores Constantinum, & Constantem legatos cum litteris gravissime de illo scriptis miserunt, quos profectos, quia legati ab Athanasio missi (18) vana, atque inania ea omnia osten- 339

crudele suo *finente potius, quam jubente*. At Zosim. l. 2. diserte Constantium accusat. Eutrop. Socrates l. 1. 25. secutus est.

(9) Baron., quem Pagius secutus est, necem hanc an. præced. assignat ante V. Id. Sept. Sed præter Cedren. in Compen., qui illum refert ad an. 2. Constantii, Zosim. quoque l. 2. ait: *Diviso in hunc modum Imperio, Constantius, quasi data opera in hoc incumberet, ne impietate à Patre superaretur* ..... primum quidem Constantium patruum à militibus interfici curat: deinde Dalmatio Cæsari similes insidias struit. Non itaque ante V. Id. Sept., quo Imperii facta divisio, iidem occisi. Hieronym. etiam in Chron. ait, Dalmatium an. tres regnasse: atqui necatus ante V. Id. Sept., minus quam duos annos imperasset, cum ex Pagio ipso ad an. 335. n. 6. die 14. vel 18. Sept. ejusd. an. 335. Cæsar nuncupatus fuerit.

(10) Constantii nempe fratris Constantini M., quorum unus Gallus affecta valetudine propediem *interiturus* videbatur, ut inquit Sozom. l. 5. 2. Alter vero Julianus cum octennis esset; (utrimque incomplete) natus quippe an. 331. die 6. Novem., ut in Laterculo Silvii; non autem 332., ut Cangius *in Fam. Byz. Augg.*, qui in eo quoque fallitur, quod Julianum vult Eusebiæ, Constantii uxoris, ope servatum, cum nonnisi an circiter 353. Constantius illam duxerit uxorem, ut superius dictum. Nec ullam Pagius ad an. Chr. 337. affert rationem, qua primo Julianus 339 servatus dicatur.

(11) Armigeri; Papias namque ait: *Armiger* vulgo Spatarius; unde ap. Anastas. in S. Martino PP. *Spatharius Olympii Exarchi* mox *Armiger* vocatur. Neque alii sunt Spatharii, qui cum *Comitivæ* dignitate subscribunt in Conciliis Toletan., præsertim Conc. XIII. Cedrenus Spatharium Imperatorii corporis custodem vocat, qui Græce σωματοφύλαξ; dignitas quidem in Imperio C. P. satis illustris. Vide Chron. Alex. p. 692.

(12) *Vestis apud Romanos honoratioribus propria*. Dionys. II. p. 129., *Togis* scil. *purpura prætextis, & fibula adstrictis induti, quas vocant Trabeas*, &c. hinc *Trabeatus*. *Stola* vocabulo hic utitur Eunapius.

(13) Nisibim à Persis obsessam an. 327. Theophanes tradit, ejusdem Urbis obsidionem describens exacte, quæ *per tres & sexaginta dies* ab eod. durasse dicitur. Idem prodit Auct. Chron. Alex., a quibus non dissentit Hier. in Chron., edit. Scalig., conjungens obsidionem ejus Urbis cum an. Abrah. 2354., qui Kal. Octob. an. Chr. 327. inchoatur, si de prioribus illius anni mensibus intelligatur. Nec ullum validum argumentum compellit in Valesii sententiam ire, qui ad an. sequ. refert in Not. ad l. 20. Amm. Bellum itaque a Persis an. præced. cœptum, *audito Constantini excessu*.

(14) Sita hæc urbs ad Mygdonium fluvium, teste Juliano Orat. 2. p. 62., quæ bidui itinere à Tigri flumine distabat. Theodor. l. 2. 30. Antiochiam Mygdoniæ a nonnullis appellatam scribit, in finibus ubi Romanorum, Persarumque terminatur Imperium. Ejus sæpe meminit Zos. l. 3. c 31., & 32., & alibi. Bellum hoc varie narratum observat Spanhem. in Observat. ad Orat. I. Juliani p. 189., & sequen

(15) Locus est ad Danubium in Mœsia prima, ibique L. 4. Cod Theod. *de Petitionibus* dicitur data Prid. Id. Junias ad Celsinum PF. P. Italiæ, Illyrici, & Africæ.

(16) Præfecturam obtinuit usque ad diem 25. Octob., isque filius erat L. Turcii Secundi, qui Consul fuit suffectus, pater autem L. Turcii Aproniani Asterii, item Præf. Urbis an. 363. Vide Tillemont. Hist. Impp ad an. Chr. 339. p. 665., & seq. Eique successit Fab. Titianus, qui Prætor Siciliæ, & Asiæ, & Consul ordinarius fuerat an. 337., & Præf. Galliar. an. 345. ex Hieronymo; vel 349. quo anno ad illum data L. 3. *de re militari*.

(17) Qui Legati Romam missi, fuere Macarius Presbyter, Martyrius, & Hesychius Diaconi, ut Julii Papæ litteræ significant: item *denuo accusatrices litteras contra Athanasium* Impp. porrexere, uti habetur in Synodica Alex. an. 340. exarata: & infra: *Apud tres Augg. calumniari non verentur*. Hi autem legati male à Socr. l. 2. c. 11. post Antioch. Concil. an. 341. celebratum, missi dicuntur, ut observat Vales. in Not. ad eumd. loc., & Schelstrat. in Diss. de Conc. Antioch. c. 2. Recte autem A. N. h. an. missam ab Eusebianis Legationem scribit; cum enim Athanasius, Treviris relictis circa fin. an. 338., ut alibi observatum, Alexandriam rediisset, id ægerrimè ferentes ejus hostes conati sunt statim nova comminisci, quo Sanctum Virum ap. Sum. Pontif., & Impp. facerent reum.

(18) Ut ipsemet testatur ep. ad Solitar. Hæc tamen Legatio ea non est, quæ missa ab Alex. Synodo cum celebri Synodica, quam recitat Athanasius, init. 2. suæ Apolog., ea namque epist. Synod., non h. an., sed sequ. scripta, cum ibidem mentio fiat Translationis Eusebii a Sede Nicomediensi ad Constantinop., quæ accidit an. 340. Patres quippe Alexandrini postquam in eadem epistola Eusebium sugillant, quod relicta Beryti Catho-

ostendére, (19) Imperatores cum ignominia rejecere. Julius autem se daturum concilium utrique parti, ubicunque vellent, respondit, ut tuto crimina & inferre invicem, & refellere possent; id enim legati eorum, ubi se victos (20) arbitrati sunt, postularunt, ac Presbyteros duos Elpidium, & Philoxenum ad eos misit, (21) certam diem præstituens, ut aut præsentes Romæ se sisterent, aut se omnibus suspectos fore cognoscerent. Arriani, ubi audivere conventum Romæ futurum, ubi nec Comes præsideret, nec satellites pro foribus excubarent, neque ex Imperatoris præscripto quidquam fieret, quibus illi præsidiis ante Catholicos debellassent, usque adeo consternati animo sunt, ut Presbyteros ultra diem condictam usque ad mensem Januarium retinuerint, excusantes, se propter bellum Persicum Romam advenire non posse. Cæterum, cum Episcopi ad quinquaginta Romæ coissent, (22) Arrianos communione removerunt, quod citati præsto non affuissent, & Athanasium omni crimine liberarunt. Sequens
340 inde annus bello civili fratrum Augustorum est insignitus, is fuit à Christo nato trecentesimus quadragesimus, Proculo, & Acindino Consulibus. (23) Cum Constans in Dacia, (24) teste Zonara, versaretur, id quod testantur etiam rescripta ab illo Naisso mense Januario, & Februario data; Constantinus è Gallia, id est, ex Imperii sui finibus exiit, (25) ac contento cursu per Noricum in Pannoniam irer armatus intendit, sive, ut, colloquio cum Constante fratre inito, (26) litem de patrimonii divisione transigeret, sive, quod etiam traditur, ut Pannoniam illi per arma eriperet. Constans autem cognito illius adventu, facti novitate perculsus exercitus partem obviam misit, atque ipse cum altera subsequi cœpit. Qui vero præmissi duces erant, Constantinum non longe ab Aquileja adversus se venientem, nullo prælato signo amicitiæ, nacti, hominem improvidum insidiis tanquam hostem appetiverunt, ac commissa pugna, cum simulatæ se fugæ mandassent, ad locum, in quo armatos disposuerant, attraxerunt. Quo pacto erumpentibus insidiatoribus interceptus, cum fortiter pugnans equo esset excussus, ipse una cum majore suorum parte oppressus est. Cadaver à militi-

---

thedra Nicomediensem invasisset, neque hac fuisse contentum dicunt: [illegible] *Ecce enim jam quoque inde desiliens, alienum Episcopatum denuo obtinet*; quod nonnisi de Constantinop. intelligi potest, ad quem evectus fuit an. sequ., ut recte scribit A. N. Quin & Julius ipse litteris suis, ap Athanas. Apol. 2., presbyteros ab eodem missos aperte commemorat.

(19) Ementitæ in Athanas. accusationes tres fuere, Ipsum in reditu suo ad Alex. Sedem a Populo magno mœrore acceptum, eaque occasione plurimorum cædes patratas 2., quod a Synodo, (Tyria se) damnatus, absque tamen Synodi auctoritate contra Canones Sedem Alex. repetiisset. Tandem frumentum solitum exhiberi ex Constantini munificentia Ægypti, & Lybiæ viduis surripuisset. Hæc autem diluunt Alexandrini P.P. in præfata Synod. epist.

(20) Testis est ipse Julius P. in suis litteris, quæ recitantur ab Athanas. Apol. 2. subdens: *Martyrius vero* (erat is ex Euseb. legatis unus) *cum suis, si vera dicenda sunt, ubique profligabatur, ac proinde Concilium generale postulavit.*

(21) Non quidem h. an., sed 341., quo Athanas. Romam pervenire potuit; Is enim ait, Apol. 2. [illegible] &c. *Cum igitur Romam pervenissem.* Subdit, *Julius continuo ad Eusebianos litteras scripsit, missis eo duobus ex suis presbyteris Elpidio, & Philoxeno.* Item ep. ad Solitar postquam uir excitatam ab Arianis persecutionem, ut Fideles *ad partes Arianorum*, & Gregorium recipiendum, quem Imperator miserat, compellerent. Athanasius autem, priusquam ista fierent, semel re cognita, Romam profectus est, non ignarus hæretici furoris. Julius vero presbyteros suos Elpidium, & Philoxenum cum litteris ad Eusebianos misit, certum diem definiens, ut aut præsentes se sisterent, aut cognoscerent *se* omnibus modis suspectos haberi. Atqui non h. an., neque sequ., sed 341. Gregorius primum ab Eusebianis, in Synodo Antioch. conspirantibus, creatus Pseudo-Episc. Alexandrinus, ut & A. N. narrat inferius. Non igitur præsenti an. Legati à Julio Pontifice missi.

(22) Romana Synodus in causa Athanas. non h. an. celebrari potuit, sed an. 342., Julius enim P. data ad Oriental. ep. diserte scribit, Athanasium annum integrum, & sex menses Romæ expectasse Eusebianorum adventum: sed Athanasius an. 341. Romam advenit, vel ipso A. Nostro fatente; non itaque an præsenti hæc R. Synodus celebrata, cujus suffragiis S. Doctor absolutus fuit. Hic itidem ep. ad Solitar luculenter scribit, R. Synodum, post dimissos ab Eusebianis Pontificios Legatos Elpidium, & Philoxenum, coactam. L. Julii ep. ab Athanas. recit. Apol. 2. ad Eusebianos scriptam cogatu, & nomine Synodi R., quæ Athanasium absolverat, unde rerum gestarum seriem intelliges. A. N. unam h. an. Synodum celebratam scribit; alteram an. 342. pariter R. in causa Athanasii, cum tamen ipsemet S. Doctor unam tantummodo agnoscat, & in omnium Episcoporum fere quinquaginta calculis absolutum ait, qui sane falsus esse non potest.

(23) Onuphr. p. 291. putat, hunc Proculum eumdem ac Valerium Proculum P. U. an. 337. Acyndinus certe ad hoc usque tempus Præf. Orientis erat; ad ipsum namque data L. 3. *de custodia reorum*: L. 3 *de cursu publico*.

(24) Ubi XIV. Kal. Febr. Data (Naisso) L. 29. *de Decurion.* & IV. Non. Feb. pariter Naisso L. 5. *de petitionib.*

(25) Jugis Alpium circumscriptis, & quidem armatus; cur itaque Zosimus l. 2. in Constantem, omnem conjicit culpam necis Constantini?

(26) Ita Zosimus l. c. narrans, Constantem expectato tempore, quo per provinciam sibi fidam, & benevolam ingressus erat Constantinus, incautum opprimi jussisse. At potior fides adhibenda Eutropio, Hieron. in Chronico, & Oros. l. 7. 29. scribentibus, Constantinum fraternum Imperium invadere ausum, & *incauta petulantia periculis se se offerentem*, à *ducibus* Constantis occisum. Certo item constat, Constantinum ab ipso Imperii exordio Africam, ac Italiam jure primogenituræ à Constante petiisse. L. Vict. *in Annibaliano*. Ejusdem Imp. mors huic anno recte consignatur, ante III. Kal. Maji, ut Zonaras p. 11. Eo quippe die Constans mortui Fratris acta quædam rescindere videtur L. 1. *de immunitate concessa*. Immo & ante V. Id. April. Constantem Africa potitum ostendit L. 3. *de dilat.*, & L. 3. *de advoc. Fisc.*, quod nonnisi Constantino cæso poterat evenire. Hinc quando Zosimus ait, Constantem Constantini fratris *numentar toto triennio* dissimulasse, annos utrimque incompletos numerasse dicendus, quod apud antiquos Scriptores sæpissime occurrit. Vide Zon. fuse hæc narrantem, Philost. L. 3. 1., Socr. l. 2. 4., Sozom. l. 3. 2.

Digitized by Google

litibus inveotum io flumen Alsam (27) proximum Aquilejæ dejectum est. Superveniens inde Constans justa ei Aquilejæ persolvit, ac Divi dignatione cohonestavit; fuit autem Aquilejæ VIII. Idus Aprilis, siquidem eo die ibi rescripta dedit. (28) Tatianus Præfectus urbis III. Nonas Maji ad Augustum profectus est. Junius Tertullus vice illius cognovit. Tatiaous IV. Idus Junias reversus Magistratum continuavit. Profectus inde in Italiam Constans Mediolano VII. Kal. Julias ad Tatianum Præfectum nrbis sic scripsit: *Si quis (29) in demotiendis sepulchris fuerit adprehensus, si id sine Domini conscientia faciat, metallo adjudicetur, si vero Domini auctoritate, vel jussione urgetur, relegatione plectatur.* Inde ad Galliam, Hispaniam, & Britanoiam, quæ Constantini fueraot, obtinendas, atque formandas misisse existimo; nam prodiisse ipsum non reperio. Eodem anno Alexander Episcopus Constantinopolitanus Nicæni Concilii vindex acerrimos vita cessit, (30) cum duos viros populo commendasset doctrinæ, ac vitæ laude præstantes, Paulum, & Macedonium. (31) Itaque populus, comitiis Episcopo creando iodictis, (32) io duas abiit partes; quarum quæ sanior erat, Paulum, quæ corrupta, Macedoninm legit, eaque de re magnus in urbe tumultus est concitatus, ad quem sedandum cum se Constantius Antiochia recepisset, re cognita neutrum eorum probavit, sed Concilio Episcoporum Arrianorum coacto, Eusebium Nicomediensem tantorum incendiorum auctorem ad fastigium illud evexit, (33) atque inde repetiit Antiochiam. Ea de re Eusebius ardentior in causa factus, ut qui majore, quam ante, auctoritate ornatus esset, & plos gratia apud Imperatorem valeret, sese totum ad Consubstantiale labefactandum, & Nicænum Concilium infirmandum convertit, ac conventum Antiochiam in iosequeotem annum indixit, verbo, ut Templum consecraret, quod decem ante annos à Constantino fuerat institutum, (34) atque hoc denique ex ejos testamento à Constantio consummatum; re vero, ut Nicænum Concilium, quo se victum magno dolore ferebat, abrogaret, atque illius vindicem Athanasium ab Alexandrina Ecclesia ablegaret. Itaque postero anno, qui Consules habuit Marcellinum, & 341
Probinum, (35) & post V. Kal. Martias Præfectum urbis Celsioum, convenere Aotiochiæ (36) Episcopi oonaginta, (37) Indictione, ut notavit Athanasius, quarta decima,

(27) Memorat Plinius l. 3. 18. Vict. in Epit., ubi mortem Constantini refert. Hieony. in Chron. dicit: *Constantinus bellum fratri inferens, juxta Aquilejam Alsæ occiditur.* Ex quibus verbis conjicere licet oppidum ejusdem nominis flumini proximum extitisse, quamvis hujus loci nulla extet apud alios mentio, unde fluminis nomen pro oppidi vocabulo usurpatum.

(28) Legem scil. 3. *de dilationib.*, & L. 3. *de advocat. Fisc.* ad Petronium Vicarium Africæ. In C. Just., & MSS. habetur V. Id. April.

(29) Extat in C. Theod. L. 1. *de sepulchro violato.* An ea hujus Legis causa, quod fideles sepulchra execrari diis manibus devota, eadem demolirentur, & lapides alium in usum destinarent? Id innuere videtur L. 2. tit. eod., eaque Baronii ad h. an. opinio fuit. At etiam Gentiles lapidibus indigebant, utque sumptibus parcerent, sepulchra demoliri poiuere.

(30) Sedit quippe annos 23., ex Socr. l. 2. 3., Sozom. l. 2 3., aliisque, eidem Paulus successit sub Constantio Aug. Neque audiendus Vales. in Obser. Eccl. ad Socrat., & Sozom. l. 2., qui Paulum sub Constantino M. Episcopum jam tum fuisse contendit, eo innixus momento, quod Paulus in Conciliabulo Tyrio subscripserit damnationi Athanasii, ut ex Synodica epist. liquet Orientalium Episcoporum apud Sardicam, quam Hilar. refert in Fragm. libri de Synodis. Id tamen nullius est ponderis, etenim Paulus adhuc presbyter, nomine Alexandri Ep. C. P. subscribere potuit, & quidem Arianorum fraudibus circumventus. Si tamen re vera subscripsit, non desunt quoque putantes Macedonianorum, Arianorumque fuisse commentum. Quæ tamen afferuntur de Paulo in præfata Sardicensi epist. suspectæ sunt fidei, quæque de Athanasio referuntur aperte falsa; quis enim crediderit, Sanctissimum Episcopum, Dei Templum incendisse, comminuisse altare, Basilicas Alexandrinorum fuisse deprædatum? Et tamen hæc omnia iis in literis leguntur.

(31) Referunt id quidem Socrates, & Sozomen. At incredibile videtur, ab Alexandro Macedonium commendatum, cum in Synodo Alex., ap. Athanas. Apol. 2., satis constiterit, quinam fuerit Macedonius; ubi enim agitur de ejusdem, & Collegarum Legatione, hæc habentur: *Clam emittunt* (Eusebiani) *Theognium, Marim, Theodorum, Macedonium, avnis, ingeniisque putidos, & venales.*

(32) Quid populus præstaret in Episcopi creatione infra opportunius dicetur. Certa Catholici, quos *Homousianos* Sozom. appellat l. 3. 4. *operam dabant, ut Paulus crearetur Episcopus. Arianis autem studium fuit, ut Macedonius ordinaretur.*

(33) Hoc quidem anno; nam Socr. l. 5. 7. scribit, Theodosium M. an. 380. Constantinopolim ingressum Ecclesias restituisse Orthodoxis, cum eas Ariani annis quadraginta occupassent, & egressi ab Urbe fuissent VI. Kal. Decemb., quod & Marcellinus innuit in Chron. sub eisd. an. 380. Coss. quid ad hæc Valesius, qui longè antea S. Alexandrum obiisse contendit? Nonne h. an. exortæ turbæ ob Pauli, & Macedonii electionem? Nonne & præsenti an. Eusebius Constantinop. Sedem invasit ope Constantii? Vide Vales. in Observ. Ecc. in Socr., & Sozom. l. 2.

(34) *Dominicum aureum* appellatum propter augustissimam ejus structuram, quam describit Euseb. V. Const. l. 3. 49., & in orat. de laud. Const.

(35) Marcellinus Comes S. L. fuit sub Constante, teste Zos. l. 2. p. 693. Eidem inscribitur l. 1. *de immunit. concessa*, ubi de dignitate illius notitia deducitur, ex legis ipsius argumento. Probinus autem avus Probi, qui claruit sub Valentiniano, & Theodosio, cujus filius nomine avi, Probinus dictus, Consulatum gessit cum Olybrio fratre.

(36) De hoc conventu loquitur Athanas. l. *de Synod.* dicens: *Antiochiæ novam Synodum per causam Encæniorum coëgerunt.* Item Socr. l. 2. 8., Sozom. l. 3. Celebratum Indict. XIV. ipsemet Athanas. docet ib., quæ a primo die Sept. an. præced. cœpit. Synodus hæc à pluribus habita ut Arianorum Conciliabulum, eo quod Athanasium exauctoraverit, Fidem perverterit, & ecclesiasticam Disciplinam labefactarit. At hæc minime gesta in primordiis Synodi, sed in fine a quadraginta Eusebianis Episcopis ostendit Schelestr. *de Sacr. Antioch. Concil.*, cujus viginti quinque Canones in Codicem Canonum Ecclesiæ sunt relati, laudatique veluti regulæ SS. PP., Act. IV., & XI., & Canone I. Certe una, eademque Synodus esse non potuit, quæ as. hos canones edidit, quæque fuit ab Eusebianis coacta, adversus Fidem, Disciplinam, Divumque Athanasium decreta constituens.

(37) Totidem Athanas. l. de Synod., Hilar. Pictav. *nonaginta septem*, l. de Synod. Non autem triginta sex solius Eusebianæ factionis, ut per-

cima, Placito, (38) qui Euphronio successerat, tum Ecclesiam Antiochiæ obtinente. Huic Concilio neque Maximus Hierosolymorum Episcopus interesse voluit, ne invitus in Athanasium insontem subscriberet, neque Julius Pontifex legatos sibi mittendos existimavit. Itaque præsente Constantio decreta facta sunt contra legem, quæ, ut inquit Socrates, (39) vetabat, ne quid injussu Episcopi Romani ab Ecclesiis sanciretur. In primis autem Athanasius absens falso crimine oneratus est, quod Episcoporum injussu ad Ecclesiam rediisset, & quod reditu suo seditionem, ob quam multi periissent, in urbe concitasset, quin etiam quæ acta Tyri sunt, adversus eum prolata invidiam accenderunt. Ob eam causam exilium ei sciscitur, atque Eusebius Emisenus sufficitur. (40) Eo vero Alexandriam proficisci verente, is honor ad Gregorium (41) defertur. Inde relatione de Sancta Trinitate facta, magno omnium consensu novam Fidei formulam, substantiæ mentione omissa conscribunt, confitentes unum Filium Dei unigenitum, qui fuit ante omnia sæcula, & una cum Patre extitit, qui illum genuerat. Deinde Nicænam fidem adhuc reprehendere aperte non ausi, cum ejus mox formulæ pœniteret, alteram ediderunt, in qua substantiæ meminerunt, fatentes Filium expressam esse Divinitatis, Essentiæ, Virtutis, Consilii, & Gloriæ Patris imaginem. Quibus formulis Gregorius etiam, licet nondum Ecclesiam Alexandrinam vidisset, tanquam Episcopus Alexandrinus, subscripsit. Concilio inde dimisso Eusebius, cum multos à partibus deficere suis videret, Constantio persuasit, ut causam hanc susciperet, atque acriter, strenueque defenderet. Ita jussu ejus Gregorius Alexandriam insigni armatorum caterva stipatus deducitur, & non sine maximo civitatis tumultu, ac fœda multorum strage in Ecclesia collocatur. Eo tumultu præcognito, Athanasius Psalmos cum populo in Templo canens, inimicos frustratus furtim se urbe subduxit, atque ad Julium Pontificem Romam properato confugit. His actis Eusebius litteras dedit ad Julium, orans, ut causam Athanasii cognosceret, totiusque hujus controversiæ judicium sibi asciseeret, ac paulo post vitæ finem imposuit, (42) cum perfidiæ suæ defensores acerrimos reliquisset, Theognim Nicææ, Marim Chalcedonis, Theodorum Heracleæ, Ursacium Singidonis, & Valentem Mursæ Episcopos. Ecclesia Constantinopolitana Eusebii morte vacante, populus rursus divisus, ut ante, studiis ad comitia prodiit, ac Paulum, & Macedonium pristinis sedibus reddidit, atque inde acerbis inter se certaminibus contendere, incitatis ad cædem animis, instituit. Constans ex Italia rediit in Pannoniam sine dubio barbarorum infestis incursionibus excitatus. Indicat rescriptum VIII. Kal. Julias Lauriaco (43) ad Catullinum Præfectum prætorio datum. Eo vero in Pannonia occupato, Franci occasione allecti, violato fœdere, Rhenum transierunt, atque fœde populari Galliam invitis ipsius ducibus

perperam ex male intellecta Julii P. epist. ad Eusebianos plerique colligunt. Hujus epistolæ genuinam versionem L. ap. Vales. T. 2. observ. in Socr., & Sozom. c. 8., ex quo corrige Baron. ad præsent. an., Petav. l. 13. de Doctr. Temp., & Petr. de Marca l. 3. 3. Si Conciliabulum fuit Arianorum, post peractam Synodum 90. Episcoporum, ii fuere quadraginta, *complices Arii* dicti à Palladio, in Dial. Romæ habito cum Theodoro ejusdem Ecclesiæ Diacono; cui suffragatur Georgius Patriarcha Alex. in V. S. Chrysost.

(38) Alii Placillum, sive Flacillum dicunt, qui circa an. Chr. 331. sedere cœpit, eique Nicephorus in Chron. annos duodecim tribuit, testatus interfuisse Antiocheno Concilio ad Encænia. Successit Euphronio, qui *anno, & mensibus paucis post ordinationem superstes vixit*, teste Theodor. l. 1. 21. Hinc mendum irrepsit in Nicephori textum, in Chron., ubi octo anni assignantur: sed loco *ἔτη ή*, *ἔτη ά*, idest *annus unus* legendum.

(39) L. 2. 5., ubi cum vitio vertit Conciliabulo Antiocheno, quod decreta sanxerit injussu R. Pontificis, non ita intelligendus, quasi mos in Ecclesiis obtinuerit, ut Synodi non Oecumenicæ nil decernere potuerint nisi prævio jussu R. Pontificis, ejusque Legatis præsentibus; nam primum Antiochenum Conc. contra Paulum Samosat., quæque deinde celebrata Antiochiæ fuere ante id temporis; item Alexandrinum sub Alexandro, citra Pontificis Summi, vel Legatorum præsentiam Fidei negocia pertractarunt, & decreta edidere. Sed verba Socratis eo referenda, ut consuetudo fuerit causas Sedium Patriarchalium ad judicium R. Pontificis deferendi, cui Primatus jure competeret auctoritas decernendi majores causas. Unde Julius in ep. ad Orientales conqueritur dicens: *Non decebat*, cum nos *ad celebrandam Synodum litteras mitteremus, aliquos præoccupare judicium Synodi*; deinde *non decuit novos istos modos contra Ecclesiam induci*. Subdit infra: *Cur igitur & in primis de Alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri possit?* &c. Cujus epistolæ Socrates ipse meminit l. 3. 17.

(40) Cujus vitam ex Georgio Alex. describit Socr. l. 2. 6., Sozom. l. 3. 5. mendaciis refertam, quæque ibid. miracula narrantur, *Portentosas præstigias* Socrates idem appellat, & ipsemet Georgius testatur, Eusebium accusatum fuisse, quod Mathematicam disciplinam exercuisset, quo nomine Professores Magicarum Artium dicti. Illum Arianum fuisse Hieronym. in Chr., & Theodor. in Dial. *Impatibilis* prodidere.

(41) Cappadocem, cujus ordinationis vitia recenset Julius P. ep. c., ubi eumdem appellat *peregrinum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque Plebi cognitum, neque postulatum à Presbyteris*, &c. Subdit, non *cum Episcopis Ægypti*, ut fas erat, *Alexandriam* deductum; sed *cum militibus*.

(42) Anno sc. sequen., Socrates enim narrans quæ paulo post mortem ejus evenere l. 2. 13. ait: *Gesta sunt hæc duobus Augg. Coss. Constantio scilicet tertium, & Constante iterum. Quo quidem tempore Constans Francos bello superatos, socios ac fœderatos Populi Romani effecit*. Socrati adstipulatur Idac. in Fast. Ad Juliam P. paulo ante mortem pacis, & communionis litteras dedit, unde in Ecclesiæ sinu obiisse conjiciunt docti viri.

(43) Extat *Lauriaco* data VII. Kal. Jul. L. 1. *de Tabulariis*, quæ repetitur Lege 31. *de Decurionibus*. Cod. Theod. Non in *Batavis*, ut Gothofr. in l. primam cit., sed in Norico Ripensi, quam Urbem Metropolis dignitatem, Sirmiensi extincta, accepisse, docet Ecclesiæ Notitia. V. Caroli à S. Paulo Geogr. Sacr. p. 73. Notitia Imper. *Præfectum Legion. secundæ* ponit *Lauriaco*: & mox, *Præfectum classis Lauriacensis*. Dictam & *Laureacum*, & *Milites Laureacenses* in veteri Inscript. ap. Laz. de Rep. R. l. 12. sect. 7. 5., & Grut. p. 164. n. 3. Hodie ex vetusto nomine pagus extat *Lorch* ante mœnia Ripensis oppidi *Ens*, & Danubii confluentes.

342 A bus incœperunt. Proximo anno Constantius III. eum Constante iterum Coosul, tumultu iorer Catholicos, Arrianosque Constantinopoli in dies ingravescente permotus, litteras Anriochia ad Hermogenem (44) magistrum equitum io Thraciam misit, ut Constantinopolim accederet, atque armis, si aliter non posset, Paulum, quem Catholici defendebant, Ecclesia pelleret. Paruit jussis ejus Hermogenes, verum statim paruisse pœnituit; nam plebs Pauli studio incitata ipsum tanta animorum constantia sibi defendendom suscepit, ut ne ipsi quidem Hermogeni adversanti, atque armatis hominibus rem agenti pepercerit. Quin etiam B eousque vecordiæ, furorisque processit, ut incendium ædibus, in quibus ille versabarur, intulerit, atque inde eductum miserabili, ac fœdo spectaculo traxerir, ac laceratum, & discerptum vita ejecerit. Quo comperto, Constantius gradu citato recurrit, atque inflammatus ira non solum Paulum urbe exegit, (45) sed plebi etiam solemne frumenri Alexandrini congiarium, (46) quod Constantinus pater dari quotannois constituerat, abstulit, Macedonium tamen sibi substituendum non duxit, quod injussu suo designatus fuerat, & causam præsenti seditioni attulerat, atque his actis rediit Antiochiam. Athanasio, & Paulo ex- C pulsis, haudquaquam his se finibus furor Arrianorum continuir. Namque Alexandrini Gregorium Episcopum parum constanter Arrianorum partes tuenrem Ecclesia deturbarunt, atque ei Georgium quendam Cappadocem subrogarunr: Episcopi vero Catholicos Episcopos (47) adorti diversis congestis criminibus fatigarunt, ac judiciis factis Constaotinopoli Paulum, Gaza Asclepam, Ancyra Marcellum, (48) Hadrianopoli Lucium expulerunt, qui item omnes Romam, (49) tanquam ad aram, prupere

A confugerunt, atque opem rebus suis à Julio Pontifice implorarunt. Julius autem non ante illos recipiendos ratus, quam causam eorum perspexisset, cooventu habito, fidem eorum exploravit, & cum Nicænæ convenientem reperisset, in communionem recepit, ac mox pro auctoritate, quam, ut inquit Socrates, & Sozomenus, Ecclesia Romana inter cæteras obtinebat, in suamquenque Ecclesiam restituendum decrevit, ac litteris scriptis Episcopos Orientis iocrepuit, quod de illis viris perperam judicassent, atque Ecclesias perturbatione replessent, dum Nicæna decreta respuerent, præcepitque, ut quidam eorum nomine om- B nium ad diem certam præsto Romæ adessent, ut latæ in eos sententiæ redderent rationem, illud demum adjiciens, se, si in posterum novis studere consiliis perrexissent, in eos gravius consulturum. Ita Athanasius octavo decimo mense, postquam Romam venerat, itemque Paulus, & cæteri urbe profecti, favore populorum, & Julii auctoritate Ecclesias suas quisque recuperarunt, ac litteras Julii iis, ad quos mittebantur, sigillatim reddendas curarunt. Quibus lectis illi gravius irritati, subito Antiochiam convenerunt, atque epistolam eleganter ac copiose scriptam ad eum miserunt, io qua confitentes Romanam Eccle- C siam inter cæteras principatum tenere, ut quæ Apostolorum schola, & pietatis Metropolis jam inde ab initio extitisset, tamen se dolere dixerunt, sibi propterea secundas tribui, quod magnitudine Ecclesiæ viocerentur, cum pio vivendi studio superarent. Criminis inde loco Julio objecere, quod Athanasium, & reliquos Episcopos in communionem recepisset, ut quid judicium suom irritum reddidisset, communionem tamen se cum illo inituros non abnuere, si ille eorum abdicationem approbavisset; nam

(44) *Post Francos victos*, his Coss. *Tractus Hermogene* traditur ab Idac. in Fast. De ingenti hac seditione loquitur Liban. in Basilico p. 126., ubi testatur, Imper. Constantium, audito eo nuncio, nec nivibus, nec imbribus territum, admirabili celeritate C. P. pervenisse.

D (45) Paulum à Constantio Singaram in exilium missum, & inde Emesam, metu nempe Persicæ incursionis conjicere licet; Athanas. enim primum Pauli exilium, quod sub Constantino M. contigit, memoravit, ait: *Iterum vero à Constantino* (l. Constantium) *catenis ferreis vinctus Singaram Mesopotamiæ deportatus est, atque inde translatus Emesam.* Atqui id non alio, quam hoc tempore fieri potuit, hujus seditionis occasione, qua cæsus Hermogenes, qua adeo Constantius excanduit, præsertim quia Ariani culpam omnem in Paulum conjiciebant, ut liquet ex epist. Synod. pseudo-Synodi Sardicens.

E (46) Congiarium munus erat Imperatorium, quo populus donabatur, teste Sen. l. 4. de benefic. Plin. in Paneg. Trajanum commendat, quod congiarium populo dedisset. Hujus variæ fuerunt summæ, ut alibi. Hic congiarium frumenti, certa nempe mensura Alexandrinis ex Impp. liberalitate concessa memoratur.

(47) Quos memorat Athan. ep. ad Solitar. dicens: *Quid? an hic saltem gressum suum represserunt?* (loquitur de Arianis) *minime gentium. Eutropius enim Hadrianopolis Episcopus, vir bonus, & in omnibus perfectus, quia subinde Eusebium coarguerat, & illac transeuntibus auctor erat, ne impiis Eusebii verbis fidem adhiberent; easdem cum Eustathio calamitates patitur, & à civitate sua, & Ecclesia propellitur, eo quod Augusta illi graviter succenseat. Euphrasius autem Calanis, Cymathius Paltbi,* *alter item* Cymathius Larandi, Asclepas Gazæ, aliosque recenset Antistites sacros è sedibus suis Arianorum odio deturbatos.

(48) Vel olim de Marcelli Fide fuisse dubitatum testatur Epiphan. hær. 72. dicens: *A nonnullis eo nomine incessitur, quasi ad Sabellianorum cavillationes partim adhæserit; verum alii eidem patrocinantes verum id esse negant, è contrario vero præclare illum vixisse, ac recte sensisse confirmant*, &c. Is ab Eusebianis postulatus hæreseos, & in Constantinop. Conciliabulo exauctoratus, ad Julium P. confugit, apud quem se purgans, edita Fidei Professione, & Legatorum Apostolicorum testimonio, qui Nicænæ Synodo adfuerant, absolutus fuit, ut patet ex ejusd. Pontif. epist. ad Oriental. Idem de Marcello judicium tulit Synodus Sardicens., causa cognita, & libris ejus lectis, atque discussis. V. ejusdem Conc. epistolam Synod. ad omnes Episc. datam. V. Fidei *Confessionem* a Marcello editam ap. Epiph. Hær. 72. Athanas. ep. ad Solit.

(49) Hujus causæ cognitionem suscepit Julius P., & summo jure, & Apostolica primæ Sedis auctoritate judicavit. Unde Socrat. l. 2. Hist. Eccl. 15. jus hoc Summi P. vocat legem antiquam, Ecclesiæ Canonem, privilegium Ecclesiarum, quod & repetit c. 17. L. & Theod. l. 2. 4. de Julio P. Athanasii causam cognoscente; ex quibus intelliges, Julium non arbitrum se gessisse, sed supremum Judicem, vel ipsis Eusebianis invitis. Vide Sozom. l. 3. 7., & Julii epist. ad Oriental., quam refert Athanas. Apolog. 2.

nam Episcopos Orientis minime olim Romano Episcopo restitisse, cum Novatum rebus vere novis studentem Ecclesia depulit. De rebus autem, quas contra Nicæna decreta gessissent, nihil rescripserunt, cum se tamen ea multis modis tueri posse significarent. His scriptis inde in Episcopos, qui redierant, se se de integro inferunt, ac nova apud Constantinm crimina ingerunt, quibus ille impulsus ad Philippum Constantinopolis Præfectum (50) Antiochia scripsit, (51) atque ut armis, si esset opus, adhibitis, Paulum urbe expelleret, & Macedonium substitueret, imperavit. Quorum utrumque, sed maximo resistentis populi tumultu, atque trium millium hominum strage, perfectum est. Paulus in patriam suam Thessalonicam est deductus, ac Constantinopolim redire prohibitus. Athanasius vero novo crimine oneratus, quod frumentum vendidisset, quod Imperator ad alendos egenos attribuisset, cum imminentem sibi pestem ab irato, & infesto Constantio cerneret, rursus Alexandria cessit, & sese in locis incognitis abdidit.

Romæ Kal. Aprilis Lollianus, (52) pridie Nonas Julias Catullinus Præfecturam urbis ceperunt. Constans Sabariæ (53) VIII. Idus Aprilis sanxit, ut donationes à divo genitore suo ex privatis rebus factæ valerent, inde è Pannonia in Galliam castra movit adversus Francos, quos ad arma sollicitatos superiore anno fuisse, commemoravimus, ac prœlio gravissimo cum eis confixit, & victoriam clarissimam retulit. (54) Ita Franci, renovato fœdere, in fines suos reversi. Hoc bellum inter res à Constante gestas à Scriptoribus, quos habemus, tantummodo memoratur, verum tam paucis, ut vix attingatur, maximum tamen fuisse, & variis casibus memorabile, ex Socratis
343 verbis conjicitur. Placido inde, Romuloque Consulibus Julius Pontifex cognito, Athanasium exulare, ex locis, in quibus latebat, excivit, ac litteris Episcoporum Orientis ex conventus sententia in hunc modum respondit, (55) mirari se, quod ad mites, ac benignas litteras suas contentiose, ac superbe rescripserint, seque non ea reverentia, qua decuit appellarint: *Quid enim vos offendit?* inquit, *an quod vos ad Concilium invitavi? at id cum gratia excipi debuit, nam boni judicia sua ab aliis excuti facile patiuntur, quod pro certo habeant, quæ juste judicata sunt, injusta effici non posse. Quare Episcopi in Nicæno Concilio convocati non sine Dei consilio permiserunt, ut acta sua in alio Concilio examinarentur, ut & qui judicium fecerant, scientes secundo ea Concilio subjectum iri, accuratius causam expenderent, & qui judicium subierant, pro certo haberent, se non odio priorum judicum, sed jure ipso condemnatos esse. Quod si hæc consuetudo olim fuit, eaque in Nicæno Concilio renovata est, profecto vos indigne facitis, qui illam solvitis. Huc accedit, quod Macarius Presbyter, & Hesychius Diaconus legati vestri apud me à legatis Athanasii aperte convicti Concilium postularunt, ad quod vos advocavi. Et si, ut scribitis, inconcussam fidem qualibet habere Synodus debet, cur à vobis Nicæna Synodus non observatur? & qui per eam communione repulsi sunt, à vobis in communionem accipiuntur? qui non in hominem peccaverunt, sed in Christum Filium Dei viventis.* Inde cætera, quæ objecerant, crimina diluit. Constans rebus Galliæ constitutis, in Italiam se recepit, ac Bononiæ VIII. Kal. Februarias rescripsit, (56) ut privatæ res suæ ab universis muneribus sordidis essent immunes. Bononienses, ut debitum ei honorem haberent, columnam statuerunt, his verbis inscriptam; *D. N. Fl. Valerio Constantio, Pio, Felici, Invicto. Fl. Valerio Constanti Divi Augusti Pii Filio Bono R. P. Nato*, quæ columna nunc quoque in agro Bononiensi, in quo hæc

(50) De quo Zosim. l. 2. tradit, ex illis unum fuisse, qui in Aula prudentia præstabat, quique in bello *Mursensi* (quo Magnentius victus) ad eum Legatus à Constantio missus est. Athanas. ep. ad Solitar. Illum necis Pauli Episc. C. P. auctorem fuisse narrat, subdens: *Verum ad hoc scelus vindicta divina connivendum sibi non putavit; Philippus enim nondum vertente anno, Præfectura sua, magna cum ignominia, spoliatus est: ac jam inde privatus, iis, quibus minime volebat, ludibrio fuit: mæstus igitur mirum in modum ........ morte extinctus est.*

(51) Constantium h. an. Antiochiæ fuisse docent L. 33. *de Decurionib.*, & 34. in Cod. Theod., ambæ mense April. datæ. Item L. 6. *quorum appellat. non recip.*, ibid. data *V. Id. Maji*. V. Socrat. l. 2. 20.

(52) Qui Consul deinde processit an. D. 355., Arbetione Collega, & Præfecturam obtinuit per tempus ab A. N. relatum. Eique Catullinus successit, qui Consul fuit an. 349., ad quem data h. an. L. 3. *de Paganis sacrif., & templ.* Cod Theod. Præfecturam Urbis gessit per biennium. Vide Buch. p. 240., Not. Præf. urbi.

(53) Ptolomæus collocat in Pannonia superiori: *in Pannonia Sabaria Septimius Severus* Augustus creatus dicitur à Vict. Epit. in Didio Juliano. Meminit & Amm. l. 30. 20. Nunc *Sarvvar* castrum esse conjicitur ad Guntiæ, & Rabi confluentes. Ceterum Gothofredus in Chronol. legem 6. *de petitionib.* Sabariæ datam *VIII. Kal. April.* non ad præs. an., sed ad 352. referendam putavit pag. 50.

(54) Idac. in Fast. h. an victos Francos prodit, seu pacatos: l. *de errorib. profanarum Religionum* ita Impp. alloquitur Julius Firm. *Post excidia Templorum* (quæ an 341. evenit) *victis hostes* (Francos nempe) *propagatis Imperium, & hieme tumentes, ac sævientes undas calcastis Oceani, & insperatam Imperatoris faciem expavit Britannus*, an. sc. 343., post Francos devictos an. 342., ut Idac. *Vario eventu adversum Francos à Constante pugnatur*, inquit Hieron. in Chron. L. Socr. ab A. N. laudatum l. 2. 13.

(55) L. epist. Julii ad Orientales, cujus partem recitat hic A. N., ibique Pontifex ait: *Nam tametsi solus sim qui scripsi, non meam tamen solam sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi*, &c. In re quippe tanti negocii, qualis erat Athanasii causa, disciplinam hanc servare voluit Summus Pontifex, ut in Synodo tanta res tractaretur, ad quam plures quam quinquaginta Episcopi convenerant, teste Athanasio Apol. 2.

(56) Extat hæc *L. 5. de extraordinariis* in Cod. Theod., data vero *Bononiæ* Galliarum, quæ antea *Gessoriacum*, unde celebris è Galliis in Britanniam transitus erat; Constans enim, devictis Francis anno præced., adversus Scotos, & Pictos, his Coss., trajecit sæviente hyeme, quod testatur Liban. *in Basilico*, & Firmi. Matern. l. 5. c. V. & Ammian. l. 20. init.

hæc scribebamus, ad primum lapidem reperitur. Paulus (57) postquam Athanasium à Julio accersitum in Italiam esse accepit, & ipse Thessalonica occulte profectus eo contendit. Utrique inde doloribus, consiliisque communicatis ad Constantem progressi injurias, quas passi erant, exposuerunt, atque opem ejus apud Constantium implorarunt. Constans autem, qui in paterna fide, ac disciplina, id est, in Catholica, permanebat, miseriis eorum, innocentiaque permotus petiit per litteras à Constantio, ut tres ad se Episcopos mitteret, qui rationem redderent, qua horum uterque abdicatus fuisset. Hi missi communionem inire cum Athanasio noluerunt, ac formulam fidei longe aliam ab ea, quam Antiochiæ scripserant, protulerunt, neque ulla ratione reddita, discesserunt. Per eosdem dies Photinus (58) Marcelli, qui abdicatus fuerat, discipulus, Sirmiensis Episcopus, novam hæresim intulit, filium tantummodo hominem esse contendens. Constans autem reversus in Galliam pridie Kal. Julias Treviris rescripsit, (59) ut universi omnino ex Comitibus, vel ex Præsidibus, qui suffragio percepissent dignitates, civilibus oneribus, muneribusque tenerentur astricti. Per hoc tempus sævæ, ac continuæ terræ concussiones, (60) quasi quædam prodigia cœlestem iracundiam ostentantia, religionem aliquam humanis pectoribus incusserunt. Nam & hoc anno Neocæsaria vi terræmotus mari absorpta, Ecclesia, atque Episcopio tantum
344 incolumi, & sequenti, quo Leontius cum Sallustio Consul, & post III. Idus Aprilis Rusticus urbis Præfectus fuit, Rhodus insula pene tota subversa est, & postero, Amantio, Albinoque Consulibus, Dyrra- 345
chium (61) totum procubuit, quin etiam Roma per triduum magno periculo tremuit, & duodecim Campaniæ urbes funditus eodem impetu corruerunt. Eodem anno Episcopi Orientis Antiochiam (62) de integro convenere, atque aliam fidei formulam, detracto verbo Consubstantiali, scripsere, quam quia multis verbis complexi sunt, Longam vocarunt. Ea Græce scripta ad Episcopos Occidentales est missa. Occidentales autem obscuritatem ejus caussati eam repudiarunt, & se stare velle formulæ Nicæni Concilii responderunt. Rusticum III. Nonas Julias Rufinus Præfectus urbis excepit. Constantius in Mesopotamiam adversus Persas, (63) Constans in Gallia contra Germanos incursantes excubuit. Indicant rescripta (64) ab utroque per mensem Majum inde data. Cum Kalendis inde Januariis nulli in Imperio Consules essent, (65) post aliquot menses ambo Augusti Constantius IV. & Constans III. iniere. Eo anno Constantius novis 346
litteris à Constante fratre rogatus Athanasio, & Paulo reditum per litteras conficere studuit, sed multitudine adversante non potuit. Quare illi, auxilio Constantii desperato, à Constante, ut novum advocaret Concilium, petierunt, tum ut causa sua cognosceretur, tum ut fides Nicæna duobus Antiochenis Conciliis infirmata, novis Episcoporum sententiis magis, magisque stabilire-

(57) Hæc A. N. à Socr. accepit l. 2. 14. Sed L. quæ Vales. tradit in Observat. Eccl. in Socr., & Sozom. l. 2. 6., ubi Paulum à Constantio relegatum Singaram, & aliquanto post inde translatum Emesam, metu sc. Persicæ incursionis, ostendit ex Athanas.

(58) Natione Galata, Marcelli Ancyrani discipulus primo, postea Diaconus ad aliquod tempus, eruditione, & facundia præstans, de quo L. Vincent. Lirin. in Comment. c. 26. errores vero L. ap. Epiphan. Hær. 71., Theodor. l. 3. hæret. fabular. c. 11., Sever. Sulp. l. 2 Hist. Sacr. damnatus fuit in Mediolanensi Conc. an. 347., & in Sirmiensi, an. 351., & exauctoratus ad Imp. provocare ausus fuit. Annuit Constantius, datisque Judicibus, celebris disputatio inita Basilium Ancyr. Episc. inter, & Photinum, qua hic victus excessit.

(59) Est in Cod. L. Theod. 36. *de Decurionib.*, qua cautum voluit, ne dignitatibus honorariis civilia onera, muneraque curialia, & plebeja capitatio evitari possent. Dignitates honorariæ hic memorantur, Comites, & Ex-Præsides, aliæque per illam ætatem *umbratili suffragiorum pactione obtentæ*, ut eadem lex habet, cujus partem hic recitat A. N.

(60) Hierony. an. 4. Constantii Imp. tradit in Chr. *Multæ Orientis urbes terræmotu horribili conciderunt*. Idem refert Oros. l. 7. 29. Æphræm orat. *de terræm.* edit. Vos to. 1. Socr. l. 2. c. 7. in fin., Sozom. l. 3. 5., Cedren. Compend. an. 4., & 5. Constant. Ad has terræ concussiones animum appulit Gregor. Nazi. in carm. de rebus suis, dicens:
*Nam cum lata gravi quateretur Græcia motu,*
*Ulla nec auxilii jam spes aliunde pateret*, &c.
Plures alii terræmotus sequentib. annis accidisse testatur Hieron. in Chron., à quo A. N. accepit, quæ mox narrat. Vide Theophan. pag. 31.

(61) De hac urbe Cic. l. 14. ep. 1. *Dyrrachium veni, quod & libera civitas est, & in me officiosa*, &c. ejusque portus Brundusino respondebat. Catullus dicit: *Dyrrachium Hadriæ tabernam*, quod illuc divertere solerent, qui per Hadriaticum navigabant. Pompon. l. 2. c. 3. *Dyrrachium*, inquit, *Epidamnos ante erat*; cui Pausanias aliqua ex parte suffragari videtur, Eliac. l. 2. 10., & clarius Strabo l. 7. p. 220.

(62) Conciliabulum hoc secundum Antiochenum fuit Arianorum, ubi prolixa Fidei formula promulgata, *μακρόστιχος* dicta, quod multas lineas comprehenderet, Arianismum sapiens aperte, eaque legitur ap. Athan. l. de Synod. p. 690., & Socrat. l. 2. 15., missa ad Episcopos Occidentis per Eudoxium Germaniciæ in Syria Episc., Martyrium, aliosque nonnullos. Illam vero rejecere Episcopi Catholici, non ex Græci Idiomatis ignorantia, ut Socrates scripsit, à Sabino Macedonianæ Sectæ Scriptore fortasse deceptus, sed ob altum in ea vocis *Consubstantialis* silentium, proindeque jure merito suspectæ fidei; ea præsertim ætate, qua subdoli Ariani nonnisi æquivocis vocibus de Verbo Dei Filio loquebantur, *Consubstantiale* reticentes.

(63) Huic an. prælium à Romanis gestum cum Persis haud procul Nisibi apud Singaram consignandum; Julianus enim in Orat. 1. scribit, Magnentii tyrannidem in Gallia sexto ferme post hoc prælium anno cœpisse: atqui is an. 350. Imperium invasit, ut infra. Prælium hoc, *Barbarorum successum maximum* Julianus ipse appellat. Idac. in Fast., & Hieron. in Chron. male ad. an. Chr. 348. differunt. V. Sext. Ruf. *in Breviar. ad Valentem*.

(64) A Constantio Nisibi data *L. 5. de exactionib.*, à Constante vero Treviris *L. 7. de Petitionib.*, ambæ in Cod. Theod., prima IV; Id. Maj., altera vero Id. Maj.

(65) Auct. Notit. Præf. Urbi, Fasti Capitol., & Vet. Fragm. Consulare à Bucher. edit. p. 250. notant: *Post Consulatum Amantii, & Albini*. At Auct. Chron. Alex., Fasti Græci Theonis, necnon Idac. in Fast. diserte habent Constantium IV., & Constantem Aug. III. Nec audiendus Onuphr. *Postconsulatus* causam referens ad discordias inter utrumque Imperatorem, quæ hactenus nullæ.

liretur. Eo postulato accepto Constans, Mediolani cum esset, litteras subito ad fratrem de convocando Concilio misit, atque Athanasium Roma ad se accitum ostendit. Ita assentiente Constantio, paulo post utriusque Imperatoris jussu Concilium Sardicam indicitur, (66) atque eo omnes ex Oriente, & Occidente Episcopi convenire jubentur. Erat autem Sardica urbs Daciæ mediterraneæ inter duas Mœsias, ut supra diximus, cis Istrum constitutæ, eaque Constantis ditioni, Imperioque una cum Mœsiis ipsis obtemperabat. Undecimo inde Kal. Junias Constans ordini Cæsenatium Mediolano sic scripsit. (67) *Vinum, quod ad cellarii usus ministrari solet, cuncti Italiæ possessores juxta statutum Constantii fratris mei comparent. Quod ut fieri facilius possit, ab omnibus Italis nostris conferatur pecuniæ quantitas ea, quam Rufini viri clarissimi, & Illustris Præfecti urbis parentis, amicique nostri moderatio dudum esse censuerit*. Mediolano inde Cæsenam profectus X. Kal. Julias ad Anatolium Præfectum prætorio rescriptum in hæc verba misit: *Quoniam nonnulli (68) Curiis derelictis, domesticorum, seu protectorum se consortio copularunt, scholarii etiam quidam nomen dederunt militiæ, aut Palatinis sunt officiis aggregati, cunctos jubemus omni frustatione submota ad Curias revocari. Ne tamen diuturnitatis ratio videatur esse neglecta, quicunque sub armis militiæ munus Comitatense subierit, si nec dum quinque stipendia compleverunt, nec pro publica defensione prœliis affuerunt, redduntur, qui vero Palatini nominis præfuerunt dignitatem, si Curialem trahant originem, infra tot annos militiæ nudati præsidiis oppidaneis restituantur obsequiis. De qua re Magistros equitum, & peditum, & V. C. Comitem domesticorum, nec non etiam sacrarum largitionum Comitem, & Magistrum Officiorum, & Castrensem, sub quibus cuncti esse noscuntur, credidimus commonendos, ut tua insistente prudentia, & scribente de nominibus singulorum unusquisque propriæ conditioni reddatur*.
VII. Kal. Januarias, Placidus Præfecturam 347
urbis, Kal. Januarias Rufinus, & Eusebius Consulatum, pridie Idus Junias Limenius utramque Præfecturam, prætorii, & urbis inivit. His demum Consulibus Concilium Sardicæ (69) Nicæno compar est convocatum, decem & octo mensibus, postquam fuerat indictum, Archidamo, & Philoxeno Presbyteris, legatis Julii Pontificis præsentibus, cujus acta præcipue Athanasius, & Socrates prodidere. Cæterum cum Arriani Episcopi ad septuaginta, adductis secum Comitibus, advenissent, ubi Athanasium, & Paulum, aliosque Catholicos, quos exturbarant, Episcopos conspexerunt, diffisi sibi, quod Ecclesiastico more, sine Comitibus, contra atque agere consuevissent, rem conficiendam videbant, extemplo abierunt, atque in Thraciam proximam, quæ Constantii juris erat, se referentes, Concilium in urbe Philipporum seorsum à Catholicis (70) habuerunt, neque obscure, ut ante, sed palam, atque diserte in formula fidei verbum Consubstantiale concordibus sententiis damnaverunt. Catholici vero, qui ad trecentos (71) Sardicæ remansere, cum eos semel, iterumque citassent, neque illi accessissent, demum concilio rite inito, absentes (72) eos una cum accusatoribus Athanasii condemnarunt, atque Athanasium, Paulum, Marcellum, & ceteros ab eis insimulatos lata sententia liberarunt, ac mox Nicænam fidem confirmantes, omnino ipsum Consubstantiale retinuerunt, idest, unam, eandemque substantiam esse Patris, Filiique confessi sunt, quique secus sentirent, ipsosque præcipue Arrianos, gravi anathemate perculerunt, multi præterea canones (73) ad mores, & instituta Ecclesiæ pertinentes, Osio Episcopo Cor-

(66) Annuente Julio Sum. Pontifice, quod testatur Sozom. l. 3. c. 9. dicens: *At cum literis apud Episcopos Orientis de rebus propter quas scripsisset, nihil proficeret, causam Athanasii, & Pauli ad Constantem retulit*, (Julius sc.) *qui quidem dedit literas ad fratrem Constantium*.

(67) Est hæc lex Constantii de Vini Cellariensis annona, ejusque coëmptione, & collatione ad Cellarium Principis, cujus Cellarii nomine significantur omnia βρώσιμα, καὶ πότιμα, species nempe omnes ad esum, potumque spectantes; hinc Cellarienses species dicuntur l. 32. *de erog. mil. ann.* C. Theod., ex quo præsentem recitat A. N., quæ est *6. de Ann., & tribut.* Mens Imperatoris in hac lege esse videtur, ut vinum istud Cellariense Itali compararent à Cæsenatibus, quorum in agro generosum vinum Plin. l. 14. 6. commendat, & Strabo l. 5. p. 151.

(68) Extat in Cod. Theod. L. 38. *de Decurionib.*, qua Militia tam Armata, quam Palatina (Domesticorum nempe Protectorum, Scholarium, Palatinorum) Curialem Curia eximi prohibet, quod & Theodosius præstitit l. 120. cod. tit., & Cod. Excepto si quis quinque stipendia meruisset; vel etiam si de milite armato Comitatensi agitur, si pro publica defensione præliis adfuit. Ceterum hæc lex singularis, quod sicuti militum, ita & Palatinorum genera distinctim proponit, & sub suorum Magistratuum dispositione. Cæsenæ hæc lex data, quemadmodum & L. 42. cod. tit. Ordini Cæsenatium pariter inscripta.

(69) Urbs hæc Thraciæ, nunc primaria Bulgariæ, Turcis, Græcisque *Sophia*, unde *Sardicense* dictum, non *Sardense* Concilium, ut imperite nonnulli; non enim Sardis celebratum, quæ est minoris Asiæ Civitas, sed Sardicæ, confinis Illyrici, Mysiæ, & Thraciæ. Eidem Concilio præter Archidamum, & Philoxenum Osius etiam Cordubensis Julii P. Legatus præfuit, ex Athanas. Apol. 2.

(70) Eusebiani recusarunt cum Catholicis Episc. convënire, ægre ferentes, Athanasium, Marcellum Ancyran., & Asclepam Zazensem, de quorum causa retractanda ageretur, eorumque Depositione discutienda, ad communionem admitti, ut ex ep. Synod. Eusebianorum liquet, quæ habetur in Fragm. S. Hilarii, ubi ineptam hanc aliam prætexunt causam secessionis suæ, quod Occidentales adversus Ecclesiæ consuetudinem cognoscere vellent de causis Orientalium.

(71) Totidem Athanas. Apol. 2. ait innocentiam suam calculis suis comprobasse; præter hos autem qui Synodo interfuere, prope sexaginta epistolis suis pro Athanasio stetere, eodem teste ib. inferius. Trecentos scribit Sozom. l. 3. 11., & Socr. l. 2. 16. ex Occidente; septuaginta vero sex ex Oriente, uterque tradit. Theodor. l. 2. 7. ducentos quinquaginta.

(72) Qui damnati, quique absoluti in hoc Concil., V. in Synodica ejusdem Conc. ad Julium P. R., ap. S. Hilar. in Fragm., ubi aurea illa verba: *Hoc enim optimum, & congruentissimum esse videbitur, si ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque Provinciis, Domini referant Sacerdotes*. Vide Syn. ep. ad omnes Episcopos ap. Athanas. Apol. 2., & S. Doctoris ep. ad Solitar.

(73) Viginti Canones numerant Græci, 21. Latini, sed quia Latinè editi primum fuere, non Græce, teste Dionys. exiguo ep. ad Stephanum Salonitanum, ideo Latinorum Ca-

Cordubensi referente, ac bonam Catholicis tum quoque operam, fidelemque præbente, conscripti sunt, qui adhuc leguntur. Subscripsere huic Concilio Episcopi ex Italia Protasius Mediolanensis, Fortunatianus Aquilejensis, Severus Ravennas, Calipodius Neapolitanus, Vincentius Capuanus, Januarius Beneventanus, Lucillus Veronensis, & Ursacius Brixianus. Ex quibus Severus, & Januarius post Confessorum in numerum sunt relati. Constans simul decretum Concilii Sardicensis accepit, Constantium propere fecit certiorem, eumque, ut Athanasium, Paulum, ceterosque à Concilio absolutos, in Sedes suas reduceret, monuit, quod cum ille facere cunctaretur, litteras ad eum in hanc sententiam scripsit: *Sunt hic apud me Athanasius, & Paulus, quos accepi pietatis causa vexatos esse. Quod si spondeas te illis suas sedes restituturum, atque in eos, à quibus injuria affecti sunt, animadversurum, viros ipsos ad te mittam: sin minus, ego propius accedam, atque illos in sedibus suis te invito reponam.* His litteris lectis, Constantius rem ad suos Episcopos retulit: inde vitandi civilis belli causa ex eorum auctoritate se obsequuturum illius postulato respondit, atque has ad Athanasium litteras misit: *Hucusque meam erga te voluntatem tibi expromere distuli, quod expectabam, te ultro ad nos venturum, & rebus tuis adversis auxilium petiturum; nunc, cum tu fortasse timore perculsus venire abstiteris, volui te monere, ut primo quoque tempore ad nos venire contenderes, ut nostram expertus clementiam, sedem tuam reciperes, cujus rei gratia Constantem fratrem, ut te dimitteret, obsecravi.* Quibus scriptis mox alias adjecit, ut publico vehiculo sumpto, ad se omni abje-
348 cta formidine properaret. Philippo inde, ac Sallia Consulatum, & Limenio utramque Præfecturam administrantibus, Paulus, litteris, & Comitibus à Constante acceptis, Constantinopolim adiit, ac favente summo studio civitate, sedem suam recepit. Athanasius vero adversariorum insidias veritus, Sardica se contulit Aquilejam. Ibi vero cum esset, tertias à Constantio has accepit litteras: *Quoniam multum temporis præteriit, ex quo tu nostras litteras accepisti, quibus te ad tuam recipiendam Ecclesiam vocabamus, neque tu redire in animum induxisti, ob eam rem rursus te monere voluimus, ut nullam ejus rei faciendæ moram interponas, quo sedem tuam recuperes.* Quibus lectis, animo erectus Aquileja Romam accessit, easque Julio Pontifici recitavit: Qua re Julius exhilaratus, quod Constantium ad partes Catholicorum se recepturum speraret, Athanasium cum litteris ad Clerum, populumque Alexandrinum dimisit. Constantius inde Athanasium ad se Antiochiam officii causa profectum benigne, atque honorifice in primis accepit, tamen ab Arrianis impulsus, ut Arrianis Templum unum Alexandriæ habere liceret, poposcit, quod ille ita concessit, si & ipse Catholicis in singulis urbibus unam patere Ecclesiam sineret. Ita permulti Episcopi, qui extorres erant, suas Civitates, Ecclesiasque recuperarunt, & Macedonius, sede Paulo concessa, seorsum Ecclesiam tenuit. Digressus inde à Constantio Athanasius cum litteris ejus ad Alexandrinos Hierosolyma adiit, (74) quem ut Maximus urbis Episcopus vidit, propere conventum Episcoporum è Syria, & Palæstina vocavit, atque ex eorum sententia communionem, ac dignitatem ipsi restituit, & ad Episcopos Ægypti, ac Libyæ acta omnia misit. Qua de re ab omnibus graviter est increpitus, quod quem ante simul cum ceteris abdicasset, nunc quasi pœnitentia tactus ornasset. Quod cum Ursacius (75) Singidonis, & Valens Mursæ Episcopi accepissent, partes Arrianorum, quibus eousque studuerant, reliquerunt, ac Romam profecti, libello pœnitentiæ Julio Pontifici tradito, Consubstantiale probarunt, & se cum Athanasio sensuros, confitentes ipsum injustis oppressum esse criminibus, spoponderunt. Hoc cum Athanasius ipse, tum ceteri prodidere, ex quibus ita Sulpicius: *Ursacius, & Valens, cum post Synodum Sardicensem viderentur à communione secreti, coram positi, à Julio Romanæ urbis Episcopo veniam poposcerunt, quod innoxium condemnassent, meritoque eum sententia Concilii Sardicensis absolutum professi sunt.* Athanasius inde, itinere Alexandriam suscepto, in singulis, quas adiit, civitatibus Catholicos ab ineunda cum Arrianis communione deterruit, atque in earum etiam Ecclesiis ministros initiavit, & nonnullis conventibus Alexandriæ habitis, acta Concilii Sardicensis, & Hierosolymorum firmavit. Eodem anno urbs etiam Beryti in Syria vehementi terræ motu labefactata
est. Limenio inde, & Catullino Consulibus, 349
Limenius utramque Præfecturam tenuit usque ad VI. Idus Aprilis. Cum ambæ inde Præfecturæ dies unum & quadraginta vacassent, demum IV. Kal. Junias Hermogenes eas iniit. Eo anno Constantius, (76) re sæpe cum Persis male gesta, demum cum Sapore Rege apud Singarim oppidum prœlio

Canonum ordinem, numerumque sequi præstat. Celebres Tertius, Quartus, & Septimus, quibus Jus appellationis non recens tribuitur Romano Pontifici, cum prærogativæ Primatus, & *privilegia à Christo donata sint, à Synodis non donata, sed solummodo celebrata*, ut scripsit Nicolaus P. ep. 8. ad Michaëlem Orientis Imp.

(74) Anno 349. adventus Athanasii jam Hierosolymam, quam Alexandriam contigisse videtur, quo anno Gregorius Alex. Sedis invasor, mortuus est. Athanasius enim in Apol. ad Constantium, se post Gregorii mortem ab eod. Imp. accersitum fatetur; dumque S. Doctor per Palæstinam iter faceret, coacta Synodus Hierosolymis scripsit gratulatorias ad Alexandrinos, in quibus ait: *Vestrum est orare pro pietate religiosiss. Imperatorum, qui ipsum* (Athanasium nempe) *cum omni honore dignati sunt restituere.*

(75) Synodus Rom., qua in communionem recepti Ursacius, & Valens, oblato pœnitentiæ libello, de quo Theod. l. 2. 16., ad an. non serius quam sequentem pertinet, & ante an. 350. Sub Julio namque habitam testatur libellus ab utroque Pontifici oblatus, & superstite Constante; quo defuncto, Valens, & Ursacius adducti fuere, ut ad vomitum redirent, causantes, se Imperatoris ipsius metu palinodiam cecinisse: atqui initio an. 350. Constans occisus; antea itaque R. Synodus celebrata. L. Athan. ep. ad Solitar. p. 828.

(76) Vide quæ supra sub anno 346. dicta sunt de hujus prælii anno, de cujus successu L. Liban. p. 130., Eutrop. p. 588. Oros. l. 7. 29.

lio summo conflixit, iu quo haud dubiam victoriam propter nimium militum ardorem, atqne intempestivam certandi cupiditatem amisit: nam cum pugnam seditiose, ac stolide contra omnia militaris disciplinæ præcepta die jam præcipiti poposcerunt, tum prœlium in noctem cum maxima sui pernicie produxerunt. Constans autem ex Pannonia, unde ad Sylvanum Comitem, & magistrum peditum, atque equitum VI. Kal. Junias Sirmio scripsit, (*) in Galliam sese retulit, ac, pacatis Rheai limitibus, vitam corruptam, & parum attentam agere instituit, quippe venationibus assiduis, atque indignis amoribus, ac turpibus voluptatibus, fœdisque libidinibus se dedidit, ita ut ab hominum congressu, oculisque remotus, quo animo liberius indulgeret, omnem prope curam omisisse Imperii, velut ab omnibus tutus insidiis, videretur: quin etiam eam superbiam induit, ut provincialibus gravis, militibus parum jucundus esset. Quæ cum Magnentius Comes Juvinrum, & Herculiorum in Gallia animadvertisset, animnm ad ipsum opprimeudum, atque Imperium invadendum, præsertim vero Constantio male in Perside rem gerente, adjecit, ac
350 sequenti anno, qui fuit Christi trecentesimus quinquagesimus, Sergio, & Nigriniano Consulatum, ac Titiano Præfecturam urbis gerentibus, prospere cogitata perfecit. Ceserum bujus tragœdiæ scena fuit hujusmodi. (77) Marcellinus Fisci Præfectus, re cum Magnentio constituta, natalem filii sui se celebrare velle in urbe Augustoduni pronunciavit, atque eo nmine primnres civitatis, ac Magnentium etiam ipsum ad epulas iuvitavit, quosdam consilii sui participes, uonnullos etiam prorsns, quid animo mnliretur, ignaros: producto inde ad mediam noctem convivin, ex composito Magnentius, quasi rei uecessariæ causa surrexit, &, cum in cubiculum secessisset, Regium habitum induit, ac mox satellitibus circumfusus, Chresto, & Marcellinn faventibus, eorum se conspectui reddidit, atque oratione ad eos, quos animo consternatos rei novitate videbat, ad sempus habita, alios verbis, alins vi ad suas partes traduxit, atque Imperator ab eis salutatus, eisdem comitantibus regiam ingressus, pecuniam dilargitus est, ac custodibus portis urbis appositis, ingredi omnes, exire neminem passus est. Quibus actis, satis in præsens saluti, ac dignitati suæ consultum ratus, inde ad firmandas in futurum opes Gaisunem cum caterva militum ad Constantem interimendum emittit, qui non longe inermis in sylva venationis, ac liberioris, ut dictum est, vitæ causa degebat. Ille autem, nuucio seditionis à Magnentio concitatæ allato, destitutus à suis, confestim Imperii insignia posuit, inque vicum quemdam Pyrenæo proximum, cui Helenæ (78) uomen erat, sese fuga proripuit. Itaque Gaiso, cum ad Rhodanum profectus eum uon invenisset, vestigia persecutus Helenam venit, atque ibi è sacello extractum, manu sua obtruncavit, vaticinio impleto, quo prædictum fuerat, eum in Aviæ gremio moriturum; nam ille vicus ab Aviæ Reginæ nomine nomen acceperat. Mortuus est circa Kal. Martil, anno Imperii sui tertiodecimo, ætatis tricesimo, nulla re, qua paternæ, avitæque laudi insigniter responderet, administrata, nisi quod iu Catholica, & Nicæna fide perseveravit, quæ laus tum in Occidente uondum Arrianorum labe corrupto minus excelluit.

Constantinus, & Constans utrum ne sacro fonte abluti vita excesserint, parum cnmpertum. Constat enim, homines per hos annos diu inter Catechomenos (79) se probasse, nec nisi sero Sacramentum Baptismatis accepisse. Nam & Constantius Augustus ab Euzojo, & Theodosius major ab Acholin Episcopis sero initiati sunt, & Valentinianus junior Baptismum à D. Ambrosio postulans, interfectus est, & D. Martinus inter Catechumenos constitutus miracula edidit, & D. Ambrosius nondum tinctus Episcopatum inivit. Cnnstante regnante, Romæ, eloquentiæ laude floruerunt Minervius Burdegalensis, & Marius Victorinus Afer, qui Romæ Rhetoricam docuit. Hic virtutis ergo statua in Fnro Trajani donatus est, ac demum jam ætate confectus, Baptismum, teste in Confessionibus S. Augustino, accepit. Ælius etiam Donatus grammaticus, qui D. Hieronymum erudivit, per hos annos in magna nnminis celebritate versatus est.

## MAGNENTIUS IMPER.

Magnentius (80) prospero rerum successu erectus, subitn, antequam mnrs Constantis enunciaretur, uomine Constantis eorum, qni Magistratum gerebant, præstantissimum quemque accivit, (81) eosque in itinere per dispositos sicarios interfici jussit, iu quo ne conjuratis quidem snis pepercit, ac

(*) L. sc. 2. *de re militari*, & L. 3. *de divers. offic.* in Cod. Theod.

(77) A. N. hæc narrat ex Aurel. Vict. Epit., & Zos. l. 2., hisque Coss. factum Socr. l. 2. 9., & 10. in fin, ac Sozom. l. 4. 1. auctores sunt. Clarius habet Idac. in Fast. *His Coss. occisus est in Gallis à Magnentio Constans: & levatus est Magnentius die XV. Kal. Febr.*, &c. Male igitur Auct. Chr. Alex. id evenisse prodit sub Coss. præced. anni. Eutrop. l. 10. Constantem occisum ait *Imperii an. XVII.*, quia Cæsar dictus an. 333., à quo ideo Cæsareum ejus Imper. inchoandum.

(78) Scriptores, qui aliorum Constantini gesta memoriæ commendarunt, hujus vici meminere. Hodie *Elna* dicitur, in faucibus Pyrenæorum.

(79) Augustinus l. 1. Confess. 10. Baptismi dilationem sua ætate communem fuisse testatur, unde moti S. Greg. Naz. Orationem XL. *in S. Baptisma*, & S. Basil. Homil. XIII. *de exhortat. ad Bapt.* exornarunt adversus excusationes illorum, qui Baptismatis susceptionem differebant in provectiorem ætatem, qua cupiditatum æstus non adeo vehementes urgerent, quam persuasionem evellere nititur Nazianz. orat. cit. differebant item nonnulli, ut diligentius se disponerent: alii vero, quia severior Ecclesiæ foret disciplina erga eos, qui post Baptisma peccarent, quam qui ante.

(80) *A Germanis* oriundus, ex Julian. orat. 1. p. 62. Vict. in epit. in Galliis natum scribit. Eidem vitam olim servasse Constantem Zonar. narrat, t. 3. p. 11.

(81) Refert id Zon. l. c. p. 13., at incredibile est, multum temporis Magnentii factum, & mortem Constantis latere potuisse.

ac mox Decentium, ac Desiderium (82) fratres suos Cæsares declaravit, eosque ad Galliam, & Hispaniam; aliosque ad Italiam occupandam dimisit. Interim Constantis cæde, & Magnentii tyrannide in Italiam nunciata, Nepotianus, (83) qui erat Eutropia sorore Constantini Maximi natus, ne Italia eodem modo, quo Gallia in manus Magnentii perveniret, subito purpuram induit, atque Augustus à gladiatoribus, aliisque perditis hominibus appellatus, eorum auxilio Romam accessit, &, cum urbem à ducibus, quos Magnentius ad Italiam occupandam præmiserat, populo ab Senatore Heraclida prodito, jam teneri invenisset, exercitum eò admovit. Qua re cognita, Anicius Præfectus prætorio à Magnentio constitutus, quosdam è plebe Romana armatos eduxit. ac prœlium cum Nepotiano commisit. Cum autem inclinata re, omnes in fugam actos videret, urbi timens, portas occlusit, eosque Nepotiani militibus cædendos reliquit. Paucis inde interjectis diebus, Marcellinus Magister officiorum cum exercitu à Magnentio missus advenit, qui novo prœlio cum Nepotiano congressus, cum copias ejus fudisset, ipsum in potestatem adduxit vicesimo octavo, postquam Imperium attigerat, die, ac caput à cervicibus amputatum per urbem insolenter circumtulit. His rebus, prout graves, & fœdæ erant, in Orientem repente perlatis, Constantius dolore, atque indignatione exarsit, ac propere necem fratris ultum ire, atque una Imperium sibi Occidentale adjungere in animo habuit, verum à Sapore impeditus non potuit. Ille vero tumultu Magnentiano percepto, illico exercitum eduxit, atque in Mesopotamiam invectus, populationem agrorum ingentem fecit, mox Nisibim (84) obsidione circumdedit, atque ad muros arietes, cuniculosque admovit; iis vero qui intus erant, impigre ad omnia, ut usus ferebat, incommoda occurrentibus, amnem, qui urbem interfluebat, alio derivavit, ut oppidanos usu aquæ spoliatos ad deditionem sitis intolerantia cogeret; verum aqua ex puteis, & fontibus abunde suppetente, cum se nihil proficere cerneret, cursum fluminis, opposita mole, obsepsit, eoque adversus urbem converso, murorum partem dejecit, quam ubi ab oppidanis sequenti nocte vidit restitutam, raptim ad alia se opera contulit, verum magna exercitus parte amissa, cum Persidem vastari à Massagetis (85) audisset, re infecta, ad sua defendenda revertit. Qua re animadversa Constantius occasione usus, animum contulit ad Magnentium, ac firmo relicto in Mesopotamia præsidio, Antiochia Constantinopolim expediendi consilii causa revertit. Interim Arriani Sardicensi Concilio fracti, cum Athanasium, ceterosque à se exactos Ecclesias repetiisse dignitate, atque auctoritate recuperata dolerent, morte Constantis, quem minantem horruerant, excitati, iterum omnes machinas ad eos evertendos, & Concilium Sardicense labefactandum adhibuerunt, & Constantium, quem propter nimiam animi levitatem, fratre è medio sublato, facile flecti posse videbant, vacuum nacti, acriter sese rursus in Athanasium intulerunt; illum Ægyptum, Libyamque pervertisse, quod Ministros in Ecclesiis alienis initiasset, illum pacem Reipub. perturbare voluisse, quod Constantem adversus ipsum oratione solicitasset, quin etiam alia crimina in Paulum, & Marcellum, qui à Sardicensi absoluti Concilio fuerant, intulere. Quibus vocibus inductus Constantius, ex eorum sententia illos damnavit, atque Athanasium, ubicumque esset, interimi, Paulum deportari, reliquis successores dari præcepit. Ex quibus Athanasius eo mandato percepto, fuga salutem sibi quæsivit; Paulus, cum deportaretur, à deductoribus in urbe Cappadociæ Cucuso (86) fœde strangulatus interiit. Marcello ejecto, Basilius iterum substitutus. Pulsis Athanasio, & Paulo, quibus in Oriente fides Catholica nitebatur, gravem sane Ecclesia calamitatem accepit. Nam Georgius, qui Athanasio est subrogatus, Alexandriam reversus bellum inexpiabile Catholicis intulit: siquidem post Pascha Virgines, & Episcopos in vincula tradidit, pupillorum, & viduarum domos, ac bona exhausit, ceteros in potestatem adductos variis suppliciis cruciavit: post Pentecostem autem jejunio absoluto, cum populum ad cœmeterium supplicatum prodiisse, quod à sui communione refugeret, percepisset, cum valida armatorum manu impetum in eum fecit, atque omnes, qui ibi precationis causa restiterant, (nam plerique diffugerant, ut virgines) præsentis ignis, nisi se Arrianos dicerent, supplicio terruit, eisque parere abnuentibus, faciem verberibus ita multavit, ut vix agnoscerentur, virorum autem quadraginta terga acutis viminibus ita laceravit, ut plerique in ipsa curatione obierint, reliquos autem una cum virginibus in exilium egit, ex quibus amplius triceni fuere Episcopi, quorum alii in itinere, alii in exilio perierunt. Macedonius autem, Constantinopolitana Ec-

(82) Propinquum Zos. Decentium vocat l. 2. 45., Hieronym. vero in Chron., Socr. 2. 32., & Zonaras fratrem dicunt; eumque Cæsarem nuncupatum post aliquas victorias, auctor est Zosim. ibid. Eamdem postea dignitatem Desiderius quoque obtinuit, ut Numismata ostendunt.

(83) Idac. in Fast., sub his an. Coss. ait, adnotata morte Constantis: *Vetranio apud Sirmium Kal. Maj. eo anno, & Nepotianus Roma III. Non. Jun.*, (levati) *& pugna magna fuit*, &c. Erat is Flavius Popilius Nepotianus, fortasse qui Consul an. 336., cujus Pater Consul an. 301. Nepotiani invasionem L. ap Zos. l. 2. 63. Aurel. Vict. tradit, Nepotianum Roma fuisse potitum, *ejusque stolidum ingenium* urbem sanguine fœdasse.

(84) De hac Nisibis obsidione loquitur Auct. Chr. Alex. sub h. an. Coss., & Philost. l. 3. 23., narrata Magnentii tyrannide. Julian. Orat. I. egregie describit p. 47., & Theodor. l. 2. 30. L. quæ narrat Sozom. l. 3. 15.

(85) Amm. l. 23. 5. ait: *Massagetas, quos Alanos nunc appellamus*. Utrosque tamen distinguit Claudian. l. 1. in Rufinum:

*Massagetes, patriamque bibens Mæotin Alanus.*

Procop., cui adhæret Evagr. l. 3. 2 Hunnos Massagetas passim appellat. Tzetzes in Lycophronem, Massagetas ait esse, qui nunc Abasgi.

(86) Athanas. ep. ad Solitar. Pauli exilia commemorans ait, tandem Cucusum Cappadociæ circa deserta Tauri abreptum per Eusebianos fuisse strangulatum, necisque ministrum non Philagrium, eorum locorum Vicarium, sed Philippum Præf. fuisse prodit. Quæ autem gesserint Ariani, Paulo, & Athanasio ejectis L. ap. Socrat. l. 2. 12., Sozom. l. 3. 5.

Ecclesia recepta, eadem ratione omnes, qui Consubstantiale profitebantur, acerbissime est infectatus: unde exilia, rapinæ, cædes, vexationesque Constantinopoli, & in Asia sævierunt. Dum autem Constantius Constantinopoli arma adversus Magnentium comparavit, Vetrannio (87) magister militum in Pannonia, homo jam ætate maturus, veritus, ne Magnentius, occupata Italia, irruptionem in Pannoniam faceret, Sirmii insignia Augustalia sumpsit, Imperator à suis legionibus salutatus, ac provincia ad jus suum adducta, totam rem ad Constantium detulit, eique ad Magnentium tollendum auxilio se futurum spopondit, atque

351 B ad Mursam (88) oppidum substitit. Postero anno propter imminens bellum nulli in Imperio creati sunt Consules, (89) in tyrannide vero Magnentius cum Gaisone Constantii interfectore inivit, Præfecturam urbis multi post Tatianum inierunt, Kal. Martiis Celsinus, III. Idus Majas Probinus, VII. Idus Junias Adelphius, XV. Kal. Januarias Proculus. Ceterum Magnentius, rebus Galliæ ex sententia constitutis, in Italiam progressus Mediolanum, ac Romam venit, atque ibi victoria insolenter abusus Senatorum, aliorumque civium proscriptiones, cædesque plurimas fecit. Decentius vero Cæsar in Gallia ab illo relictus rem cum

C Alemanis, sed parum prospere, gessit. Quod Ammianus (90) his verbis significavit: *Chonodamarius Rex Alemanorum, & Decentium Cæsarem superavit æquo Marte congressus, & civitates claras multas vastavit, & opulentas.* Constantius autem Constantinopoli cum exercitu ingenti egressus venit Heracleam, atque ibi legatos Magnentii habuit obvios, per quos petebat, ut sibi Imperio, positis armis, uti liceret, ita ut ille principem locum teneret: proxima vero nocte patrem sibi in somnis videre visus est, Constantem filium manu tenentem, atque ita dicentem: En fratrem tuum Constantem multis Regibus oriundum, qui à tyranno peremptus

D est, ejus necem te ulcisci oportet, neque pati, ut Imperium laceretur, nec Resp. deleatur, quare ad evertendam tyrannidem

A propera, neque inultum fratrem permitte. Itaque somno excitus, statim legatos in custodiam dedit, ac repente castris motis, Sardicam in Daciam improvisus accessit. Qua re Vetrannio exanimatus inducias ab illo petivit, atque adventanti obviam honoris causa processit. Quem ut Constantius vidit, hominem complexus, patrem appellavit, & Sirmium progressus mensæ adhibuit, & consilia cum illo de bello Magnentio faciendo communicavit. Inde, cum res convenisset, uterque in Tribunal, ut milites alloquerentur, ascendit. Constantius vero ob generis dignitatem priorem dicendi locum adeptus, milites ad paternæ spem

B liberalitatis accendit, eosque, ne paterentur Magnentium impune evadere, qui Constantini filium occidisset, oravit. Hæc ubi dixit, milites, quorum plerique corrupti muneribus de industria fuerant, adulterinos Imperatores exigendos esse clamarunt, ac simul detractum Tribunali Vetrannionem purpura exuerunt. Qua re ille perculsus, continuo supplex se ad Constantii pedes abjecit. Constantius autem hominis jam ætate provecti misericordia tactus, haud ægre veniam dedit, atque, ut reliquum vitæ privato in ocio degere vellet admonuit. Prusiademque (91) Bithyniæ missum sumptu ad victum necessario pro dignitate instru-

C xit. Athanasius Constantinm interemisse Britannionem scribit, Meritoque, dixisse; Cui enim à morte fratrum paterna obvenire bona oportet? His actis Constantius, quoniam bellum Magnentio in Italiam, atque adeo etiam, si necesse esset, in Galliam inferebat, ne Orientem sine defensore relinqueret, animum ad Gallum (92) patruelem suum, de quo supra dictum est, contulit, eumque pro concione Cæsarem appellavit, & sororem Constantinam in matrimonium collocavit, atque inde Antiochiam, ut præsens Persarum impetum reprimeret, misit. Eo Antiochiam adventante, horribilis species in Cœlo apparuit, quippe colum-

D na Crucis (93) instar splendore maximo fulsit, quæ omnes, qui viderunt, maxima primum admiratione, deinde tacita religione per-

(87) Zosimus l. 2. 63. narrat Vetranionem, *audito, Magnentium ad Imper. evectum esse*, Imperatorem se dixisse; idemque post aliquod tempus fecisse Nepotianum refert ibid. Et certe Magnentius *die XV Kal. Februar. Vetranio Kal. Maj.*, (vel *Kal. Martii*, ut Auct. Chr. Alex.) Nepotianus vero *III. Nonas Jun.* Idac. in Fast. sub h. an. Coss. Postremus hic vigesimo octavo die tyrannidis, ut Zos. l. 2. 63., occisus.

(88) *Quod est Pannoniæ oppidum*, ad Dravum (forsan ubi nunc Esseck) Zos. l. c., hinc male Socr. l. 2. Hist. Eccl. 32., & Sozom. l. 4. 7. *Galliarum castellum dicunt*. Nec *civitas Ioniæ*, ut Stephanus Byzant., nisi error irrepserit

E in textum. Aurel. Vict. Mursiam dicit in Epit., eaque in Tabula Peutingeriana *Mursa major* vocatur, citra quam decem mill. est, occasum versus *Mursa minor*.

(89) In Imperio R. usurpata hæc formula: *Post Consulatum Sergii, & Nigriniani*. In Imper. vero Magnentiano, qui ab A. N. dicuntur, ut liquet ex libello de Præf. Urbi, in quo Consules Romæ agniti, sunt de more notati. Gaiso Consul, quod Constantem occidisset, ut ait Onuphr. p. 293.

(90) L. 16. 12., & Chnodomarium vocat, quemadmodum & in Juliani ep. ad Athenienses. Eumdem, Amm. ipse l. c. in fin. captum, Romamque missum veterno ibi consumptum, scribit.

(91) In Bithynia (à Prusa distincta, de qua Plin. l. 5. c. ult.) à Prusia Zialæ filio condita, de qua Solinus c. 42., ad fluvium Cium, & Hylam. Ubi Vetranio post aliquod tempus obiisse dicitur a Zos. l. 2. 44., post occupatum Imper. mensibus decem, si fides Aurel. Victori p. 527., cui suffragatur Auct. Chr. Alex. dicens, *levatum* fuisse *Kal. Martiis*; proindeque mense Decemb., purpura exutus dicendus est; præsenti quidem an., id factum prodit Idac. in Fast., sed ex Aur.

E Vict., & Auct. Chr. Alex. patet evenisse an. præterito. Vide Socr. l. 2. 28.

(92) De quo fuse loquitur Ammian. l. 14. init. Cæsar h. an. declaratus fuit *Id. Mart.*, ut Idac. in Fast., eique in matrimonium juncta Constantina, quæ Annibaliani Regis uxor fuerat cœpitque appellari *Constantius Gallus*. V. quæ Phil. l. 4. 1.

(93) *Apparuit in Oriente signum Salvatoris die III. Kal. Februar. Luna XXVIII.* inquit Idac. h. an., cui recte hoc phænomenon consignatur; sed errat in Mense, cum Socr. l. 2. 28. aperte dicat, signum apparuisse, dum Gallus jam Cæsar *Antiochiam ingrederetur*. S. Cyrillus Hierosolym. ep. ad Constantium A., Auct. Chr. Alex., Theoph. in Chr. mense Majo visum scribunt; hinc recte A. N. suo loco portentum hoc narrat.

A persudit. Interim Constantium Sirmii commorantem Arriani superiore victoria non contenti aggressi sunt, eumque ad Athanasii damnationem confirmandam, & Concilium Sardicense labefactandum novi Concilii auctoritate hortati sunt, ejus vero habendi necessitatem proposuere hujusmodi. Prioribus, ut supra diximus, annis Photinus Sirmii Episcopus novam de Trinitate sententiam intulit, neque cum Catholicis, neque cum Arrianis utique congruentem, sed ad Pauli Samosateni explosam hæresim proxime accedentem; nempe filium nullo modo ante secula genitum esse, sed ex Maria principium habuisse, cum autem, eloquentia sua

B multis in suam opinionem adductis, civitatem etiam præsente Constantio permisceret, Arriani magnopere ei suasere, ut eam seditionem novo convocando Concilio coërceret. Eo indicto, convenere Episcopi (94) frequentes ex Oriente, ex Occidente autem Valens tantum Mursæ Episcopus, & Osius Cordubæ, quem Arriani dedita opera ab Imperatore evocandum curarunt, ut gravissimi, & sanctissimi viri auctoritate Nicæni Concilii decreta confringerent. Convocati vero primum Photinum tanquam cum Paulo sententem exploserunt, atque Ecclesia spoliarunt, deinde Athanasii quoque, & Marcelli damnationem confirmarunt, de qua

C sic Sulpicius: *Pars Episcoporum, quæ Arrium sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit, pars coacti metu, & factione in studia partium concesserunt: pauci, quibus fides cara, & veritas potior erat, injustum judicium non receperunt, inter quos Paulinus Episcopus Trevirorum oblata sibi epistola, ita subscripsisse traditur, se in Photini, atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non præbere*. Inde adversus ea, quæ Nicææ, & Sardicæ sancta erant, tres fidei formulas ediderunt, (95) unam Græce, duas Latine conscriptas, quarum in prima Filium Patri neque Consubstantialem, neque substantia similem nominarunt, verum eos, qui

D dicerent, eum sine principio esse, & essentiam Dei velut dilatatam illum procreasse, aut patri honore parem, & non inferiorem sentirent, anathemate jugularunt, in altera vero utrum Filius Patri consubstantialis esset, an substantia similis, differi vetuerunt, quod voces illæ in Scripturis Sanctis non reperirentur, nec facile intelligi possent: præcepere vero, ut omnes confiterentur, Patrem Filio honore, dignitate, divinitate, & ipso nomine paterno majorem esse, Filium vero cum ceteris omnibus creaturis Patri subjectum esse, quam cum edidissent, tanquam inconsulte scriptam revocare, sed frustra, conati sunt: tertia in ceteris cum aliis consentiens, nullam substantiæ mentionem habuit, & Filium Patri similem, omisso substantiæ nomine, dixit. Quibus formulis cum ceteri, tum etiam Osius (96) minis primum, deinde etiam gravibus, ut ferebatur, verberibus adactus assensit. Photinus licet in Concilio victus, tamen opinionem suam post Græcis, Latinisque commentariis editis tueri non dubitavit. Sequens 352
annus ex factione Magnentii Consules habuit Decentium Cæsarem, & Paulum Magnentii ducem, ex parte vero Constantii ipsum Augustum quintum, & Gallum Cæsarem. Eo anno res in Syria gesta est à Gallo cum Judæis, qui rebellaverant, (97) ita prospere, ut non eos solum domuerit, sed etiam urbem eorum Diocæsariam captam solo æquarit. Constantius, contractis demum suis, & Vetrannionis in unum copiis, Sirmio Mursam processit, atque ibi adventu Magnentii in se audito, consedit. Ille vero ex Italia Pannoniam versus egressus, nuncios ad Constantium misit, se in campis, qui ad oppidum Scisciam (98) sunt, sui copiam esse facturum. Quo nuncio erectus Constantius exercitum eo ducere instituit, ut in patente planicie, atque equitatui maxime apta hostem offenderet, verum insidiis à Magnentio ad fauces, quæ Adranis adjacent, circumventus longius ire non po-

(94) Recte h. an. figitur hoc Sirmiense Concilium, *Post Consulatum* nempe *Sergii, & Nigriani*, ut Socr. l. 2. 29., Sozom. l. 4. 6., non autem an. 357., ut Baron. putavit, adversus cujus opinionem V. P. Petav. in doctiss. Animadver. ad S. Epiph., & in Dissert. singulari.

(95) Tres sane Fidei formulæ Sirmii conceptæ fuere, sed diversis longe temporibus, neque omnes in hoc Sirmiensi Concil., in quo solum prima Græce scripta eum 25. Anathematismis, quam Hilar. l. de Synodis ut Catholicam laudat. Athanas. vero l. de Synod. inter Arianorum formulas recenset, qui non tam ad verba ipsa respexit, quam ad Auctores verbis ludere consuetos, & ad altum *Consubstantialis* silentium, à qua voce Ariani abhorrebant, quo Nicænam Fidem labefactarent. Secunda Formula ap. Sirmium edita latino sermone, an. 357., quam Athan., & Hilar. pariter l. de Synod. referunt, non in Conc. Sirmien., sed in conventu paucorum Episcopor., purum putumque sapiens Arianismum ob proscriptam vocem *Consubstantiale*. Tertia tandem Latine conscripta post an. octo, Eusebio, Hypatioque Coss., an. sc. 359, & à Valente, atque Ursacio ad Concilium Ariminense perlata, teste Athanas. l. c., ubi illos exprobrat, quod *cum nonnisi tres, aut quatuor essent, ausi sunt tamen Regulæ Fidei Consules addere*, &c. Qui fœtum esse ejusdem Sirmiensis Concil. tres præfatas formulas existimarunt, secuti sunt Socrat., & Sozom. qui primum, & secundum Sirmiensem Conventum confundere videntur.

E

(96) Uni tantum Fidei formulæ, idest secundæ Osius subscripsit, Hilar. enim l. de Synod. secundam hanc formul. sic inscribit: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium, & Potamium conscriptæ*. Et infra diserte tradit illi formulæ subscripsisse, quæ Omousion, & Omiusion ex æquo damnabat. L. Sever. Sulpit. l. 2. Hist. Sacr. Socrat. l. 2. 31. Ceterum quæ pertulit Osius, quo compelleretur subscribere. L. ap. Ath. epist. ad Solitar. p. 846. Apolog. 2. in fin., ubi invenies, paulo ante mortem Arianam hæresim diris omnibus devovisse.

(97) Hierony. in Chron. ait: *Gallus Judæos, qui, interfectis per noctem militibus, arma ad rebellandum invaserant, oppressit, cæsis multis hominum millibus usque ad innoxiam ætatem, & civitates eorum Diocæsaream, Tiberiadem, & Diospolim, plurimaque oppida igni tradidit*. V. Victor. p. 528. Sozom. l. 4. 7.

(98) *In ripa Savi*, Zosim. l. 2. 48., ubi prælii hujus eventum fuse narrat Plin. l. 3. 23. coloniam Romanam appellat. Syscia Straboni, vulgo Sisech. Ejus meminit Prudent. Od. in Quirinum M. peristeph. Himn. 7. Ad Savum quoque Adranis, vulgo *Dragemel*, ut VVolfango Lat. videtur inter Æmoniam, & Celejam, 25. mill. pass. apud Draburgum.

potuit. Quare elatus Magnentius (99) exercitum in interiorem Pannoniam producere festinavit, cupiens prope Sirmium manum cum hoste conferere. Dum autem ille Savum amnem ponte, an navigiis superet, consulit, Philippus à Constantio legatus advenit, specie, ut de fœdere ageret, re ipsa, ut Magnentii copias, atque illius & itineris, & belli consilia exploraret, quem ille, concione militum advocata, jussit legationem exponere. Tum Philippus: Veni, inquit, ut docerem exercitum, non convenire, ut qui Romanis subjecti essent, adversus Romanos arma ferrent, præsertim imperante Constantio Constantini Maximi filio, quocum multas de barbaris victorias retulissem; Magnentium vero monerem, ut Constantini memoriam coleret, & eorum beneficiorum, quæ ipse cum parentibus suis ab illo accepisset, simulque postularem, ut Magnentius Italia cederet, & Transalpinas provincias cum Imperio retineret. Quæ verba usque adeo Magnentii milites commoverunt, ut ipsum respondere conantem ægre permiserint: dixit tamen se pacem amplecti, ac postridie responsum maturius redditurum; atque ita concione dimissa, ac Philippo retento Præfectos exercitus ad convivium adhibuit, & quid sui consilii esset, edocuit. Postridie vero, cum milites iterum advocasset, commemoravit omnia, quæ Constans in eos per temulentiam statuisset, & ut milites non patientes Rempub. ab eo per scelus, & impudentiam violari, ad se ab illo Imperium transtulissent. Quibus dictis universi bellum persequendum esse clamarunt, atque ad Savum trajiciendi causa procedere instituerunt. Hac re cognita, qui in præsidio Sciscia erant, quæ in ripa Savi sita est, transitum sibi impediendum putarunt, atque alios è ripa amnis, alios è ponte transcendere conantes telorum multitudine repulerunt. Cumque Magnentiani in fugam compulsi de ponte præcipitarentur, atque à Constantianis latissime pellerentur, Magnentius in summum discrimen adductus, hasta humi defixa dextræ nutu significavit hostibus, se de pace agere velle: ubi aures sibi præberi vidit, non Imperatoris injussu se Savum trajicere voluisse inquit. Cui Philippus respondit, ut Italia, Noricoque relicto Illyricum peteret, ac tum demum de fœdere ageret. His acceptis Constantius suos à persequendo revocavit, & Magnentium in campos Pannoniæ medios prodire permisit, quod in locis equitatui opportunis cuperet cum illo confligere, cum esset ea parte superior, ad id vero commodissimos esse putavit campos, qui sunt ad Cibalas, in quibus Licinius quoque à Constantino fuerat superatus. Itaque, cum partem exercitus in oppido haberet, vallo inter collem, qui urbi imminet, & campum, qui Savum attingit, excitato, quidquid flumine cinctum non erat, munivit; quod autem flumine claudebatur, id ponte facto ex navigiis sepsit, ita ut pontem pro arbitrio scindere, atque reficere posset, atque ibi castra oppidi magni similitudinem imitantia posuit. Inde, cum convivium principibus exercitus daret, Titianus Senator Romanus à Magnentio missus advenit, qui multis ad contumeliam Constantini, & filiorum ejus relatis, Constantium Imperio cedere jussit, si vitam referre incolumem vellet. Quibus verbis licet Constantius gravissime esset offensus, hominem tamen ad suos salvum remisit, quamvis Philippum à Magnentio detentum doleret. Magnentius inde, producto exercitu, Scisciam primo impetu cepit, eamque delevit, cumque regiones omnes Savo adjacentes emensus esset, maximamque prædam egisset, Sirmium duxit, ut eam occuparet, verum ab oppidanis, militibusque in præsidio positis repulsus, propositum tenere non potuit. Itaque Sirmio relicto Mursam est processum, ibique acris obsidio instituta. Cum autem oppidani portas clausissent, & in propugnacula distributi oppidum tuerentur, in magnam difficultatem Magnentium adduxerunt, neque machinas, aut tormenta habentem, neque aliam rationem propius ad murum subeundi ineuntem; quod telis, saxisque ab iis, qui de pinnis pugnabant, propelleretur. Hac re cognita Constantius cum universis copiis opem urbi laturus accurrit, Cibalis relictis, & universa regione, per quam Dravus amnis labitur. Magnentius interim, castris propius urbem admotis, ignem portis intulit; verum defensoribus ad restinguendum incendium confluentibus, nihil profecit: ubi vero Constantium sensit adventare, insidias ei hoc pacto paravit. Erat circus ante urbem ab omni parte sylvis opacus, in eo quatuor Gallorum millia posuit, præcepto dato, ut ubi pugnam commissam vidissent, hostes repente invaderent. Quod cum ii, qui in muris hærebant, conspexissent, certiorem fecere Constantium, atque ille, imprudente Magnentio, duces quosdam cum selectissimis ex toto exercitu militibus ad eos delendos immisit. Hi, cum valida manu omnes circi portas obsedissent, in superiorem partem cum alia evecti tela in Magnentianos, qui in circo erant, jacere instituerunt, quorum cum nonnulli, sublatis in capita scutis, ad portas erupturi advolassent, iis, qui in statione erant, prohibentibus, omnes ictibus telorum superne incidentium ad unum confecti sunt. Magnentius inde consilio suo lapsus, pugnam ante urbem cum Constantio omnium gravissimam init (100) multis autem utrinque cadentibus,

(99) Hæc an. præcedenti evenere, sicuti & prælium ad Mursam, quo Tyrannus ad Dravum fluvium superatus fuit à Constantio, sub Autumni exitum; siquidem eo anno Idac. in Fast. habet: *His Coss. bellum Magnentii fuit Mursa die IV. Octob.* Idemque habet Auct. Chron. Alex Philippum ad explorandas Magnentii vires à Constantio missum, Zos. tradit l. c., & inferius narrat, ad pacis conditiones offerendas destinatum fuisse; in quibus ut Gallias obtineret, Zonar. p. 15., qui intelligendus certe de universa Galliæ Præfectura.

(100) Quam describunt præter Zos. l. 2. 50., Julian. Orat. 1. p. 121., & 128. item Orat. 2. p. 298., & 442. Zosimus vero, utrimque plurimos cecidisse solummodo ait, sed superiorem Constantium fuisse fatetur, cap sequ., adeo ut mirum videatur quod Zonar. scribit p. 15., Constantium 30. mill. militum amisisse, Magnentium vero 24. mill. cui neque adhærendum circa Magnentiani exercitus numerum, in quo triginta sex mill. solum recenses, cum Julian. l. c. longe majores copias fuisse dicat. Constantii victoriam L. ap. Socr. l. 2. 27., Sozom. l. 4. 6., Victor. de Cæsarib., & Sever. Sulp. l. 2.

bus, prœlium libenter Constantius diremisset, ne viribus Romanorum debilitatis, Imperium incursionibus barbarorum impune pateret: tanto vero ex utraque parte studio, atque ardore pugnarunt, ut non solum usque ad vesperam, sed etiam usque ad summam noctem dimicando pervenerint, ne tenebris quidem laxationem ullam contentioni præbentibus; ad extremum tamen pars Constantii superior evasit, hostibus in fugam versis, atque XXX. millibus interfectis. Ceterum, fervente pugna, Constantius tanto se committere discrimini veritus, in Basilica Martyrum extra oppidum sita, Valente Episcopo in societatem assumpto, versatus est. Valens autem callide per suos disposuerat, ut quis prœlii fuisset eventus, primus edoceretur, vel ut à Rege gratiam iniret, si prior bonum nuncium detulisset, vel ut vitæ suæ consuleret, si quid secus accidisset. Ita paucis, qui circa Imperatorem erant, metu exterritis, læsoque Imperatore anxio, primus hostes fugere nunciavit, cum Constantius indicem intromitti juberet, Valens, ut reverentiam sibi ascisceret, Angelum sibi nunciasse respondit. Facilis ad credendum Constantius palam postea dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitus victoriam retulisse. Hæc Zosimus, & Severus. Hac pugna pugnata, Constantius prima luce, cum tumulo conscenso subjectam planiciem, & præterfluentem amnem referta cadaveribus conspexisset, illacrymavit, non tam victoriæ lætitia, quam cæsorum dolore permotus, atque universos sine discrimine sepeliri, qui vero spirabant, diligenter curari præcepit. Magnentius autem ubi suos in fugam actos concidi vidit, purpura abjecta (101) & ipse fugam inivit, equo suo regiis insignibus ornato dimisso, ut qui in illum incidissent, Regem interfectum credentes, curam sui quærendi omitterent, ac quanta maxima celeritate potuit, in Italiam se recepit, & Ticinum inivit. Quem Constantii legiones insequutæ, novum prœlium, sed exitu parum prospero commiserunt; sic enim scribit Victor: *Constantius cum Magnentio apud Mursam in Pannonia dimicans vicit, in quo bello pene nunquam amplius Romanæ consumptæ sunt vires, totiusque Imperii fortunæ pessundatæ. Dehinc, cum se Magnentius in Italiam recepisset, apud Ticinum plures fudit incautius, &, ut in victoria solet, audacius persequentes.* Eodem anno Romæ V. Idus Septembris Præfecturam urbis inivit Septimius Mnasea, & VI. Kalend. Octobris Neratius Cerealis. Constantius autem in Pan-
353 nonia remansit, ita ut sequenti anno, ipso

A VI. & Gallo iterum Consulibus, III. Nonas Martias Sirmii fuerit, quod rescriptum inde datum ostendit. (102) Cum autem Magnentium in Galliam ex Italia se contulisse audisset, & ipse eodem ex Pannonia properavit, bellumque multo atrocius ibi, quam in Pannonia, renovavit. Multis prœliis vario utrinque eventu editis, tandem Magnentius in Lugdunensi provincia victus se in proximum collem conjecit. Ibi cum videret, milites suos fractis animis prope de salute desperasse, Tribunal ascendens, verbis confirmare conatus est. Cui cum milites acclamare de more vellent, factum est, ut imprudentes, atque inviti Constantium
B Augustum pro Magnentio salutarint. Quo omine Magnentius consternatus inde cessit, atque ad Montem Seleucum, (103) id oppidi nomen est, venit. Ibi vero cum esset, legatum Ordinis Senatorii virum ad Constantium de concordia misit, quem Constantius explorandi causa venisse ratus, non admisit, deinde Episcopi missi, qui peterent, ut sibi pro milite operam navare liceret, quos item irrito responso dimisit, atque cum exercitu ad eum proficisci contendit, multis ex Magnentii castris ad se transeuntibus. Magnentius, ubi locum non esse veniæ vidit, animo ad bellum converso, exercitum, quoquo modo potuit, novis supple-
C mentis adauxit; &, ut Constantium à se aliò averteret, familiarem suum Antiochiam misit, qui Gallum Cæsarem interficeret, qui postea deprehensus pœnas persolvit. Commisso inde novo ad Montem Seleucum prœlio, Magnentius Lugdunum confugit. Milites, qui fugæ socii fuerunt, cum nullam salutis spem reliquam abscissis, fractisque rebus viderent, ipsum tradere Constantio decreverunt. Itaque diversorio circumsesso, hominem, ne elabatur, custodiunt. Qua re percepta Magnentius desperatione actus furiosi hominis opera edidit. Nam amicos, & propinquos suos, quos circa se habebat, vita exuit, ac Desiderio fratre lethali vul-
D nere affecto, demum sibi manus intulit, ne vivus Constantio traditus supplicio lentiore cruciaretur, quippe, ut inquit Victor, gladio occulte proviso, ictum pulsu parietis juvans latus transfodit, atque, ut erat vasti corporis, vulnere, naribusque, & ore cruorem effundens, expiravit, mense Imperii quadragesimo secundo, ætatis anno quinquagesimo. Hæc VII. Kal. Septembris acta. Decentius Cæsar, cum ad opem ferendam accurreret, cognito illius interitu fasciæ collo implicito vitæ modum imposuit. Desiderius ex vulneribus recreatus sese Constantio tradidit. Hanc victoriam ubi Romæ

Ce-

E

(101) Ita Zonar. l. c. Magnentium autem non insecutus fuit Constantius, hyemis horrore præpeditus, ut Julian. ait Orat. I. p. 69. Vel etiam ob fractas exercitus sui vires, acri adeo commisso prælio.

(102) N. N. l. 8. *de petitionibus* 3. Non. Mart. datam Sirmii ad præsent. an. refert, utpotè præseferentem Consulatum *Constant. Aug. VI.* Sed error certe in numerum irrepsit; siquidem ead. Lex Constantium Cæsarem (Gallum nempe) Consulem exhibet absque nota numerali: primus autem Galli Consulatus cum V. Constantii Aug. concurrit an. 352. suscepto; quo anno quinque aliæ Leges Sirmii pariter datæ exhibentur in Chronol. Cod. Theod. p. 50.

(103) Ita appellat Sozom. l. 4. 7. Socrates l. 2. 32. Μιλτοσέλευκος. In Chron. Causaboniano Μούρς σέλευκος dicitur, in Vocontiis, vulgo *Monsaleon*, in Provincia Delphinatus, Vapincum inter, & Deam Vocontiorum. V. Vales. in Notitia Galliarum. De hoc prælio Zos. l. 2. ne verbum quidem. At meminit Julian. Orat. 2. p. 137. Socr. l. 2. 32., & Auct. Chron. Alex., aliique. Hæc autem contigere anno superiori, quo tandem Magnentius, (cum triennium, & sex menses imperasset, ex Zos. l. c.) se ipsum interfecit, vel *IV. Id. Aug.*, ut Chr. Alex., vel *III. Id. Aug.*, ut Idac. in Fast., vel die *XV.* Aug., ut Socrat. l. c. quo itidem anno Decentius frater apud Senonas laqueo se suspendit, XV. Kal. Sept., ex Idacio.

Cerealis Præfectus orbis audivit, Constantio monumentum cum hac inscriptione locavit: *Restitutori urbis Romæ, atque orbis, extinctori pestiferæ tyrannidis D. N. Fl. Julio Constantio Victori, ac Triumphatori semper Augusto Neratius Cerealis U. C. Præfectus urbi, vice sacra judicans D. N. M. Q. Ejus.* Atque hoc quidem rerum, temporumque successu Imperium terrarum à Constantino Maximo partum, atque inter filios testamento divisum, intempestivo Constantini, & Constantis excessu ad unum Constantium, qui inter illos ætate medius incedebat, recidit universum.

# LIBER SEXTUS.

## CONSTANTIUS AUGUSTUS.

Magnentio justissima victoria cum tota illius factione deleto, Constantins Arelate se contulit, ac Scenicos, & Circenses ludos apparatu maximo edidit, atque inde VI. Idus Octobris, qui dies Imperii ejus annum duodetricesimum (1) finiebat, graviter in omnes animadvertit, quos Magnentio studuisse vel levis suspicio attigisset. Inde VIII. Kal. Decembris ad Cerealem Præfectum urbis scripsit, ut sacrificia nocturna (2) Magnentio auctore permissa aboleret. Interim Arriani post Sirmiense Concilium illud auctoritate Constantii contenderunt, ut Occidentales Episcopi Athanasii damnationi subscriberent, neque id obtinere potuerunt, cum Paulinus Episcopus oblata, ut diximus, epistola, se Photini, & Marcelli damnationi consensum præbiturum dixisset, Athanasii vero abnuisset. Itaque edictum à Constantio elicuerunt, ut qui damnationem Athanasii non probarent, in exilium irent. Quo cognito Catholici conventibus apud Arelate, (3) & Biterras (4) coactis petierunt, ut, priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide disceptarent. Cum autem Valens, & socii ejus prius Athanasii damnationem sanciendam esse contenderent, ob id Constantius Episcopis Orientalibus, & Occidentalibus in insequentem annum concilium Mediolanum, ubi & ipse affuturus erat, indixit. Romæ pridie Idus Aprilis Julius Pontifex obiit, (5) post dies viginti quinque Liberius Diaconus subrogatus est. VI. Idus Decembris Vitrasius Orfitus Præfecturam urbis inivit, ac statim gravi seditione propter summam vini inopiam conflictatus est. In Oriente Gallus Cæsar generis superbia elatus, atque insolentia ætatis provectus, Antiochiæ tetra, ac nefanda facinora est aggressus, cum sua sponte, tum à Constantina conjuge (6) stimulatus, injustæ cædes, bonorum publicationes, exilia, ac denique judicia prorsus sublata memorabantur, dimissi etiam ignoti per urbem homines, qui quæ de illo jactarentur, exciperent, aut falsa referebant, aut vera in majus ornabant, aut certe belli præconia reticebant. Quin etiam ipse noctu cum paucis clam ferro succinctus, per tabernas, & compita vagari instituit, Græco sermone quærens, quid homines de Cæsare Gallo sentirent. Itaque Thalassius (7) tum Præfectus Prætorio, cum neque objurgatione, neque monitione ipsum ab ejusmodi deterrere studio potuisset, omnia ad Constantium scripsit. Qua re Gallus exasperatus, liberius inde, atque audacius libidini suæ indulsit, duces etiam aliquot oppressurus, nisi Honoratus Comes Orientis (8) pertinaciter obstitisset.

(1) Hæc fuere festa Tricennalia; Constantius enim an. 323. *VI. Id. Nov.* Cæsar renunciatus, ut docent Idac. in Fast., Auct. Chr. Alex., & Kalendar. Lambecianum. V Prosper in Chr., qui Eusebium secutus est. Amm. l. 14. 5, ait diem *VI. Id. Octobr.* terminasse *Imperii ejus annum tricesimum*, sed legendum *VI. Id. Novemb.*, qua die Cæsareum iniit Imperium.

(2) Est L. 5. Cod. Theod. *de Paganis*. Diurna namque permittere forsan non ausus, nocturna concessit Magnentius. Constantinus etiam M. Maxentio Tyranno profligato, nocturna Romæ sacrificia sustulisse videtur ex L. 3. ejusd. Cod. *de infirm. his quæ sub Tyr.* Valentinianus postea, diurnis non vetitis, nocturna in quasdam Imperii sui partes invecta prohibere debuit l. 7. *de Maleficis* E. C. V. Zos. l. 4. p. 735.

(3) In hoc Arelatens. Conciliabulo, Ursacio, & Valente instigantibus, ac Saturnino Arelat. Episc. Ariano, Constantius plerosque Orthodoxos Præsules, in quibus Vincentius Sedis Apost. Legatus, compulit damnationi Athanasii subscribere: Imperatoris conatibus invictæ tamen restitit Paulinus Trevirens. Episc., unde exauctoratus, exul apud Phrygiam est amandatus à Constantio. Hujus Conc historiam V. in Liberii P. ep ad Constantium, & ap. Athanas. Apol. 1., Sever. Sulp. l 2. Hist. Sacr.

(4) *Byterras* Galliarum oppidum appellat Sever. l. 2. c. 2. Bibliot sanctæ, ubi de his conventibus agit; vulgo Beziers Sed hoc Concil. an. 356. celebratum, tametsi Sulp. Sev. simul conjungat utrumque conventum. Ad hoc Conciliab, cum Præsules Gallicani a communione Saturnini Arelat. Ep, Valentis, & Ursacii se separassent, ægre ferentes Ariani, compelli curarunt Catholicos Episcopos à Præsidibus. V. quæ Hilar. in l. advers. Constantium, & l. de Synodis.

(5) Julius die VI Febr. an 337. Pontifex creatus sedit an. quindecim, menses duos, dies sex, ut in Catalogo Damasi legitur, ubi subjungitur: *Fuit temporibus Constantis, à Consulatu Feliciani, & Titiani, ex die VIII. Id. Febr, in diem prid. Id. April., Constantio V., & Constantio Cæsare Coss.*, unde anno superiori obiit. Vacavit deinde Sedes mensibus duobus, ac diebus aliquot, ut in eod. Catal., & die *XI. Kal. Junias*, seu potius *Julias*, (qui in Dominicam incidit an. præterito) Liberius suffectus, in cujus morte clarius Pontificatus tempus innotescet.

(6) De qua Amm. l. 14. init. *Megæra quædam mortalis, inflammatrix sævientis assidua, humani cruoris avida*, &c. Is Galli Cæsaris sævitiam c. 7. ejusd. l. commemorat.

(7) Sive Thalassius, antea Comes, ap. Athanas. ep. ad Solitar., a Constantio legatus ad Constantem fratrem Pœtobionem, ut idem prodit Apol. Ad Constantium, init. Ejusdem apud Constantium auctoritatem Zosim. l. 2. testatur, ubi Mursensis prœlii meminit. In Synodo Sirmiensi fuit, ubi Basilius cum Photino disputavit, una cum Datiano, Cereale, & Tauro, teste Epiph. in hæresi 71., jussu quidem Constantii.

(8) Qui paulo ante fuerat Consularis Syriæ, ex Liban. ep. 240. *ad Honoratum*. Fuit postea Præf. P. Galliarum, Eusebio, Hypatioque Coss., ut testatur Hierony. in Chr., & Liban.

tiſſet. Ludicris cruentis, licet vetitis, operam dedit, profecturus Hieropolim, ut expeditioni ſpecie tenus adeſſet, plebi Antiochenæ inediæ metum à ſe deprecanti nihil ex finitimis præberi provinciis ſtatuit, ſed Conſularem Syriæ Theophilum ei dedit, dicens invito Rectore neminem victu egere poſſe. Qua voce plebs animata, ædes ejus incendit, & Theophilum pugnis, ac calcibus inceſſens, prope exanguem reliquit. Quibus rebus ſubinde auditis Conſtantius blande ad Gallum ſcripſit, ac ſenſim adjumenta furoris illi ſubtraxit, ſoliſque ſcholis Palatinis eſſe contentum juſſit, & Domitiano ex Comite largitionum Præfecto mandavit, ut in Syriam profectus, Gallum ad properandum in Italiam hortaretur. Ille vero Antiochiam progreſſus, contempto Cæſare, ad Prætorium cum ſolemni pompa perrexit, ac tandem in conſiſtorium veniens inconſulte, ac leviter Gallo, ut abiret, Conſtantii juſſu præcepit. Qua ille indignitate accenſus, protectoribus fidis mandavit, ut Domitianum cuſtodirent. Hac re cognita Montius quæſtor advocatos primos Palatinarum ſcholarum alloquutus, iram mollire quidem, ſed objurgatoria voce inſtituit. Quare Gallus quamplurimos potuit, quaſi ad ſalutem ſuam defendendam adeſſe contra Montium aſpere in ſe invectum, oravit. Itaque adorti Montium, vinctum in Prætorium adduxerunt, & Domitianum præcipitem per ſcalas egerunt, atque inde ambos conjunctos per urbem traxerunt, ac lacerata corpora in flumen denique projecerunt.

354 Conſtantius inde, ſe ſeptimum, & Gallo Cæſare tertium Conſulibus, Arelate Viennam perrexit, ut Gundomado, & Vadomario fratribus, (9) Alemanorum regibus, obviam iret, qui infeſtis incurſionibus proximos Rheni limites divexabant. Dum autem ibi moratur, militares ex Aquitania commeatus expectans, qui propter ſævientes ex aſſiduis imbribus amnes, venire non poterant, certiora de omnibus Galli actionibus comperit, ac tumultu militari, quem tarditas ſubvectionis effecerat, auro ducibus diſtributo, ſedato, caſtra inde movit, atque Rauracum (10) ad Rhenum acceſſit. Ibi cum pontem ex navibus facere inſtituiſſet, telis hoſtium ex ulteriore ripa inceſſentium prohibitus, deſtitit. Inde alio loco ab indice de vado admonitus, per noctem inchoavit, ſed hoſtes commonefacti primum ad impediendum accurrerunt, inde auſpiciis deterriti, bello omiſſo, pacem petierunt. Qua data, Conſtantius in Italiam ſe recepit, ac Mediolani ſubſedit, ac Gallum cum uxore Conſtantina, punire utrumque cupiens, ad ſe vocavit. Gallus, cum à principio, tum proxime, amiſſa uxore in Bithynia, firmo ſubſidio deſtitutus, quid ſibi facto opus eſſet, addubitavit; verum novis litteris à Conſtantio ad tuendam ſecum Rempublicam invitatus, primum Conſtantinopolim, deinde Hadrianopolim, poſtremo Pætovionem (11) in Noricum adiit: eò vero ubi advenit, Barbatio Comes cum Apodemio Agente in rebus Palatium extra muros armatorum corona circundedit, ingreſſuſque obſcuro jam die, ablatis Regiis indumentis, ipſum tunica, & paludamento communi amicit, identidem mandato Conſtantii jurans, cum nihil detrimenti paſſurum. Inde carpento privato impoſitum in Iſtriam duxit, prope Polam (12) oppidum, ubi Criſpum Cæſarem diximus interemptum. Ibi cum aſſervaretur, Euſebius cubiculi præpoſitus, Pentadius notarius, & Mellobaudes armaturarum Tribunus (13) acceſſerunt, ac juſſu Conſtantii cauſam dicere juſſerunt, quam ob rem quenque apud Antiochiam occidiſſet, quibus ille nihil aliud reſpondit, niſi pleroſque ſe inſtinctu Conſtantinæ necaſſe. Qua re audita Conſtantius eum capitali ſupplicio (14) condemnavit. Ita Gallus, revinctis poſt tergum manibus, tanquam latro, capite truncatus eſt, anno ætatis nono & viceſimo, Imperii quarto, cujus rei nuncium Mediolanum Apodemius detulit. Interim miniſtri Galli ex Oriente ducti, Aquilejam venerunt, ac diverſis pro meritis pœnis affecti ſunt. Quin etiam alii è Pannonia ſecunda, & Sirmio ob improbatum præſentis temporis in convivio ſtatum, Mediolanum adducti, pœnas dederunt. Conſtantius autem adverſus Lentienſes Alemanicos pagos progreſſus, qui in limites Romanos irruperant, ubi in Rhetiam, campoſque Caninos (15) venit, Arbetionem magiſtrum equitum (16) cum meliore exercitus

---

ban. ep. 376. Erat autem tunc Comes Orientis, ſub cujus diſpoſitione erant Orientis provinciæ. Officium Comit. Orient graphyce deſcribit Zoſim. l. 5.

(9) Hæc Vide ap. Amm. l 14. 10., qui L 16. 12. narrat, Gundomadum per inſidias deinde fuiſse interemptum.

(10) Rauracis, præ ceteris eximium oppidum fuit *Rauricum*, ap. Plin l. 4 12. Munatius Plancus, olim Tullii diſcipulus, & amicus, Auguſti auſpiciis coloniam deduxit, ut ex Inſcript. ap. Gruter. p 439 n 8.

(11) Ad Dravum in Pannoniæ finibus. *Petobio* dicitur ab Amm. l 14 c. ult, ſed ap Tacit. l. 3. Hiſt. init. *Petovio*. In Antonini Itiner. ſcribitur, *Pætovio*. Nunc *Petau*, ſive *Pettavv*.

(12) Colchorum *opus antiquum* vocat Strabo l. 5. p. 149, quæ & *Pietas Julia* appellata, ex Plin. l. 3. 18. Fuit Romana Colonia, Mela l 2. 3. Sed juxta Inſulam Flanonam, ſive Flavonam necatum Gallum ſcribunt Socr., & Sozom. Idacius in ipſa Inſ. Flanona. At Flanona non inſula, ſed maritima civitas, in ora Liburniæ ſita non procul à Neſactio, quod prope Polam eſt, ex Plin., & Ptolom.

(13) Armaturæ milites fuere in comitatu Imperatoris, quorum duæ Scholæ memorantur, Armaturæ *ſeniores*, & *juniores*, Notit. Imp. Armaturæ etiam dicti milites, qui ſub Campidoctore erant armaturæ artibus inſtituti, teſte Vegetio l. 1. & 2., eaque pedeſtris, & equeſtris: hanc deſcribit Procop. l. 4. Gothic. in fin de utraque Themiſt. in orat., quæ inſcribitur *Conſtantius*, ſeu de humanitate.

(14) Zonar. narrat, Conſtantium pœnituiſse latæ in Gallum ſententiæ capitis, datiſque litteris, interſectores revocaſse; ſed fraude Euſebii Præpoſiti Cubiculi, peracta cæde, fuiſſe redditas, prodit, p. 17 Chryſoſt. Homil. 15. in Philippenſes Conſtantio hac de re exprobrat crudelitatem. L. Philoſtorg. l. 4 1., Socr. l. 2. 34, & Sozom. l. 4. 7. Unde Reipublicæ cura poſt ſeptuaginta fere annos ad unum relata fuit, ut Victor ait, *de Cæſarib.*, Galli Cæſaris morte narrata.

(15) Horum ſitum Gregor Turon. l. 10. 3. oſtendit, dicens: *Olo dux ad Bilitionem*, *hujus urbis* (Mediolanenſis ſc.) *caſtrum*, *in Campis ſitum Caninis*, &c. Bilitio autem, vulgo *Belizona*, eſt ſupra Verbanum lacum ad fl. Ticinum. Vide Amm l 15. 4.

(16) Qui Conſul proceſſit cum Lolliano an. ſequ., quæſitorque datus Urſicino fuit, & adverſus Julianum cum copiis à Conſtantio præmiſſus. Amm. l. 21. 14.

eitus parte ad margines lacus Brigantiæ relegendos misit. Arbetio profectus, atque in insidias hostium lapsus, vix noctis supervenientis præsidio incolumis eum suis evasit, ac prima luce, redintegratis viribus, in certamen progressus, iterum male pugnavit, multis militum millibus, ac decem Tribunis amissis. Qua re elati Alemani, in Romanorum castra ferocius incurrentes, ex rei indignitate Scutarios (*) cum omnibus suis exciverunt, qui illos adorti, non justo prœlio, sed prædatoriis discursionibus in fugam universos egerunt, atque hac victoria parta, Constantius Mediolanum in biberna recessit.

355 Arbetione inde, & Lolliano Consulatum, Dometio Leonitio Præfecturam urbis, gerentibus, in Gallia Sylvanus tyrannidem (17) eodem tempore & invasit, & perdidit. Hic, cum Galliæ à Germanis assiduis rapinis, atque incendiis vexarentur, peditum magister ad ea mala prohibenda missus, egregie se gerere cum cœpisset, multorum in se invidiam concitavit. Ob eam rem Dynamius Præfectus, ut ipsum everteret, insidias ei paravit, quippe litteras ejus commendatitias ad amicos quosdam nactus, eas incolumi subscriptione delevit, atque hanc sententiam reposuit: Rogare amicos agentes intra palatium, ut se altiora molientem, ac propediem solium principis aditurum juvarent: litteris vero prolatis, idem Dynamius præfectus est, ut hæc pro Imperatore inquireret, ita consistorio habito, omnes, quos ille nominavit, comprehenduntur, & cum litteris ad eum evocandum Apodemius mittitur, qui nullis redditis litteris, in Gallia substitit. Interim Dynamius alias his consentientes confinxit nomine Sylvani, & Malarichi ad Tribunum fabricæ Cremonensis, à quibus ut conscius monebatur, parare propere cuncta; qui lectis litteris non intelligens, quid id rei esset, litteras ad Malarichum misit, obsecrans, ut diceret aperte, quæ vellet. Malarichus suam, & Sylvani vicem solicitus, adhibitis Francis, quorum magna in Palatio multitudo florebat, erectius loqui in apertis insidiis cœpit. Cum autem Constantius rem cognosci jussisset, Florentius agens pro magistro officiorum, animadversis in litteris priorum verborum lituris, rem aliter esse, quam dictarat Sylvanus, Constantium docuit. Ea de causa Dynamius in tormentis est habitus, sed tamen absolutus conspiratione multorum. His rebus cognitis, Sylvanus veritus, ne propter mollem Constantii animum absens damnaretur, Francis magna mercede ad se adductis, Agrippinæ insignia Augustalia sumpsit. Ea res eodem die, inclinante sole, nunciata Mediolanum est, Sylvanum magistrum peditum solicitato exercitu ad Imperiale culmen evectum, consilioque statim in Regiam secunda vigilia convocato, Constantius nuncium ad eum misit, ut accepto Ursicino successore, cum potestate intacta rediret; credebat enim, Sylvanum nescire ea sibi nota esse, quæ gesserat. Ursicinus licet magna festinatione usus esset, tamen famam rerum Agrippinam præcessisse invenit. Itaque, cum nihil palam tentaret, comiter à Sylvano exceptus est. Postridie vero Bracati, & Cornuti (ordinum militarium hæc nomina erant) clam ab Ursicino solicitati prima luce in Regiam irrumpunt, ac Sylvanum extractum ædicula, in quam exanimatus confugerat, multis ictibus confodiunt. Antequam hoc ageretur, Romæ populus in Circo repente exclamavit, Sylvanum esse devictum. Oppresso Sylvano, in socios conjurationis ejus animadversum. Constantius, omnibus seditionibus civilibus ex sententia extinctis, eo magis insolentia est evectus, assentatoribus eum ita instantibus, ut ferri acquiret, cum de se magnifice prædicaret.

Interim Episcopi convenere Mediolanum, (18) sed ex Oriente propter itineris longitudinem pauci, ex Occidente amplius trecenti. Conventu in Dominico constituto, illud à Valente, & Ursacio, qui præcipue aderant, & se jampridem Arrianis reddiderant, ante omnia postulatum est, ut Catholici Athanasii damnationi subscriberent, & communionem cum Arrianis inirent. Qua re audita Eusebius Vercellarum, Paulinus Trevirorum, Hilarius Pictavorum, & Lucifer Caralis Sardiniæ Episcopi, qui constantes in fidei Nicænæ defensione manebant, responderunt, prius de Sacerdotum fide agi oportere; compertum sibi esse, quosdam ex iis, qui adessent, hæretica labe pollutos esse, quamobrem æquum censere, ut ante omnes fidem suam scripto exponerent. Qua sententia dicta, Dionysius Mediolani Episcopus tabulas statim arripuit, ac scribere fidem suam instituit. Quod ne faceret, Valens, & Ursacius insensi, calamo, & charta ex manibus extorta, probibuerunt, ac mox, cum clamore ex omni parte orto, populi judicium, ad quod deduci res videbatur, timerent, conventum è Dominico in Palatium transtulerunt. Illinc epistolam Constantii nomine emittunt omni pravitate refertam, eo consilio, ut si eam æquis auribus populus accepisset, qui Catholicam fidem egregie conservabat, capita publica auctoritate proferrent, sin minus, omnis in Constantio culpa hæreret, sed ea venia digna, quia etiam tum Catechumenus Sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire. Ibi Catholici a Constantio jussi, ut postulata perficerent, haud quaquam se facturos dixerunt, quod ab Ecclesiasticis alienum legibus foret. Quibus

(*) Qui inter Palatinas scholas recensentur in Notit. Imper. Scholæ primæ, & secundæ Scutariorum Amm. l 25., & 26, & Zosim l. 3 meminere. Erant & scutarii clibanarii, ex L. 9 Cod. Theod. *de ann. civica*, & Scutariorum sagittariorum.

(17) Is Boniti filius, genere Francus, ut Amm. l. 15. 5. paulo ante Mursense prælium a Magnentio ad Constantium una cum militibus suis transierat. L. Julian. Orat. 1. *ad Constantium*, & Aur. Vict. De Silvano narrat Amm. l. c. 6., illum die quinto antequam infulas susciperet principatus, donasse stipendio milites, & Constantii nomine adlocutum.

(18) De hoc Conc. Mediolan. L. Socr l. 2. 29. Sozom l. 4. 18, & Theodor. l. 2. 15. Socrates autem, ex quo A N, in eo falsus, quod Paulinum Trevirensem jam antea exulem (ut superius observatum) huic Concil. interfuisse scribit. Quænam vero fuerit Constantii tyrannis in Synodo, paucis, sed apte declarat Athanas. ep. ad Solitar., ubi, eundem, ait, *induisse imaginem* Antichristi; *quis enim videns eum in decernendo principem se facere Episcopum, & præsidere judiciis Ecclesiasticis, non merito dicat, eum illam ipsam abominationis desolationem esse, quæ à Daniele prædicta est?*

bus Constantius : Atqui mea mandata pro lege habenda sunt, inquit, aut obtemperate igitur, aut in exilium ite. Tum illi, Atqui Regnum tuum non est, sed Dei, qui tradidit : vide autem etiam, atque etiam, ne qui dedit, eripiat, atque extremi judicii memor, cave, ne morem Ecclesiasticum solvas, atque Imperium in Ecclesiasticas constitutiones inducas. Quibus verbis Constantius exacerbatus, ipsos plura dicere inhibuit, atque in exilium abire præcepit. Illi vero læti, quod veritatem non prodidissent, pulvere excusso, atque oculis in Deum conversis, abierunt. Rhodanius quoque, & Dosanus Antistes, quia natura lenior, non tam suis viribus, quam Hilarii societate, non cesserat Arrianis, eadem calamitate oppressi sunt, cum tamen parati essent, Athanasium à communione suspendere, modo de fide inter Episcopos quæreretur. His pulsis Arriani inde se in Liberium Romæ Pontificem alacres intulerunt, nulla, ut inquit Athanasius, verecundia ducti, vel quod illa Sedes Apostolica esset, vel quod Roma caput Imperii existeret, vel quod Episcopos Romanos Apostolicos viros in suis litteris appellassent, atque Constantium, ut ipsum ad se traduceret, induxerunt. Eusebius Eunuchus propere ab illo Romam cum litteris, & muneribus hujus officii gratia missus est, is profectus Liberium primum mitibus verbis hortatus est, ut contra Athanasium subscriberet, & cum Arrianis communionem iniret, deinde oblatis donis rogare cœpit, ut hanc Constantio veniam daret. Liberius facere se posse negavit, ut eum damnaret, qui à duobus Conciliis insons judicatus, & à Romana Ecclesia cum pace dimissus fuisset, neque enim ullum ejusmodi à Beato Petro traditum institutum habere, quod si Constantius scripta pro Athanasio deleri vellet, etiam quæ adversus eum essent, obrueret, ac rursus Ecclesiæ conventus longe à Palatio haberetur, in quo neque Imperator, neque Comes, neque Judex minabundus assisteret, sed sola Apostolorum institutio servaretur, ac fide ex Nicæni Concilii sententia constituta Arriani ejicerentur, neque enim locum in conventu Ecclesiæ hæreticis patere, neque fas esse, prius de criminibus alicujus quam de fide, & religione, tractari. His verbis Eunuchus anxius, minis multis editis, cum muneribus abiit, eaque in Sancti Petri Basilica consecravit. Quod ubi Liberius comperit, æditiuum graviter, quod impedimentum non attulisset, increpuit, atque in Basilicam profectus, dona illa, tanquam execranda, projecit. His de rebus Constantius ab Eunucho certior factus, ira tumidus Eunuchos, & Palatinos, & Comites Romam ire mandavit, litterasque ad urbis Præfectum scripsit, ut Liberium ad Comitatum suum aut dolo, aut vi mitteret. Eis Romam progressis, ingens in urbe tumultus est excitatus, omnibus, qui secus sentirent, insidias sibi ab Arrianis imminere timentibus. O rem non solum dictu, sed etiam auditu fœdissimam! Eunuchis hæresim Arrianam foventibus, atque in Templis Romæ sedentibus Pontifex Romanus, quia ab illa sententia esset aversus, jussu Constantii Imperatoris, filii Constantini Maximi, Arrianæ factionis inimicissimi, capitur, & tanquam nefarii sceleris reus, Mediolanum adducitur. Ille vero salutem suam Christi honori sic, majorum suorum exemplo, posthabuit, ut coram Constantio positus eandem in dicendo constantiam retinuerit, qua usus cum Eusebio fuerat, siquidem ita dixit: (19) Desine Constanti Catholicos insectari, atque hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere per me absiste, ego enim omnia supplicia prius subire paratus sum, quam ut Arrianus appeller. Hæc ex Athanasio, Hilario, & Sulpicio ad Concilium Mediolanense pertinentia sumpsimus. Theodoritus autem longius de Fide colloquium Liberii cum Constantio habitum refert, quod legere est operæpretium. Hoc sermone absoluto, Constantius efferatus Liberium quoque Beroeam in Thraciam relegavit, cumque abeuntem quingentis aureis nummis muneravit, quos magno animo Liberius respuit, inquiens: Dato hos assentatoribus tuis, qui te depravarunt, & à Patris tui viri Sanctissimi imitatione deterruerunt, mihi namque Christus Patri consubstantialis largitor non deerit. His omnibus in exilium fidei causa profectis, statim successores suffecti sunt, Liberio Romæ Felix Archidiaconus, (20) Dionysio Mediolani Auxentius Cappadox, itemque aliis alii. Felicem autem, quia contra sacramentum Sedem illam iniverat, Auxentium, quia Arrianæ addictus perfidiæ erat, populus aversatus est. Ab hoc tempore Italia, quæ adhuc intacta ab Arriana labe fuerat, sensim corrumpi est cœpta. Episcopi vero exules summis omnium provinciarum studiis celebrati pecuniis in sumptum abunde donati, ac legationibus plebis Catholicæ in omnibus partibus culti prope quotidie in ipsa calamitate de adversariis triumpharunt. His actis Constantius audiens, Gallias assiduis adhuc Germanorum incursionibus afflictari, quod putaret, haud satis tutum esse, se Italia cedere, Julianum Galli fratrem, Cæsarem sibi statuit adjungere, qui nuper palliatus ex Græ-

(19) L. Dialogum, quem cum Liberio habuit Imperator, à Theodoreto relatum l. 2. Hist. Eccl. 16., unde Liberii constantia tam in Nicæna Fide tuenda, quam in Athanasii innocentia declaranda innotescet ad exilium usque; Constantio namque respondit: *Leges Ecclesiasticas observare, pluris faciendum censeo, quam Romæ domicilium habere*.

(20) Felicem verum fuisse Pontificem Perronius in Responsione ad M. Britanniæ Regem, Bellarm. in Defensione Felicis Papæ, & Heschen. in App. T. 3. mens. April. ostendere conantur ex antiquo Pontificum Catalogo, & ex inscriptione Sarcophagi reperta an. 1582., Gregorio XIII. P. M., *Hic jacet corpus S. Felicis Papæ, & Martyris, qui Constantium Hæreticum damnavit*. Non desunt tamen, qui S. Felicem (de quo in Sacramentar. D. Gregor.) primum esse putant, sub Aureliano Imp. passum, an. D. 274., proindeque censent (nescio an satis validis argumentis) Felicem Liberii successorem ab Arianis intrusum, & Constantii favore, ut innuit Athanas. ep. ad Solitar., cui A. N. adhærere videtur, præsertim quia Aug. ep. 165. R. PP. seriem texens Felicem tacet, Damasum Liberii successorem constituens, quod & Opt. Milevit. l. 2. contra Parmenian. præstitit.

Græcia venerat, (21) juvenem bonarum studio litterarum, ac Christianæ tum pietatis laude florentem. Itaque VIII. Idus Decembris advocatis militibus, Tribunal ascendens, & Julianum dextra tenens, ita dicere instituit: Neminem vestrum latere arbitror, post extinctos tyrannos mihi barbaros insolentius insultare, quod in remotissimis terris alienis negotiis illigatus sim, huic ego malo illud remedii excogitavi, ut Julianum fratrem patruelem meum spectatæ modestiæ, atque industriæ juvenem Cæsarem dicam, si vos expedire Reipubl. censueritis. Silentio inde omnium consequuto, Julianum purpura induit, ac secundis clamoribus favente concione Cæsarem appellavit, (22) eumque sibi laborum, periculorumque adesse socium jussit, atque ei mox Galliarum tutelam commisit. Quæ omnia milites horrendo fragore scuta genibus illidentes (23) præter paucos approbavere. Inde post paucos dies ad firmandam fidem Helenam sororem illi matrimonio copulavit. Quibus rebus actis, Julianus Kaland. Decambris Mediolano egressus est, atque usque ad locum duabus columnis insignem, (24) qui est inter Laumellum, & Ticinum, à Constantio deductus, recta inde Taurinum contendit, ubi Agrippinam urbem pertinaci Germanorum obsidione captam, atque deletam accepit. Viennam inde progressus magno ab omnibus honore exceptus urbem inivit; tunc anus quædam capta luminibus cum percontando, quinam esset ingressus, Julianum Cæsarem comperisset, exclamavit, hunc deorum Templa reparaturum. Quod verum vaticinium fuisse rei eventus probavit: siquidem is, sacris Christianis relictis, post sese ad deorum gentilium cultum recepit. Viennæ inde hiberna agens à Constantio VIII. Consule collega asciscitur, Vitrasio Orfito secunda urbis Præfectura manda-
356 tur Eo anno ineunte vere Germani Augustodunum muris invalidis oppidum, torpen re ad defensionem præsidio, invaserunt; verum, veteranis propere accurrentibus, statim exire coacti sunt. Quod ubi Julianus accepit, VIII. Kal. Julias (25) exercitum Augustodunum adduxit, ut inde Germanos adoriretur. Itaque egressus, adhibitis cataphractis (26) solis, & balistariis, (27) Antisiodorum pervenit: inde, recreatis militibus, ad Tricassinos iter intendit, atque hostibus in se irruentibus egregie vindicatis, Tricassas inopinatus inivit. Inde, Rhemos nihil prolatandum existimans, tendit, ubi convocatum Vesontione exercitum semet jusserat operiri, cui præerat Marcellus, & Ursicinus. Ibi cum placuisset, per Decempagos Alemanorum plebem invadere, iter die nubiloso ingressus, parum abfuit, quin magnum detrimentum acceperit: nam hostes legiones duas post terga sua adorti, pene delessent, nisi socii auxilio subito accurrissent. Audiens inde Alemanos Argentoratum, Brotomagum, Tabernas, (28) Salisona, (29) Nemetas, Vangionas, & Maguntiacum possidentes eorum agros incolere, oppida vero, ut circundata retibus lustra, (30) vitare, primum omnium Brotomagum occupavit, atque accurrentem Germanorum manum acri prœlio edito ita fregit, ut qui superfuerunt, fuga sibi salutem quæsiverint. Inde Agrippinam cum venisset, nullo negotio recuperavit, neque inde ante discessit, quam Franci, furore mitescente, perterriti pacem firmarunt. Quibus rebus actis inde per Treviros ad Senonum oppidum in hiberna discessit. Hæc auctore Ammiano tradidimus. Ceterum prœlium aliud apud Vangionas commissum esse invenio apud Severum, ubi de S. Martino Sabariensi militarem tum operam Cæsari Juliano navante loquitur: *Irruentibus*, inquit, *intra Gallias barbaris, Julianus Cæsar, coacto in unum exercitu, apud Vangionum civitatem donativum cœpit erogare militibus, ut est consuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tum vero opportunum tempus existimans, quo peteret missionem (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donativum non militaturus acciperet.) Hactenus, inquit ad Cæsarem, militavi tibi, patere, ut nunc militem Deo. Donativum tuum militaturus accipiat. Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tum vero adversus hanc vocem*

(21) Ex Achaja nempe, ut Ammi. l. 15. 8. Zos. l. 3., & Liban. in Orat. Consul. accitum ex ipsa urbe Athenis, quod & Julianus ipse tradit ep. ad ordinem, & Populum Atheniens., ubi in discessu ubertim se flesse testatur.

(22) Peracta hæc nuncupatio *VIII. Id. Novemb.*, ex Amm. l. 15. 8., & Idac. in Fast., non autem VIII. Id. Octob., ut male Auct. Chr. Alex., & Fasti Siculi. Idque peractum Mediolani tradit Hieronym. in Chron.

(23) *Quod est prosperitatis indicium plenum: nam contra cum hastis clypei feriuntur, iræ documentum est, & doloris.* Amm. inquit l. c.

(24) In Itiner. Burdigalensi legitur: *Mansio Laumello milia X. mutatio Duriis m. IX. Civitas Ticino m. XII.* Durnum, modo Adurnum, ut ex vestigiis columnarum probat Anonym. Mediolanensis, Dissert. Chorograph. de Ital. Med. Ævi, Colum. 127. m.

(25) Recte; Julianus enim ep. ad ordinem, & Pop. Antiochen. ait: *His ad eum modum dictis modum perfectis, circa æstivum solstitium* (non hibernum ut volunt Interpres) *proficiscendi ad Gallicanos exercitum facultatem mihi concedit, habitum & imaginem ipsius circumlaturo.* Nam ab æstivo solstitio Gallicani milites in expeditionem proficisci solebant, ex Ammian. l. 17.

(26) De cataphractis, eorumque armatura affatim Heliodor. l. IX. Suid. in voce *ἱππικοί*. Vide Brisson. de Reg. Persar. Notit. Imp., & Veget. l. 2.

(27) A Veget. l. 2. c. 2. inter levem armaturam recensentur, & a funditoribus distinguuntur, quamvis non eos distinguat Lips. l. 3. Poliorcetici. Ballistarii nomen hic numerum exprimit militarem, quorum mentio in Notit. Imp. sub Duce Mogontiacensi.

(28) Cluer. l. 2. 12. de antiqua Germania Tabernas Rhenanas hic intelligendas censet. Sed cum ab Ammiano l 16 2. ponantur ante Salisonem, Tabernæ Alsaticæ potius existimandæ cum Valesio; non autem ullatenus Tabernæ inter Navam flumen, & Nivomagum Mosellarum.

(29) In Antonini Itiner., & Tabula Theodosiana dicitur, *Saletio*, & in Notit. Imp., ubi sub dispositione Ducis Mogontiacensis. Est *P. militum Pacensium Saletione*. Sed Amm. l. 16. 3. est Saliso.

(30) Ex Amm. hunc loquendi modum A. N. accepit. Horrebant clausa, atque constructa oppida hi barbari, quos 45. urbes captas diruisse, testatur Liban. Orat. Consul. ad Julian., & Julian. ipse ep. ad Athenien. Zosim. quoque urbes ad Rhenum sitas 40., ab Alamann., Francis, & Saxon. eversas l. 3. memorat. Vide Amm. l. 16. 4.

Digitized by Google

*vocem tyrannus infremuit, dicens, eum metu pugnæ, quæ poſtero die erat futura, non religionis gratia, detrectare militiam. At Martinus intrepidus, immo illato ſibi terrore conſtantior: ſi hoc, inquit, ignaviæ aſcribitur, non fidei, craſtina die ante aciem inermis adſtabo, & in nomine Domini Jeſu, ſigno Crucis, non clypeo protectus, aut galea hoſtium cuneos penetrabo ſecurus. Retrudi ergo in cuſtodiam jubetur, facturus fidem dictis, ut inermis barbaris objiceretur. Poſtera die hoſtes legatos de pace miſerunt, ſua omnia, ſeque dedentes.* Dum autem Julianus in oppido Senonum fuit, Germani, cum ex perfugis cognoviſſent, nec Scutarios, nec Gentiles in caſtris adeſſe, oppidum aggrediuntur; verum Juliano ſtrenue ſemet, atque oppidum defendente, poſt triceſimum diem conatu irrito diſceſſerunt. Marcellus magiſter equitum (31) infamia flagravit, quod neque Cæſari, neque civitati periclitanti ſubvenerit, qua re cognita Conſtantius eum dimiſit. Interim Conſtantium Romam viſendi, ac triumphi agendi cupido inceſſit, quo populo Romano pacato, ut rarum, ſic viſendum magnificentiſſimæ pompæ ſpectaculum oſtentaret. Itaque poſt VIII. Idus Martias (nam eo die Mediolani reſcripſit (32)) ſecunda Orfiti Præfectura, (33) via Flaminia iter ingreſſus magnis ſtipatus agminibus, Ocriculos (34) omnibus admirandus advenit. Ubi vero ad urbem acceſſit, mirari ſingula occurrentia oculis cœpit, ac Senatum quidem, & patricios ſpectans, aſylum totius Mundi (35) adeſſe exiſtimabat: plebem vero intuens, quidquid eſſet hominum, Romam confluxiſſe putabat. Præeuntibus inde ſignis aureo carpento ſolus inſidens, ac micanti gemmarum ſplendore longe, lateque fulgens inivit: aderat utrinque ordo geminus armatorum clypeatus, atque criſtatus, nitidis loricis indutus, nec non equites clibanarii thoracum tegminibus ſepti, & limbis ferreis cincti, ipſe vero fauſtis populi vocibus Auguſtus ſalutatus, alto vocum ſimul, lituorumque fragore cohorruit, atque immobilem ſe, qualis in provinciis viſebatur, exhibuit: nam & corpus perhumile curvabat, portas celſas ſubiens, & velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra, nec leva vultum flectebat, nec ſpuens, aut os, aut naſum tergens, vel fricans, manumve movens. Poſtquam in forum venit, primum ipſius fori claritate, deinde, quocumque ſe oculi intulerunt, miraculorum crebritate obſtupuit. Nobilitatem in curia, populum pro Tribunali cum appellaſſet, inde in Palatium ingenti omnium favore receptus eſt. Sequentibus diebus cum equeſtres ederet ludos dicacitate plebis oblectatus eſt, haudquaquam à libertate inſita deſciſcentis. (36) Luſtrans inde urbem quidquid primum videbat, id inter omnia eminere putabat, Jovis Capitolini Templum, Thermas, Amphitheatrum, Pantheon, Forumque Pacis, & Pompeji Theatrum, & Odeum, & Stadium, (37) aliaque inſignia urbis Romanæ ornamenta. Cum ad Forum Trajani veniſſet, ſingularem in terris ſtructuram eſt admiratus; omni vero ſpe ejuſmodi quidquam conandi abjecta, Trajani equum locatum in atrii medio, qui ipſum principem vehebat, imitari ſe velle, & poſſe dixit: cui prope aſtans regalis Hormiſda, (38) homo Perſa: Ante, inquit, Imperator, ſtabulum tale condi jubeto, ſi vales: equus, quem fabricare conſtituis, ita late ſuccedat, ut iſte, quem videmus. Idem rogatus, quid de Roma ſentiret, id tantum ſibi diſplicuiſſe reſpondit, quod didiciſſet, ibi quoque homines mori. Multis demum cum ſtupore viſis, de fama conqueſtus eſt, quod ornans omnia ſemper in majus, in iis, quæ Romæ eſſent, explicandis obſoletior eſſet. Ut autem adventum ſuum aliquo inſignem monumento relinqueret, ceteris urbis ornamentis addere ſtatuit in proximo circo obeliſcum. Poſt Liberii Pontificis exilium, Felix, qui in ejus locum ſucceſſerat, licet Nicæna in fide conſtanter permanſerat, tamen cum adverſariis quoque communionem habuerat. Qua de cauſa Romanorum nemo Eccleſiam, illo præſente, inire voluerat. Hoc autem tempore Matronæ Romanæ mirifico Liberii ſtudio incitatæ, permittentibus viris ſuis, Conſtantium adierunt, eumque ſummis precibus obteſtatæ ſunt, ut civitati paſtore orbatæ, atque inſidiis luporum objectæ Liberium reſtitueret, quibus ille reſpondit, Liberio non eſſe opus, cum Felix adeſſet; cumque ab iis accepiſſet, Felicem omnibus non eſſe probatum,

ſe

(31) Aſtu quidem Conſtantius Marcellum veluti cuſtodem Juliano tradiderat una cum Salluſtio, quibus belli totius adminiſtrationem demandarat, ex Zoſ. l. 3. & Eunap. ap. Suid. Quam artem novit Libanius Orat. fun. Juliani p. 271., & Orat. Conſul. Amm. l. 16. 3. inquit de Marcello, quod *periclitanti Cæſari diſtulit ſuppetias ferre*, quamvis ageret in ſtationibus proximis.

(32) Dedit nempe l. 2. *de Legat.*, l. 6. *de Paganis* Cod. Theod., atque alias ibidem, uſque ad III. Id. April. quo data L. 8., & 9. *de Prætorib.*

(33) Primam Præfecturam urbanam geſſerat Orfitus, Conſtantio Aug. VI., & Conſtantio Cæſare 2. Coſs., ex Marcellino l. 14., & in Fragm. Faſtor., quod primus edidit Cuſpinian. Utramque memorat Symm. l. 1., ep. 1., & alibi ſocerum ſuum fuiſſe teſtatur.

(34) Ita Strabo; at Livi. l. 20. 21. Ocriculum habet, item Plin. l. 6. ep. 25., & Ptolomæus.

(35) A Marcellino id ſumpſit A. N., ille autem à Tullio l. 2. de Officiis dicente: *Regum, populorum, nationum portus erat, ac refugium Senatus*. Et in Orat. pro Sextio; idem exprimere videtur.

(36) Hæc eadem libertas parum grata fuit Diocletiano: unde vix Vicennalibus Romæ habitis ſtatim diſceſſit, ex Lact. l. de Mort. Perſecutor. 17. Populus enim R. adorationi Imperatoris, & Domini appellationi aſſueſcere nequiverat. Vide qui Populi R genius erga Impp. ap. Nazar. in Panegyr. ad Conſtantin., & Claud. in 6. Conſulat. Honorii.

(37) Odeum, theatri ſpecies erat Athenis, in quo certamina muſica ſpectabantur, quod deſcribit Plut. in Pericl. p. 160. V. A. N. de Rep. Athenar. IV. 3. Quatuor Romæ erant Odea, de pr. in Aventino Monte Cicer. Att. IV. 16. de aliis V. Nardin. Rom. Vet. 6. 10. Amm. l. 16. 10., (ex quo hæc A. N.) de illo loqui videtur, quod prope Pompeji theatrum erat. *Stadium* autem *ita figuratum eſt, ut poſſint hominum copiæ cum laxamento athletas certantes ſpectare*, inquit Vitruv. 5. 2., meminit Cic. Tuſc. Quæſt. 2. 23. Svet. in Domitian. *excitavit, & ſtadium*.

(38) Hunc Marcelli. è Perſide abſceſſiſſe narrat l. 16., quem Optimates Regno excluſerunt tametſi natu majorem, Saporem defuncto Narſeo ſubſtituentes; unde is ad Conſtantinum confugit, teſte Zoſ. l. 2.

se illis permittere dixit, ut Liberium haberent, qui partem alteram regeret. Quod edictum in circo recitatum populus joco elusit, atque unum Deum, unum Christum, unum Episcopum esse clamavit. Demum consilio cum Episcopis, qui secum erant, communicato decrevit eum revocare, si cum suis Episcopis consentiret. Quamquam autem Constantius Romæ diutius esse cupiebat, audiens tamen, Suevos Rhætias incursare, Quadosque Valeriam, & Sarmatas superiorem Mœsiam, & secundam populari Pannoniam, (39) tricesimo, postquam ingressus est, die IV. Kal. Junias ab urbe profectus, (40) per Tridentinum saltum in Illyricum properavit, ac misso in locum Marcelli Severo, ad se Ursicinum vocavit, eumque cum ad se Sirmium venisset, in Orientem cum dignitate magisterii misit.

357 At Julianus, exacta apud Senonas hieme, Constantio nonum, seque iterum Consulibus, tumultibus Germanicis excitus, Rhemos contendit, lætus, quod exercitum regebat Severus, cui se ex altera parte adjunxit Barbatio, qui post Sylvani interitum promotus ad magisterium peditum, ex Italia cum XXV. millibus (41) armatorum Rauracum venit. Quo facto decretum est, ut sævientes solito vehementius Alemani à duobus Romanorum exercitibus compulsi in angustias cæderentur. Quæ consilia dum coquuntur, illi occulte inter bina castra transgressi, Lugdunum invasere, & cum clausis portis ingredi nequivissent, suburbanis omnibus pervastatis, abiere. Qua re cognita Julianus tribus itineribus, quibus hostes regredi posse comperiebat, magna militum manu insessis, recepta præda, omnes oppressit, præter eos, qui per vallum Barbationis transivere. Per eosdem dies exercituum Roman. adventu territi hostes, qui cis Rhenum consederant, alii difficiles vias, cæsis ingentibus arboribus, obsepserunt, alii Insulis, (42) quæ in Rheno sunt, occupatis, Romanos appetiverunt. Quibus Julianus permotus, ad corripiendos aliquot septem naves à Barbatione petivit, ex iis, quas ad conficiendos paraverant pontes, qui, ne quid à se impetraretur, omnes incendit: doctus inde ab exploratoribus modo captis amnem, æstate jam adulta, transiri posse, Canutorum Tribunum Bainobaudem cum delecta militum manu misit, qui modo per brevia incedentes, modo scuta in modum alveorum supponentes, nando ad proximam insulam accessere, ac tanquam pecudes sine ullo sexus, ætatisve discrimine omnes stravere, atque inde præda onusti incolumes rediere. Qua re animadversa Germani, relictis insulis, bona omnia trans fluvium contulerunt. Inde Julianus Tres-tabernas (43) ab hostibus dirutas restituit, quo loco munito, satis constabat, Germanos ab intimis Galliis adeundis facile prohiberi. Dum ille huic operi intentus studet, Germani Barbationem cum exercitu, cui præerat aggressi, fugientem Rauracos usque persequuti sunt, & rapta sarcinarum, & jumentorum cum calonibus parte maxima, ad sua se retulerunt, ac Barbatio, (44) tanquam expeditione prospero eventu confecta, milite in hiberna dimisso, ad Constantium rediit, Julianum conficto crimine obruturus. Qua re cognita Alemanorum Reges Chonodamarius, & Vestralpus, & alii, (45) collatis in unum viribus, ad Argentoratum oppidum consederunt, quin etiam perfugæ verbis impulsi, qui armatorum tantum tredecim millia cum Juliano remansisse docebat, missis ad Julianum legatis, mandarunt, ut agris absceederet virtute, & ferro sibi quæsitis, qui ira incensus, legatos usque ad perfectum castrorum opus retinuit, inde Argentoratum adversus eos copias, quas habebat, eduxit pedestres, atque equestres, inter quas cataphracti, & sagittarii, genus armatorum formidabile (46) versabatur. Et quoniam à loco, unde Ro-

(39) Divisa Pannonia in superiorem, & inferiorem. Ptolom. l. 2. 15., & 16. Dio Cass. l. 49. p. 413., & terminum inter utramque Ptolomæus posuit *divertigium Arabonis fluvii*. Superior *prima* dicta, inferior *secunda*, in qua Sirmium, Cibalis, & Mursa. Vide Notit. Imper. Ea tamen divisio innotescere nequit ex Tacito, Svetonio, Vellejo, & utroque Plinio, qui de Pannonia tamquam una loquuntur.

(40) *Tricesimo postquam ingressus est die*, inquit Amm. l. 16. 11., sed an. sequ. consignandus Constantii in Urbem adventus; Idacius enim sub Consulatu Constantii IX., & Juliani C. II. ait: *Et introivit Constantius Aug. Romam IV. Kal. Majas, & edidit XXXV.* Et certe in an. sequ. incidunt Quinquennalia Septima Imperii Cæsarei Constantii. Uno itaque, eodemque mense triomphum, & Tricennalia celebravit. Vide Hierony. in Chr., & Chron. Alex., necnon Themist. Orat. 13.

(41) Ita Amm. l. 16. 12. Libanius tamen in Orat. funebri, ubi universam hanc Historiam describit, triginta millia militum cum Barbatione missa recenset a Constantio, qui omne studium contulit, quo expeditio illa feliciter cederet, remoto Marcello, *qui vir timidus adversus hostem, erga Romanos vero insolens* erat, ut Liban. ibid., suffectoque in ejus locum Severo, qui & *vir bonus, & artis bellicæ peritus erat*.

(42) Cluverio insulæ sunt circa Basiliam l. 2. de Germ. 18. Illarum meminit Liban. Orat. fun., & Marcellin. l. 16. 12. à quo A. N. hæc desumpsit.

(43) Cluverius l. 2. Germ. 18. Tabernas Rhenanas intelligendas hic putavit, at Scaliger l. 1. Ausonianar. lection., & Petavius in Not. ad Juliani epist., Tabernas in Elsatia prope Argentoratum, & Salisonem rectius intelligunt, deisque locatum hic Julianum, & Marcellinum volunt, ex quibus hæc A. N. exscripsit.

(44) Hic sive Juliano infensus, sive Constantii mandato, qui Juliani gloriæ invidebat, non eam, quam par erat operam, huic bello præstitit. Liban. Orat. fun. ait: *Veritus Constantius, ne Cæsar in partem victoriæ veniret, mandat Barbationi, ne Cæsari jungeret copias, sed solus Rhenum trajiceret*. Socr. l. 3., & Sozom. l. 5. init. addunt, famam fuisse, Constantii animum eo collimasse, ut Julianus difficillimo eo bello interiret, quamvis uterque Scriptor hanc suspicionem amolliri conetur.

(45) Urius nempe, Ursicinus, Serapion, cum Svomario, & Hortario, quorum meminit Amm. l. 16. 12., qui omnes stimulabantur à Chnodomario, per quem victus antea Decentius Cæsar, a Magnentio ad tuendas Gallias missus. *Isque belli totius nefarius incentor*. Amm. 16.

(46) Per eam ætatem, ut ostendit Procop. l. 1. init., qui *Persica* inscribitur, ubi ait, sagittarios, ut quemcumque sagitta percussissent, statim mortem intulisse, nec scuto, nec lorica teli impetum retardante. Lorica, & ocreis genuum tenus contecti ensem sinistro lateri gestabant appensum: aliquibus etiam hasta addita, brevisque super humeros clypeus absque ansa, quo vultum, & cervicem tegere possent,

A Romana promota sunt signa, unum & viginti millia passuum usque ad castra hostium aberant, rationibus eorum consulens, ab impetu revocavit, atque eos officii, & quid ipse animo moliretur, edocuit, hortans, ut pugnandi ardorem in posterum continerent, quo integrum diei spatium ad confligendum haberent; nam si illo die, vergente jam in Occasum Sole, in aciem descendissent, prœlium in noctem esse cum maximo eorum detrimento incursurum. Verum milites præliandi cupiditate flagrantes, ipsum ultra loqui non permiserunt, ac dentibus infrendentes atque hastis scuta illidentes, in hostem se duci jam conspicuum B obsecrarunt. Quibus ut obsequeretur Julianus, Florentii Præfecti prætorio effecit auctoritas, seditionis militaris, nisi præsenti ejus cupiditati pareretur, periculum proponentis. Itaque tanta exercitus contentione victus, castra ad collem promovit molliter editum, opertum segetibus jam maturis, non longe à Rheno distantem, è cujus vertice speculatores tres ad hostes accurrerunt, Romanum adesse exercitum nunciantes, unus vero pedes, qui sequi non potuit, captus à Romanis retulit, Germanos per triduum, & trinoctium flumen transisse. Quos ubi aciem struere ad capessendum prœlium vidit Julianus, & ipse suos instru C xit, Severo cornu sinistro tributo, ac benigne omnes virtutis, atque officii sui admonuit. Quo facto, tum signum pugnæ ter solemni æneatorum occentu utrinque datum est, atque utrinque magnis viribus, majoribusque animis est concursum. Germani tela dextris jaculantes, equitatum Romanum invasere, cornu vero sinistro hostes acerrime sustinente, qui in dextro erant præter spem incondite recesserunt: verum dum primi fugientium postremos impediunt, gremio legionum excepti, fixo gradu prœlium integrarunt ab occurrente Juliano coërciti. Pulsis equitibus, Germani primam aciem peditum, incesserunt, quos Cornuti, D & Bracati (47) fortissime exceperunt, paribusque diu momentis pugnatum est, quibus se Batavi adjunxerunt, ardente vero prœlio, ac multis utrinque cadentibus, exiluit subito ardens optimatum globus, inter quos & Reges erant, ac sequente vulgo agmina Romanorum perrupit, & iter sibi aperiendo usque ad primanam legionem (48) in medio locatam, quæ castra prætoria dicitur, penetravit, ibi pugna flagrantiore studio repetita, Alemani strati, tandem se fugæ mandare coacti sunt, atque ad flumen compulsi, sese in illud abjecerunt, magnaque ex parte submersi sunt. Chonodamarius Rex in collem vicinum evasit, atque ibi à cohorte Romana obsessus, ultro se dedidit; miles Romanus, exacto jam die, occinente tibicine revocatus, prope ripas Rheni tetendit, corporaque curavit. Julianus acclamatione concordi totius exercitus Augustus appellatus, cum honorem increpito milite jurejurando repudiavit. Chonodamarius adductus, primum se inclinavit, deinde humi suppliciter fusus, veniam petiit, ac bono esse animo jussus est. Inde ductus ad comitatum Imperatoris, missusque exinde Romam, morbo veterni consumptus est. Hanc victoriam (49) audiens Constantius, ut erat levis animi, & gloriosi, suis auspiciis, & sua virtute partam jactavit, idque cum laureatis litteris (50) ad provinciarum signa deferri præcepit. Julianus cadavera promiscue mandari sepulturæ jussit, dimissisque legatis, quos ante pugnam retinuerat, ad Tres tabernas revertit, atque inde cum captivis omnibus prædam Mediomatricos (51) servandam misit, & ponte compacto, Rhenum trajecit, atque hostilem terram invasit, agroque eorum incenso, cum ad pugnam non provocaret, munimentum, quod à Trajano constructum ipsi everterant, reparavit, ac præsidio, & commeatu instruxit. Ita tres Reges ex iis, qui victis apud Argentoratum auxilia miserant, jurantes conceptis ritu patrio verbis se nihil moturos, cum fœdus petissent, per decem menses obtinuerunt. Severus magister equitum Rhemos per Agrippinam, & Juliacum petens, Francos vacua præsidia vastantes, offendit, qui metu jam reversi exercitus munimentis duobus, quæ olim exinanita sunt, occupatis, se tuebantur. Quod audiens Julianus, Castellum oppidum, quod Mosa fluvius lambit, circumsedit, idque per Decembrem, & Januarium mensem fecit, veritusque ne hostes, observata nocte illuni, conglaciatum amnem pervaderent, quotidie à Sole in vesperam verso usque ad lucis principium lusoriis navibus discurrentes flumen ultro, citroque milites disposuit, qui crustas pruinarum diffringerent, ne quis erumperet, atque ita inedia, vigiliis, & desperatione ad deditionem adegit, eosque ad comitatum Augusti misit, atque Parisios in hiberna discessit. Interim Romæ, administrante secundam adhuc Orfito Præfecturam, Obeliscus jussu Costantii magna mole in

(47) Cornuti milites ex oppido Illyrici Cornuto: in fabricis enim Illyrici Notitia Cornutensem scutariam vocat, E à Cornuto dictam. Horum mentio ap. Marcell. 16. 12. Pancir. Vide Not. dign. Imp. Orient. 46. Occid. 29.

(48) Primanorum Legio sub Magistro Militum Præsentali inter Palatinas erat. Vide Notit. Imp. Orient., Primani namque forsan in Orientem translati fuerunt tunc quando Valentinianus cum fratre partitus est Legiones.

(49 In qua plus æquo Juliani gloriæ indulgens Zos. l. 3. 3. (nisi error in textum irrepsit) sexaginta mill. Alemanorum deleta scribit. Sex millia Amm. l. 16. 12. Octo mill. Liban. orat. c., cum ante pugnam fuerint 30., aut 35. mill. ex eod. Amm., & Liban. ibid. Neque mirum, si Constantius suis auspiciis partam hanc victoriam gloriaretur, qui consiliis, atque imperio, copiis item suis, & Severo Duce in Marcelli locum substituto, bellum illud administraverat; unde Aurel. Vict. Juliani Cæs. *virtuti*, *fortunæ autem*, & consiliis *Constantii Principis* belli eventum adscribit.

(50) Hæ in provinciis acceptæ, statim palam in Theatro recitabantur, teste Chris. XX. Hom. in Matth., & summo obsequio auditæ Victorias Principum nunciabant. At quod damnum afferebant Provincialibus, docet Salvian. l. 5., & Liban. Orat. pro Aristoph. Corinth. Unde variæ Leges editæ, Cod. Theod., ne quid publicæ lætitiæ nuntii ex descriptione, vel ab invitis accipiant.

(51) Quorum Cæsar l. 4. 10., & Strabo l. 4. p. 135. meminere, quorum caput Divodurum. Socios Romanorum fuisse ex Tacit. l. 4. Histor. 70. liquet.

in circo maximo eſt erectus, quem Ammianus ita deſcribit: *Aſperrimus lapis in figuram metæ cujuſdam ſenſim ad proceritatem conſurgens excelſam, utque radium imitetur, gracileſcens pauliſper ſpecie quadrata in verticem productus anguſtum, manu levigatus artificis, formarum autem innumeras notas, hieroglyphicas appellatas,* (52) *quas ei undique videmus inciſas initialis ſapientiæ vetus inſignivit auctoritas.* Interim Sapor litteras ad Conſtantium ſcripſit, ab eo Armeniam cum Meſopotamia poſcens. Quarum cum utramque negaſſet, duces, qui illi irrumpenti re-
358 ſiſterent, obviam miſit. Ipſe vero hiberna apud Sirmium Datiano & Cereali Conſulibus agens, comperto, Sarmatas, & Quados Pannonias, Mœſiamque alteram incurſare, vere primo Iſtrum tranſgreſſus, agros Sarmatarum eſt populatus. Inde Sarmatas, Quadoſque prohibere conantes aggreſſus, ſtrage magna facta, in fugam compulit in ea parte Sarmatiæ, quæ ſecundam Pannoniam, Valeriamque ſpectavit, atque inde in Quados irrupit. Qua re perterrefacti Quadi, ad Conſtantium venerunt, atque ad pedes prolapſi, cum ſupplices pacem petiſſent, obtinuerunt. Quin etiam Zizais regalis (53) cum ordines Sarmatarum ad orandum inſtructos adduxiſſet, veniam impetravit. Quo clementiæ exemplo illecti mox alii Quadorum, Sarmatarumque regales cum idem petentes veniſſent, pacem, datis obſidibus, retulerunt. Sarmatis inde, qui quondam à Servis victi Victohalis ſe tradiderant, in fidem receptis, Zizais Rex eſt præfectus. Quibus actis caſtra Brigetionem movit, ut ibi reliquias Quadorum extingueret, quorum regalis Vittodorus Viduarii regalis filius, & Agilimundus ſubregulus, aliique optimates metu exanimati, ut Romanum in finibus ſuis conſpexere exercitum, veniam popoſcerunt, atque obſides fidei obtulerunt. Inde ad Sarmatas Limigantes eſt ventum, qui velut obliti priorum, erumpentibus Liberis, ipſi quoque tempus nacti, limitem perrupere Romanum, cum dominis ſuis in hac re ſola conſentientes. Hi primo aſpectu exercitus, tanquam fulminis ictu, perculſi, tributum annuum, delectumque validæ juventutis, & ſervitium ſpoponderunt, annuere parati, ſi juberentur alio demigrare, locorum confiſi præſidio, ubi ſedes poſt exactos dominos collocarant. Hortante autem Conſtantio, ad citeriorem venere Parthiſci (54) fluminis ripam, quos cum occulte Conſtantius, exercitu circumducto, clauſiſſet, ſtans in loco celſiore cum paucis, ne ſævirent, admonuit, atque in prœlium procurrentes, ſuis in aciem promotis, excepit, prœlioque acri commiſſo, Servos miſere trucidavit. Tum trajecto Parthiſco, in eos eſt proceſſum, qui in ulteriore ripa ſedebant, atque omnes armis ad deditionem compulſi. Exules populos reductos in avitis ſedibus collocavit, iiſdemque ad cumulandam gratiam, non ignobilem quempiam Regem, ſed quem antea ſibi præfecere, regalem impoſuit. Quibus rebus proſpere confectis, Conſtantius magno militum conſenſu Secundus Sarmaticus (55) appellatus, inde cum pompa triumphali Sirmium ſe recepit. Legati, qui ad Saporem Regem de pace componenda miſſi fuerant, domum re infecta redierunt. Eodem anno terræmotus (56) horrendi Macedoniam, Aſiam, & Pontum concuſſerunt, ac præcipua clade Nicomediam in Bithynia IX. Kalend. Septembris proſtraverunt. Cum autem Conſtantius Sirmii eſſet, rem improbandi prorſus exempli fecit, nam cum rogatu legatorum, quos Epiſcopi Occidentis miſerant, Liberium Pontificem Beroëenſi ex oppido evocaſſet, præſentibus illis inſtitit, ut fateretur, Filium non eſſe Patri conſubſtantialem. Sunt, qui ipſum aſſenſum præbuiſſe, alii vero, qui abnuiſſe ſcribant. (57) Utcumque, Liberio cum legatis domum reditus eſt permiſſus. Epiſcopi vero, qui Sirmii erant congregati, Felici, & Clero Romano ſcripſerunt, uti Liberium Romæ eſſe, & communi cum eo conſenſu Eccleſiam regere paterentur. Liberius Romam reverſus, formulam protulit, qua eis communionem interdixit, qui Filium Patri conſubſtantialem abnuerent, quod ſciebat, paulo ante Antiochiæ aliquos fuiſſe, qui dicerent, ſe Conſubſtantiale negaſſe, ut ſcribit Sozomenus. Felix à populo Eccleſia pulſus, nihil minus

(52) Amm. l. 17. init., & 22. ait: *Exciſis parietibus volucrum, ferarumque genera multa* ſculpſerunt, & animalium ſpecies innumeras multas, quas hieroglyph. &c. Eaſque *primi per figuras animalium Ægyptii ſenſus menti effingebant*. Tacit. Ann. II. Nec animalium tantummodo, ſed & alterius generis figuris utebantur. His notis & alias ſimiles habebant Æthiopes, teſte Heliodoro l. 4. Vide Plutar. de Iſide, Clem. Alex. Stromat. l. 5. Macrob. Saturnal. l. 1. 21.

(53) Regales dicebantur non modo Regum filii, & agnati, L. 9. Cod. Theod. *de re militar.*, unde Euſtath. in Ili. 10. Aſtyanactem Hectoris filium *βασιλικόν*, Regalem dicit, & Teucrum in Ili. 8. ex Heſiona Priami ſorore genitum; ſed & Reguli *Regales* quoque appellati, ut colligitur ex Amm. l. 16. de quibus hic loquitur A. N. De Conſulibus hujuſmet anni *Neratio Cereali*, & *Datiano*, lege quæ Valeſ. in Not. ad l. 2. Socratis, c. 39.

(54) De Sarm. Limigantibus alibi dictum, qui h. an. à Conſtantio victi ad Parthiſcum flum., à Plinio Parthiſſum appellatum l. 4. 12., ultra Danubium, quod, ex Cluverio l. 3. 31. Hungari vocant Tiſſa. Meminit Amm. l. 17. 13., ex quo hæc A. N. excerpſit.

(55) Ideſt ſecundo Sarmaticus; A. N. ſecundum Sarmaticum dixit Ammianum imitatus l. c., qui ceteroquin alibi *ſecundo Sarmaticus* dixit.

(56) Idac. in Faſt. ſub h. an. Coſs, præter Nicomediam, *aliæ centum quinquaginta*, inquit, *civitates* vexatæ. Meminit & Aurel. Vict., Socr. l. 2. 31. Extat etiam nunc Libanii Monodia de hac Nicomediæ ruina, quam & Ephrem Diaconus elegiaco carmine expreſſerat, teſtibus Gennadio, & Marcellino Comite in Chron.

(57) Vide Hieronym. in Chron., & in Catal. Scriptor. Eccl., Athanaſ. ep. ad Solitar., ubi extortam Liberii ſubſcriptionem formulæ Sirmienſis, *minis mortis*, affirmat. Ea vero fuit prima ex tribus formulis, quas ſupra notatum eſt Sirmii editas, quæ in ſpeciem videbatur Catholica. Utcumque res ſe habuerit, certiſſimum eſt, Liberium deinde Ariminenſi Concilio ſuffragium ſuum invicta conſtantia denegaſſe. Hinc à D. Ambroſ. l. 3. *de Virginib.*, *beatæ memoriæ*, & *vir ſanctior* appellatur. Idem obſequium in Liberii nomen faſſi ſunt Baſilius ep. 74., Epiphan. hær. 75., & Siricius P. ep. ad Himerium c. 1.

minus Sacerdotii jura modo in urbe, modo in alia civitate decem per annos retinuit. (58) Quin etiam Constantius magnis Arrianorum contentionibus fatigatus, ut novum Concilium adversus Nicænum, & Sardicense haberetur, assensit, quod postea Arimini est coactum. Hujus Concilii habendi caussam, quoniam res memorabilem maxime eventum habuit, primum Græcorum, deinde Latinorum verbis narrabo. Prioribus annis Ætius Diaconus (59) à Leontio Episcopo Antiochiæ constitutus cum Arrio asseruerat, filium Dei creatum esse, ex nihilo ortum, & Patri dissimilem, atque eo nomine ejectus ab Ecclesia fuerat. Leontio vero post paulo ex humanis rebus exempto, Eudoxius eam Ecclesiam ultro invaserat, & Ætii opinionem palam defendens, eos, qui sibi adversabantur, expulerat. Quare tumultu magno suborto, Constantius Concilium Nicæam ad eam rem cognoscendam indixerat; qui locus cum fautoribus Ætii non placeret, demum lecta Nicomedia est. Quo cum hoc anno Episcopi pergerent, in itinere acceperunt, ipsam terræmotu una cum Basilica funditus corruisse, neque longius progressi, Constantium, quid se agere oporteret, consuluere. Dum autem de loco Concilii Sirmii agitur, Eudoxius, Acacius, Ursacius, & Valens, quoniam pro certo habebant, omnes Episcopos, aut Nicænæ, aut Antiochenæ formulæ assensuros, in quarum utraque nomen substantiæ inerat, atque Ætii opinionem repudiaturos, quæ omnino vocem substantiæ supprimebat, propterea à Constantio petierunt, ut duo Concilia haberentur, unum in Occidente, alterum in Oriente, quo à paucioribus Ætii opinio exploderetur. Hæc Græci. (60) Sulpicius vero ita refert: Demum Arriani non occulte, ut antea, sed palam, ac publice hæresis piacula prædicare cœperunt, quin etiam Nicænam Synodum pro se interpretantes, quam unius litteræ adjectione corruperant. caliginem quandam injecere veritati. Nam ubi ὁμοούσιον erat scriptum, quod est unius substantiæ; illi ὁμοιούσιον, quod est similis substantiæ, scriptum esse dicebant, concedentes similitudinem, dum adimerent unitatem, quia multum ab unitate similitudo distaret. Sed quidam ex his ultra processerunt, ἀνομοιούσιον, idest, dissimilem substantiam confirmantes, eoque his certaminibus processere, ut istiusmodi piaculis orbis terrarum implicaretur: nam Italiam, Illyricum, atque Orientem Valens, & Ursacius, ceterique, quorum nomina edidimus, infecerant, Gallias Saturninus Arelatensium Episcopus, (61) homo impotens, & factiosus premebat. Osium quoque ab Hispania in eandem perfidiam concessisse, opinio fuit. Quibus rebus perturbato orbe terrarum, & morbo quodam Ecclesiis languentibus, segnior quidem, sed non minus gravis cura Constantium exercebat, quod licet Arriani, quibus favebat, superiores viderentur, nec dum tamen de fide inter ipsos conveniret. (62) Ita Severus. Quæcumque vero caussa fuerit, nam levis hæc dissensio videtur, Constantius Arrianorum precibus victus, Concilium Orientalibus Seleuciam in Isauria, Occidentalibus vero Ariminum in Italia in annum sequentem indixit. Eodem anno in Occidente Juthungi (63) Alemanorum populi finitimi, deposita fœderum superiorum memoria, Rhætias irruperunt ac civitates more novo obsidione cinxerunt. Ad quos propellendos cum valido militum robore missus Barbatio Magister peditum in Sylvani locum promotus, plerisque cæsis, reliquos in fugam vertit. Julianus autem hiemem apud Parisios agens, conatus est Alemanos prævenire nondum in unum coactos, sed post cladem Argentoratensem insanientes: verum expectans Julium mensem, à quo tum Gallicæ expeditiones incipiebant, vehementius angebatur, quod nondum solutis frigoribus, commeatus haud subvehi ex Aquitania poterat. Itaque non expectata anni maturitate, hostibus occurrere ex improviso constituit, ac pane bucellato (64) in triginta dies excocto, in humeros libentium mi-

(58) Marcellinus, & Faustinus Presbyteri Schismatici scribunt: *Tertio anno rediit Liberius* (per biennium namque exularat) *cui obviam cum gaudio populus R. exivit; Felix notatur à Senatu, & populo de Urbe propellitur.* Subdunt deinde, post annos octo, Valentiniano, & Valente Coss. (an. nempe 365.) X. Kal Decemb. defunctum esse Felicem. Inauguratus itaque an. 355., sedit an. tres circiter, usque ad diem 29. Julii an. 358, ut in auctiori Catal Veter. PP. legitur. L. Papebr in Conatu Chronico-Hist. ad Cat. Roman. PP.

(59) Antiochenus, cujus mores, & ingenium graphicè exprimit Suidas, & Epiphan., *hær. 76.* Eunomium Cyzicenum Episc. discipulum, & scribam habuit, à quibus Ætiana, & Eunomiana Secta nuncupata. L. Socr. l. 2. 28., & c. 37., unde mortem Leontii, & Antiochenæ Sedis invasionem accepit, quæ anno præsenti contigit, non præterito, ut contendit Vales. in Not. arguens Philostorg. l. 4. 3., restitutionem Liberii narrantem, ante Leontii mortem.

(60) Sozomen. nempe l. 4. 15., Socr. l. 2. 31., Theodor. l. 2. Hist. Eccl. 26. ex Latinis vero, Hilar. de Synod., Sulpit. Sever. Hist. Sacr. l. 2., aliique.

(61) Cujus factione S. Hilar. Pictav. Episc., quod Arianæ impietati resisteret, in exilium missus fuit in Orientem, L. Sever. l. 2. 10. 2. Biblioth. Sanct. Is in primis auctor fuit Constantio, ut Byterrense Conciliabulum Arianorum cogeretur, ad quod a Præsidibus Catholici Episcopi compellerentur. Vide Hilar. l. de Synod.

(62) Id patet ex varia corruptione vocis ὁμοούσιον, & ex tot formulis, variis in Conciliabulis evulgatis, quas Ariani, Acaciani, Eunomiani, aliique ediderunt. De quibus L. Athanas. de Synod. Socr. l. 2. 32. Sozom. l. 4 21. Contentiones ortas acerrimas de Fide inter Acacianos præsertim, & Semi-Arianos testantur acta Seleuciensis Concil. ap. Socrat. cit.

(63) Certe ad Danubium sedes habuisse liquet ex veteri Auctore ap. Suid. in ἰουθοῦγγοι. Scytharum pars fuisse dicuntur à Dexippo. Horum meminit quoque Ambros ep. 27. Idac. in Chr., & in Tabula Peutinger. cum Marcomannis, Quadisque junguntur.

(64) Qui levioris erat ponderis, ut minori incommodo à militibus ipsis portaretur; ex eoque milites quarta parte minus accipiebant, teste Procop. l. 1. Vandal. p. 209, ubi Joannis PP. fraudem commemorat. Spartianus quoque narrat, Pescennium Imp. prohibuisse, pistores exercitum sequi, & milites pacatis in locis accepto buccellato esse contentos. Buccellatus panis memoratur L. 6. C. Theod. *de erog. mil. ann.*

militum imposito, primum omnium Fran- A
cos petiit, quos vocant Salios, (65) jam-
pridem ausos in Romano solo apud Toxian-
driam sibi domicilia ponere. Cum Tungros
venisset, occurrit legatio petens, ne se quie-
scentes lacessere vellet; qua cum perplexo
responso dimissa, statim insequutus, Severo
duce per ripam misso, subito adortus cun-
ctos adeo perculit, ut deditionem repente
fecerint. Inde Chamavos similia ausos ag-
gressus, eadem celeritate partim cæcidit,
partim acriter repugnantes cepit, atque in
vincula tradidit, alios in fugam conjectos,
ad sua abire incolumes sivit. Inde tria ca-
stella in ripa Mosæ sita, ab hostibus vastata
restituit, ac partem annonæ humeris mili- B
tum advectam, ibi reliquit, spe ductus,
posse id detrimentum Chamavorum segeti-
bus resarciri. (66) Quod secus accidit, nam
frugibus nondum maturis, miles, consum-
ptis quæ portavit, nusquam victum repe-
riens, ipsum probris incessere (67) cœpit,
ut fallacem, ac stolidum. Quo tumultu se-
dato, contexto navali ponte, Rhenum trans-
ivit, Severo Magistro equitum improbante.
(68) In Alemanorum inde fines ingresso Rex
Svomarus cum suis trepidus obviam venit,
& cum pacem supplex petisset, impetravit,
cum eo, ut redderet captivos, & alimenta,
ubi opus esset, Romanis præberet. Inde
in alterius Regis agrum manus valida mis- C
sa, cædibus, atque incendiis illum ad ve-
niam orandam adegit. Quibus rebus confe-
ctis, disperso per stationes milite, in con-
sueta hiberna discessit. Quæ omnia in co-
mitatu Constantii audita, à plerisque Auli-
cis assentatoribus solita obtrectatione minu-
ta sunt. (69) Romæ Vicariam Præfecturam
pro Basso mortuo gessit Artemius, sub quo
seditiones aliquot fuere, sed non dignæ me-
359 moratu. Eusebio inde, Hypatioque Consu-
libus, Constantius hiberna Sirmii agens cer-
tior factus, Sarmatas Limigantes, locis as-
signatis posthabitis, regiones limitibus pro-
ximas occupasse, rem non negligendam ra-
tus, primo vere in eos egressus est, Ana- D
tolio per Illyricum Præfecto necessaria om-
nia sine ullius dispendio ministrante; atque
in Valeriam Pannoniæ partem profectus,
per Danubii ripas hostes observans, qui ante
adventum suum, specie amicitiæ, Panno-
niam invadere cogitarant, cum nondum
solutæ vernis caloribus nives amnem undi-
que pervium faciunt, legatisque ad Limi-
gantes missis, rogavit, cur agro assignato
contenti non fuissent, quibus illi respon-
dere, se, si ille pateretur, in Romano solo
victuros, & libenter in Romana provincia
habitaturos. Itaque Constantius lætus cun-
ctos admisit, vallo prope Acumincum (70)
locato, celsoque aggere in speciem tribu-
nalis erecto, naves vehentes quosdam legio-
narios expeditos, alveum fluminis proxi-
mum ripis observare sunt jussæ, ut, si bar-
baros tumultuari sensissent, aliorsum inten-
tos post terga invaderent. Accesserunt igi-
tur Limigantes, sed alia mente, quam præ
se ferebant, visoque Constantio ex alto sug-
gestu lenissimum sermonem instituente, qui-
dam ex illis furore percitus, calceo suo in
tribunal contorto, marrha marrha, quod
est signum apud eos bellicum, exclamavit;
cumque sequuta multitudo ululans in ipsum
principem ferri cœpit. Quod ut sensit Con-
stantius, periculo exanimatus, equo pernici
impositus, statim evasit, stipatores aliquot
occisi, sellaque regalis cum aureo pulvinari
direpta. Exercitus Constantium evasisse
ignarus, ira frendens, sese in barbaros in-
tulit, atque, antequam cædibus satiaretur,
acervos mortuorum stipavit. Constantius
inde, quæ limitum rationes poscebant,
constitutis, Sirmium, atque inde Constan-
tinopolim se recepit, ut Persis occurreret,
nam rumor increbuerat, Saporem relicta
post se Mesopotamia, in Syriam irruptu-
rum. Julianus autem in Gallia, cum Ale-
manorum pagos aliquot hostiles existima-
ret, Hariobaude exploratore, tanquam ad
Hortarium Regem amicum misso, Præfe-
ctus, antequam prœlia iniret, oppida
eversa sibi putavit munienda, atque hor-
rea incensa reficienda. Quorum utrumque
summa celeritate perfectum; nam & hor-
rea condidit, atque annona replevit, &
septem oppida occupavit, Castra Hercu-
lis, (71) Quadriburgum, Tricesimas, (72)
Nivesionem, Bonnam, Antennacum, &
Bingionem, eaque munitione firmavit, Re-
gibus ex fœdere, & militibus amore ope-
ram, fidemque navantibus: inde ab Ha-
riobaude de omnibus, quæ scire cupiebat,
edo-

(65) Hi à Saxonibus patria pulsi, Bataviam insulam, & vicina loca occuparunt, ex Zos. l. 3. Ad Toxandriam sedes locarunt, ex Amm. l. 17. 8., sic appellatam à Toxandris, quos in Belgica posuit Plin. l. 4. 17. non longe à Schaldi fluvio. Cluver. l. 2. 29. Toxandros Insulas habitasse inter Schaldim, & Mosam, scribit.

(66) Ad ostia fluminis Rheni supra Bataviam, ut in Tabula Peutinger. Pars erant Saxonum trans Rhenum missi, ut Salios ex Batavia pellerent, Zos. l. 3. Vide Eutrop. in Excerptis legationum. E

(67) *Asianum* appellabat, *Græculum*, &c. Has querelas augebat ea causa, quod miles nec donativum, nec stipendium meruit, ex quo Julianus in Gallias missus (si vera narrat Amm. l. 17. 9.) cum Constantius erogari more solito non permitteret. Sed oppositum narrat Sulp. Sever. in V. S. Mart. c. 3.

(68) *Mortem fortasse metuens adventantem*, inquit Amm. l. 17. 10.

(69) Prospere gesta vertebantur in risum iis verbis ap. Amm. l. 17. 11. *In odium venit cum victoriis suis capella, non homo* hirsutum Julianum vellicantes Aulici, virtutem Cæsaris obruere nitebantur.

(70) Inter Cusum, & Taurinum, si recte se habet iter Antonini per ripam Danubii. *Acimincum* scribit Amm. l. 19. 24. & in Not. Imper. sub Duce Pannoniæ Secundæ, *Cuneus equitum Acimınci*. Acumincum habet Ptolom.

(71) Cujus mentio in Tabula Peutinger., & ap. Liban. in Orat. fun. secundum Rheni ripam IX. mill. P. infra Arenacum. Amm. l. 18. Ubi & Quadriburgium memoratur inter civitates ad Rhenum sitas, *VVaterburg*; & plerique volunt *Burgum ad aquas*, deductum insulæ Batav. ad angulum, ut docent itinerum rationes, quamvis Cluver. minus recte ad Vahalim extra Insulam ponat.

(72) Quia ejus numeri Legio, ibi hiberna, vel stativa habuit, ita appellata. Esse autem Tricesimæ oppidum ipsam Coloniam Trajanam volunt, ex Antonini Itinerario, ubi Nivesio, *Novesium* dicitur. De his urbibus Amm. l. c. 2., ubi & *Antunnacum* memorat, quod postea *Andernacum*, in Notit. Imper. *Antonacum* dictum; de quo Fortun. Venant. l. 10. carm. 12. Sic & Tacit. l. 4. Hist. 70. Bingii meminit sub ostium *Navæ* amnis, in citeriore ripa, Mogontiacum versus.

A edoctus, Maguncíacum venit, ac per pontem ille constitutum se transire velle ostendit. Quod Alemani periculum conspicati, Suomarium Regem Romanis amicum admonuerunt, ut transitum Romanis prohiberet, cum ipse pagos Rheni ripis ulterioribus adjunctos haberet; illo vero testante, se solum non posse, in unum coacti venere per Maguncíacum, ut transitum impedirent. Julianus autem ne amicorum agros detrimentis afficeret, in alium locum se contulit ponti conficiendo aptissimum: cum autem hostes diligenter ripas contrarias observarent, ubi ad locum destinatum pervenit, castra posuit, & Tribunos aliquot occulte transire jussit, qui lusorias B naves quadraginta nacti suspensis remis per flumen taciti decurrere, atque, dum hostes castrorum ignes observant, adversas limitis ripas perrupere. Interim Hortarius Rex Reges & Regales Regulosque ad epulas invitatos retinuit, usque ad vigiliam tertiam convivio ipso protracto. Quos discedentes Romani ex improviso adorti nec interficere, nec capere potuerunt, sed lixas, & servos aliquot occiderunt. Cognito inde Romanorum transitu, qui pontem, ne fieret, observabant, fugæ se tradiderunt, atque ita Julianus ponte constructo flumen trajecit, atque Alemanorum agros hostiles invasit, C & omnia ferro, ignique consumpsit: ubi vero ad fines Alemanorum, & Burgundionum venit, ibi subsedit, ut Macrianum, & Hariobaudem Regis fratres ad pacem petendam adduceret. Venere autem illi, & Vadomarius, cujus erat sedes contra Rauracos, olim à Constantio in clientelam susceptus, orator venit pro Urio, & Ursicino, & Versalpo Regibus pacem obsecrans: omnibus data pax, cum eo, ut captivos redderent prioribus incursionibus factos. Romæ rei frumentariæ inopia laboratum: populusque Tertullum urbis Præfectum, ut hujus mali auctorem, parum absuit, (73) quin interfecerit, sed injuria, neque enim D per eum steterat, quominus tempore idoneo annona navibus veheretur, sed mare, ventique solito asperiores alio eas averterant. Interim, ut inquit Severus, missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasque magistris officialibus acciti aut coacti quadringenti, & amplius Occidentales Episcopi Ariminum convenere, (74) quibus omnibus annonas, & cellaria præberi Constantius jussit, sed id Aquitani, Galli, ac Britanni indecorum putantes repudiatis fiscalibus, privatis sumptibus vivere maluerunt; tres tantum ex Britannia, inopia proprii, publico usi sunt, cum oblatam à ceteris collationem repudiassent, præstare E putantes fiscum gravare, quam singulos. Posteaquam omnes in unum collecti sunt, statim in duas partes abierunt, atque Ecclesiam Catholici, ædem tum de industria vacantem Arriani orationis loco tenuerunt, sed hi non amplius octoginta. Cum autem convocati assedissent, Arriani Athanasii causa prætermissa dixerunt, se de aliis rebus convenisse, verum omnia, quæ olim de fide tradita erant, irrita esse debere, & nova fidei formula, quam Episcopi Sirmii modo convocati præsente, & probante Constantio scripserint, stare oportere, ac continuo libellum, quem habebant in manibus, recitarunt, atque aliam fidei formulam, quam Sirmii quidem scripserant, sed astute suppresserant, protulerunt, quæ habebat hunc indicem: *Fl. Eusebio, & Hypatio Consulibus Sirmii ante diem XI. Kal. Junias edita fuit. Credimus in unigenitum Filium Dei, solum ex solo Patre genitum, Deum de Deo, similem Patri, qui illum genuit secundum scripturas.* Quam Valens, & Ursacius, & pauci eorum socii subito sunt amplexi, alii omnes Nicænam formulam incolumem conservandam censuerunt, atque Arrianis communionem interdixerunt. Igitur utraque parte constanter in sua fide manente, cum finis controversiæ nullus appareret, placuit Catholicis, ut decem legati cum litteris ad Constantium mitterentur, qui eum, quæ esset partium sententia, edocerent, & caussam suam apud Imperatorem orarent, seque, ut domum dimitteret, obsecrarent. Litteræ extant apud Athanasium, & ceteros in hæc verba conscriptæ: *Pietatis tuæ mandato Ariminum ex omnibus urbibus Occidentis convenimus, ut simul & fides Ecclesiæ Catholicæ cognosceretur, & qui ab ea dissiderent, detegerentur. Ubi pro viribus curavimus, ut fidem, quam Prophetæ, Evangelia, & Apostoli per Christum Imperii tui custodem promulgarunt, acceptam à majoribus tueremur, nefarium esse statuentes, quæ recte à patribus cum Constantino patre tuo Nicææ constituta fuerant, immutare, quæ Arii, aliorumque hæreses extinxerunt. Cum enim, ut omnibus notum est, Constantinus pater tuus fidem, quæ edita est publicarit, certe absurdum est, postquam baptizatus inter homines esse desiit, in ea aliquid innovare, & tot Sanctos Patres, Confessores, & Martyres, ejus decreti auctores, despicere, qui juxta veterem Ecclesiæ Catholicæ sanctionem omnes usque ad tuum Imperium in eadem fide manserunt. Contra vero Arriani hanc veritatis constitutionem paucos quosdam sententiæ suæ socios nacti evertere conati sunt. Quare eos nos à communione nostra secrevimus, atque legatos misimus, qui nostrum tibi sensum aperirent, & veteribus scripturis veritatem assererent, &, ni vetustis stetur decretis, pacem nullam futuram, docerent. Quos ut benigne accipias, rogamus. Petimus etiam, ut Episcopos, qui in remotissimis regionibus degunt, ac vel ætate, vel paupertate premuntur, cum bona venia redire ad suas Ecclesias sinas.* Contra vero Valens, & Ursacius aliis quibusdam assumptis anteverso itinere legatos prævenerunt, & Constantio rem pro arbitrio retulerunt, ac Ca-

(73) Prudenter Tertullus se ab imminente vitæ discrimine liberavit, parvulos filios iratæ multitudini lachrymabundus offerens his verbis: *En cives vestri (procul omen Dii cælestes avertant) eadem perlaturi vobiscum, ni fortuna adfulserit lætior. Si itaque his abolitis, nihil triste accidere posse existimatis, præsto in potestate sint vestra.* Sicque lenitum vulgus.

(74) Vide Athanas. l. de Syn., Socr. l. 2. 29., & Sozom. l. 4. 15., & 16. Sulpit. Sever. l. 2. Hist. Sacræ; ex quibus gesta in hac Synodo fuse descripta intelliges. Apud Hilarium vero L. tertiam formulam Sirmiensem, cui Ariani Episcopi subscribendum esse mordicus contendebant, *in Fragm.* Cui formulæ pauca quædam addita, ut A. N. refert, ad fucum faciendum Catholicæ veritati.

A Catholicos, quod formulam ab illo probatam repudiassent, insimularunt. Quibus rebus Constantius inflammatus Arrianos eximio honore excepit, Catholicos vero ne audire quidem voluit, bello, quod contra barbaros comparabat, se impediri causatus, eisque, ut pergit Severus, conscriptam ab Arrianis fidem tradit verbis fallentibus involutam, quæ Catholicam disciplinam perfidia latente loqueretur. Namque Usiæ, id est, substantiæ, verbum, tanquam ambiguum, & temere à patribus usurpatum, neque ex auctoritate scripturarum profectum sub specie falsæ rationis abolebat, ne unius cum Patre substantiæ Filius crederetur. Eadem fides similem Patri Filium fatebatur,
B sed fraus occulta inerat, ut esset similis, non æqualis. Ita remissis legatis Tauro Præfecto mandavit, ut Episcopos non ante dimitteret, quam omnes conceptæ fidei subscripsissent, & ut, si qui pertinacius obsisterent, dum modo minus quindecim essent, in exilium pelleret. Itaque regressis legatis, licet vim regiam deprecantibus negata communio est, compertisque, quæ decreta erant, paulatim plerique Catholicorum partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis impulsi, dedere se adversariis jam post reditum legatorum superioribus, & Ecclesiam, Catholicis inde detrusis, obti-
C nentibus, factaque semel inclinatione animorum catervatim in partem alteram est concessum, donec Catholicorum numerus ad vicenos est imminutus. Inter quos constantissimus fuit Fægadius, & Servatio Tungrorum Episcopus. Hos Taurus postquam minis deterrere non potuit, precibus obtestatus est, uti mitiora consulerent, clausos intra urbem unam Episcopos jam septimum mensem agere: injuria hiemis, & inedia confectis nullam spem reversionis offerri, nisi ipsi plurium exemplum ut sequerentur, in animum induxissent. Cui Fægadius respondit, se exilium, atque omne supplicium subire paratum esse potius, quam ut conceptam
D ab Arrianis fidem reciperet. Ita in hoc certamine aliquot dies consumpti. Tum Valens, & Ursacius affirmantes, præsentem fidem Catholica ratione conceptam ab Orientalibus auctore Imperatore prolatam non sine piaculo posse repudiari, rogarunt, ecquis discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret, se, si quid præsenti fidei, quæ minus plena videretur, ipsi addidissent, consensum præbituros, quam conditionem Catholici propensis omnium animis acceperunt, jam controversiæ finem quoquo modo imponere cupientes. Itaque conceptæ à Fægadio, & Servatione professiones sunt editæ. In qui-
E bus primum damnabatur Arrius, totaque ejus perfidia, deinde non Patri æqualis, sed sine initio, & sine tempore Dei Filius

pronunciabatur. Quibus auditis Valens, quasi pro Catholicis adversus Arrianos contendens, subjecit, Filium Dei non esse creaturam, sicut ceteras creaturas, fefellitque audientes (75) fraude professionis, nam cum similem esse ceteris creaturis Filium negaret, creaturam tamen, sed potiorem ceteris asserebat. Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putans è concilio abiit. Hæc fere Severus. D. autem Hieronymus disputans contra Luciferianos, pluribus verbis fallax Valentis commentum exposuit, quo ille Filium non esse creaturam, ut alias, intulit, quem utile erit legisse, ut fraus Arrianorum in hoc concilio adhibita clarius elucescat. Eodem tempore alterum concilium Seleuciæ ab Orientalibus Episcopis actum est. Episcopi, ut inquit Socrates, convenere centum sexaginta, V. Kal. Octobris convocati sunt: primo die disceptatum, num prius de fide, an de criminibus Episcoporum, qui abdicati essent, agendum esset, quæ dissensio concilium in duas partes distraxit, unam, cui præerat Acacius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus; alteram, cui Georgius Laodiceæ, & Sophronius Pompejopolis Episcopi. Cum vicisset ea pars, quæ ante de fide disceptandum esse censebat, Acaciani fidem Nicænam plane abrogandam, ac novam aliam scribendam censuerunt, adversarii vero Nicænam mordicus tenuerunt, Consubstantiali solo rejecto. Tum Sylvanus Tarsi Episcopus fidem Antiochiæ scriptam servandam esse intulit, atque ita illo die conventus dimissus est. Itaque postridie ei subscripsere foribus clausis, Acacio eam formulam incusante, atque aliam inferente tertio die adesse Acaciani noluerunt, nisi, qui erant accusati, depellerentur, tum Acacius suam formulam perlegit, è qua verba Consubstantialis, Æquisubstantialis, & Dissimilis exempta erant, & similis Patri Filius dicebatur, cui socii ejus subscripsere. Quarto die Acacius dixit, si Nicæna fides sæpe mutata est, nihil impedimento esse, quin nunc nova etiam formula à se possit inferri, cui contradictum est. Inde cum rogatus Acacius, qua in re Filius Patri similis foret, respondisset, voluntate; adversarii, immo vero substantia, subjecerunt. Ita nihil est actum, cum Leonas, qui concilio præerat, Episcopos dimisisset. Factum est autem, ut eodem prope tempore legati Ariminensis, atque Seleuciensis Concilii Constantinopolim venerint, cum jam Consules essent Constantius Augustus X., & Julianus Cæsar III. qui annus fuit à Christo nato CCCLX. Ibi novum 360
Concilium (76) ab Episcopis, qui convenerant, habitum est. In quo auctore Acacio Seleuciensis formula improbata, Ariminensis vero accepta est, cui præscripti erant Consules, eo adjecto, ut nulla substautiæ men-

(75) De Patribus Semi-Arianorum fraude deceptis, Hier. in Dial. c. intelligendus: *Tunc Usiæ nomen abolitum est: tunc Nicænæ Fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus Orbis, & se esse Arianum miratus est.* At fraude detecta, formulam eamdem, ejusque Auctores execrati sunt deinde Catholici Episcopi, quorum Orthodoxiam testatur S. Hiero., Sever. Sulp., & Epist. Synod. Damasi R. P., aliorumque Occidental., ad Episcopos Illyrici, ap. Theodor. l. 2. Hist. Eccl. 22.

(76) Concil. hoc C. P. cœpit mense Decembri an. præced., Sozomen. enim l. 4. 23., ait, primo jussum Honoratum, ut de Aëtii quæstione ferret judicium, *quem paulo ante Constantius primum omnium Præfectum Urbis C. P. creavit*. Subdit inde: *cumque pridie ad solennem Consulatus pompam se pararet, sicuti moris est apud Romanos Kal. Januar.* Honoratus autem ex Idac. in Fast. Præf. Urbis creatus an. 359. Eusebio, Hypatioque Coss. Hujus Conciliabuli acta invenies ap. S. Athanas. l. de Syn., Socr. l. 2. 32., Theodor. l. 2. 27., Sozom. l. 4. 23.

mentio fieret, atque huic quoque Ulphilas Gotthorum Episcopus est assensus, nam ante sequutus Theophilum fuerat, qui Gotthorum Episcopus Nicæno Concilio interfuerat. Ab hoc tempore Gotthi Arriana labe corrupti sunt, qui vero subscribere abnuerunt, eos jussu Constantii in exilium projecerunt. Inde multi Episcopi ab utraque parte non religionis, sed aliorum criminum causa abdicati, præcipue Macedonius (77) Episcopatu Constantinopolitano exutus, quod multiplicis cædis auctor fuisset, & Diaconum in stupro deprehensum in communionem recepisset. Macedonio Eudoxius Antiochiæ Episcopus est suffectus, qui V. Kal. Martii Basilicam S. Sophiæ consecravit, homo non solum in religione impius, sed etiam ad indignationem ridiculus. Macedonius Episcopatu spoliatus novam inde hæresim, quasi universæ Trinitati iratus, intulit. Nam Filium Deum quidem esse, & cum aliis rebus omnibus, tum substantia Patri similem esse asseruit, sed Spiritum Sanctum istis honoribus spoliavit, eumque ministrum illis inservientem vocavit, cui se multi applicuerunt, qui ab illo Macedoniani vocati sunt. (78) Seleuciensi, & Constantinopolitano Concilio Hilarium etiam Pictavensem Episcopum affuisse, cum in Phrygia exularet, scriptum his verbis reliquit Severus: *Hilarius quartum jam exilii annum in Phrygia agens, inter reliquos Episcopos per Vicarium, ac Præsidem, data evectionis copia, Seleuciam adesse compellitur: cum tamen nihil de eo specialiter mandasset Imperator, judices tantum generalem jussionem sequuti, qua omnes Episcopos ad Concilium cogere jubebantur, hunc quoque acciere. Is ubi Seleuciam venit, magno cum favore exceptus, omnium in se animos, & studia convertit, ac primum quæsitum ab eo quæ esset Gallorum fides, quia tum Arrianis prava de Gallis vulgantibus suspecti ab Orientalibus habebantur, trionymam solitarii Dei unionem secundum Sabellium credidisse. Sed ille exposita fide sua, juxta ea, quæ Nicææ erant à Patribus conscripta, Occidentalibus perhibuit testimonium. Ita absolutis omnium animis, intra conscientiam communionis, nec non etiam in societatem receptus, Concilioque ascitus est. Venit inde Constantinopolim à Seleucia legatos sequutus, nullis certis de se mandatis operiens Imperatoris voluntatem, si forsitan redire ad exilium juberetur. Is ubi extremum fidei periculum animadvertit; Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vicisse, tribus libellis publice datis audientiam Regis poposcit, ut de fide coram adversariis disceptaret. Id vero Arriani maximopere abnuere, postremo quasi discordiæ seminarium, & perturbator Orientis redire ad Gallias jubetur* (77) *absque exilii indulgentia*. Reversis domos suas Episcopis, qui Ariminensi Concilio interfuerant, Valens, & Ursacius, ut inquit adversus Luciferianos D. Hieronymus, ceterique eorum socii victoriam jactare suam cœpere, dicentes, se Filium non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis, tum substantiæ nomen abolevere, tum Nicænæ fidei damnationem conclamavere. Ingemuit totus Orbis, & Arrianum se esse miratus est. Igitur alii intra suam communionem remansere, alii ad eos Confessores, qui sub nomine Athanasii exulabant, cœperunt litteras mittere, nonnulli initam societatem meliorum desperatione luxerunt, pauci vero (ut se natura hominum habet) errorem pro consilio defendere. Auxentius Mediolanum reversus, & civitatem illam, & vicinas, eousque integras depravavit. Atque hæc prima Italiam labes Arrianorum infecit. Eodem anno Julianus apud Parisios (80) hibernans, Scotos, Pictosque Britannias incursantes audiens, Lupicinum magistrum armorum in Britanniam destinavit, qui moto velitari auxilio Herulis (81) scilicet, & Batavis, numerisque Mœsicorum pluribus, adulta hieme Bononiam venit, atque tempus idoneum nactus, Rutupias ex adverso sitas trajecit, atque inde Londinium adiit, ut inde capto consilio, ad expeditionem contenderet. Interim cum Sapor Rex Mesopotamiæ, & Nisibi urbi nova arma inferret, Constantius opem ferre cupiens, ac Juliani gloriæ invidens, stimulante Præfecto Florentio, Decentium Tribunum misit, ut Herulos, & Batavos auxiliares abduceret, & cum Petulantibus Celtas, & lectos ex numeris aliis trecentos, ut sibi in Persas proficiscenti, adessent. Quos Julianus concessit. Illud vero dissimulare non potuit, se inique ferre, ut ii aliquas paterentur molestias, qui domiciliis Transrhenanis relictis, cum hoc venerant pacto, ne ducerentur ad partes Transalpinas, verendum existimans, ne barbari, qui sæpe ultro ad Romanos transissent, posthac transire nollent, sed incassum questus est, Tribunus præstantissimum quemque selegit. Julianus Præfectum Vienna accivit, ut sibi auxilio adess-

(77) Hic Imperatore Constantio inconsulto, & magna populi C. P. multitudine reluctante, Corpus Constantini, ex Apostolorum Templo in aliud transferre voluit, qua de re, gravi orta seditione, ingens hominum cædes facta fuit; unde Constantio infensus, in hoc Conciliabulo, ejus jussu abdicatus, teste Socr. l. 2. 30., & 33. Damnati itidem Basilius Episc. Ancyranus, Eustathius, ex Sozom. l. c., Eleusius, aliique.

(78) A Græcis vero πνευματόμαχοι dicti, idest Sancti Spiritus impugnatores, ex Epiph. hær. 74., & Theodor. l. 2. Hæret. Fabul. Macedoniana labe, non exigua populi C. P. multitudo infecta, imo & Bythinia, Thracia, & Hellespontus, aliæque Nationes, teste Sozom. l. 4. 26. Erat enim Macedonio vitæ genus ad speciem rectus, incessus gravis, oratio non indiserta, & ad persuadendum accommoda indoles.

(79) Hierony. in Chron. Eidem anno Hilarii in Galliam reditum, & Constantii Imp. obitum consignat, & adversus Luciferianos ait, vivente Constantio revocatum: quæ duo conciliari possunt, si dicamus, vivente eod. Imp. exilio solutum, Pictavos vero, nonnisi vita functo, pervenisse; nam Sever. l. 2. Hist. scribit: *Hilarius sexto anno postquam redierat, in patria obiit*. Ineunte autem 367. ad Cœlum migravit.

(80) Ex Amm. l. 20 7., & 10. In Gallia certe; quia Genius publicus, qui eo tempore ipsi visus fuit, *in Galliis conspectus dicitur*; unde mirum quod Zosimus l. 3. 11. scripserit: ἐν τῷ Παρισίῳ Γερμανίας, vel Παρισίῳ, (ut Leuncl. Codex) Parisio Germaniæ.

(81) Heruli cum Batavis ap. Script. semper conjuncti, sub uno, eodemque vexillo militantes. Sic in Not. Imp. Occident. inter auxilia Palatina numerantur, sub Magistro Mil. Præsentali, *Heruli, & Batavi*, & ap. Amm. l. 27. Eosque cursu plurimum valuisse indicat Sidon. Carm. 7.

adesset, & cunctos ex bibernis evocavit. Milites, qui in Orientem ducebantur, Parisiis transiere, (82) ubi adhuc Julianus manebat, quos ille in suburbanis ad navandum egregie Constantio operam adhortatus, proceres etiam convivio excepit, qui liberaliter habiti, dolore duplici anxii, discesserunt, quod & à moderato Rectore, & genitalibus terris avellerentur, hocque angore solliciti, in stativa solita recesserunt: ineunte vero nocte, in apertum erupere diffidium, incitatisque animis ad arma conversi, manu, fremituque ingenti omnes Palatium petiverunt, eoque circumsesso, ne cuiquam evadendi copia fieret, Julianum Augustum horrendis clamoribus appellarunt, coactique expectare, dum illucesceret, ipsum ad se progredi compulerunt. Quem visum iterum Augustum summa constantia salutarunt, quos Julianus modo indignari se ostendens, (83) modo manus tendens, orare cœpit, ne post tot victorias secundissimas agerent aliquid indecorum, & materias excitarent seditionum. Permisit inde, ut domos suas repeterent, promittens se illud apud Constantium purgaturum. Inde clamantibus universis, ut Augustus esset, assentire coactus est, impositusque scuto pedestri, & in altum sublatus, populo silente, Augustus renunciatus, jussus est diadema proferre; cum autem negaret, se unquam habuisse, uxoris colli, vel capitis fasciam poposcerunt, eo vero affirmante, primis auspiciis non convenire, ornari muliebri mundo, equi phaleras quæsiverunt, sed, cum id quoque turpe asseveraret, quidam hastatus detractum sibi torquem, quo, ut draconarius, (84) utebatur, capiti ejus imposuit. Itaque in necessitatem compulsus extremam, quinos singulis aureos, argentique singula pondo promisit, atque inde in occulto se abdidit, nihil pro Imperio agens, ex quo rumor est dissipatus, ipsum interemptum fuisse, magnum, nisi evanuisset, tumultum excitaturus. Vocatos inde in concionem omnes blande appellavit, atque litteras (85) inde ad Constantium de iis, quæ evenerant, scripsit, quibus se coactum ad cognomen Augusti accipiendum narravit, pollicitus est inde, se præbiturum curules Hispanos, & miscendos Gentilibus, atque Scutariis adolescentes lectos, se Præfectos prætorio ab illo accepturum; reliquos judices ordinarios, militiæque moderatores, & stipatores æquum esse censere, ut sibi concederet arbitrio suo promovendos. His litteris junctas secretiores alias clam reddendas curavit, objurgatorias, & mordaces, & ad id muneris exequendum, viros graves misit Pentadium officiorum magistrum, & Entherium cubiculi præpositum, qui Constantium apud Cæsaream Cappadociæ invenere; eo enim Constantinopoli venerat, Antiochiam ad bellum Persicum, quod acerrime gerebatur, contendens: lectis litteris, Constantius ira exarsit, ac legatos egredi jussit, inde mitiore consilio capto, expeditione Persica decreta, eos dimisit, & Leonam quæstorem suum cum litteris ad Julianum misit, monens, ut intra Cæsaris potestatem se contineret, (86) atque in locum Florentii Præfectum prætorio Nebridium quæstorem Juliani promovit, & Felicem Notarium Officiorum Magistrum, & Gohomarium armorum Magistrum Lupicino successorem dedit. Leonas ingressus Parisios, postridie Juliano in Tribunali de industria consistenti, litteras reddidit. Quas Julianus convocatæ multitudini recitavit. Ubi vero ventum est ad locum id continentem, quod gesta omnia Constantius improbans, Cæsaris potestatem sufficere Juliano censebat, exclamavit undique multitudo, Auguste Juliane, ut provincialis, & miles, & Reip. decrevit auctoritas. Quibus auditis, Leonas cum Juliani litteris eadem indicantibus revertit. Julianus inde, legatis ad Constantium missis, ad limitem Germaniæ secundæ processit, Rhenoque transmisso, regionem invasit Francorum, quos Atthuarios (87) vocant, insolentius extrema Galliæ incursantium, eosque adortus nimium securos, quod propter asperitatem, difficultatemque viarum neminem principem ad suos pagos penetrasse meminerant, levi negotio superavit, captisque plurimis, & occisis, ceteris, qui superfuere, pacem orantibus, pro arbitrio dedit. Revertens inde pari celeritate per flumen, præsidiaque limitis explorans, & corrigens, Rauracos venit, locisque recuperatis, quæ jampridem barbari intercepta tenebant, ut propria, iisdemque majore cura munitis, per Vesontionem Viennam discessit. Ibi vero, Tauro Florentioque Consulibus, biemans, diu animo fluctuavit, num Constantium 361
modis omnibus alliceret ad concordiam, an terroris incutiendi causa ultro lacesseret, nam & amicum formidabat cruentum, & inimicum metuebat in civilibus seditionibus sem-

(82) Contra consilium Juliani, pertimescentis ea quæ evenere, ne scil ad Cæsaris adipectum novas res agitarent, ut tradit Liban. Orat. fun., & Julian. ipse ep. ad Athen., *dolore duplici mæsti, quod aut fortuna quadam inclementi, & moderato rectore, & terris genitalibus disparerent*. Amm. l. 20 4.

(83) Ita Amm. l. c., Eutrop. l. ult. Zos. l. 3., & Liban. or. c. Zonar. p. 18. è contra, & Gregor. Naz. in στηλιτευτ. temeritatis, & vesaniæ postulat Julianum, quod Augusti nomen assumpserit, diademate sibi imposito. Idque ei exprobrant Theod. l. 2. 28., & Sozomen. l. 5. 1.

(84) *Signiferi qui signa portant, quos nunc Draconarios vocant. Dracones enim* per singulas cohortes à Draconariis feruntur ad prœlium, inquit Modestin. l. *de vocab. rei mil.* Torquem aureum hic ferebat, in præmium, sicuti legimus Maximinum adhuc vulgarem, ob corporis robur in militari lucta ostensum, torque aureo donatum; itemque Hypatium, ut Jordanes de Regn. success. p. 63. prodit.

(85) Quibus nomen ceteroquin Cæsaris, non Augusti inscripsit, quod Julianus ipse affirmat ep. ad Athenien., & Zonaras confirmat, ex quo patet secretiores alias a Juliano scriptas, easque mordaces non tunc, sed cum Leonas ad Julianum a Constantio legatus, re infecta rediit.

(86) Id ægre ferre visus est Julianus, qui Imperium affectare jam videbatur, respondit enim & Vict. in Epit., *se sub nomine celsi Imperii multo officiosius pariturum*; Præsertim cum jam de militum voluntate esset securus, ut constat ex Amm. l. 20 9.

(87) Ita Veliejus vocat l. 2. 105., & Amm. l. 20., & 25 Straboni sunt Chattuarii. Lotharius Imp. in donatione Arnoldo Palatino facta, *Atthuarium pagum* memorat, referente Frehero, *Originib. Palatin.* p. 31., & 38. Vide Vales. Not. Gall. in *Attuarii*.

A semper victorem, maximeque Galli fratris exemplo, quem per dolum interfecerat, movebatur. Ea de causa, auditis quæ per Leonam ille scripserat, tutius esse duxit, ut se hostem aperte profiteretur. Itaque nemine suscepto eorum, quos ille promoverat, præter Nebridium, quinquennalia Augustus jam edidit, ambitioso diademate usus, gemmarum fulgore distincto, cum initio principatus coronam vilem xytarchæ (88) purpurato similis gestare consuevisset, inter quæ Helenæ uxoris defunctæ (89) cineres Romam misit, ut in Suburbano viæ Nomentanæ reconderentur, ubi uxor quoque Galli (90) sepulta fuerat. Accensus est
B etiam ad inferendum, pacatis jam Galliis, Constantio bellum, quod somnio objecto comperit, eum brevi è vita decessurum, quod vulgo magicis artibus, (91) quibus ab ineunte ætate studuerat, est tributum: nihil tamen interim de præsenti statu rerum mutavit, sed quiete omnia constituit, & ut omnes, nemine impediente, ad suas partes attraheret, studere se Christianæ fidei finxit, à qua jampridem occulte desciverat, atque aruspicibus, auguribusque, & Deorum cultibus se tradiderat, &, ut hoc celaret, die Epiphaniæ progressus in Ecclesiam, solemni ritu Deum oravit. Appetente inde vere, cum audisset, Alemanos à pago Va-
C domarii, unde nihil post ictum fœdus metuebatur incommodi, incipientes regionem Rhætis finitimam pervastare, statim Libinonem Comitem cum Celtis, & Petulantibus secum hiemantibus misit, qui cum prope oppidum Sanctionem venisset, hortatus suos, licet numero impares, hostes aggreditur, atque initio pugnæ occumbit, hostibus præter paucos occisos, fugatis, Vadomario, cum à Constantio secreta habere (92) adversus se mandata putaretur, per speciem amicitiæ capto; deinde ipse transgressus Rhenum impetu facto, omnes ad deditionem adduxit. Hoc bello ex sententia administrato, palam inde defectionem
D inivit, ac placata ritu secretiore Bellona, milites in concionem vocavit, rebusque à se actis expositis, hortatus est, ut se jurati (93) sequerentur ad provincias Illyricas, dum majoribus præsidiis vacuæ essent, occupandas. Quam orationem milites immani scutorum fragore comprobaverunt, universique statim in ejus nomen gladiis cervicibus suis admotis, atque execrationibus diris verbis conceptis, jurarunt, se omnes pro eo calamitates, quoad sanguinem profudissent, si necessitas urgeret, perlaturos, quos sequuti Rectores, omnesque principes proximi, fidem simili religione firmarunt. Solus omnium Nebridius jusjurandum contra Constantium abnuit, quod maximis ei se diceret obstrictum officiis, qua voce audita, proximi milites eum trucidandum appetierunt, verum Julianus hominem ad genua sua prolapsum paludamento protexit. Inde reversus in regiam, cum antegressus ille, supplexque jacens oraret, ut ad levandum timorem dextram porrigeret. Et, quid, ait, præcipuum amicis servabitur, si tu manum meam attigeris? Sed hinc quolibet abi securus, hocque audito ille innoxius domum in Tusciam abiit. Inde per tesseram iter in Pannonias est indictum. Dum hæc ille agit, Constantius hiberna Antiochiæ, quo ex Mesopotamia recesserat, agens, ad dissensionem Ecclesiæ componendam Episcopos de integro convocavit, in eo Concilio Meletius (94) Beroëæ Syriæ Episcopus in locum Eudoxii, qui ad Constantinopolitanam traductus erat Ecclesiam, Antiochenis Episcopus datus, veniensque Antiochiam, à Constantio accersitus, solemni totius Cleri, & civitatis occursu exceptus; verum mox, cum fidem Consubstantialis defenderet, pulsus, atque ei Euzojus, notus Arrianæ doctrinæ patronus, suffectus. In eodem Concilio quidam etiam Arrii opinionem palam defendere ausi sunt, Filium, neque Consubstantialem, neque substantia similem, sed omnino & substantia, & voluntate Patri dissimilem esse, & ex iis, quæ non sunt, constare. Et Constantius ipse, qui adhuc Catechumenus fuerat, ab Euzojo salutari fonte ablutus est. Inde Faustina uxore amissa, (95) Eusebiam duxit, & Florentium Præfectum Prætorio per Illyricum Anatolio mortuo

(88) Xystarchæ, sive Xytarchæ, vulgo Gymnasiarchæ, ab Agonothetis distincti; nam Tertullian. ad Martyr. c. 3. ait: *Bonum agonem subituræ estis, in quo Agonothetes Deus vivus est: Xystarches Spiritus Sanctus.* Xystus autem locus erat, ubi athletæ exercebantur, ex Hesich., unde Xystarchæ, quos coronis, & purpura ornatos fuisse ostendit Ammiani locus, l. 21. init., sicut & Agonothetæ, teste Sveton. *in Domitiano*, 4., & Liban. Orat. *de vocationib. ad epulum Olympior.*

(89) Aliqui puerperii doloribus defunctam dixere, alii Palatio expulsam, teste Zon p. 19. Non
E defuere, qui veneno hausto mortuam, Juliani artibus, ut ait Liban. Orat. adversus Polyclem. Erat Helena Constantii soror.

(90) *Constantinam* exhibent, nummus ap. Goltzium, & Vict. in Epit., quam *Constantiam* plures, in quibus Amm. l. 21., & alibi, Zosim. l. 2., aliique quamplures.

(91) Porro Jamblichi, per eam ætatem celebris Philosophi, consuetudine delectabatur apprime Julianus, à quo & Christianæ Religionis contemptum didicit, & Magicas artes, quibus imbutus erat Jamblichus, ex Eunapio, in Vita Philos. Hinc cultui Christiano *adhærere fingebat*, teste Amm. l. 21., *à quo jam pridem occulte desciverat*, &c. ibid. c. 2., in Asia nempe, ut Eunapius ipse in V. *Maximi*, & Liban. in προσφων. V. Nazianz. in Steliteut. 1.

(92) Julianus in ep. ad Athen. asserit, litteras Constantii à se interceptas, quibus Barbaros adversus ipsum concitabat, earumque meminit Liban. Orat. fun., & Socr. l. 3. Vadomarius certe Constantio scripserat: *Cæsar tuus disciplinam non habet.*, ex Amm. l. 21. 3., id notum Juliano testante.

(93) De Militum sacramento loquitur Ammian. l. 21. 14., eaque formula erat, *omnes nempe se pro Imp. casus, quoad vitam profuderint, perlaturos.* Variæ autem ap. varias Nationes. V. Curt. l. 7. Stobæum serm. 41. Livium, Gellium, Veget. *Juratur* autem *in militia sacramenta, ut necessitates publicæ procurentur*, Theodosius, & Valentinianus AA. Novell. 14.

(94) Quem valde commendat Athanas. Orat. I, contr. Arian. p. 122. veluti egregium *Consubstantialis* patronum, & Theodor. l. 2. Hist. Eccl. 31. Uterque *Magnum* dixit. V. Orat. Gregor. Nyss. To. 2. Oper. ipsius p. 1019., hinc de illius Orthodoxia minime dubitandum, nec Schismaticus reputandus, ob Antiochenam Sedem, cujus Pastor agnitus est à S. Basil. ep. 56. usque ad 59., à Nysseno l. c., & Athanas.

(95) *Amissa jampridem Eusebia*, inquit Amm. l. 21. 6. *Faustinam* sortitus est conjugem. Ita Julianus ipse Orat. ad eamdem Eusebiam, ait Magnentio profligato, Constantium Eusebiam duxisse, an. sc. 353. Tertia itaque uxor,

A tuo substituit, & Hermog ne defuncto, Elpidium (96) ad Præfecturam provexit, agitatisque de re gerenda consiliis, bellum Persicum ante sibi finiendum, aut certe profligandum, quam Juliani conatibus nondum sibi plane cognitis occurrendum, decrevit. Itaque hibernis egressus, Eufrate navali ponte trajecto, Ædessam petit, ibi opperiens, dum metum hostium cognosceret. Julianus autem discedens à Rauracis, Sallustium Præfectum à se promotum remisit in Galliam; Germaniano jusso vicem tueri Nebridii, Nevitæ magisterium armorum commisit, ac simulatione Christianæ professionis abjecta, semet Pontificem appellavit, & festos dies Gentilium ritu cele-
B brari permisit. Gumoarium vero timens, quem, cum Scutarios regeret, prodidisse Vetranionem principem suum audiebat, Jovio quæsturam, & Mamertino (97) largitiones curandas attribuit, & Dagalaiphum domesticis, aliosque militibus regendis præposuit, quorum merita norat, & fidem. Profecturus autem per maritimas sylvas, viasque junctas Istri fluminis ripis, veritus est, ne paucorum comitatu stipatus contemneretur ab inimicis. Itaque consilio solerti usus, agmina ita distribuit, ut alios per itinera Italiæ nota Jovius, & Jovinus ducerent, alii per mediterranea Rhætiarum ma-
C gistro equitum Nevita contenderent, ut in varias partes divisi, majoris numeri opinionem afferrent, atque omnia tumultu, ac trepidatione complerent, mandatumque dedit, ut omnes tanquam cum hoste protinus occursuro iter conficerent; cumque ad locum venisset, ubi navigari posse Danubium didicit, lembis, quam occultissime potuit, decucurrit, ob id latens, quod paucis contentus extra oppida, civibus imprudentibus, transibat. Fama tamen præcessit, Julianum, dimissis Regibus, cum ingenti exercitu adventare, qua perculsus Taurus Præfectus prætorio Italiæ, superatis Alpibus Juliis, abscessit, ac Florentium collegam suum ab-
D duxit. Lucillianus Comes, qui per illas regiones rem curabat castrensem, agens apud

A Sirmium, ubi Juliani adventum cognovit, convocatis militibus, resistere decrevit. Sed Julianus Bononiam non longe à Sirmio distantem cursu citato progressus, Luna senescente, & maximam noctis partem obscurante, è navi improvisus exiluit, & Dagalaiphum cum expeditis ad Lucillianum vocandum, trahendumque, si reniteretur, misit. Qui circumseptum se cernens, paruit invitissimus, & carpento impositus (98) Juliano tanquam captivus oblatus est. Eo deinde amoto, Julianus propere ad urbem Sirmium accessit, quem propinquantem amplis, ac nimium protentis suburbanis ingens militum, atque omnis generis turba excepit,
B obviam effusa cum luminibus, & floribus, votisque faustis Augustum appellans, ac Dominum in regiam duxit. Postridie curule certamen ingenti cum gaudio plebi edidit. Luce tertia percursis aggeribus publicis Succos, (99) nemine auso obviam ire, præsidiis occupavit, eisque custodiendis Neviram præfecit, atque inde Naissum (100) repetivit, ubi Sex. Victorem (101) Scriptorem historiarum Sirmio secum deductum Pannoniæ secundæ Consularem præfecit, atque orationem in Constantinum Maximum omnibus probris, contumeliisque refertam ad Senatum misit, quæ cum, Tertullo adhuc urbis Præfecturam gerente, recitaretur, suc-
C clamatum ab omnibus est: *Auctori tuo (102) reverentiam rogamus*. Nam & Constantinum ut novatorem, turbatoremque priscarum legum, & moris antiqui recepti carpebat, & aperte vitio dabat, quod primus barbaros (103) usque ad fasces, & trabeas Consulares auxisset. Duas legiones Constantiacas, addita una sagittariorum cohorte, quas invenerat apud Sirmium, suspectæ adhuc fidei misit in Gallias. Hæ lento incedentes itinere, cum Germanos hostes truces, assiduosque metuerent, novare quædam conatæ auctore Nigrino equitum turmæ tribuno, ubi Aquilejam attigerunt, urbem situ, murisque munitam inierunt, ac juvan-
D te plebe indigena, quæ Constantii nomini erat amica, obseratis aditibus, turribusque, ac

uxor, ex Amm., fuit Faustina, mortua Eusebia ex *μητρομανίας*, uteri nempe doloribus correpta, ut Zon., & Cedren., quam Chrysost. H. 15. in Philipp. passis necatam tradit, quot ei mulier quædam præbuerat ad conceptus juvandos.

(96) Christiano cultui deditus hic erat, cujus uxor Aristænete, quæ teste Hieronymo, SS. Antonium, & Hilarionem obsequebunda coluerat. Laudatur hæc a Libanio ep. 44 l. 4., quæ data est ad Helpidium. Ejus mentio fit L. 4., & sequ. Cod. Theod *de erogat. militar. annonæ*. Recte A. N. *Elpidium* sine adspiratione scribit, cum Græci leni spiritu pronuncient, quo tamen Attici valde delectabantur, ut refert Eustath. in l. 1. Odyss. ex Ælio Dionys., ex quo factum, ut & Latini Græca nomina fere adspirare soleant.

E

(97) Qui dignitates obtentas paucis perstringit in Gratiar. Actione dicens: *Mihi certe tertius annus libertus est Consulatus. Primum thesaurorum omnium mandata custodia, & dispensatio largiendi: secundum locum tenet in honorum meorum fructibus Præfectura: additus his proventuum meorum tertius, Consulatus*.

(98) *Jumentoque impositus repentino, Princeps ut captivus offertur ignobilis*. Amm. l. 21. 9., qui Lucillianum superbiæ, ferociæque postulat, ap. quem L. quodnam responsum à Juliano retulerit.

(99) Inferius memorat *claustra Succorum* A. N. & Succorum angustias, claustra, & confinia Amm. describit, l. 21. 10. Eorumdem meminit Socr. l. 2. Hist. Eccl. 32. Concil. Aquilejense in ep. quadam e Sirmundo edita, Themist. Orat. 13. ad Theodos. A. p. 409., & Philost. hunc situm vocat Σούκεως κλεῖς.

(100) Oppidum Daciæ Mediterraneæ, ut in Itin. Burdigal., celebre ob Constantini M. ortum, ut scribit Stephan. Byz., & Constantinus Porphyrog. l. 2. περὶ θεμάτων, aliique, ut alibi dictum.

(101) Cujus A. habemus historiam, qui ob egregias animi dotes amplissimas dignitates est consecutus. Ab Amm. l. c. *vir sobrietatis gratia æmulandus* dicitur, non multo post Præfectus urbis renunciatus.

(102) A Constantio namque Julianus auctus fuerat Cæsaris dignitate; hinc Senatores hac acclamatione ipsum monebant, ne a debito obsequio erga Constantium recederet, voce *Rogamus* usi, quæ in his acclamationibus erat solemnis, ut ex Lamprid. *in Commodo*.

(103) Narrat Euseb. l. 4. Vit. Const. 7, idque Constantino vitio vertunt Aurel. Vict., Zos., aliique, quod Victo Maxentio, barbaros complures præmii vice adlegarit in Curiam. Quod autem Julianus in Constantino carpebat, & ipse præstitit, Nevittam natione Gothum Consulem designavit, & anno trigesimonono post Nevittum, Fravitta, vel *Fravita* cum Vincentio in Oriente Consul fuit, sub Arcadio, ob bellum præclare gestum adversus Gainam popularem suum.

zed by Google

ac propugnaculis confirmatis, omnia ad certamen necessaria paraverunt, ac simul Italicos ad studium, partesque Constantii permoverunt. Qua re Julianus apud Naissum accepta, statuit, Aquilejam vel vi, vel metu sibi adjungere, quod legisset, audivissetque, urbem circumsessam aliquoties, nunquam tamen excisam, aut in potestatem adductam, atque Jovinum Magistrum equitum venientem per Alpes, Noricumque ingressum eo properare jussit, simulque omnes milites, qui comitatum sequebantur, eo direxit. Aquileja gemino scutorum ordine circumsepta, (104) defensores ad deditionem blandorum, minaciumque sermonum varietate illiciuntur, sed multis ultro, citroque jactatis, re irrita discedditur. Inde cu ratis utrinque corporibus, prima luce ad oppugnationem descenditur; oppugnatores autem pluteos, & crates densius textas præferentes, caute murorum fundamenta subruere nitebantur, factas plerique vehentes ad altitudinem mœnium scalas; sed lapidibus devolutis collisi, ac jaculis confixi cum recessissent, alios ab ejusmodi conatu averterunt. Itaque, postquam vis aperta parum proderat, ad instrumenta oppugnationis se contulerunt, & quia nec arietibus admovendis, nec machinis intentandis, nec cuniculis agendis urbs erat habilis, Natisone amne (105) brevi intervallo urbem præterfluente, commentum admirabilis industriæ excogitarunt. Constructas ligneas turres propugnaculis Aquilejensium celsiores imposuere trigeminis navibus valide inter se connexis, quibus insistentes armati adversarios depellere, collatis ex propinquo viribus, contenderunt, subterque expediti velites è turrium cavernis egressi, injectis ponticulis, quos ante contabulaverant, transgredi contenderunt, eo consilio, ut dum vicissim missilibus se, saxisque utrinque secus alte locati peterent, ii, qui transiere per pontes, nullo interpellante, ædificii parte convulsa, aditus in penetralia aperirent. Verum & hoc inceptum irritum cecidit. Cum enim turres jam adventarent, ac contortis malleolis pice madentibus, atque arundine, sarmentis, aliisque flammarum fomitibus adactis, ignem comprehendissent, celeri incendio, ponderibusque trepide superstantium in flumen prociderunt, atque armatorum nonnulli per earum vestigia eminus tormentis confixi interierunt. Inter quæ destituti pedites post navalium sociorum (106) occasum obtriti sunt saxis immanibus, præter paucos, qui sese fugæ mandarunt: nox certamen diremit, recreatis inde per noctem viribus sub lucem prœlium iteratur. Tum quidam elatis super capita scutis, ut pugnaturi levius, alii humeris, ut antea, scalas ferentes, & magno impetu procurrentes, pectora telis obiiciebant, alii ferratos portarum obices refringendos aggressi, ultro facibus, aut saxis muralibus petebantur, quidam fossas audacius transire conati, repentinis eorum assultibus, qui erumpebant, clam per posticas ruentes incaute sauciabantur. His difficultatibus objectis, res inde ad obsidionem conversa est. Itaque excubiis, stationibusque relictis, præsidiarii milites vastantes agros propinquos, omnibus rebus necessariis abundabant, raptorum pleraque contubernalibus suis impertientes, unde largiore potu, saginisque distenti marcescebant. Julianus autem etiam tum apud Naissum agens, curis gravioribus urgebatur, metuens, ne milites Aquilejæ inclusi eruptione repente facta claustra Alpium Juliarum perrumperent, atque ita provincias, & quæ inde speraret, auxilia eriperent, vires etiam Orientis formidabat, audiens, dispersum per Thracias militem contra vim subitam repente coactum, ad Succorum fines appropinquare, Comite Marciano ducente. Itaque Illyricos exercitus convocavit, ac populos allicere ad sui partes perrexit; & Maximum, ac Symmachum (107) Senatores à Constantio legatos revertentes honorifice habuit, & Maximum in locum Tertulli urbi præfecit; & Mamertinum Præfectum prætorio cum Nevita Consulem designavit. Dum hæc gerebantur, Constantius Edessæ agens certior factus, Julianum Italiam, & Illyricum magna celeritate prætergressum, claustra Succorum occupavisse, atque accita undique auxilia expectare, ut multitudine armatorum stipatus pervaderet Thracias, militem vehiculis publicis impositum præmisit, ut celeriter his malis obviam iret, edoctus inde, Regem Persarum cum omni manu, quam duxerat, domum rediisse, revocatis omnibus (108) præter eos, quos præsidio Mesopotamiæ destinaverat, retulit se Hierapolim, ibique convocatos undique milites oratione ad tempus accommodata alloquutus est, facinus Juliani commemorans, eosque ad eum secum ulciscendum adhortans, cui omnes se præsto affuturos alacritate maxima responderunt. Inde Arbetionem cum lancceariis, & mattiariis, (109) & turmis expeditorum præmisit, itemque Gumoarium cum aliis venturis, ut ad Suc-

(104) Duabus sc. ex partibus obsessa Aquileja, quem loquendi modum adhibet Amm. l. 19, & 21. Hegesippus duplici acie, vel gemino agmine, l. 3. 9., & l. 5. 14., Flor. l. 2. 18.

(105) Quem ita Plin. vocat, & Strabo cum Mela 2. 4. *Natissam* Jornandes de Reb. Get., qui tamen c. 42. ait: *Attila Aquilejensem obsedit civitatem . . . . cujus ab oriente Muros Natiso amnis fluens à monte Picis, elambit*.

(106) Loquitur de armatis militibus, qui turribus insistebant. Apud Auctores Latinos, navales socios Remiges tantum intelligi putat Vales. in Animadv. ad c. 12. l. 21. Amm., idque probari contendit ex Liv. hist. At Livius socios quidem navales Remiges vocat l. 26. 35., sicuti & 21. 50. sed l. 37. 16. à remigibus clare distinguit; immo c. 10. sociorum navalium nomine milites navales videtur exprimere.

(107) Qui Valentiniano, & Valente Coss. Præfectus U. postea fuit, teste Amm. l. 26. Liban. ep. ad Symmachum ejus filium ait, eumdem cum tribus aliis Senatoribus Antiochiam venisse, ubi tunc Constantius, omniumque in se unum oculos convertisse ob eloquentiam, ceterasque animi dotes.

(108) Id carpit Liban. in Panegyr. ad Julian., quod nempe Constantius, *Orientem lectissimorum militum robore nudasset, umbratili, & ignavo militi commissis urbibus*, &c.

(109) Qui, ex Not. Imper. sub dispositione erant Magistri Militum Præsentalis. Simul hos memorat Zos. l. 3., oppugnationem Majozamalchæ referens. Mattiarii iidem esse videntur, qui ap. Veget. l. 1. 17. *Mattiobarbuli*, à teli genere sic dicti, quod Mattium, seu Mattiobarbulum appellabant.

Succorum fauces opponeretur. Inde Antiochiam se contulit, post Autumno jam senescente Tarsum, ubi levi febre tentatus, ratusque itineris motu eam excuti posse, per vias difficiles Mopsuestiam prodiit, egredique postridie conatus, morbo ingravescente detentus, paulatimque nimio calore venas urente, extinctus est, successore ipso sibi Juliano relicto, III. Nonas Octobris, (110) anno ætatis XLV. (111) Imperii XXXVIII. ex quibus tredecim una cum patre, viginti quinque post patris excessum regnavit. Comploratione in exercitu facta, qui primum in aula locum obtinebant, consultare de Imperatore legendo cœperunt. Inde placuit, ut legati ad Julianum mitterentur, qui mortem propinqui nunciarent, &, ut sine cunctatione ad obtinendum Orientem veniret, orarent. Julianum adhuc in Dacia morantem nuncii convenerunt, qua re audita vaticiniis jam etiam vehementius credens, (112) iter in Thraciam edixit, ac statim Succorum declivitatem emensus, Philippos, Heracleamque contendit. Inde profectus Constantinopolim, ab omni ætate, sexuque summa animorum alacritate effusis exceptus III. Idus Decembris, atque Augustus est salutatus.

## JULIANUS AUGUSTUS.

Mansit inde Constantinopoli decem menses (113) rebus Imperii constituendis, atque firmandis intentus. Quo temporis spatio, corpore Constantii honorifice sepulto, quæstiones adversus inimicos instituit, atque amicos e suis præfecit, (114) qui Chalcedona profecti, damnarunt Palladium (*) ex Magistro Officiorum, Evagrium Comitem rei privatæ (115), Saturninum ex curatore Palatii, Carinum ex Notario, &, cum sciret, Constantium Gentilibus, & Catholicis parum fuisse acceptum, ab utroque genere gratiam inire studens, non solum Episcopos relegatos ab eo revocavit, sed etiam Gentilibus templa restituit. Agilonem inde misit Aquilejam, ut obsessi, cum virum honoratissimum conspexissent, & Constantii obitum cognovissent, suæ sese fidei, potestatique permitterent. Antequam ille accessit, placuerat resistentes ad deditionem siti, ductibus aquarum intercisis, compellere, quod ubi parum profuit, flumen magnis laboribus averterat; sed oppidani puteorum aquis contenti, nihil pertinaciæ, constantiæve remiserant. Ubi vero Constantium mortuum, & Julianum confirmatum ab Agilone ante muros urbis nunciante, audierunt, primum fidem inhibuerunt, deinde pacti salutem, postquam susceptum in urbem eum jurejurando id affirmantem viderunt, extemplo deditionem fecerunt, ac culpam defectionis in Nigrinum, paucosque alios rejecerunt. Itaque Nigrinus, Mamertino Præfecto prætorio quæstionem exercente, post eo nomine vivus exustus est. Ipso deinde Mamer- 362
tino, ac Nevita Consulibus, Julianus Constantinopoli portum una cum porticu (116) ad austrum vergente construxit, atque in porticu Bibliothecam ædificavit, eamque nobilium omni genere monumentorum refersit. Cum Thracias munitionibus, commeatibusque, ne quid deesset iis, qui per ripas Istri barbarorum impressionibus objecti erant, instrueret, suadentibus proximis, ut

(110) *III. Non. Novemb.* habet Idatius in Fast., cui Socr., Cedren., Chron. Alex., aliique consentiunt; sicque clare intelligitur, quod A. N. ex Amm. exscripsit, Constantium nempe, *senescente Autumno*, Tharsum, deinde Mopsuestiam prodiisse; quam *Mopsucrenenas* Amm. l. 21. Aurel. Vict. Mopsucrenen, vocant. Mopsum Hieronym. ep. ad Heliodor.

(111) Natus porro Constantius, Gallicano, & Basso Coss., Idib. Augustis, ut ait Julian. Orat. 1., anno sc. D. 317., mortuus autem an. 361., iniit igitur an. quadragesimo quint., atque huic supputationi favent Vict. in Epit., Eutrop., & Socr. non autem vitæ anno quadragesimo, ut Amm. l. 21. 15., apud quem ibid neque Imperii anni numerantur, qui recte ab A. N. 38. fuisse dicuntur, ex Eutrop., & Sozom., Cæsar enim nuncupatus an. 324. 6. Idus Nov. Alibi vero Amm. 38. Imp. annos indicat, nam l. 14. ait, Constantium an., quo Constantius VI., & Constantius Gallus II. Consules fuere, tricesimum Imperii annum terminasse: at ab eo Consulatu ad illum Tauri, & Florentii octo anni intercessere, ut liquet, unde trigesimum octavum iniit an. Imperii. Non desunt autem qui an. 323. Cæsarem creatum dicunt, proindeque solidos annos triginta octo regnasse contendunt. Vide Pag ad an. 361. num 4. Utcumque se res habeat, minus sibi constat A. N dum ejus Cæsaream dignitatem auspicatur ab an. 325., mortem consignat anno 361., & tamen ann. 38. imperasse scribit.

(112) Addit Amm. l. 21. *Julianus inter multa quæ per Illyricum agitabat, exta rimabatur assidue, avesque suspiciens, præscire festinabat accidentium finem* &c.

(113) Ita Zosim., sed male; nam paucis ante Kal. Aug. Antiochiæ dedit L. ult Cod. Just. de pedaneis Judicibus, & antea Nicomediæ ediderat L. 8. *de erogat. milit. ann.* Cod. Theod., usque tamen mensem Maji C. P. moratus fuit, ut ex Legib. Cod Theod., quas vide in Chron. p. 63.

(114) Sallustium nempe Præf. P., Mamertino, Arbetione, Agilone, atque Nevitta adjunctis, itidem Jovino Magistro Equitum. Vide Amm. l. 22. 3. Id excusare nititur Julian. ipse ep. ad Hermogenem, dicens: *Ibot autem* (de quibus quæstiones institutæ) *injuste quidpiam pati nolim: testis est Jupiter. Sed quoniam multi adversus eos accusatores existunt, judices iis dedi.*

(*) Quem in Britannos exterminarunt, suspicione tenus insimulatum, *quædam in Gallum composuisse apud Constantium*, dum sub eodem Cæsare Officiorum esset Magister. Taurum item ex Præf. P. exulem amandarunt. Hic ille idem erat, à quo Catholici Episc. ad Ariminens. Conc. vocati, fuere tyrannice detenti, & afflicti.

(115) Idest privati ærarii, quod privatis Imperatorum usibus serviebat, ad quod cum pertinerent bona proscriptorum, liquet rem privatam, illam non esse quæ ad Imperatorem pertineret tunc cum adhuc esset privatus, ut Jurero placuit, ad ep. 43. l. 3. Symmachi. Unde Severus, ap. Lamprid. in ejus Vit. dicitur primus instituisse rei privatæ procuratorem, ditatus proscriptorum bonis.

(116) Is portus in L. ult. Cod. Th. de Calc. coct. D. Juliani dicitur: porticus autem erat semirotunda ad portum deducens, Sigma litteræ formam præseferens ex Zosim. l. 3., qui tamen in eo falsus est, quod Urbi Senatum habere concesserit, hunc enim habere Constantin. M. jam antea permiserat, ut tradit Libanius in Orat. ad Theodos. de Seditione, & Auctor Chron. Alexandr., nisi velimus Zosimum explicare, quod Julianus Senatum a Constantino C. P. institutum novis auxerit honoribus, ut diserte Mamertinus in Gratiarum actione.

ut aggrederetur sæpe fallaces, ac perfidos, Gotthos, hostes se quærere meliores, dixit. Illis nim sufficere mercatores Galatas, (117) per quos ubique nullo conditionis discrimine venderentur. Legationibus inde remotissimarum gentium (118) cultus, & nuncio victoriæ Aquilejensis elatus, supra hominis spirare conditionem cœpit. Itaque qui primo omnibus facilem se præbuerat, post paulo Christianis acerbior esse instituit. Nam Constantinopoli Gentilium sacra renovari, ac patefieri templa præcepit, & Christum appellans, Galilæum ad contumeliam nominavit, & Christianis, ne Grammaticam, Rhetoricam, & humaniores litteras aut docerent, aut discerent, interdixit, nimirum ne quæstum ex iis artibus facerent, quarum religionem respuerent, aut ne doctrinis Gentilium eruditi adversus eos abuterentur: qui vero à Christiana fide non recesserunt, eos & Palatio expulit, & militiæ munere spoliavit, ex quibus alii baltheum posuerunt, atque omnes cruciatus perferre, quam à Christo deficere, maluerunt, inter quos fuit Jovianus, Valentinianus, & Valens, qui post ipsum deinceps Imperium tenuerunt, alii propter imbecillitatem ad immolandum se receperunt. Ceterum, antequam sævire in Christianos cœpisset, Alexandriæ Georgio (119) Episcopo tumultu populari sublato (120) Athanasius ex latebris, in quibus per duodecim annos (121) apud Virginem Alexandriæ delituerat, tandem emersus, Ecclesiam recuperavit, atque conventu habito, fugam suam oratione defendit, ac de Filio Patri Consubstantiali, perinde ac Nicæni Patres censuerant, statuit. Lucifer etiam Caralitanus, (122) & Eusebius Vercellensis Episcopi ad suos redierunt. Hilarius Pictavensis, frequentibus intra Gallias conciliis habitis, atque omnibus ferme Sacerdotibus errorem profitentibus, quæ fuerant apud Ariminum decreta, damnavit, & in statum pristinum fidem Ecclesiarum redegit. Saturninus Arelatensis resistens, Ecclesia ejectus est, multorum præter hæresim criminum, ac sævorum facinorum reus. Paternus item à Petrogoris æque væcors Sacerdotio pulsus, ceteris venia data. Qua de re D. Hieronymus adversus Luciferianos hoc modo: *Omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis* (123) *ad Ecclesias redierunt, tunc triumphatorem suum Athanasium Ægyptus excepit, tunc Hilarium de prœlio revertentem Galliarum Ecclesia complexa est, tunc ad reditum Eusebii lugubres vestes Italia mutavit: concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia Sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos, putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus, decepit nos bona de malis existimatio, non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare, multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant, parati, & subscriptionem pristinam, & omnes Arrianorum blasphemias condemnare.* Postquam autem Julianus Christum insectari instituit, persuasus, si Athanasium Alexandriæ esse permitteret, nullum Gentilibus locum ad cultum Deorum futurum, ipsum non solum urbe, sed vita etiam deturbari præcepit. Qua re præcognita, Athanasius in Thebaidem sese contulit. Moliens inde bellum Persis, Ormisdam, (124) & Victorem duces constituit, atque eis exercituum curam commisit, & Constantinopoli egressus, Nicomediam adiit, ad quam restituendam, nam tremore corruerat, pecuniam suppeditavit, atque inde Nicæam, tum in Gallogræciam, tum Pessinuntem, atque Ancyram, ac demum Tarsum, atque Antiochiam venit, (125) quibus in locis omnibus severissime jus poscentibus dixit. XI Kal. Novembris Daphnæum Apollinis Fanum exustum,

(117) Unde Claudian. in Eutropium lib. 1.
*Hinc fora venalis, Galata ductore, frequentat.*
Apud priscos Latinos tamen hoc mercatorum genus, non mercatores, sed *Venaliciarii* dicebantur, ut patet ex Tullio Corneliana 2, i. venalium venditores, qui & *Venalicii*. Liberti vero honoris gratia Patronos suos *Mercatores Venalicios* appellabant; Venaliciarii itaq; inferiores erant Mercatoribus. De his Ulpianus lib. 21. digest. „ Quia ergo „ Venaliciarii sciunt facile decurri ad novorum emptionem, ideirco interpolant „ veteratores, & pro novitiis vendunt: Apud Varronem, & Plinium Mangones etiam dicuntur, & *Mangones* Venalicii.

(118) De his Ammian. l. 22. *hinc Transtigritanis pacem obsecrantibus, & Armeniis, inde nationibus Indicis certatim cum donis Optimates mittentibus ante tempus ab usque Divis, & Serendivis; ab Australi plaga ad famulandum Rei Romanæ semet offerentibus Mauris: ab Aquilone regionibus Solis, per quas in mare Phasis excipitur, Bosphoranis, aliisque antehac ignotis legationes vehentibus supplices*, &c.

(119) Vide Gregor. Naz. Orat. in Laud. Athan., Epiph. hær. 76., & Julian. ipsum ep. ad Alexandr., à Socrate relat. l. 3. 3.

(120) Alexandrinorum ingenium rerum novarum cupidum, & ad seditiones pronum Græci, Latinique rerum Scriptores notarunt. L. Polyb. hist., Pollion. *in* 30. *tyran.* Vopisc. in *Saturnino*, aliosque; unde Ruf. l. 7. 18. *Sed & apud Alexandriam, etsi nulla extrinsecus mali causa sit, eo ipso quod genus hominum ferox, seditiosum, & semper inquietum est, civiles inter se motus*, &c.

(121) Latebræ Athanasii, h. an. Alexandriam adventantis, non 12., sed circiter sex an. durarunt, quas per septem an. Sozom. l. 5. 6. affirmat, sed utrimque incompletos; ab an. sc. 356. usque ad præsentem, teste Palladio in *Lausiaca* c. 135.

(122) Arianorum hostis infensissimus; at propugnatæ in eos Fidei gloriam schismate fœdavit. Vide quæ de eod. Hieronym. in Catal. Script. Eccl., ubi & editos pro Catholica veritate tuenda Tractatus commendat. Schismatis autem causam L. ap. Ruffin. l. 1. 30., Socr. l. 3. 7.

(123) Id tamen in odium potius Constantii, & Regiorum ministrorum fecit, nulloque habito discrimine, Catholici ne, an Hæretici forent; impium enim Aetium hæresiarcham eadem pœna juste damnatum, summo honore in Regiam accersivit, datis honorificentissimis litteris. Novatianos item beneficiis cumulavit, teste Sozom. l. 5. 5. fin.

(124) Hic natione Persa, Regisque filius, qui à fratre affectus injuriis aufugit ad Constantium, à quo post plura exhibita fidei documenta, honores promeruit amplissimos.

(125) Mense scil. Junio., inquit enim Amm. l. 22. 9., iisdem diebus *Adonia* ritu veteri fuisse celebrata, quæ dicto mense quotannis recurrebant, ex Macrobio.

stum, (126) III. Nonas Decemb. reliquum Nicomediæ tremore collapsum, (127) item pars Nicææ non mediocris. Antiocheni, cum læto omnium occursu Julianum excepissent, ægre inde tulerunt, cum populo præsente se de theatro subducere, & raro ludos, neque eos toto die spectare, offendit etiam, quod is precium rerum venalium plus æquo imminuit. Itaque acerbis eum quibusdam vocibus carpserunt. Quibus ut gratiam referret, orationem, quæ adhuc extat, edidit, qua omnia in eos, civitatemque eorum maledicta collegit, quam Misopogonem appellavit, (128) ridebatur enim ab eis, ut barbam ferens hircinam. Cum Apolline Daphnæo consulto responsum tulisset, se oraculum edere non posse, quod vicinum suum, scilicet Babylam (129) martyrem, formidaret, loculum, in quo erant ossa martyris, ex Daphne Antiochiam transtulit, accensus inde super hymnis contra Deos decantatis, eadem Christianis supplicia constituit, quæ Diocletianus inflixerat; cum autem paucos Christianos ad sacrificandum impellere posset, se-
363 quenti anno, se quartum, & Sallustio Consulibus, ad Judæos accessit, eos vero se immolaturos abnuentibus, nisi Hierosolymis in Templo id facerent, Templum Salomonis restitui jussit, idque opus Alypio (130) Antiocheno curandum commisit. Cum autem fundamentorum gratia (131) terra egereretur, horrendi flammarum globi crebris assultibus erumpentes, fabris aliquot exustis, locum inaccessum fecerunt, atque ita à Templi reædificatione cessatum. Per eosdem dies legatos ad se Roma profectos, homines summo loco natos, diversis honoribus affecit, & Apronianum (132) urbis Præfectum, Octavianum Proconsulem Africæ declaravit, Venustum (133) Vicarium Hispaniæ, Rufinum Comitem Orientis in locum avunculi sui Juliani (134) vita functi provexit. Interim Constantinopolis sævo terræ motu (135) quassata, quæ res licet infausta aliena invadenti diceretur, ipsum tamen à proposita expeditione non avocavit. Itaque legationibus Regum omnium auxilia pollicentium, præterquam Arsacis (136) Armenii, dimissis, nondum adulto vere (137) per militares numeros tesseram misit, ac cunctos transire Eufratem jussit, ipse Antiochia discessurus, Alexandrum (138) Heliopolitam Syriacæ jurisdictioni præfecit, ac III. Nonas Martias Hierapolim venit, atque inde Eufrate transmisso, Carras (139) accessit. Ibi cum esset, XIIII. Kal. Aprilis Romæ Templum Palatini Apollinis, Aproniano Præfecturam urbis gerente, sævo flagravit incendio. Ineunte inde Aprili, Cercusium (140) ventum, ac postremo in Assyriam est processum,

(126) Extructum ab Antiocho Epiphane Amm. tradit l. 22. sed fortasse auctum ab Antiocho, ornatumque donariis; excitatum enim fuisse à Seleuco Nicatore Libanius scribit in Antioch. p. 349., & Sozom. l. 5. 19 Suspicatus est autem Julianus, id Christianos egisse actos invidia, quod idem Templum inviti videbant egregio peristylio circumdari; unde quæstiones agitari jussit.

(127) Illachrymatus dicitur Julianus ap. Liban. ep. 29., miseratione commotus, tum squallentis populi occursu, tum memoria Urbis quondam florentissimæ, publicis, privatisque ædificiis, ubi & ab Eusebio Nicomediensi fuerat a prima ætate educatus. L. Amm. l. 22. c. 9.

(128) *Odium* scil. *barbæ* appellavit, non hoc an., sed sequ., nam Julianus ipse Kal. Januar. meminit, quibus Consul processit, & votorum; item memorat Julian. defunctum avunculum suum, qui an 363. defunctus dicitur ab Amm. Causam hujus voluminis editi L. ap. Socr. l. 3. 15., Sozom. l. 5. Antiocheni porro illius impietatem, cum aliter non possent, scommatibus, atque dicteriis deridebant, quæ Amm. refert l. 22., hinc & tot nomina Juliano imposita, ap. Nazian. Orat. I. in Julian.

(129) Qui Zebino in sede Antiochena suffectus, sub Decio carceribus mancipatus obiit, teste Euseb. l. 6. 32. Ejusdem Reliquias ann. sequ. translatas, probat Vales. in Not. ad l. 5. Sozom. 8., & tunc quæ multitudo sacras comitabatur exuvias, psalmis, atque concentibus pompam augebat, id sæpe repetens in Gentilium odium: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacbris suis*, ex Ps. 96. V. Sozo. 5. 18., & 19. Socr. l. 3. 16.

(130) Ad quem extant Juliani epistolæ, quibus eum fratrem appellat. Ejusdem meminit Liban. ep. ad D. Basilium.

(131) Constantino M. imperante Judæi Templum restaurare moliti erant, quos Imperator male mulctatos varia in loca dispersit, teste Chrysost. Hom. 3. contra Judæos. De hac autem eversione sub Juliano, ipsemet loquitur Julian. in fragm. epistolæ, quam nunquam satis laudando P. Petavio acceptam referimus; unde Ambros. ep. 29. ad Theodos. inquit: *non audisti Imperator, quod cum jussisset Julianus reparari Templum Hierosolymis, divino, qui faciebant repagulum, igne flagrarunt*. L. ap. Amm. l. 23., & fusius Chrysost. adver. Judæos orat. 2., Ruffin. l. 1. 38., & 39. quibus prodigiis impedivit Deus Templi reædificationem.

(132) Non quidem L. Turcium Aprotianum, ut Onuphr. in Fast., qui Præfectus U. fuerat, Constantio II., & Constante Coss. sed ille, qui Flavius Apronian. dicitur l. 3. Cod. Theod. *de suariis, & pecuariis*.

(133) Hic fortasse est, quem *Mirandum Virum* vocat l. 1. Saturnal. c. 3. Macrobius, patrem fuisse dicens Virii Nicomachi Flaviani. Item Rufinum Julianus provexit, ad quem extant Epistolæ Liban. duæ 268., & 269. l. 4.

(134) Fuit is filius Juliani Præf. P., frater Basillinæ, antea Præfectus Ægypti, teste Juliano Aug ep. 10. ad Alexandr. deinde Orientis Comes, Mamertino, & Nevitta Coss, ut liquet ex l. 15. Cod Theod. *de Decurionibus*. Mors autem Juliani hujus non ante translatas S. Babylæ Reliquias, idest an. præterito, sed præsenti contigit, ut recte A. N., qua de re in hoc emendandus Chrysost. Orat. 2. de S. Babyla adversus Gentiles.

(135) De quo Libanius in Orat. funebr., eumque Juliani precibus sedatum ineptissime scribit.

(136) Amm. l. 23. ait, Julianum, datis ad Arsacem Armeniæ Regem, & Romanorum socium litteris, monuisse, ut collectis copiis validis, jubenda opperiretur, quas litt. Soz. refert l. 6. 1. Arsaces autem præsto non fuit Juliano, sive proditione, ut eidem Libanius exprobrat, sive ne Regionem suam, nudatam præsidiis, Persis exponeret.

(137) Non autem hyberno tempore, ut Socr. l. 3. 18. Auctori nostro consonat Amm. l. 23. Zosim. l. 3.

(138) Turbulentum, & sævum Præsidem, Antiochenis præpositum data opera, ut & Julianus ipse testatur ap. Amm. l. c. Ad hunc extant duæ Libanii epistolæ.

(139) *Antiquum oppidum*, ex Amm. l. 23. 3., Crassorum, & Romani exercitus ærumnis insigne.

(140) Sive *Circessum*, ut Rufus Festus; sed A. N. Amm. sequitur & Geographum Nubiensem, qui ad ostia fluvii Alchabur situm esse affirmat, Euphrateque allui, ad confluentem (ut videtur) Euphratis, & Aboræ, ut innuere

sum, unde variis editis prœliis, oppidisque occurrentibus aut vi, aut metu in potestatem adductis, ad Tigrim pervenit; quo transmisso, classem (141) parum sano consilio inflammavit, atque urbem Ctesiphontis (142) oppugnare voluit, Alexandri Magni se res gestas in iis locis, aut superaturum, aut certe æquaturum confisus. Illo inde consilio improbato, (143) vastandis circumquaque agris ultra processit, ac Rege totius Regni viribus ad summam belli dimicationem prodeunte, fortiter impetum ejus excepit, postridie autem cum militibus à tergo laborantibus inermis, ut in re subita, succurrisset, telo, incertum ab hoste, (144) an à socio misso, vulneratus, sequenti noćte VI. Kal. Julias exspiravit, cum esset annos unum & triginta natus, (145) qui sine dubio in omni virtute summorum Imperatorum laudes consequutus esset, nisi eas insigni una erga Christum, cui infestissimus fuit, perfidia maculasset, quem in extremo etiam edendo spiritu videtur illusisse, cum moriens, (146) dixit: Vicisti Galilæe. Itaque D. Hieronymus de ipsius morte sic scriptum reliquit: *Julianus Augustus septem libros (147) in expeditione Parthica adversus Christum evomuit, & juxta fabulas Poetarum suo se ense laceravit, & Nazarenum nostrum, &, ut ipse solebat dicere, Galilæum statim in prœlio sensit, & mercedem linguæ putidissimæ conto in iliis perfossus accepit.*

# LIBER SEPTIMUS.

## JOVIANUS AUGUSTUS.

Juliano mortuo, postridie Jovianus domesticorum ordinis primus (1) Imperator militari favore pronunciatur, oppido Singidone in Pannonia natus. Eo Imperium abnuente, (2) quod se Gentilibus imperare diceret nolle, milites se Christianos esse clamarunt, atque ita volentem vestibus Augustalibus exornatum, è Tabernaculo eduxerunt, ac per agmina jam proficisci parantia, deduxerunt. Interim Sapor de morte Juliani edoćtus, immissis elephantis, exercitum Romanum abire conantem, invasit, (3) & cum duabus legionibus Joviorum, & Vićtorum non sine aliqua sui calamitate conflixit. Kalendis Juliis exercitus abiens, Duram oppidum, (4) Persis hærentibus in terga, pervenit: cum ad Tigrim inde processum esset, ibi quatriduum in consultanda trajećtione, quod naves non suppeterent, est consumptum, ac vehementer inedia laboratum. Ibi Jovianus legatis Saporis (5) pacem poscentibus duris conditionibus dedit. Si quidem & quinque trans Tigrim (6) à Galerio partis provinciis, se cessens,

nuere videtur Procop. l. 2. Persicor. Vide Zos. l. 3. In Concil. Chalcedonen. inter Episcopos Osdroënæ Provinciæ, qui Synodo subscripsere, Abrahamus reperitur Castrocircon Episcop.

(141) Nazian. L. Orat. 2. in Julian., & Aug. de Civ. Dei, 5. 29. Zonar., 700. triremes, & 400. onerarias incensas scribit, 12. tantummodo servatis ad pontes compingendos. L. Amm. l. 24. 8.

(142) Pagus Syriæ amplissimus, in Tigridis altera ripa, è regione Seleuciæ Urbis, à Parthis in ejusdem Civitatis odium extructus, ab ea 3. mil. pass. tantummodo distans, teste Plinio; olim autem Urbs à Parthis regibus habitata. Meminit Zos. l. 1. 9., & Polybius l. 5. Ctesiphontem laudat in historia belli ab Antiocho Magno gesti cum Molone Mediæ Præfećto. l. 5. Amm. tradit, Regem Pacorum eamdem amplificasse, & *fecisse Persidis specimen summum*. l. 23.

(143) Existimatum namque facinus audax, & importunum, *quod & civitas situ ipso inexpugnabilis defendebatur, & cum metuenda multitudine protinus Rex affore credebatur*. Amm. l. 24. 7.

(144) Libanius Sophista, qui scripta oratione Julianum laudavit extinćtum, Christianos necis Aućtores dicit, non obscure (in odium certe Christianæ Religionis) quod Amm. ipse dicere noluit, solum referens, l. 25., incertum rumorem jaćtatum, quod Julianus telo Romano cecidisset. Eutropius, qui huic expeditioni interfuit, & Sex. Ruf. una cum Vićt. Epit., ab hostium equite conto percussum scripsere.

(145) Ex Socrate l. 3. hunc annorum Juliani numerum sumpsit A. N., satius fuisset ex eod. Juliano discere, qui ep. 51. ad Alex., triginta duorum annorum natum se fatetur. *Anno ætatis altero* (idest secundo) *& trigesimo*, inquit Amm. l. 15., cui adhæret Hierony. in Chron.

(146) Theodoret. l. 3. 25. addit, Julianum mox moriturum, exceptum cava manu sanguinem in cœlum jecisse cum hac voce: *Vicisti Galilæe*.

(147) Totidem laudat Liban. ap. Socr. l. 3. 19. dicens, præstantiora esse Juliani scripta advers. Chr. Religion., quam quæ Tyrius ille senex (Porphyrius nempe) elucubrarat. Tres vero recenset Cyr. Alex., qui Commentarios suos impiis Apostatæ scriptis opposuit, *Præf.* l. *cont. Julian.* At ex diversa operis partitione id derivare potuit.

(1) Hierony. in Chr. ait: Jovianus ex primicerio Domesticorum Imp. fańtus est: Primicerius autem idem ac primus; sic Stephanus Primicerius Martyrum ab August., & Petrus Primicerius Apostolorum a Baldrico dicitur. Erat Jovianus *Varroniani notissimi Comitis filius* ex Amm. l. 25.

(2) Narrat hæc Theodoret. l. 4. Hist. Eccl., subdens hæc militum verba: *Nam qui inter nos ætate sunt provećtiores, ipsum Constantinum Dorem habuerunt*, &c. Mirum igitur non est, Ethnicos Scriptores hanc Joviani repugnantiam in Imp. suscipiendo tacitè prætериisse.

(3) Ad *Suma* Castellum equitatus Persicus in Romanorum dextrum cornu irrupit, ubi Joviani, & Herculiani (Legiones à Diocletiano, cui *Jovii*, & Maximiano, cui *Herculei* cognomentum, institutæ) occisis Persarum elephantis, acriter restiterunt. L. Zos. l. 3. 30. Vide quæ de elephantis in prœlio Curt. l. 7.

(4) Cujus meminit Amm. l. 25. 5., & Polybius l. 5. p. 394., trans Tigrim sita, diversa ab ea, quæ Mesopotamiæ civitas.

(5) Quorum unus Surena, ex Amm. l. c., & Zos. Cum Persarum vero Legatis agere jussus fuit Sallustius Præfećt. P., & Arinthæus. Vide quæ tradit Auct. Chr. Alexandr., & Zos. l. 3. 31.

(6) Arzanenam sc., Maxoënam, Zabdicenam, Rehimenam, & Corduenam Amm. l. 25. Has quoque commemorat Petrus Patricius in excerpt. Legat. Zosimus Transtigritanas non vocat, meliori consilio. Nisi dicere velimus, Transtigritanas fuisse non Romanis, sed Persis. Vide quæ Rufus Fest. ait narrans, Persas à Galerio Cæsare vićtos Mesopotamiam cum quinque regionibus Transtigr. reddidisse. Duræ autem visæ sunt conditiones ob tot civitates, & oppida hostibus con-

cessurum, & Nisibim, (7) ac Mesopotamiæ partem relicturum spopondit, atque ita fœdus in annos XXX. firmavit. Trajecto inde Tigri, non sine multis periculorum, ac cladium casibus Nisibim venit, ac castris extra mœnia positis, urbem legatis Saporis, ipsis complorantibus incolis, tradidit, atque inde reliquias Juliani, prout ipse mandarat, Tarsum sepeliendas misit. (8) Quin etiam legatos in Illyricum, & Gallias destinavit, ut nunciarent, Julianum vita functum, & se post ejus obitum ad fastigium Augustale provectum, ac Lucillianum (9) Socerum suum agentem apud Sirmium convenirent, ac redditis magisterii peditum, & equitum codicillis, properare Mediolanum urgerent, ut res dubias confirmaret, & novis casibus, si res ferret, occurreret, & Malarichum agentem in Italia, missis insignibus, Jovino succedere armorum Magistrum per Gallias imperavit. Sæviente inde hieme, venit Antiochiam. Ibi Episcopis se adeuntibus, fidem Consubstantialis se tutaturum ostendit, & Athanasium (10) post obitum Juliani ad Ecclesiam Alexandrinam reversum, sine cura esse jussit, atque Episcopos à Constantio relegatos, neque à Juliano restitutos revocavit. Gentiles Templa claudere, & cruenta sacrificia omittere imperavit, eoque Antiochiæ morante, Meletius Episcopus Concilium habuit, quo fidem Nicænam firmavit, congiarium (11) etiam à Joviano Ecclesiis datum est, quod à Constantino institutum à Juliano fuerat abrogatum. Tarsum inde progressus, sepulchrum Juliani exornavit. Tyanis autem Cappadociæ legatos reversos (12) audivit, nunciantes Lucillianum Mediolanum ingressum, cum cognovisset, Malarichum recusare magisterium, inde Rhemos se propere contulisse, milites etiam à Jovino missi retulerunt, exercitum Gallicanum æquo animo ipsius Imperium esse amplexum. Valentiniano, qui cum iis redierat, secunda scutariorum Scola commissa est. Ancyram inde in Galatiam cum venisset, ibi Consulatum cum Varroniano filio (13) iniit, puero adhuc in cunis vagiente. Ex quo loco cum 364
Dadastanam accessisset, qui locus Bithyniam distinguit à Galatis, nocte exanimatus inventus est. Cujus mortis varia fama fuit, (14) alii recenti calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequivisse putarunt; quidam extuberato capite periisse succensione prunarum immensa; nonnulli ex colluvione ciborum avida cruditate distentum. Decessit XIII. Kal. Martias anno XXXIII. ætatis, inter bonos potius, quam strenuos principes numeratus.

## VALENTINIANUS MAJOR AUG.

JOviano ex humanis rebus exempto, principes cadaver Constantinopolim miserunt, ut inter Augustorum sepulchra reponeretur. Exercitus inde è Galatia profectus, septimo die Nicæam in Bithyniam venit. Ibi VI. Kal. Martii à potestatum civilium, (15) militiæque Rectoribus de successore ad tantum fastigium evehendo relatum est. Cum alii Equitium Scholæ primæ Scutariorum Tribunum, alii Januarium res castrenses per Illyricum procurantem dixissent, exercitus utrumque repudiavit, ac Valentinianum agentem Scholam Scutariorum secundam, Cibalis oppido Pannoniæ natum, maxima animorum consensione delegit atque extemplo Ancyra Galatiæ oppido, ubi remanserat, evocavit, nemine interim per dies decem Imperii gubernacula moderante. Valentinianus cum ad nutum exercitus advolasset, tamen postero die prodire in publicum noluit, diem bis sextum Kal. Martii vitans, (16) quod eum sæpe Reip. Romanæ infaustum fuisse non fugiebat: tertio vero die, convocatis militibus, in campum cum processisset, jussu omnium Tribunal ascendit, ac secundis cunctorum voluntatibus, & clamoribus Imperator esse jubetur, mox Corona, & cultu Imperatorio decoratus, Augustus appellatur, & in clypeo, militari more circumlatus, omni laudum genere cele-

concessa, præsertim quia Nisibis, & Singaræ habitatores alio commigrarunt; Nisibitæ enim patriis sedibus cedere coacti, partim Amidam, partim in alia oppida concesserunt, ex Zos. l. 3. Singaræ vero cives, quo abierint incertum. Si autem pax illa accuratius consideretur, non improbanda; erat quippe Rom exercitus in terra hostili, fame, belloque consumptus, in sterilibus locis, atque desertis, interrepto commeatu, hinc æquioris pacis conditiones optare non poterat. L. Ruffin. l. 2. 1., Gregor. Naz. in Philipp. 2, August. l. de Civ. Dei, 4. 29., & l. 5. 21.

(7) Hanc propugnaculum Orbis Romani vocat Chris. Orat. 2. de S Babyla; quam & plurium bellorum, damnorumque causam fuisse R. Imperio tradidit Dio; eamdemque post deditam Persis à Joviano, recuperare Romani nunquam potuerunt.

(8) Juliani cadaver, præeuntibus mimis, & ludionibus, mortuum deridentibus (veteri more) Tarsum delatum narrat Nazianz. l. c. Morem hunc autem testatur Agellius l. 20. 2., Sveton. *in Vespasiano*. Zonaras tradit, idem Juliani corpus C. P. postea allatum, quod & Cedren confirmat.

(9) Hic Magister Equitum fuerat, & male à Juliano habitus, teste Amm. l. 21. 9.

(10) Epiph hær. 68. ait: *Hic sane Imperator cum multo honore, & litteris fide dignis ad Episcopum Athanasium scripsit, ipsumque accersivit, & amplexus est, & dimisit ad proprium thronum.* Tuncque Athanasius, habito Episcoporum conventu, Fidem suam Joviano quærenti patefecit. Vide Libellum Synodicum, & Niceph. l. 10. 42.

(11) Tertiam partem per id temporis præberi mandat, polliceturque, sedata fame, integrum daturum. Theod. l. 4. 4.

(12) Procopium nempe, & Memoridum. Vide Amm. l. 25. prope fin.

(13) Decreverat Imperator Varronianum Patrem sibi Collegam adsciscere, nisi mors præpodiisset, teste Themistio, Orat. Consulari, quam in Urbe Ancyra Joviano recitavit ineunti Consulatum.

(14) Recenti calce ait Socr. l. 3., & Sozom. 6., Vict. Epit. Zonar. vero, comestis fungis recentibus venenatis, cui consentit vetus Auct. ap. Suid. *in Joviano*, venenata potione Chrys. *in Philipp.* H. 15. Vide Amm. l. 25. in fin., qui proximorum insidiis strangulatum esse Jovianum significare videtur.

(15) Præsertim suffragiis Daciani Patricii, & Secundi Præf. P., necnon Arinthæi Magistri militum, ac Dagalaiphi Domesticorum Comitis. Vide Nicephor. l. 11.

(16) Bissextum diem, annumque ipsum ominosum putabat antiquitas, ut Macrob. 1. Saturnal. 14., unde & Mantuan in Fastis:

*Nec mirum est, quod fama refert, hunc scilicet annum*
*Ominis esse mali, solitumque offendere fruges,*
*Atque hominum varios infortunare labores.*

Stultam autem hanc opinionem irridet August. epist. *ad Januarium*, 119.

celebratur. Cum autem exerta manu meditata quædam dicere vellet, exercitus ex omni parte vociferari cœpit, ut ipse sibi Imperii consortem asciſceret. Quod cum Constantius, ac prope pertinacius faceret, Valentinianus veritus, ne ea res graviorem aliquem tumultum exciret, elata dextra, ut fiduciæ plenus, proximos quosdam insolentius se gerentes increpuit, ad universos inde conversus; *Quod erat in vestra manu,* inquit, *nondum designato Imperii formatore, vos è Repub. fideque vestra complestis, ut eum ad summam rerum evocaretis, quem ab ineunte usque ad maturam ætatem integre, splendideque vixisse cognostis. Equidem collegam socia in omnes casus potestate adjungi oportere, & ego quoque intelligo, dum augentem curarum imminentium molem cum animo meo reputo; sed concordiæ serviendum est, qua res quoque minimæ adolescunt, quod fiet, si vos mihi libenter, quod vestrarum est partium, concedetis, cui rei me enixe operam daturum esse polliceor, interim per otium corporum, animorumque vires recipite, ac protinus debita ob Augustalem nuncupationem* (17) *munera expectate.* Atque ita sedato clamore, ordinibus omnibus prosequentibus in Regiam est progressus. Post diem tertium Nicæa discedens, primores, quos advocaverat, sciscitatus est, quemnam collegam Imperii oporteret assumi, cui, silentibus cunctis, Dagalaiphus equitum Magister liberius: Si tuos, inquit, amas, habes fratrem, si Remp. alium quære. Quo ille dicto offensus, dissimulato consilio Kal. Martii citatis itineribus Nicomediam prodiit, atque ibi Valentem fratrem ex Pæonia (18) accitum stabulo suo cum Tribunatus dignitate præfecit. Inde progressus Constantinopolim, Kalend. Aprilis (19) eundem in suburbanum (20) produxit, ac summo omnium consensu, (neque enim refragari audebat quisquam) Augustum declaravit, atque Augustali trabea, ac Regio diademate ornatum in eodem vehiculo secum reduxit, potestatis quidem ejusdem participem, sed more apparitoris obedientem. Inde rapidis febribus ambo tentati, ubi spem vivendi firmarunt, suspectas morborum causas Ursacio officiorum Magistro, (21) & quæstori Juventio commiserunt, invidiam amicis Juliani conflantes, (22) qui se occultis insidiis invasissent. Sequenti inde mense ambo Thracias peragrarunt, & cum Hadrianopolim, Philippopolim, Sardicamque venissent, demum Naissum mense Junio in superiorem Mœsiam accesserunt. Ibi Imperii, ducumque, & numerorum militarium divisio facta est: provinciæ Orientales ad Illyricum usque concessæ Valenti: reliquas ad Occidentem pertinentes Valentinianus sibi retinuit. Præfecti Prætorio Sallustius Orientem, Probus Illyricum, (23) Mamertinus Italiam, Germanus Gallias gubernavit. Magistros utriusque militiæ Valens Victorem, & Arintheum, Valentinianus Jovinum, & Dagalaiphum obtinuit, eadem quoque concordia numeri militares partiti. Quibus actis, ex Mœsia inde in Pannoniam processerunt, &, cum Sirmium accessissent, uterque inde ad suum administrandum Imperium abierunt. (24) Ac Valens quidem Constantinopolim rediit, Valentinianus vero in Italiam transgressus mense Septembri Aquilejam, atque inde Altinum, tum Veronam, atque in exitu anni Mediolanum accessit: siquidem ex his locis omnibus rescripta præcipua dedit. Romæ Præfectus urbis Apronianus severius, (25) quam moris erat, quæstiones de veneno exercuit, multisque supplicio affectis cru-

(17) Hoc donativum *Augustaticum* dixit recentior Latinitas, quod militibus erogabant nuncupati Augusti, ad conciliandam militum benevolentiam: eademque munera Augustorum quoque filii largiebantur. Dabantur itidem in Quinquennalibus, & Decennalibus, in quibus quasi renovabatur Imperium. Morem hunc Justinianus abolevit, teste Procopio in Anecdotis, erat que quinque aureorum in singulos milites. De hac consuetudine Libanius Orat. in Ellebichum.

(18) Pæones populi Macedoniæ, in Mysiæ superioris confinio, quos Herodotus ad Strymonem fluvium describit, Dio ad Rhodopem montem, Ptolomæus ad ortum Haliacmonis fluvii. Urbes Deborus, Alorus, & Jorum. Hos memorat Ovidius l. 2. de Ponto, eleg. 2. Virgil. l. 7. Æn. Sunt vero qui Pæoniam circa flumen Axium Emathiæ finitimam collocant.

(19) *V. Kal. April.*, ex Amm. l. 26., cui Socr. suffragatur, qui tricesimo post die quam Valentinianus Aug. creatus, id factum scribit; Idac., & Chron. Alex. ante diem *IV. Kal. Aprilis* dicunt.

(20) Quod Septimum dicebatur, utpote à C. P. 7. milliariis distans, ubi Tribunal erat, teste Idacio in Fastis, ibique Augustum declaravit Valentem, qui gradibus deinde marmoreis, & statuis illud ornavit, ut Themistius ait in fin. Orat. ib., quæ *Philadelphus* inscripta est. Hoc idem Tribunal Campus quoque dicebatur ob latam loci planiciem, quemadmodum cecinit Claud. in Rufinum l. 2. ubi primo planiciem, & paulo post Tribunal commemorat. Ibique post Valentis tempora cuncti fere Imperatores coronabantur.

(21) *Dalmatæ crudo*, Amm. ait l. 26. 4., qui eumdem inferius iracundum vocat, & sævum, sugillans, quod asperius Alemannos tractasset. Is ut Magister Officior. legationes tractabat, non civitatum modo, sed & gentium exterarum: Scrinium item Admissionum, *ex Not. Imp.*, administrabat. Vide Cassiod. l. 6. ep. 6. Sub ipso Schola erat *Agentium in rebus*, unde Curiosi per omnes Provincias, & ad limites mittebantur, L. Prisc. Rhetorem in Histor., p. 26. Sub ejus dispositione Officia Palatina, & Scholæ, teste Rutilio l. 1. Itinerarii. Vide eumd. Cassiodor. in formula Magisteriæ dignitatis, l. 6.

(22) Narrat Zosim. l 4. solum Valentinianum cum à Nicæa C. P. pergeret, febri correptum falsam concepisse suspicionem, quod Juliani amici præstigiis, ac maleficiis illum secreto appetiissent; subjicit deinde viros dignitate conspicuos hujus criminis insimulatos, ac industria Salustii Præfecti Præt. vendicatos. Ambos autem Impp. ex febri præstigia, ac maleficia suspicatos prodit Amm. l 26. c. 4. subdens: *ne verbo quidem tenus insidiarum indicio ullo reperto.*

(23) Amm. l. 26. 5. testatur, Mamertinum Italiam cum Africa, & Illyrico obtinuisse.

(24) Valentinianus porro Occidentem integrum sibi servavit, (qui Constantino juniori, & Constanti cesserat) totum scil. Illyricum cum Macedonia, ex l. 7. *de Metallis* Cod. Theod. Italiam, Africam, Gallias, Hispanias, Britannias. Valenti vero fratri reliquit universum Orientem, ex ead. l. 7. c., Ægyptum usque, & Thraciam, ut Zos. l. 4., Philost. l. 8. 8.

(25) Nimiæ hujus severitatis eam caussam affert Amm. l. 26. 3., *quod Juliani promotus arbitrio agentis etiamtum per Syrias, in itinere unum amiserat locum, suspicatusque artibus se nefariis appetitum, justo quidem, sed inusitato dolore, hæc, & alia magna quæritabat industria.*

crudelior, quam justior, visus est. Hilarius auriga confessus, se filium venefico cuidam ad discenda quædam occultiora, & lege vetita tradidisse, damnatus, cum laxius retinente carnifice elapsus in Ecclesiam confugisset, illico extractus, desecta cervice, peremptus est. Senator autem quidam, cum servum suum eadem disciplina imbuendum curasse convictus esset, supplicium pecunia grandi redemit; eo tamen regente, inopia, quæ assiduas plebis Rom. voces, ac querelas expromere solebat, prorsus nulla fuit.

365 Postero anno Valens Constantinopoli, Valentinianus Mediolani, Consulatum inivit. Hi quanquam ambo Christianis addicti sacris fuerunt, non idem tamen de Christo uterque senserunt. Nam Valentinianus fide stetit à Niceno Concilio constituta, Valens vero (26) perfidiæ se dedidit Arrianæ, ut qui proxime initiatus fuerat ab Eudoxio Episcopo Constantinopolitano, homine cum ipso Arrio faciente. Ut autem Arrianis Valentinianus nihil molestiæ præbuit, sic contra Valens Catholicos acerrime divexavit. Quare rogatus à quibusdam Macedonianæ opinionis Episcopis, ut alterum Concilium de fide constituenda convocari Lampsaci sineret, quod eos cum Eudoxio sentire arbitrabatur, morem gessit, inde primo vere Antiochiam versus iter intendit, verens, ne Persæ violato fœdere, quod cum Joviano pepigerant, in fines Romanos irrumperent. In Bithynia vero certior factus, Gothorum gentes conjurationem fecisse, ut limites Thraciarum invaderent, ne id facere possent, idoneam peditum, equitumque manum ad ea loca, in quibus barbarici metuebantur incursus, immisit. Inde, cum pacata apud Persas omnia reperisset, otium ab armis nactus, totum se eis tradidit, qui Consubstantiale tuebantur, exagitandis, atque Euzonium Arrianorum Antiochiæ Episcopum omnibus complexus honoribus, Meletium Catholicum urbe, & finibus pepulit. Dum autem ille intentus huic operi in Asia morabatur, Procopius quidam (27) è Cilicia, qui Julianum Augustum propinqua cognatione attingebat, magnas copias brevi temporis spatio comparavit, atque Imperator Constantinopoli magno favore populi salutatus usque eo processit audaciæ,

A ut arma adversus ipsum ceperit. Interim qui Lampsaci Episcopi convenerunt, (28) decreta contra Eudoxii opinionem haud multum à Catholicis dissidentia ediderunt, atque Ariminense Concilium condemnarunt, neque ei incommodo Eudoxius, aut Valens propter bellum, quod à populo Constantinopolitano, duce Procopio, in Thracia gerebatur, occurrere potuerunt. Quo bello audito, Valens in tantas consilii difficultates adductus est, ut in Galatiam reversus, Imperii deponere insignia cogitarit. (29) In Occidente Alemani jampridem à Juliano pacati rursus ad arma se contulerunt. Legati, quos ad Comitatum miserant, minora, B & leviora, quam pro vetere consuetudine, dona retulerant; itaque, cum ea per iracundiam respuissent, atque asperius habiti ab Ursacio officiorum Magistro fuissent, domum reversi haud ægre suos ad vindicandam injuriam concitarant. Quod ubi cognovit Valentinianus, Dagalaiphum peditum Magistrum cum valida militum manu ad eos misit, atque ipse mox ex Italia in Galliam transiit. Alemani vero, trajecto Rheno, cum proxima quæque loca diripuissent, domum impune repetierunt. Kalendis Novembris Valentinianum Parisios prodeuntem Equitius de tumultu à Procopio concitato admonuit, qui se ab Antonio, in Da- C cia mediterranea Tribuno, certiorem factum dicebat. Ea re cognita, Valentinianus Equitium redire in Illyricum jussit, metuens, ne hostis, superatis Thraciis, sese in Pannonias incitaret, voluit ipse quoque in Orientem accurrere, verum nobilium civitatum missis legationibus destitit, suppliciter orantium, ne Gallias desereret, ope ipsius præsentis egentes, easque iræ, atque armis Germanorum objectas relinqueret, cum eas ipse præsens solo nominis sui metu maximis eximere periculis posset. Itaque Rhemos progressus, Vulterium notarium misit, qui partem hostibus infestam defenderet. Eodem anno XII. Kal. Augusti D memorabile prodigium prope in toto Imperio editum est, paulo post lucis exortum, crebris lapsis de cœlo fulminibus, tota terra vehementissimo tremore concussa est, mare dispulsum revolutis fluctibus retro abiit, ita ut pelagi profunditate retecta, pisces

humo

---

(26) Illum Fidei causa balteum voluisse deponere, ne Juliano sacrificanti obtemperaret, auctor est Socr. l. 4. 1., & usque ad expeditionem adversus Gothos paratam, perseverasse Catholicum, Theodoret. affirmat l. 4. 1. At an. III. Imperii, Chr. 366. ad Arianas partes descivit, cum bellum Gothicum esset auspicaturus, ex Hieron. in Chr., & Theodoreto 16 c. 11., ubi narrat, Valentem in baptismate suscipiendo, jurejurando se obstrinxisse, suadente Eudoxio, Arianam hæresim profiteri, atque ab Ecclesiis pellere Episcopos contrariæ professionis.

(27) Cedrenus hunc Juliani *ἀνεψιὸν* dicit, cui Julianus Aug Persas petens 20. mill. militum commisit, teste Amm. l. 23. 3. Joviano autem imperante apud Strategium Senatorem ex Palatino milite latuit, Amm. l. 26. 6. Mortuo deinde Joviano, per Divitenses, & Tungricanos juniores invasit Imperium, anno tamen præterito; Ammianus enim l. 25. ait, Procopium autumnali tempore Constantinopoli apparuisse *subitò* purpuratum, addens l. 26., rei gestæ nuncium perlatum ad Valentinianum adventantem Parisios prope Kal. Novemb., & Valentem E æstivis jam elapsis caloribus, nuncium eadem re accepisse Cæsareæ Cappadociæ. Hallucinatur itaque Sozom l. 6 7., dum post Lampsacenum Concil. obortam tradit Procopii tyrannidem; illud autem celebratum fuit sub primo amborum Impp. Consulatu, ex Socrate l. 4. 3.

(28) Episcopi Hellesponti, & Bithyniæ, aliique *Consubstantialis* assertores, Hypatium Heracliæ Antistitem Legatum ad Valentinianum miserunt, ut sibi de Fidei doctrina ritè constituenda in unum conveniendi libertas permitteretur, responsum Imperatoris fuit, sibi non licere hujusmodi negotiis laicas admovere manus, proindeque Episcopi, quo vellent, convenirent, teste Sozom. l. 6. 7. Convenere igitur Lampsacum Hellesponti h. an., Fidem Nicænam se amplecti fassi sunt, quamvis vocem *consubstantialis* tacitus præterierint, unde apud Basil. ep. 82. malè audierunt.

(29) *Repentino pavore vias providendi turbante, eousque desponderat animum, ut angustus amictus abjicere tamquam gravem sarcinam cogitaret*, Amm. l. 26. 7. sed Amici, proximique à *deformi proposito* distraxere.

humo hærentes cernerentur, valliumque & montium vastitates radiis Solis, quos natura negarat, illustrarentur. Multis autem navibus per undarum reliquias ad capiendos pisces ultro, citroque vagantibus, ecce improviso antiquas sedes marinæ undæ repetiverunt, quo facto insulis, & porrectis continentis spatiis violenter illisæ, innumera ubique ædificia proruerunt, & multa hominum millia absumpserunt, atque ingentia navigia partim tectorum in culmina contulerunt, partim longe à littore propulerunt. Quam rem sic tetigit D. Hieronymus in vita Hilarionis: *Ea tempestate terræmotu totius Orbis, qui post Juliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos, & , quasi rursum Deus diluvium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naves* (30) *ad prærupta delatæ montium pependerunt. Quod cum viderent Epidauritani, frementes scilicet fluctus & undarum moles, & montes gurgitum littoribus inferri, verentes, quod jam evenisse cernebant, ne oppidum funditus subverteretur, ingressi sunt ad Hilarionem, & quasi ad prælium proficiscentes, posuerunt eum in littore. Qui cum tria Crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit, ac diu fremens & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum sit.* Romæ Præfectus urbis Symmachus pontem (31) à se conditum magna populi lætitia dedicavit. Huic Lampadius (32) successit, ex prætorio Præfecto ad eam dignitatem elatus, qui adeo gloriæ cupiditate flagravit, ut in omnibus urbis partibus, quæ magnificis diversorum principum impensis ornatæ erant, nomen proprium inscripserit, laudem aucupans, non ut veterum ædificiorum instauratoris, sed ut novorum conditoris, qua in re cum maligne, atque avare se gereret, incitata plebs infima quodam die cum facibus ad domum ejus (33) prope Lavacrum Constantinianum incendendam accurrit, sed à familia ex summis tectorum culminibus petita, nihil profecit. Lampadius tamen gravioris mali timore perterritus ad Pontem Mulvium secessit, atque ibi dum furor is elanguesceret, expectavit.

366 Proximo anno, quo Consulatum Gratianus nobilissimus puer, (34) quem Valentinianus Augustus ex Severa susceperat, & Dagalaiphus ambo in Occidente gesserunt, Procopius Constantinopoli egressus, in Asiam adversus Valentem exercitum, Gotthis adjuvantibus, duxit, cui Valens ex Antiochia in Phrygiam obvius venit, commissoque prœlio victus abscessit. (35) Non multo post (36) Procopius ab exercitu suo desertus, cum de salute propria laboraret, in nemora, montesque recessit: ibi à ducibus suis captus, ad Valentem reductus, ac statim jussu ejus per summum cruciatum occisus est; (37) bellum exeunte Majo confectum. Ea victoria elatus Valens, Procopii caput ad Valentinianum misit. Nicomediam inde regressus, curas bellicas adversus eos, qui ab Arrianis diffidebant, convertit, atque ibi Eleusium Cizyci Episcopum accersitum, Arrianis Episcopis congregatis assentiri exilio intentato coëgit. Inde Constantinopolim profectus, Chalcedonem, quod in partibus Procopianis fuisset, nudari parte mœnium Constantinopolim spectante, jussit, ac Catholicos, & Novatianos, tanquam eidem opinioni addictos, urbe dejecit, eorumque occludi Ecclesias jussit. Interim Eleusius Cizycum reversus, vim sibi ab Imperatore factam conquestus, Ecclesiæ administratione se abdicavit. Qua re audita, Eudoxius Episcopus Constantinopolitanus Eunomium ei Ecclesiæ præposuit, qui Cizycum profectus, jussu Valentis in sede est constitutus, homo eloquentiæ, ac dialecticæ potius, quam sacrarum litterarum peritus. Is primum Arrianam doctrinam professus, paulo post ab eis discessit, atque hæresim Arriana deteriorem, Eudoxio frustra renitente, induxit, quam qui amplexi sunt, ab eo Eunomiani dicti sunt, atque ab Eudoxio, & Arrianis se removentes, conventus seorsum habere cœperunt. Monitus inde Valens à Valentiniano, ad quem de belli ratione retulerat, ut Gotthos invaderet, quos auxiliis Procopium juvisse constabat, Victorem magistrum equitum ad eos misit percontatum, quam ob rem, cum in amicitia essent,

(30) *Culminibus insedere tectorum*, ut Alexandriæ contigit, ex Amm. l. 26. fin., qui subdit, *& ad secundum lapidem fere procul à littore contortæ sunt aliquæ, ut Laconicam prope Mothonem oppidum nos transeundo conspeximus, diuturna carie fatiscentem.*

(31) Pater hic Q. Aurelii Symmachi, cujus nunc extant epistolæ. Quinam hic pons intelligendus, declarat Valesius in Not. ad l. 27. Amm. c. 3. dicens: Pontem Gratiani hic intelligi oportet, quo in insulam Tyberinam trajici mos erat. De quo refert veterem Inscript.

(32) *Homo indignanter admodum sustinens, si etiam cum spueret non laudaretur, ut quoque prudenter præter alios faciens.* Amm. l. 27. c. 3. Quæ sequuntur verba A. N. ab Ammiano sunt excripta dicente, eodem vitio inscribendi proprium nomen veteribus ædificiis laborasse Trajanum, ideoque herbam parietinam per jocum fuisse cognominatum.

(33) Id discrimen subiere plures urbis Romæ Præfecti ut Ambros. ep. 29. ad Theodos. præter enim Lampadii domum, illa Symmachi à plebeis incensa fuit, ob quam injuriam is in agrum secessit, revocatus deinde non suffragiis modo, sed & Senatus precibus, Oratoribus missis. L. Symm. epist. 38. L. 1.

(34) Qui *Nobilissimi* pueri nomine honestabantur, non minus ac Cæsares, Consules procedebant, initio obtentæ dignitatis: sic Varronianus an. 364. Consul fuit: itemque h. an. Gratianus Valentiniani filius.

(35) A quonam id receperit Sigonius nescio, cum nec Ammian., nec Zosimus dicant, victum abscessisse Valentem. Certe hic A. N. loquitur de pugna prope Nacoliam, in qua sane Valens victus dici nequit. Ita enim res se habuit: superato vel potius se dedente Gomoario (alter hic erat Procopii dux) Valens Sardes venit, ubi aliquantisper moratus, Phrygiam petiit, & in Nacoliensibus campis Phrygiæ Salutaris, collatis viribus, cum Agilo (hunc Aplonem Zosim. vocat) signa ad eum transtulisset, Procopii factionem oppressit. Vide Amm. l. 26. c. 9. Zosim. l. 4. Socrat. l. 4. c. 5.

(36) Post Thracias in suam potestatem redactas, Bithyniamque adeptam, Nicæa, & Chalcedone obsidione liberatis, & tandem post Hellespontum adeptum, Cyzico expugnato. L. Amm. l. 26. c. 7., & seqq.

(17) *Abscissa cervice* mortuum ait Amm. l. c., cui Philostorgius l. 9. c. 5. consentit, æt. suæ anno XL. VI. Kal. Jun. ex Idac. in Fastis: sed Auctor Chron. Alex. XII. Kal. Julias tradit occisum.

essent, de fide tam facile decessissent, ac A bellum principibus legitimis pro adulterino fecissent. Ii responsum reddiderunt, se litteras à Procopio accepisse, quibus Imperium ad se Constantini propinquitate trahebat, qua excusatione repudiata, bello eos persequi statuit. In Gallia Alemani post Kalendas Januarias rursus Gallico limite superato, proxima quæque effusissime populati sunt, quibus Carietto per utramque Germaniam Comes occurrit, ascito in societatem Severiano item Comite, qui apud Caledona (38) legiones Divitenses, & Tungricanas regebat, ii, ponte in flumen injecto, audacter in fines hostium invaserunt, ac prœlia cum eis, sed infelicia miscue- B runt; nam Severianus gravissime vulneratus, Carietto etiam morte affectus est. Herulorum, (39) Batavorumque (40) vexillum, cum in eorum potestatem venisset, direptum. Itaque Valentinianus, ut huic cladi mederetur, propere Dagalaiphum Parisiis occurrere jussit, deinde revocato illo, (41) ut cum Gratiano filio Consularia insignia sumeret, Jovinum equitum magistrum summisit, is multis secundis prœliis factis, rem prolapsam restituit, quippe cum tribus hostium globis conflixit, primus, quem plane imparatum oppressit, prorsus ad interneccionem deletus, (42) secundum cum lavantem, ac potantem offendisset, in fu- C gam præcipitem compulit, in tertium inde, (43) qui paratus pugnam expectabat, invectus, prœlium insigne commisit, quo nocte dirempto, fugientes hostes per nemora conquisivit, Regem eorum cum hastarii excepissent, patibulo suffixerunt. Redeunti Parisios Valentinianus obviam lætus processit, eumque in insequentem annum Consulem declaravit. Cumulatus inde lætitiæ Germanicæ fructus est, quod per eosdem dies Procopii caput à Valente transmissum advenit. Eidem puer etiam natus est ex Justina uxore, quem Valentinianum vocavit, eum, qui postea imperavit. In Italia per D Tusciam Annonariam res ridicula novam animis religionem injecit. (44) Pistorii sub horam diei tertiam, spectantibus multis, asinus excelsum Tribunal ascendit, atque inde ruditum usque adeo compositum edidit, ut populum accurrentem alloqui, & quædam dicere velle videretur. Macedoniani Episcopi ab Arrianis jussu Valentis vexati, consiliis inter se occulte communicatis transire ad Catholicos decreverunt, ac communi consensu legatos, quorum princeps erat Eustachius Sebastiæ Episcopus, in Italiam ad Valentinianum Augustum, & Liberium Pontificem mittunt, atque eis, ut cum Liberio, & Ecclesia Romana consentiant, mandant. Legati profecti, cum in Italia Valentinianum non invenissent, Liberio litteras reddiderunt, quas ille accipere noluit, negans sibi communionem cum iis esse posse, qui fidem Nicæni Concilii abrogarent, cui illi responderunt, se, saniore consilio capto, fidem eorum, qui Filium Patri dissimilem esse assererent, abjecisse, proindeque ipsum, ut se reciperet, obsecrare: cum autem Liberius postulasset, ut fidem suam scripto mandarent, libellum illi tradiderunt; in quo, ceteris formulis condemnatis, in primisque Ariminensi Concilio reprobato, una cum Nicæno, Filium Patri consubstantialem esse confessi sunt. Cum eos hoc modo Liberius tanquam sponsione aliqua se obstrinxisse putaret, tum in communionem accepit; datisque ad Macedonianos Episcopos litteris, benigne dimisit. Sedente Romæ Liberio, ingens prodigium, quod pios perfundere religione animos posset, est factum. Joannes Patricius liberorum orbitatem iniquo animo patiens, summis precibus à Maria Virgine Dei genitrice contendit, ut se aut prolis compotem faceret, aut de idoneo instituendo herede doceret: nocte vero sequenti, ipsam se videre Virginem in quiete visus est, admonentem, ut sua impensa templum sibi in Exquiliis conderet in eo loco, quem postridie,

(38) Amm. l. 14. eamdem urbem appellat Græcanice Cabillona, sed l. 27. c. 1. in plerisque Codicibus habetur Calidona, & Calydona ex errore quidem orto à transpositione trium litterarum, & b, & d similitudine, quarum una in alteram facile ab incauto Amanuensi commutatur. A. igitur N. Ammiani vitiatum textum hic exscribens Caledona dixit, de hoc siquidem loco ita dicto nullibi mentio: sola Calydon ad Evenum fluvium sita, totius Ætoliæ caput. Id autem certum est, Divitenses, & Tungricanos Cabillone ad Ararim tunc moratos ad loci præsidium, quibus præerat Severianus Comes.

(39) αἰσιώλκοι vocat Zonar. in Gestis Gallieni, Ærulos. Dexippus l. 12. usitata Græcis trajectione ἐλέντος, sicut & Ablabius Historicus teste Jordane in Gothicis, cujus nomenclaturæ hanc affert rationem, quod ea gens juxta Mæoticas paludes habitans, in locis stagnantibus, quæ Græci ἕλη vocant, unde Auctor Etymolog. ait: ἀπὸ τῶν ἐκεῖσε ἑλῶν Ἔλουροι κεκλῶνται. Hi statura proceri, & ad E cursum velocissimi teste Jordane non modo à Romanis, sed ab aliis quoque Nationibus mercede conducebantur.

(40) Tanta fuit Valentiniani ira, accepto infelicis pugnæ nuncio, ut quæstione instituta, cum Batavorum Legionem fugæ initium fecisse cognosceret, jusserit Batavos armis exutos, pretium offerentibus, veluti mancipia, alio abducendos tradi: sed illi ad terram prolapsi veniam petentes polliciti sunt, in posterum se tales præstituros, ut Romano nomine digni haberentur, sicque optatam veniam impetrarunt. Zosim. l. 4. In eo prælio Carietto, & Severianus Duces, occisi.

(41) Cunctatus enim Dagalaiphus causabatur, barbaros per varia loca diffusos à se peti non posse. Ammian. l. 27. c. 2.

(42) Primum hoc prælium commissum est prope locum Scarponna, qui à Mettensium urbe XII. milliar. aberat, ut Paul. Diac. scribit *de Episcopis Mettensibus*.

(43) Qui prope Catelaunos ad congrediendum erat paratus. Ammian. l. c. Sed tertius hic globus barbarorum victus, quatuor millibus sauciatis, sex millibus interfectis, eorumque Rege capto. De hac Alamannica victoria Idac. in Fastis.

(44) Refert id Ammian. l. c. c. 3., & portendisse ait quod deinde evenit; *Terentius enim humili genere in Urbe natus, & pistor, ad vicem præmii, quia peculatus reum detulerat Orfitum ex Præfecto, hanc eamdem provinciam Correctoris administraverat potestate*. Id accidit in *Tuscia annonaria*. De Tuscia vide Anonym. Mediolanensem in *Diss. de Ital.* Med. Ævi. Duplicem Tusciam (sicuti & Picenum) Annonariam, & Urbicariam memorat Cassiodor. l. 4. ep. 14., Auctores rei agr. p. 163. Annonariæ meminit & Jornan. *de Regnor. successione*, fin. Lex vero 12. C. Theod. *de indulg.* debit. Suburbicariæ, & in inscript. Novel. Constitutionis Leonis, & Majorani, Tit. 9.

die, qui erat Nonis Augusti futurus, nive conspersum vidisset, itaque somno solutus rem propere ad Liberium detulit, qui cum idem se quoque vidisse assereret, religione tactus, in Exquilias cum magno populi comitatu processit, ac nive contra anni rationem inventa, locum basilicæ designavit, ac Joannis pecunia constructam, D. Mariæ Virgini primam in urbe dedicavit, ac Solemne tanto miraculo, quod nunc quoque observatur, instituit. Eo inde VIII. Kal. Octobris mortuo (45) comitia novo creando Pontifici sunt indicta. Kalendis Octobris populus convocatus Damasum Diaconum, domo Hispanum, doctrinæ, ac probitatis eximiæ virum creavit. Quod sentiens Ursicinus competitor ejus, separatim ab Ecclesia conventum egit, & in basilica Sicinini (46) à nonnullis creatus, se à Tiburtino consecrari Episcopo jussit. Qua re cognita, repente pars Damasi, quæ opibus prævalebat, accurrit, atque indignatione accensa, prœlium adeo atrox commisit, ut in eo centum homines ac triginta ceciderint. Viventius præfectus urbis, cum seditionem componere conatus non potuisset, auxilio desperato, in suburbanum se retu-
367 lit. Lupicino inde, Jovinoque Consulibus, appetente vere, Valens in Mœsiam profectus, prope munimentum nomine Daphnem, (47) castra locavit, ponteque ex navibus in Danobium facto, flumen resistentibus nullis trajecit, atque hostes summa cura conquirere institit. Verum cum neminem reperiret, quod omnes in montes Serrorum (*) omnibus, nisi peritis, inaccessos sese retulerant, ne, æstate tota consumpta, sine ullo reverteretur effectu, Arintheo peditum magistro ad prædas agendas misso, in Mœsiam se recepit. VI. Nonas Julii Constantinopoli grando magnitudine inusitata de cœlo cadens, nonnullos homines interemit, plerisque immissam à Deo vulgo ferentibus quod multi Sacerdotes relegati fuissent, quia cum Eudoxio communione jungi noluissent. Valentinianus apud Ambianos constitutus adeo periculoso morbo jactatus est, ut quidam illius vitæ diffidentes, occulta de successore substituendo consilia coquerent, alii Rusticum Julianum memoriæ magistrum, alii Severum peditum magistrum sermonibus destinantes. Quod ubi ille ex morbo recreatus comperit, Gratianum filium, nondum puberem, Augustali afficere dignitate decrevit, reque cum exercitu constituta, ut animis eum promptis acciperet, XIII. Kal. Septembris (48) progressus in campum, Tribunal ascendit, (49) & nobilium potestatum corona cinctus, puerum dextra apprehensum produxit, atque Imperatorem renunciatum ipsis militibus commendavit, cujus nondum expletam orationem exercitus ingenti clamore excepit, ac certatim alius præire alium gestiens, voluntatem, judiciumque ejus summa se animorum alacritate comprobare significavit. Qua re excitatus Valentinianus, Gratianum corona, & Augustalibus ornamentis indutum osculatus: En habes, inquit, mi Gratiane amictus Augustos meo, commilitonumque nostrorum arbitrio, ominibus faustis delatos, accingere pro rerum urgentium mole, ut patris, & patrui collega, & assuesce impavidus penetrare cum agminibus peditum Danubium, & Rhenum, armatis tuis proximus stare, sanguinem pro iis, quos regis, effundere, nihil alienum quod ad Romani Imperii defensionem pertineat, ducere; vos vero rogo commilitones, ut Imperatorem vestræ fidei commissum studio eximio complectamini. His dictis, Eupraxius magister memoriæ primus omnium exclamavit Familia Gratiani hoc meretur, statimque promotus est ad quæsturam. Inde utrumque Imperatorem milites præclaris laudibus exceperunt, sed maxime Gratianum, quem excellens quædam animi, & corporis indoles præcipue omnibus commendabat. Fecit autem hoc novo exemplo Valentinianus, quod fratrem, & filium designatos, non Cæsares, sed Augustos (50) vocarit, neque enim, ut inquit Ammianus, quisquam sibi ascivit pari potestate collegam, præter Marcum, (51) qui Verum fratrem adoptivum sine diminutione aliqua majestatis Imperatoriæ sibi constituit socium. Post paucos dies Mamertinum præfectum prætorio ab urbe regressum, quo ad quædam emendanda

(45) Recte A. N., ex Hieron. in Chron juxta edit. Pontaci Id asserunt Marcellinus, & Faustinus presbyteri Luciferiani, qui hoc tempore vixere, in *Præfat Libelli precum* ad Impp. Valentinianum, Theodosium, & Arcad. Unde duratio Sedis Liberii in Anastasio, & Catalogis corrupte descripta. Ei Damasus successit Kal. Oct., ut recte A. N., quæ eo anno in diem Dominic. inciderunt.

(46) Ita appellat Amm. l. 27, Socr. l. 4. 49. *Basilicam* verò *Liberii* vocat Marcellinus Luciferianus presbyter, *Libell. precum* s c., & vetus scriptor, qui hujus schismatis descripsit Historiam; quam vide ap. Ruffin. l. 2. 10, Socr. l. 4. 24. Sozom. l. 6. 23

(47) *Constantiniana Daphne* dicitur in Nummis teste Occone, & Golzio; castrum nempe in Mœsia secunda à Constantino M. adversus Gothorum excursus constructum. Vide Procop. l. 4. de operibus Justiniani; indeque dicti Ballistarii Daphnenses, & Constantini Daphnenses, inter militares numeros.

(*) Meminit Ammian. l. 27. 5. *arduos, & inaccessos* vocans.

(48) *Die IX. Kal. Sept.* Idac. tradit in Fast., & Auct. Chr. Alex. cum Socrate l. 4. 11. Natus an. 359. ut ex ante cit. auct. liquet.

(49) Morem hunc servavere Constantius in nuncupatione Juliani, ex Amm. l. 15 deinde Honorium Augustum creans Theodosius, ap. Claud. IV. Consul Honorii, aliique Impp, sive dum Augustum, sive dum Cæsarem tantum renunciarent, ut primo scil. milites convocarent, eosque allo querentur pro Tribunali, consensumque obtinerent; donativum deinde pollicerentur, (de quo superius) novum denique inauguratum purpura ornarent, aptisque verbis ad Rempubl. recte, & fortiter administrandam hortarentur.

(50) Laudat id Ausonius in *Versibus Paschalibus*; qui Paullino perperam tribuuntur. Laudat & Themistius Orat. 15. ad Valentem, cujus epigraphe, *Philadelphus*. Neque enim Severus Bassianum, & Getam filios, Augustos statim nuncupavit, sed primo Cæsares tantum, ut Spartianus testatur; neque Diocletianus Maximianum Herculeum subito Augustum sibi adscivit, sed primo Cæsarem, ut Eutropius scribit.

(51) Græci Scriptores ferè nominant Verum, qui hic dicitur Marcus, & Lucium, qui hic Verus. Vide Zosim. l. 1. Julianum in Cæsaribus, Hieronym. in Chron,



Digitized by Google

danda contenderat, Avitianus ex vicario (52) de peculatu postulavit, atque ideo in ejus locum Vulcatius Rufinus est subrogatus: (53) qui nactus copiam principis, Orfitum (54) ex præfecto urbis ab exilio revocavit. Eodem etiam tempore nimia Valentiniani asperitas (*) in judiciis terrori omnibus fuit. Dioclem (55) ex Comite largitionum Illyrici ob levia crimina jussit exuri. Diodorus vero ex Agente in rebus, & tres apparitores potestatis vicariæ per Italiam, ob id vexati atrociter, quod apud eum questus est Comes. Diodorum quidem adversus se civiliter implorasse juris auxilium, (56) officiales vero jussu judicis ausos monere proficiscentem, ut responderet ex lege. (57) Eorum memoriam apud Mediolanom colentes Christiani, locum sepulturæ, ad Innocentes vocarunt. Itaque, cum in causa cujusdam Maxentii trium oppidorum ordines (58) tractari jussisset, Eupraxius quæstor interpellavit, & parcius, inquit, agito Princeps, nam quos interfici, tanquam noxios, jubes, Christiani pro martyribus colunt, (59) & cum in alia re venia digna jussisset, ternos per ordines urbium plurimarum interimi, Florentius Præfectus: Et quid agetur, inquit, si quo in oppido tam multi curiales non essent? (60) Huic diritati illud accessit, quod si quis eum audisset, judicium potentis inimici declinans, aliumque sibi dari judicem petens, ad eumdem, quem metuebat, licet multa prætenderet justa, rejecit. Ubi debitorem aliquem (61) propter rei familiaris angustias solvendo non esse audivit, interfici oportere pronuncisvit. Eodem tempore bellum grave in Britannia est coortum, erant autem Picti, qui in duas gentes (62) Caledonas, (63) & Vecturiones (64) divisi, una cum Atacottis, & Scotis infestis insulam populstionibus afflixerunt, itemque Saxones, (65) atque eis finitimi Franci, qui quo quisque mari, terraque perrumpere potuit, prædis, incendiisque faciendis, atque ho-

(52) Scilicet Africæ: fuerat enim Avitianus Vicarius Africæ Juliano IV. & Sallustio Coss. ut legitur in Cod. Theod. l. 15. de cursu publico, & l. 2. de itinere muniendo.

(53) His quidem Coss. hoc quippe anno extat Valentiniani rescriptum ad eumdem in Cod. Theod. de Advocato Fisci.

(54) Quem superius diximus peculatus accersitum a Terentio Pistore, sed Vulcatii Rufini opera solutus exilio, à Valentiniano Augusto patrimonio restitutus fuit, & laribus.

(*) L. Ammian. l. 27. c. 7., & Sulpicium Severum in 2. Dialog. de Virtutibus B. Martini c. 6. immo ad ejus animum immitem uxor accesserat Ariana, Justina A. mater Valentiniani Junioris A.

(55) Narrat hæc Ammian. l. c., ubi & Diodori meminit, qui Vicarius Italiæ erat, sub cujus dispositione erant Venetia, & Istria, Æmilia, Liguria, Flaminia, Picenum Annonarium, Alpes Cottiæ, Rhætia prima, & secunda, quæ provinciæ Italiæ nomine speciatim dictæ, ab Urbicariis regionibus, Vicario Urbis Romæ subjectis, distinctæ.

(56) Nil porro tam civile, quam adversus vim præpotentium juris implorere præsidium. Eodem prorsus sensu *civiliter* sontentiam promi inquit Apulejus in X.

(57) Jussu Vicarii apparitores Comitem illum ad Comitatum proficiscentem monuerant, sisteret se judicio, & causam diceret, idque ex officio præstitere. Id conquestus est Comes apud Valentinianum, & cum ille remittendus esset ad Vicarii tribunal justo more, præter jus Imperator Diodorum, ejusque Apparitores vexavit acerrimè.

(58) Curiales nempe trium oppidorum; illis namque inter alia curæ erat, judicum sententias executioni mandare, ut patet ex L. 39. Cod. Theod. de decurionibus; unde Lex 32. de Appellat., & Lex 15. quorum appellation. in eod. Cod. ad decuriones sunt directæ. Itaque in causa Maxentii (hic Pannonius erat ex Ammian. l. c.) qui sententia Judicis erat damnatus, cum Curiales trium oppidorum mature, ut à Judice præceptum fuerat, executi fuissent sententiam, Valentinianus Curiales jussit interfici in gratiam popularis sui.

(59) A. N. ex Amm. hæc desumpsit, l. 27. 7., cui cæterno facile adeo in rebus nostris minime fidendum; præsertim cum nulla in Mediolanensi Ecclesia tradita posteris extet memoria, ut hi injuste ab Imperatore damnati, Martyrum cultum obtinuerint. Cæterum de Martyribus, qui *gloriosam mortem*, *intemerata Fide*, & *cruciabiles pœnas pertulere*, loquitur l. 22., adeo ut vel apud Gentiles *Martyrum* ingentem admirationem excitarit.

(60) Imperante Juliano florebant Curiæ dignitate non minus, quam hominum multitudine; sed eo mortuo paulatim labi cœpere, plerisque, ob vitanda onera, ad Palatinam militiam, aut ad polyticas administrationes transeuntibus, aut ad armatam militiam; quare in quibusdam oppidis unus tantummodo remanserat Curialis. Id conqueritur Libanius in Orat. πρὸς τὸν βασιλέα ὑπὲρ τῶν βουλῶν: & in Epilogo Orat. funebris pag. 327.

(61) Ammianus, quem hic exscribit A. N., l. 27. c. 7. loquitur de debitoribus fiscalium titulorum, qui debitores fisci in Codice dicuntur. Nimiam hanc Valentiniani in exigendis tributis severitatem etiam Zosim. l. 4. sugillat: observat hæc Valesius. Legibus XII. Tabular. debitor solvendo impar creditoribus adjudicabatur in partes secandus. At publico more repudiata, legeque Petilia Papyr. abrogata. L. Tertullian. Apologet. 4.

(62) Nec Tacitus, nec Ptolomæus Pictorum meminere, eorum tamen frequens mentio posterioribus, iique plurimos septemtrionales Britannos comprehendebant, ut mox ex Eumenio demonstrabitur. Eaque mens esse videtur A. N., qui ex Ammian. desumpsit, ut Pictos in duas gentes divisos. Gens hæc solita pictis animalium figuris corpus ornare, inde nomen fortasse sortita est, ad quod respexit Claudian. de III. Consulatu Honorii v. 54. canens:

*Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos*
*Edomuit, Scotumque vago mucrone sequutus.*

(63) Caledonios appellat Martial. l. X. epigram 44. Silius Ital. l. 3. v. 598. Valer. Flaccus l. 1. v. 7. & tota Regio Caledonia sæpe dicta. Vide Tacitum Agricolam c. XI. A Ptolomæo dicitur quoque Καληδόνιος δρυμός, *silva Caledonia*. De Caledoniis silvis etiam Florus. Apud Ammianum legitur *Dicalmodas*, atque ita plerique legunt apud Eumenium in Panegyrico ad Constantinum M., vitiosamque lectionem hanc suspicatur Cellarius Geographiæ Antiquæ l. 2. c. 4., sed certè Ptolomæus l. 2. c. 3. Oceanum dixit Δουηκαληδόνιον, quod latinè exprimitur Deucaledonium, unde Dicalidones apud Ammian., & Eumenium locis cit. hic autem de Constantio Chloro, qui post relatam de Pictis victoriam Eboraci occubuit; *Neque enim* (ait) *ille tot, tantisque rebus gestis non Dicaledonum, aliorumque Pictorum &c.*

(64) Tenebris immersa ignobiliora hæc nomina populorum, sicut & Atacotti ait Cellarius Geograph. l. 2. c. 4. Valesii fratres adnotarunt non certum hoc in libris Ammian. vocabulum, quidam enim MS. Vesturiones, alii *Verturiones*. *Atacottos* bellicosam hominum nationem Ammian. appellat. l. 27. c. 8.

(65) Apud rerum gestarum Scriptores Franci, Saxonesque ferè junguntur, ut apud Julian. Orat. I., Eutrop. l. 9. de Carausio. Francia quippe inter Saxones, Alemannosque sita, ut Itineraria tabula Peutingerorum.

Digitized by Google

hominibus in servitutem abstrahendis fœde omnia laniarunt. Valentinianus autem cum ex Ambianis Treviros proficiscens accepisset, Nectaridium (66) Comitem maritimi tractus occisum, & Bulchobaudem (67) ducem insidiis ab iis circunventum, Theodosium Theodosii, (68) qui postea imperavit, patrem, virum bello egregium, in Britanniam destinavit. Theodosius exercitu accepto, cum ad Bononiense littus venisset, secundo æstu trajecit, ac Rutupias (69) stationem è regione prospere tenuit. Batavis inde, Herulis, Joviis, & Victoribus, quos se subsequi jusserat, exceptis, Londinium oppidum prodiit, atque inde vagantes prædatorum catervas adortus, pecora, captivosque relinquere compulit, ac parte exigua militibus tradita, cum reliquam iis, quorum fuerat, reddidisset, lætus in urbem ovantis in modum se retulit, captivorum inde sermonibus, & perfugarum indiciis cum didicisset, diffusam variarum gentium multitudinem non nisi dolis occultioribus, & improvisis incursionibus opprimi posse, præfectos mitti ad regendam provinciam postulavit: missus est Civilis, ut provinciam regeret, Dulcitius, ut exercitui præesset. Latinus Pacatus in oratione, qua laudavit Theodosium, retulit, attritam ab hoc pedestribus prœliis Bataviam, Saxones bellis navalibus consumptos, Scotos ad paludes suas redactos. Romæ, fervente adhuc de Pontifice legendo seditione, Maximus præfectus urbis, (70) ut incitatos ad cædem animos cohiberet, severissimas de laicis, clericisque Damasianis quæstiones habuit, eosque variis tormentis affecit. Prætextatus (71) autem successor ejus, vir probus, ac justus, eundem tumultum lenire ingressus, caussæ veritate perspecta, Ursicinum (72) ex urbe pepulit, ac civitati ocium peperit, is Ecclesiæ Neapolitanæ præfectus est. Multa alia egregia à Prætextato gesta clarum ejus Magistratum effecerunt. Nam & mœniana (73) sustulit omnia, priscis quoque legibus interdicta, & parietes privatorum ab ædibus sacris discrevit (74) iisdem inverecunde conjunctos, & pondera per regiones universas instituit, (75) cum libidini multorum pro arbitrio lances componentium occurri nequiret, & lites summa cum omnium gratia judicavit. (76) Valentiniano inde, & Va- 368
lente Augustis secundum consulatum gerentibus, Valens ex Mœsia iterum transire in regionem Gotthorum conatus, diu Danubii transitum inquisivit, verum, Gotthis contra tendentibus, frustra laboravit. Itaque cum castra prope Carporum vicum usque ad Autumnum habuisset, tandem Marcianopolim in hiberna recessit. In Britannia Theodosius à Londinio profectus, eversis Britannorum fortunis, auxilium maximum tulit, cum opportuna quæque barbaris ad insidias loca præriperet, nec majus gregariis militibus onus imponeret, quam ipse susciperet. Itaque variis gentibus fusis, ac fugatis, civitates, ac castra in integrum sunt restituta, quæ variis fuerunt incommodis afflictata. Valentinum etiam Pannonium in Britannia exulem, cum res novas moliens populos ad arma solicitaret, antequam opes confirmare posset suas, oppressit, cumque Dulcitio puniendum dedit, de conjuratis quæstiones haberi prohibuit, ne supplicii metu quiescentem tumultum redintegraret, atque ad extremum, munita, constitutaque provincia, (77) ad Valentinianum reversus, magister equitum in locum

(66) Qui in Notitia Imperii Romani dicitur Comes littoris Saxonici per Britannias.

(67) Fullofaudem Ammian. l. c. vocat.

(68) Severum primo Domesticorum Comitem misit, quo revocato Jovinus eadem loca adiit. Sed periculis urgentibus, Theodosius electus officiis Martiis felicissimè cognitus, ait Ammian. eod. loco.

(69) Olim portus satis clarus, à quampluribus Scriptoribus memoratus cum suo adjacente littore, de quo Lucan. l. 6. c. 67. Juvenal. Satyr. 4. v. 140. Auson. Parental. 18., & de Claris Urbibus in Aquileja. Ammian. l. 27. c. 8., & alibi. In Notitia Imperii sub Comite littoris Saxonici per Britanniam memoratur Præpositus Legionis II. Aug. Rutupis.

(70) Maximinus dicitur l. 28. ab Ammian. isque cum Vicariam Præfecturam, & Annonariam, ac postea Prætoriam administraret truculentus civium Roman. carnifex fuit.

(71) Vettius Agorius Prætextatus Urbanam iniit Præfecturam Lupicino, & Jovino Coss., ut ex Cod. Theod. patet; & in consclos seditionis Ursinianæ acrius animadvertit, Clericis etiam nonnullis supplicio affectis, ut scribit Socrates l. 4. c. 24., qui tamen Maximinum perperam appellat. Vales. in Not. ad l. 27. Marcellini c. 9. sed pace doctissimi viri non Prætextatus, sed Maximinus, sive Maximus severiora hæc judicia exercuit, neque in hoc Socrates erravit, cui Ruffinus consentit, l. 2. c. 10. Sozomen. l. 6. c. 23. Niceph. l. 11. c. 30., aliique.

(72) Ursinum nominat Ammian. l. c., hunc Episcopum Neapolitanum fuisse dicitur in Libro Pontificali; sed hæc notitia ejusdem pretii habenda, ac quamplures aliæ, quæ in eodem Libro continentur, ut præ ceteris illa, qua Auctor Pontificatum Damasi consignat temporibus Apostatæ Juliani. Extat certè Gratiani rescriptum, quo patet, Ursicinum exulem in Gallias amandatum, diuque ibi mansisse omnibus satis constat, cujus indulgentia deinde revocatus fuit. Nec Marcellinus ejus fautor verbum ullum hujus rei habet in libello exhibito Theodosio, quo omnem movit lapidem, ut Ursicini causam defenderet.

(73) Asconius *in Divinationem* refert, Mænium, cum Domum suam venderet, Catone, & Flacco Censs., ut ibi Basilica Porcia extrueretur, jus sibi excepisse unius columnæ, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde & ipse, posterique ejus spectare munus gladiatorium possent, anno ab Urbe C. 569. Mænium deinde alii quoque imitati è lapide, vel è materia ædificavere in porticibus Mæniana, & foribus, domibusque adjecerunt. Vide Isidorum ex vetere Grammatico id scribentem l. 15. Originum. Vide L. 242. ff. de Verb. signif. L. 11. C. de Ædificiis priv. Item Festum Pompejum in Mæniana.

(74) Extat Constitutio Arcadii, Honorii, & Theodosii Impp., qua præcipitur, ut ædificia privatorum publicis Ædibus adhærentia, sive superposita destruantur.

(75) De ponderibus publicis V. Constitut. Valentiniani, Theodosii, Arcadii Impp. L. 9. de susceptor. præpos., *cum aviditati multorum ex libidine trutinas componentium occurri nequiret*, ait Ammian. l. 27. c. 9.

(76) Brutum imitatus, quem ita Tullius alloquitur in Oratore: *Quid tam difficile, quam in multorum controversiis dijudicandis ab omnibus diligi? consequeris tamen, ut eos ipsos, contra quos statuis, æquos, placatosque dimittas. Itaque efficis, ut cum gratiæ causa nihil facias, omnia tamen sint grata, quæ facis.*

(77) Pars scilicet insulæ à barbaris occupata, iisdem pulsis, Theodosio ad Principem referente, obtinuit, ut Valentia diceretur, rectoremque legitimum, Consularem nempe,

cum Jovini est factus. (78) In Gallia Valentiniano ad expeditionem profecto, Rando regalis, trajecto cum expeditis hominibus Rheno, Maguncîacum (79) præsidiis vacuum clam accessit, ac Christianos Solemni maximo occupatos adeptus, universos utriusque sexus, ac fortunæ homines cum ingenti supellectile avertit. Qua re Romani incensi, Vitichabium Regem eorum omnium tumultuum auctorem, quia aliter non potuerunt, ministro mercede corrupto, peremerunt, atque ita feroces aliquantisper Alemanorum impetus retuderunt. Valentinianus inde, copiis, & commeatibus maximis expeditis, & Sebastiano Comite cum Illyricis, & Italicis numeris accersito, maturo jam Vere, Rhenum una cum Gratiano Augusto transmisit, atque exploratis per peritos duces itineribus, sensim ad interiores hostium gentes accessit nemine autem, qui obviam iret, invento, segetes omnes, nisi quas sibi necessarias duxit, incendit, progressus inde ulterius, cum ad Solicinium (80) pervenisset, hostes non longe constitutos invenit. Ii, cum nullam salutis tuendæ, nisi repentino facto in Romanos incursu, rationem haberent, locorum notitia freti montem occupaverunt excelsum admodum, atque ab omni parte, præterquam à Septentrione, abruptum, atque ibi signis locatis, subito ad arma conclamaverunt. Hac re animadversa, Romani haud cunctandum sibi duxerunt, quin ad illos contenderent, ac summo prœlio decertarent. Igitur Sebastianus cum suis ad partem Septentrionalem adiit. Valentinianus autem, Gratiano apud signa Jovinianorum relicto, ad radices montis explorandas processit cum paucis, quorum industriam, & fidem perspectam habebat, asserens, aliam reperiri posse in montem viam, præter eam, quam procursatores (81) ostenderant; verum cum per ignota loca, & palustres uligines inconsultius tenderet, in insidias hostium incidit, à quibus facile oppressus fuisset, nisi incitato repente per limum equo, regressus in legionum se gremium recepisset, verum periculo adeo proximus fuit, ut galeam ejus cubicularius ferens auro, lapillisque distinctam, cum ipsa penitus interierit. Inde, quiete reficiendis corporibus data, signoque sublato, quo solent ad pugnam milites incitari, adversus hostes ire contendit. Præibant duo præstantis animi juvenes Salvius, & Lupicinus, scutarius unus, (82) è schola Gentilium (83) alter, ii, cum ad rupes objectas venissent, licet ingenti hostium conatu, repulsi, in summum evaserunt, quo facto atrox inter utrasque acies prœlium est exortum, & licet Romani, Valentiniano, & Sebastiano duce, iniquiore multo loco pugnarent, sic tamen virture valuerunt, ut hostes ad extremum terga dare coëgerint. Qui effugerunt, dispersis per silvas se latebris conservarunt, ex Romanorum tamen parte optimus quisque dux cecidit. (84) Atque his actis, Imperatores, exercitu in hiberna dimisso, Treviros reverterunt. (85) Vulcatio Rufino vita functo, Probus ad Præfecturam (86) Præto-

pe. Cum igitur ante Britannia Romano Imperio subjecta quatuor Provincias haberet, Maximam Cæsariensem, Flaviam Cæsariensem, Britanniam primam, & Britanniam secundam, post hanc Theodosii victoriam addita est Valentia, unde in Notitia Imperii ejusdem quoque fit mentio sub Vicario Britanniarum. V. Ammian. l. c. de hac victoria Pacatus in Pan. Claudian. in l. de IV. Consular. Honorii, & Symmac. epist. 22. l. X.

(78) Qui primum a Juliano Magister equitum per Illyricum, ac deinde per Gallias promotus fuerat, teste Ammian. l. 21., Juliano defuncto, à Joviano Aug. Malaricus fuit suffectus, sed hoc eodem recusante, Joviani litteris Jovino magisterium militum fuit confirmatum, quam dignitatem retinuit quoad Prætextatum habuit successorem.

(79) Varie scribitur hoc nomen: apud Tacitum l. 4. Histor. c. 15. & 33. Magontiacum dicitur: Mogontiacum apud Auctorem Tabulæ Peutingerianæ ex Theodosii ævo, & apud Eutrop. l. 7. c. 8. Ptolomæus Μοκοντιακὸν vocat, sed falso caput Inferioris Germaniæ scripsit, cum caput fuerit Superioris. Truncato deinde vocabulo à Poetis Mogontia, vel Moguntia appellata. Vide Fortunatum l. 9. carm. 9. ad Sidonium Episc. Mogontiacensem. Cæterum prima hæc calamitas a Randone Alamanno illata huic civitati confundenda non est cum altera, quæ accidit anno 406., aut ex aliis 408. sub Principatu Honorii, tunc cum quamplures aliæ Gallicanæ Urbes tot mala passæ sunt ab Alanis, Suevis, Vandalis, Burgundionibus, & Alamannis. L. Hieron. epist. ad Agerochiam, posterius hoc excidium Mogontiaci memorantem.

(80) De hoc loco V. Rhenanum German. rer. l. 3. Horoldo est *Sulms* in Hassia; Lazio *Bretten* oppidum Sueviæ. Cluverius vero ait esse *Sultz*, ad Nicrum fluvium, in Ducatu Virtembergensi 5. mill. German., a fontibus Danubii in Boream, Tubingam versus 4.

(81) Hi & Procalcatores dicebantur, & Excursatores, qui agmen præeuntes, incursum hostium explorabant, eosque Veget. l. 2. exculcatores, seu exculcatores vocat. Leo in Tacticis προκουρσάτορας.

(82) Ita Miles, qui Principem comitabatur, Zosim. enim l. 3. ait: *Recedentibus duobus ordinibus, qui Principem stipare solebant, ac scutarii dicuntur*. Scutis quippe utebantur, totum etiam corpus armis tegentes. Unde patet duas fuisse Scutariorum Scholas, quarum Ammian. meminit l. 25., & 26. præter has fuit etiam Schola Scutariorum Clibanariorum, ut constat ex L. 9. Cod. Theod. de annona civica: & Schola Scutariorum Sagittariorum.

(83) Hi inter Scholares militabant, ut ex Notitia Imperii: sic dicti quod ex gentilibus, seu barbaris conscripti essent, quamvis Procopius in Anecdotis Scholares omnes fere ex barbaris, Armenia puta, & Isauria conscriptos fuisse testetur. Hujus autem Scholæ appellatio anterior est Constantino, cum in Menologio Græcorum dicatur Sergius è Schola Gentilium fuisse.

(84) Ammian. l. 27. Valerianum cecidisse memorat Domesticorum omnium primum, & Natuspardonem, quem expertum bellatorem appellat, Sicinio veteri, & Sergio comparandum, c. 11.

(85) Ubi triumphales ludos edidit Valentinianus, teste Ausonio in Mosella sub finem.

(86) Fuit Cœlii Probini filius, Petronii Probiani nepos, qui ambo Consules fuere, dictus ex Avi nomine Sextus Petronius Probus, cujus tanta apud exteras Gentes fama fuit, ut ex Perside Romam nonnulli venerint, Probi potentiam, ac divitias spectaturi, referente Paulino in Vita Ambrosii. Fuerat is primo Proconf. Africæ, Datiano, & Cereale Coss., ut liquet ex L. 3. Cod. Theod. quorum appellat. Deinde Præfect. Prætor. quartum, tandem Consul cum Gratiano A. Illius liberalitatem, ac magnificentiam laudat Claudian. in Consulatu Olybrii, & Probini: ejusdem virtutes, & vitia Ammian. fuse describit l. c. c. 12.

torianam ab urbe accitus, V. Idus Octobris, terræmotu in Bithynia facto, urbs Nicæna procubuit, quo prodigio Eudoxius, & Valens haudquaquam exterriti, acerbe sævire in eos, qui à se in fide dissentiebant, perrexerunt, cum plurimos Episcopos exegissent, Basilium tamen Cæsariæ, (87) & Gregorium (88) Nazianzi Episcopos ex Cappadocia, & Athanasium Alexandriæ non attigerunt, homines pietate, atque eruditione inter ceteros eminentes. Cum Italia post Concilium Ariminense in maximis versata motibus propter perfidiam Arrianam fuisset, præcipue Auxentio Mediolani Episcopo perfurente, demum Damasus, vir sanctus, ubi primum ab Ursicino fuit quietus, Ariminensem illam, quæ in Ecclesia Occidentali adhuc insederat, tollere labem constituit, atque Episcopos ex Italia, & Gallia Romam ad Concilium advocavit, (89) nonaginta convenere. Ex eorum auctoritate, Nicæna de Consubstantiali sententia confirmata, Ariminense Concilium, ut teterrimum, abrogatum, quique ei assentirent, ab Ecclesiæ communione semoti: nominatim vero Auxentius Episcopus Mediolanensis damnatus, qui solus in Italia Nicænum Concilium oppugnabat, ac Mediolanensem Ecclesiam, & finitimas fœdissime depravabat, ac decreta Concilii ad Episcopos Illyrici missa. Valentinianus enim, cum Episcopos Asiæ doctrinam Nicænam in controversiam vocasse audiret, ut ei malo occurreret, Concilium haberi ab Illyricis Episcopis jussit, qui, cum fidem Consubstantialis retinuissent, ea de re sibi & Asianos Episcopos, & Valentem fratrem litteris commonendum putavit in quibus hæc verba fuerunt: *Ipsi acta ad vos mittimus, ut intelligatis quæ ab hoc Concilio decreta sunt, quæ summatim hæc continent. Sententiam magni, & orthodoxi Concilii Nicæni sequentes, confitemur, Filium Patri consubstantialem esse, neque ita intelligimus consubstantialem, uti quidam pridem exponebant, Similem, per quam vocem Filius nulli creaturæ per ipsum conditæ, sed soli Patri similis ostenditur. Qui tradunt, Filium Dei nihil aliud, quam creaturam eximiam esse, impie plane definiunt, nos autem non aliter sentimus, atque duo Concilia præsentia, quorum alterum jam Romæ, alterum habetur in Gallia, nimirum unam, eamdemque essentiam esse Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in tribus personis, hoc est in tribus perfectis hypostasesi.* (90) Idem etiam Valentem rogavit, ut saniora de fide consilia sequi, & Catholicis in Oriente vexandis parcere vellet. Atque ita toto Oriente turbato, Occidens in magna propter fidem tranquillitate versatus est. Valentiniano inde nobilissimo puero, (91) & 369
Victore Consulibus, Auxentio Mediolani Episcopo Romæ condemnato atque urbe exacto, populus de more ad comitia successori creando in Templo convenit. Ibi civitate discordia laborante, cum alii alium pro cujusque studio poscerent, brevi rem ad jurgia, & prava certamina deduxerunt, satisque apparebat, neutram partem pertinaciæ modum facturam, nisi eo, quem quisque diceret, Episcopo designato. Qua re cognita Ambrosius civis Rom. (92) qui Liguriæ, atque Æmiliæ Consularis Mediolani sedebat, ut tumultum comprimeret, ad Templum accurrit, atque apud eos, quæ opportuna visa sunt, disserere de concordia & pace Ecclesiæ cœpit: adhuc vero illo loquente, pueri vox in turba increpuit, Ambrosium Episcopum acclamantis, quam ubi populus audivit, avide non aliter, ac si de cœlo missa esset, arripuit, & continuo, consentientibus ambarum partium animis, ipsum, ad Baptismum (nam Catechumenus erat,) & Episcopatum accipiendum oravit, sic enim fore ut civitatis concordia coalesceret. Qua re audita Ambrosius, ut populi studia in alium se digniorem averteret,

(87) Auctor, qui sub Amphilochii nomine res Basilii conscripsit, hunc vita functum VI Valentis anno oscitanter nimis scripsit; Hieronymus enim in Chron ejusdem meminit, anno 13. Valentis: & de Scriptorib. Eccl. *in Basilio* ait, mortuum esse sub Gratiano, eo nempe solo imperante. Sedit autem annis octo, nono ineunte, ut Nyssen. ep. ad Olympium Monachum, & Nazianz. *in sepulchralib*, mortuus, porro ante menses novem, quam Antiochenum concilium post Valentis mortem indictum celebraretur, (an. sc. 380) teste eod Nysseno; ex quibus intelliges Basilium, non ante an. 371., Episcopum renunciatum.

(88) Neque hic præsenti anno Episcopus, cum omnibus compertum sit, eumdem Sazymorum Episcopum primo à Basilio creatum, quod ante an. 371. evenire non potuit, ex dictis de Basilio. Is Nazianzenam rexit Ecclesiam, vivente adhuc Patre, unde Nazianzeni cognomen servavit.

(89) Cujus meminit Theodoret. l. 2. 12., Sozom. l. 6. 23., neque in hoc tantum damnatus, teste Athan. ep. ad Epictetum, Auxentius, sed in *Conciliis per Galliam, & Hispanias, & Romæ celebratis, omnes qui in eo Conventu fuere, istos lucifugas qui se se etiamnum occultant, & quæ Arii sunt, sapiunt, Auxentium dico*, & cet. Pag. ad an. 369. ostendere nititur, hoc Concil. celebratum fuisse an. 372., sed nulla valida ratio cogit ut à præsenti anno removeatur.

(90) Patres Græci alii nomen hypostasis ad *essentiam*, alii ad Personam significandam adhibuere ad annum usque 319., quo Alexandrina Synodus celebrata; ab hinc enim, sapienti consilio Hosii Cordubensis Episc., frequentius Hypostasis pro *Persona* accepta. In Ecclesia Latina diu certatum, an una, vel tres in SS. Trinitate asserendæ forent; unam namque Paulinus, tres Meletius admittebat, de voce tamen solummodo dissidentes invicem, ejusque acceptione, ut judicavit Concil. Alexandr. an. 362, ad cujus Synodi Patres litem evocaverat Athanasius. D Hieronymus ep. ad Damas. Paulino adhærebat, ne per tres hypostases distinctæ in divinis naturæ adstruerentur. Cœpit tandem Ecclesia ea uti voce ad Personas exprimendas.

(91) Non Julius Felix Valentinianus, vir privatus, ut male Onuphr., sed Valentis filius, collega Victore, qui sub Valente Magister militum fuit, ut ex l. 12 C. Theod. *de erogat. ann.* Ad hunc extat S. Basil. ep. 347., & Greg. Naz. 133, & 134., in quarum prima hortatur ad promovendam Ecclesiæ pacem.

(92) Cui Insubriam, Liguriam, & Æmiliam Probus, unus ex Præf. P. commiserat. Paul. V. S. Ambr. A. N. secutus Panvin. in Fast. lapsus est, huic an consignans Ambrosii electionem, cum tamen, defuncto Auxentio, Latini, Græcique Scriptores unanimi consensu ad Mediolan. Sedem evectum tradant. Hieronym. in Chron. juxta Edit. Scalig. an. Abrahami 2391. assignat, an. nempe Chr. 374., *Septimo Id. Decembris* peracta Ordinatione, qui in dominicam eod an. incidit. Ambrosii fugam, latebras, & irritos conatus, ne eligeretur L. ap. Paulin. in ejus V. Theodor. l. 4. 6., Socr. l. 4. 25. Sozom. l. 6. 24.

ret Templo egressus Tribunal ascendit, ac capitalem quæstionem exercuit. Quod conspicatus populus, clamare cœpit: Peccatum tuum, Ambrosi, super nos: tuorum tibi remissionem peccatorum per Baptismatis gratiam pollicemur, atque hoc idem, cum ille domum regressus se Philosophiæ studio tradidisset, ac publicas mulieres ad se publice accedere præcepisset, effecit. Postquam autem instanti se resistere populo non posse vidit, media nocte urbe abiit, ac Ticinum versus iter intendit, verum errore viæ prima luce ad eandem, unde exierat, portam, quæ Romana jam tum dicebatur, appetiit. Quem ut populus vidit, arreptum asservavit, ac relationem ad Valentinianum in Galliam misit. Valentinianus hoc cognito: *Gratias ago Deo*, inquit, *quod quos ego Reip. administrandæ præficio, eos ille ad Ecclesiam suam gubernandam deposcit*, ratusque eam electione bono Ecclesiæ Mediolanensi futuram, Vicario, ut rem ad exitum perduceret, imperavit. Interim Ambrosius ex custodia elapsus, in fundo Leontii viri clarissimi se occuluit; verum, ubi edictum à Vicario propositum fuit, à Leontio proditus, Mediolanum repetiit, ac se in populi potestate esse professus, ab Episcopo Catholico Baptismum, ac post dies octo Episcopalem Consecrationem accepit, atque inde Ecclesiam ordinare, atque Arrianos ab Auxentio illatos, ex urbe, atque ex provincia deturbare instituit. Evasit enim vir sanctitate, eruditione, & multorum signorum editione insignis, ita ut eum Magistrum Doctoremque Ecclesia Occidentalis asciverit. Interim Valens, (93) ut aliquando tandem meritas de Gotthis pœnas expeteret, per Noviodunum, junctis navibus amnem transmisit, atque in agrum Gotthorum irrupit, inde continuatis itineribus longius agentes Tervingos, gentem eorum bellicosam, aggressus, post leviora certamina edita Athanaricum judicem potentissimum (94) resistere ausum, in fugam compulit: demum cum toto exercitu in hiberna revertit. Interim Gotthi ex diuturna principis in Mœsia mansione in timorem sui adducti, & ex vetitis commerciis (95) summa rerum omnium necessariarum inopia conflictati, verba de pace intulerunt; cujus mentionem cum æquis Valens auribus accepisset, Victorem, & Arintheum militiæ magistros ad rem transigendam misit, die vero ad conficiendum negotium præstituta, quoniam ajebat Athanaricus, se religione, & mandato patrio impediri, (96) quo minus Romanum solum iniret, neque decorum erat, ad eum Romanum Imperatorem transire, placuit ut navibus in medio flumine convenirent, atque ita, acceptis obsidibus, (97) Valens tertio Gotthici belli anno Constantinopolim rediit. In Gallia Valentinianus, ut infestas Germanorum incursiones arceret, Rhenum à Rhætiis usque ad Oceanum magnis munire molibus est adortus, itaque castella, & turres excelsas, quà Galliarum porrigitur longitudo, construxit, in aliquot etiam locis trans flumen ædificia posuit, ac barbarorum fines præstrinxit; cum autem munitiones has, Nicro flumine præterlabente, paulatim corrumpi posse immani undarum impetu cerneret, cursum fluminis aliò avertere statuit, & quæsitis aquariæ rei peritis, atque ingenti militum manu adhibita, opus instituit, ac magna & sua, & militum constantia, ac patientia consummavit, ad montem vero Piri trans Rhenum munimentum cupiens excitare, Aratori duci, & Syagrio (98) Notario id negotii dedit, qui fundamentis jactis, Hermogenem successorem obtinuit. Neque ita multo post ex abdito collis hostilis manus erupit, quæ facto in milites impetu, plerosque seminudos, atque humum egerentes trucidavit, duosque duces occidit. Et hoc anno Romæ nimia judiciorum severitate laboratum est. Ejus rei hinc initium ductum. Chilo ex Vicario, (99) & conjux Maxima questi apud Olybrium urbis Præfectum, vitam suam venenis petitam, impetrarunt, ut qui suspecti essent, (100) in vincula traderentur, ac mox Olybrio adversa valetudine impedito, ut judicium Maximino Præfecto annonæ (101) com-

(93) Hic annus ultimus belli Gothici, quo & regnare cœpit Athanaricus, ut ex Chron. Isidori, & Hieronymi colligitur, cum enim præfatus Rex ab Isidoro tredecim annos regnasse, & obiisse 381. dicatur, initium Regni a præsenti anno desumendum.

(94) Gothorum namque Reges, Judices potius dici voluere, & præsertim Athanaricos, ut refert Themistius Orat. X. ad Valentem dicta post pacem cum Gothis initam, Valentiniano, & Valente, ambobus tertium Coss.

(95) Romani fœderatis barbaris commercandi in solo Romano copiam faciebant, teste Tacito l. IV. Hist., & libro de Moribus Germanorum: certa tamen oppida, certosque dies constituebant, quibus cum Romanis liceret convenire commercandi gratia, custodibus datis Centurionibus, qui barbaros deducerent, ut de Marco, & Commodo scribit Dio l. 71., & 72. Gothis quoque certa in limite oppida ad id præscripta; sed deinde, ut Themistius l. c., fœdere a Romanis impetraverant, ubicumque vellent, commercatum exercerent, usque dum Valens in pace illa cum Athanarico percussa, duo tantummodo oppida præscripsit ad Histrum, ubi jus haberent commercandi.

(96) *Sub timenda execratione jurisjurandi se esse obstrictum, mandatisque prohibitum patris, ne solum calcaret aliquando Romanorum* asserebat Athanaricus. Ammian. l. 27. c. V.

(97) Pax inita, quam Athanaricus ad mortem usque servavit, cum enim Gothi duce Fritigerno Histrum trajicere, atque in Achajam se effundere decrevissent, Athanaricum utpote Romanis fidum è sedibus suis pellendum putarunt, ne cum Romanorum copiis à fronte pugnaturi, a tergo imminentem Regem paterentur. Hic itaque pulsus C. P. cum suis confugit ad Theodosium, à quo benigne exceptus eodem mense obiit, regalique sepultura honestatus. L. Zosim. l. 4., D. Ambros. in Proem. libror. de Spiritu Sancto ad Gratianum A.

(98) Hic Afranius Syagrius, teste Sidonio epist. 7. l. 5., non autem Postumus dicebatur, ut Onufrius in Fastis posuit, fuitque Consul in Occidente an. D. 381. ut ex subscriptione legis 88., & 89. Cod. Theod. de Decurionibus, non autem in Oriente, ut eid. Onofrio placuit. Ter autem Præfectus Prætorio fuisse dicitur à Sidonio epist. 12. l. 7.

(99) Vicarius Africæ dicitur in L. 4. Cod. Theod. de excusat. artif., Gratiano 3., & Equitio Coss. sed mendosam inscriptionem putant Eruditi, scribendumque Chiloni Proconsuli Africæ, ut ex inscriptione l. 7. Cod. Theod. de prædiis Navicular.

(100) Horum nomina lege apud Ammian. l. 28. c. 1. fuse hæc narrantem.

(101) Hieronym. in Chron. ad ann. Chr. 371. ait: *Maximinus præfectus annonæ maleficos ab Imperatore investigare jussus plurimos Romæ Nobilium*

Digitized by Google

A committeretur. Cum autem multi nobiles multorum scelerum auctores nominati in quæstionibus fuissent, Valentinianus certior factus, non posse, nisi acrioribus suppliciis inquiri, & vindicari flagitia, quibus se multi Romæ obstrinxissent, mandavit, ut quæstiones solito asperiores adhiberentur, atque omnes torqueri permisit, quos Imperatorum constitutiones tormentis exemissent. Ita multi nobiles juxta, atque ignobiles, viri, ac fœminæ variis de criminibus capite damnati sunt. Ob eam rem cum nemo esset tam innocens, quin tormenta, & vincula somniaret, Romani legatos ad Valentinianum miserunt oratum, ne pœnas delictis graviores expeti pateretur. B Ille autem, cum ignorationem facti excusasset, nihil tamen de quæstionum acerbitate remisit. Maximinus autem cum suopte ingenio, tum Principis indulgentia ferox, eo truculentiæ processit, ut dicere non dubitarit, neminem, se invito, inveniri posse insontem, apparitores autem ad fallendum aptos emisit, qui deflendo casus, quibus se simulabant oppressos, ac judicis exaggerando crudelitatem asserebant, nullum his malis remedium aliud superesse, quam si nobiles viri eorundem criminum socii proderentur, quorum gratia absolverentur, qui minus opibus in civitate valerent.

370 Postero anno, qui fuit Christi CCCLXX. Valentiniano, & Valente Augustis, ambobus tertium Consulibus, C Valente Constantinopoli Nicomediam profecto, Eudoxius Episcopus (102) vita cessit, in cujus locum Arriani Demophilum, Catholici vero recuperandæ sedis causa Evagrium designarunt, qua de re gravis inter eos est orta contentio, quæ ne ingravesceret, Valens veritus, missis Nicomedia ad urbem militibus, Evagrium aliò relegari mandavit. Unde Arriani elati, Catholicos omnibus, quibus potuerunt, incommodis affecerunt. Quæ cum illi ferre non possent, legatos octoginta Nicomedian: injurias deprecatum miserunt, quos Valens non modo non audiit, sed nova etiam, at D que acerba morte multandos curavit, cujus supplicii diritatem mox insignis frugum omnium inopia excepit, quæ Phrygiam gravissime perculit: qua re neglecta, Valens Nicomedia Antiochiam adiit, atque ibi omnia genera cruciatuum adhibendo, sævire in Catholicos institit. Per eosdem dies, cum nefario quorundam hominum vaticinio cognovisset, eum sibi successurum, qui THEOD primis nominis sui litteris præferret, omnes Theodosios, Theodoros, Theodotosque, quos ad Imperium idoneos duxit, è medio tollendos curavit, quo facto, multi nomina à parentibus sibi imposita posuerunt, atque alia minus periculo obnoxia induerunt.

Interim novum in Galliam bellum à Saxonibus est illatum. (103) Hi Oceani, quem accolebant, difficultatibus superatis, limitem Romanum invecti, in Galliam penetrarunt. Erat Nannienus (104) iis regionibus Comes Præfectus, is adversus eos progressus, haud ægre primam belli procellam sustinuit, post autem infelici prœlio edito, & vulnere gravi accepto, cum infirmum eum, ut adversus tantum hostem, Valentinianus animadverteret, Severum magistrum peditum misit, qui ingenti militum manu adducta, tantum terrorem hostibus intulit, ut in conspectum se dare non ausi, extemplo veniam, pacemque poposcerint. Cum autem Saxones domum per eadem loca, quibus venerant, securi ac nulla de re timentes, repeterent, firma Romanorum peditum manus à valido cataphractorum equitum globo adjuta, sic eos in itinere circumvenit, ut ad unum omnes cæciderit. His gestis, Valentinianus, ut inquietam Germaniæ gentem, quacunque posset, ratione deleret, Burgundiones adversus eos solicitare decrevit; qui à Druso, (105) & Tiberio Augusti filiis per castra quondam Germaniæ constituti, in magnum jam populum coaluerant, ex eo nomen adepti, quod crebra per limites habitacula constituta illi Burgos vocabant. Cum autem quieti adhuc intra fines ita se continuissent, ut neminem ultro armis lacesserent, Valentinianus, missis furtim nunciis, cum eorum Regibus pepigit, ut ipsi constituta die ab una parte Alemanos invaderent, nam se, transmisso Rheno, ab altera aggressurum. Burgundiones autem, & quod se progeniem esse Romanorum jactabant, & quod cum Alemanis de salinis assidue contendebant, (106) Valentiniano libenter obsequuti, legiones militum (ea LXXX. millia (107) fuisse feruntur) propere conscripserunt, quæ ad Rhenum, antequam Romanus exercitus conveniret, progressæ, Imperatorem forte in extruendis monumentis occupatum, nec opinato timore

*lium occidit*. Sed in anno assignando labitur Hieronymus, anno siquidem 371. Olybrius præfectura Urbis decesserat. De Maximini ferocia L. Ammian. l. 28. c. 1.

(102) Recte h. an. mortuus dicitur à Socr. l. 4. 14., & Philostorg. l. 9. 8., unde corrigendus idem Socr, cum ait annos 19 sedisse; (ex errore forsan Amanuensis) nam l. 2. 24. in Conc. C. P. an. 359, Eudoxium Macedonio suffectum testatur. Obiit porro quando Valens Antiochiam tendens, paululum Nicomediæ moratus fuit; teste Sozom. l. 6. 13. Quæ Valens autem gesserit tunc adversus Cathol. L. ap. Socr. l. 4. 13., eiusque persecutionem vide ap. Naz. orat. in laud. Hieron.

E

(103) Hieron. in Chr. bellum hoc refert ad an. 374. Cassiodor. in an. 373., id est Consulat. IV. Valentin., & Valentis. At Amm. ad Consulat. 3. refert, adeoque ad an. 370. Obtentam de ea gente victoriam L. ap. Oros. l. 7.

(104) Nannenus dicitur ab Ammian. l. 28. c. 5., qui postea Magister militum fuit, eique simul & Quintino Maximus tyrannus infantiam filii sui Victoris, & tutelam Galliarum commisit, ut ex libro 3. Hist. Sulpicii Alexandri Gregor. Turonens. refert l. 2. c. 9.

(105) Ex Orosii l. 7. hæc A. N. exscripsit: sed fabulosa putat Cluverius l. 3. c. 36, qui circa VVartam Burgundiones collocat, quod innuere Zos. videtur l. 1. 67., qui & infra cum Logionibus, sive Lygiis ad Rhenum egressos, Probo imperante tradidit, necnon eum Vandalis junxit.

(106) Harum meminit Joannes Saresberiensis epist. 196., earumque causa inter Alamannos, Burgundionesque certabatur assidue, quemadmodum quondam Hermundacros inter, Chattosque atrox exarsisse prælium narrat Tacitus l. 13. in fin. ob salem, qui in flumine, ac silvis in utriusque Gentis confinio gignebatur.

(107) Ita Hieronym. in Chron. ad ann. Chr. 374. Cassiodor. in Fastis, Valentiniano, & Valente IV. Coss., sed Auctori nostro Marcellinus plane suffragatur l. c. c. 5. dicens: *Erupit Augustis ter Coss. Saxonum multitudo*, &c. atqui ann. 370. Præfati AA. tertium Consules prodiere.

more perterruerunt. Paulisper autem morati, cum neque Valentinianus die constituto venisset, neque promissorum aliquod præstitisset, missis ad comitatum legatis, petierunt, ut sibi domum repetentibus manus auxiliariis daretur, quæ nuda relicta adversus hostes terga protegeret. Quod ubi neque diserte negari sibi, neque prompte concedi viderunt, indignatione accensi discesserunt. Reges illusos se arbitrati, captivis male habitis, domos quisque suas se retulerunt. Hac occasione Theodosius magister militum invitatus Alemanos Burgundionum metu dispersos per Rhætiarum fines adortus, eorum plurimos stravit, quos vero captivos fecit, jussu Valentiniani in Italiam misit, atque eis fertiles circa Padum agros attribuit, tributariosque constituit. Cum adhuc Olybrius urbis Præfecturam administraret, Valentinianus inter tumultus bellicos, cura studiorum liberalium non omissa, IV. Idus Martias edictum ad eum de studiis urbis Romæ misit, (108) in hæc verba *Quicunque ad urbem discendi cupiditate veniunt, primum ad magistrum census provincialium judicum, quibus copia danda est veniendi, ejusmodi litteras proferant, ut oppida hominum, & natales, & merita expressa teneantur, deinde ut in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum studiis navare proponant, tertio ut hospitia eorum sollicite censualium norit officium, quo ei rei impertiant curam, quam se asseruerint expetisse. Iidem immineant censuales, ut singuli eorum tales se in conventibus præbeant, quales esse debent, qui turpem, inhonestamque famam, & consociationes, quas proximas esse putamus criminibus, æstiment fugiendas, neve spectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo intempestiva convivia. Quin etiam tribuimus potestatem, ut si quis in his non ita in urbe se gesserit, quemadmodum liberalium artium dignitas poscat, publice verberibus affectus, statimque, navigio superpositus, abjiciatur urbe, domumque redeat. His sane, qui sedulo operam professionibus navant, usque ad vicesimum ætatis suæ annum Romæ liceat commorari: post id vero tempus qui neglexerit sponte remeare, sollicitudine Præfecturæ etiam impurius ad patriam revertatur*. Scripsit inde III. Kal. Maji de professoribus ad Principum Præfectum urbis, ita: *Medicis, & Magistris urbis Romæ sciant omnes immunitatem esse concessam, itaut etiam uxores eorum ab omni inquietudine tribuantur immunes, & à ceteris oneribus publicis vacent, eosdemque ad militiam minime comprehendi placeat*. Ejusdem etiam edictum de moribus Clericorum lectum est in Ecclesiis III. Kal. Augusti ad Damasum (109) urbis Episcopum missum: *Ecclesiastici, aut ex Ecclesiasticis, vel qui continentium se volunt nomine nuncupari, viduarum, ac pupillarum domos non adeant, sed publicis exterminentur judiciis, si posthac eos affines earum, vel propinqui putaverint deferendos*. Gratiano inde 371 Augusto iterum, & Petronio Probo Consulibus, à barbarorum armis ocium fuit. Valens, cum esset Antiochiæ, de Athanasii Episcopi Alexandriæ celeberrimi (110) morte certior ab lætis Arrianis factus, quorum causam nemo, dum vixit, oppugnavit ardentius, cum viventis hominis verecundia ab affligenda Alexandrina Ecclesia temperasset, morte ejus comperta, perrexit Alexandriam, & Petro, (111) qui ei subrogatus à Catholicis fuerat, in vincula tradito, Lucium Arrianum in sede reposuit. Petrus inde è carcere elapsus, Romam ad Pontificem Damasum adiit: in Ægyptios Catholicos inde sæviri acerrime cœptum. In Gallia Martinus Sabariensis, de quo ante in Juliano diximus, non solum vita, sed etiam miraculis inclytus Ecclesiam Turronensem administrandam accepit. (112) In Italia Ambrosius Archiepiscopus Mediolanensis tanta sanctitatis opinione florere cœpit, ut Placentini, & Bononienses filias ad eum Mediolanum usqua sacrandas, velandasque transmiserint, quod ipse in libro de Virginibus tradidit, quem tertio, postquam Episcopus erat, anno conscripsit. Eusebius Episcopus Vercellensis acer Nicænæ fidei vindex ad cœlos migravit. Romæ Præfectus urbis Ampelius (113) mores civitatis corruptos (114) emendare aggressus, constituit, ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neve aquam quisquam vulgarium calefaceret, neve ad præstitutum diei spatium

tium

(108) Est L. 1. *de Studiis*, L. 9. *de Medicis*, Cod. Theod. itemque consuluit Advocatis L. 7. C. *de postulando*. Ea autem, quam A. N. ad Principum P. U. datam hic refert (est 10. *de Medic.*, *& Profess.* Cod. Theod.) ad præsentem an. pertinere non potest, siquidem Ammian. Præfectos Urbis sub Valentiniano enumerans, ait: *Symmachus*, *Lampadius*, *Juventius*, *Prætextatus*, *Olybrius*, *Ampelius*. Ad annum 387. referendam putat Gothofred. Chron. Cod. Theod. p. 87.

(109) Extat in Cod. Theod. L. 20. *de Episcopis*. Qua cavit, ne Monachi, vel Clerici quid vel donatione, vel testamento percipere possent; parum æque: sed disce, quæ eorum temporum conditio fuerit ab Ammian. l. 21., quem ne putet odio Religionis loqui, vide Hieronym. Epist. ad Eustol. 22., ubi quorumdam artes invenies, quibus aucupabantur hæreditates, & Laicorum bona.

(110) A. N. Socratem secutus est, qui l. 4. 20., cum Gratiano, Proboque Coss. obiisse tradit. At non advertit, Socratem sibi non constare, qui fatetur, Athanasium annos quadraginta sex sedisse, & tamen hoc anno mortuum prodidit. Totidem annos & quidem integros numerat S. Cyrill. Alex. ep. *ad Solitar.* Mors itaque S. Doctoris ad ann. 373., ex Proterio ejusdem successore, epist. ad S. Leon. P., ex Hieronym. item, & Theophane in Chronicis.

(111) Hic Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter erat, quem Nazianz. Orat. ad Episcopos Ægypti summopere commendat, quod laborum Athanasii socius fuerit, & particeps. Lege Theodoret. l. 4. 18., & 19.

(112) *Anno Valentis octavo, & Valentiniani, ordinatum esse* Episcopum Martinum Turonensie l. 10. 31. fabulosè scribit, cum enim, ipsomet fatente, sederit *annos* 26, *menses quatuor*, *dies* 27., & obierit die XI. Novemb. an. 400., liquet, anno 374. Episcopum renunciatum.

(113) Hujus mores & ingenium Ammian. l. 28. c. 4. describit. Is Proconsul Africæ fuit sub exordium Valentiniani, ut lex 10. Codic. Theod. de Navicularis ostendit. Ex Himerio in Propemptico constat antea Proconsulem Achajæ fuisse, eumque Symmachus l. 5. epist. 64. inter Summates Senatus recenset.

(114) Vitia Senatus, populique Roman. apud Ammian. L. l. c., quæ tunc temporis grassabantur.

tium lixæ (115) coctam carnem proponerent, vel honestus aliquis mandens in publico versaretur. Quæ probra perniciosa Magistratuum dissimulatione mirifice corru-
372 perant civitatem. Annus inde, Modesto, & Arintheo (116) Consulibus, prorsus quietus ab armis fuit. Eo anno Martinus Turronensis Episcopus sese, quantus esset, in Gallia Valentiniano ostendit. Valentinianus Justinæ (117) uxoris mulieris Arrianæ instinctu Martinum ad se adeuntem sæpius Palatii foribus jussit arceri. Qua ex re Martinus cilicio obvolutus, ac cinere conspersus, jejunia, precationesque inivit, ac septimo die jussus ab Angelo, Palatium repetiit, ac patentibus foribus, usque ad Valentinianum, nemine prohibente, pervenit: cui Valentinianus, prodeuntem eminus conspicatus, infrendens, cur fuisset admissus, nequaquam assurrexit: ecce autem repente sellam ignis invasit ipsumque ea parte corporis, qua sedebat, afflavit, tum vero solio excussus honorem habuit, ac benigne complexus, prius omnia præstitit, quam rogaretur. Colloquio, & convivio adhibuit, ac postremo abeuntem multis muneribus prosequutus est, quæ ille magno animo cuncta rejecit. Valens item, cum Antiochiæ belli vacuus curis sederet, eos persequi, qui Consubstantiale tuebantur, perrexit: quod cum Themistius (118) Philosophus cerneret, re improbata, placare ipsum oratione aggressus est, docens, multo plures apud Gentiles de Deo dissensiones esse, Deumque velle tam dispari opinionum ratione gloriam suam illustrare, ut singuli eo majore Majestatis suæ veneratione ducantur, quo minus ejus
373 notione fruantur. Valentiniano inde, & Valente quartum Consulibus, Valentinianus in id intentus, ut Macrianum Regem Alemanorum, qui adultis viribus bellum adversus Romanos parabat, aut vivum caperet, aut insidiis tolleret, tacite Rheno pontem imposuit, ac Severum cum pedestribus copiis præire mandavit, qui animadversa suorum militum paucitate, ne incumbente hostium premeretur multitudine, veritus, Valentinianum cum reliquo sibi expectan-
A dum exercitu duxit. Valentiniano vero cum omnibus copiis accedente, hostes exterriti Regem carpento celeri imposuerunt, atque in circumfractos colles angusti aditus transtulerunt. Valentinianus vero, regione hostium usque ad septuaginta millia passuum inflammata, Treviros parum lætus revertit, ac Bucinobantibus, (119) quæ est gens Alemana, Regem Fraomarium dedit, quem postea, quia vastatus pagus ejus erat, in Britanniam transtulit, ac Tribunum numero Alemanorum præfecit. Eodem etiam anno bellum cum Sarmatis memorabile gestum. Ejus hæc causa fuit. Valentinianus studio muniendorum limitum trans Danu-
B bium in ipsis Quadorum terris jam inde à principatus initio ædificari præsidiaria castra mandaverat. Quod accolæ ferentes indigne, legationibus tantum eam injuriam, ac querelis arcuerant. Maximianus (120) autem Præfectus prætorio Equitium armorum per Illyricum magistrum desidiæ accusarat, quod opus nondum ad exitum perduxisset; profecto si Marcellino filio suo potestas ducis per Valeriam mandaretur, munimentum ad finem propediem esse venturum. Hunc in modum Marcellinus potestatem adeptus, nulla verborum clementia usus, opus continuavit, & Gabinium Regem eorum, ne quid novaretur, rogantem,
C convivio invitatum fœdissime trucidavit, (*) cujus facti atrocitate Quadi, & circunfusæ gentes efferatę repente Danubium trajecerunt atque occupatos messi agrestes adorti partim conciderunt, partim captivos cum multitudine varii pecoris abduxerunt, parumq; absuit, quin Constantii Augusti filia capta sit, cum ad Gratianum Augustum in matrimonium duceretur, atque in villa publica Pistrensi reficiendi sui causa forte diverteretur. Messalla enim provinciæ Rector judiciali carpento (121) impositum Sirmium, quod viginti sex millibus passuum aberat, deportavit. Eo tumultu Præfectus prætorio Probus, qui Sirmii erat, usque adeo est consternatus,
D ut fugæ capessendæ consilium habuerit, verum ne urbs discessu suo in manus veniret hostium, restitit, ac raptim fossas ejus purgavit,

(115) De quibus cecinit Sil. Ital. v. 31.

- - - - - - *inutile Marti*
*Lixarum vulgus.*

*Lixarum proprietas hæc est*, inquit Non. 1. 309., *quod officium sustineant militibus aquæ vehendæ. Lixam namque aquam veteres vocaverunt. Unde elixum dicimus aqua coctum.* Erant & Lixæ qui assas, vel elixas carnes vendebant; unde apud Valerium Max. l. 2. c. 2. de Metello legimus: *Protinus namque lixas è castris submovit, cibumque coctum venalem proponi vetuit.*

(116) Ille Arianus, cujus opera plurimum usus est Valenti, ut Orthodoxos vexaret. Alter vero de re Catholica optime meritus, quem Basil., ep. 5. in addit., commendat, & tamquam egregium Ducem Amm. l. 27. fin. prædicat dicens: *Armenia omnis periisset*, (quam invaserant Persæ) *ni propugnatoris Arinthei adventu territi Persæ eam incursare denuo distulissent.*

(117) Hæc Justi Præfecti Provinciæ Picenæ sub Constantio, filia, defuncta Severa, uxor Valentiniani evasit, ex eaque natus Valentinianus junior, & filiæ tres, Justa, Grata, & Galla, quæ postea Theodosio M. nuptui data. L. Socr. l. 4. 26., qui de Valentiniani Polygamia emendandus, cujus ne vestigium quidem vel apud Ethnicos Scriptores. Immo Amm. *omni pudicitiæ cultu domi castum, & foris, nullo contagio conscientiæ violatum obscœnæ* Valentinianum scribit l. 30. Non sanè Hieronymus, non Orosius, non Severus duas uxores illum habuisse tradidere. Parcendum itaque Paulo Diacono, Zonaræ, Cedreno, atque Nicephoro, qui fabulam à Socrate hauserunt.

(118) Is erga Catholicos propensior, quo & familiariter usus est Gregor. Nazianz., ut ex datis ad eumdem epp. liquet 139., & 140.

E (119) Oppidum hi incolebant Germaniæ ad ulteriorem Rheni ripam è regione Moguntiæ, nunc VVeisbaden dicitur. De his Ammian. l. 29. 4.

(120) Maximinus appellatur ab Ammian. l. 29. c. 6., *in omne avidus nefas.*

(*) *Hospitalis officii sanctitate nefariè violata.* Ammian. l. c.

(121) Carpentorum privata, & viliora, alia honoratiora, quibus Præsides Provinciarum, Præfecti Urbis, aliique Magistratu insigniti utebantur; hinc de Honoratorum vehiculis extat Lex Grat. Valent., & Theod. Impp., & Fl. Vopiscus Syracusius à Junio Tiberiano P. U. in consessum se vehiculi judicialis susceptum scribit, in Aurelian. Imp. Contra vero carpento privato, tamquam viliori, Gallus Cæsar in contemptum impositus fuit, teste Ammian. l. 14.

gavit, & muros pacis diuturnitate collapsos restituit, turresque reposuit, & sagittariorum cohortem ferendæ obsidioni, si evenisset, opportunam conscripsit. Quibus rebus hostes ab oppugnanda urbe deterriti, sese ad persequendum Equitium converterunt, & cum in Valeriam secessisse audirent, eò advolarunt, eo nomine illi infensi, quod per eum Regem suum circumventum putabant. Quibus legiones duæ Pannonica, & Mœsiaca objecerunt, sed discordia laborantes, cum proprium quæque sibi rei gestæ decus asciseeret, nihil profecerunt. Quare animadversa, Sarmatæ sese in Mœsiacam intulerunt, atque eorum plurimis, dum arma per tumultum expediunt, interfectis, sese in Pannonicam incitarunt, eamque in fugam præcipitem conjecerunt. Inter hæc Theodosius Theodosii, de quo diximus, filius, juvenis egregius, is qui postea imperavit, dux Mœsiæ Sarmatas liberos limitem Romanum ex alio latere invadentes repressit, ac multis prœliis ita contrivit, ut reliquos facile ab ejusmodi conatu averterit. His rebus adducti Gotthi, qui jampridem Romanis temporibus inhiantes provincias eorum infestas habebant, liberiore, quam adhuc, conatu limites perruperunt: sed prædis actis contenti, in suam regionem continuo recesserunt. In Africa etiam res acerrime gesta, cum Firmus (122) Mauritaniæ regulus defecisset, ad quod bellum Theodosius pater destinatus Arelate egressus cum classe ad Sitifensis Mauritaniæ litus (123) accessit, ac Firmum pacem postulare coëgit. (124) In Italia, Claudio urbis Præfecturam regente Tiberis effusione imbrium ita exundavit, (125) ut infima urbis loca late omnia occupaverit, soli colles, & loca editiora ab impetu aquarum tuta fuerunt, lembis, ac scaphis plerisque, ne interirent, consultum, cibique quod opus fuit, suppeditatum est, ubi vis fluminis elanguit, liberata ingenti metu civitate, Præfectus ædificia multa instauravit, inter quæ porticum ingentem Lavacro Agrippæ (126) junctam excitavit, quæ Boni Eventus (127) à vicino ei Templo nomen invenit. Gra-
374 tiano inde Augusto tertium cum Equitio (128) Consulatum gerente, Valente adhuc

A Antiochiæ ut Persis occurreret, commorante, Valentinianus post vastatos aliquot Alemaniæ pagos, cum munitionem prope Basileam extrueret, Probi litteris cognoscit, Illyricum à Quadis, Sarmatisque vastatum. Quo nuncio perculsus, Paternianum Notarium ad veritatem rei perquirendam misit, quam cum ad liquidum cognovisset, ipse cum exercitu properare ad ulciscendos barbaros voluit; verum, quia Autumni tempus instabat, & Macrianus Rex nondum placatus in metu erat, cam expeditionem invernum tempus, optimatibus regiæ auctoribus, distulit. Igitur res Alemaniæ componere ante discessum cupiens, prope Magun-
B ciacum Regem eorum ad colloquium invitavit, qui cum venisset, uterque eorum firmo militum præsidio stipatus in ripis Rheni consedit. Pax colloquio constituta est, fœdus ictum. (129) Inde Valentinianus Tre-
viros in hiberna recessit. Postero anno, 375
quo propter imminentis belli molem nulli in Imperio Consules (130) subrogati Gratiano tertium, Equitioque Consulibus sunt, Valentinianus Sarmatis bellum moliens, ineunte Vere, relicto Treviris Gratiano, Pannoniam versus decessit. Sarmatæ, hoc proviso, ut imminentem à se pestem averterent, obviam ei legationem miserunt, quæ in itinere occurrens, supplex pacem
C poposcit, nihil se commisisse asserens, quam ob rem vindicari bello deberet. Quibus Valentinianus respondit, se, cum ad ea loca venisset, in quibus ea commissa dicantur certissimis veritatem indiciis quæsiturum, eaque pro merito deprehensa ulturum. Cum autem Carnuntum superioris Pannoniæ oppidum (131) accessisset, ex statione proxima barbaricas reprimere cœpit incursiones, ac pristino spiritu, iracundiaque remissa, neque infamem Gabinii regis necem inquisivit, neque à quo tot reip. inflicta vulnera essent, vestigavit. Uni tantum Probo erat infestus, ut qui multis avaritiæ, ac libidinis criminibus esset obnoxius. Per æstatem
D autem arma, commeatusque paravit, ut Quados tumultus superioris auctores invaderet. Præmisso autem Merobaude, ut cum pedestri manu pagos eorum vastaret, ipse Comite Sebastiano adjuncto, castra ad Acincum

(122) Causam hujus defectionis fusè persequitur Ammian. l. 29. c. 5., & Zosimus l. 4., qui Βασιλέα Firmum appellat, Regem scilicet, unde Augustin. l. 1. contra Epistolam Parmeniani c. 10. ait: *Quæ à Donatistis Rogatus ille Maurus per Regem barbarum Firmum, quam sæva, & quam acerba perpessus sit &c.*

(123) Sic dicta ab urbe Sitifi, quæ à Ptolomæo Σίτιφα κολωνία, Sitipha colonia: medio ævo illustrior fuit, & provinciæ, quam denominat, Mauretaniæ Sitifensis, Metropolis fuit.

(124) Vide Ammian. l. 29. c. 5. Zosim. l. c.

(125) Tiberis effusiones ingentia mala, gravioresque casus præsagire credebantur, quamobrem Plinius in hanc rem ait de Tiberi loquens: *Quinimmo vates intelligitur potius, ac monitor, auctu semper religiosus verius, quam sævus.*

(126) Thermæ Agrippæ in nona Urbis regione, quæ apud Charisium malè dicuntur Agrippinianæ l. 1., sed Agrippianæ sunt appellandæ.

(127) Bonum Eventum præcipuè colebant agricolæ, l. 1. de Re Rust. ait Varro, quo is fruges, frumenta, & vineta bene evenire faceret. Vide & Festum Pompejum de verborum significationibus. Romæ Boni Eventus erat simulacrum dextra pateram, sinistra spicam, ac papaver tenentis, teste Plinio l. 34. c. 8.

(128) Uterque in Occidente Consul creatus; hinc labitur Onuphrius, Equitium Consulem Orientalem dicens; Vict. in Epit., Zos. l. 4., & Amm. l. 30. 6. diserte tradunt, cum apud Valentinianum seniorem, quando obiit, fuisse, cum dignitate Magistri militum.

E (129) Quod Macrianus ad mortem usque servavit: *periit autem in Francia postea: quam dum internecive vastando perrumpit avidius, oppetiit Mellobaudis bellicosi Regis insidiis circumventus.* Ammian. l. 30. c. 3.

(130) Præsens annus hac formula notatus: *Post Consulatum Gratiani Aug. III., & Equitii.* Propter bellorum tumultus nulli Consules, quod & alias evenisse ex superius dictis patet.

(131) Ammian. l. c. c. 5. Illyriorum oppidum vocat ex more sui temporis, quo Pannoniæ, & Noricum partes erant Magni Illyrici sub Præfecto Præt. per Illyricum. Aurelius autem Victor in Marco, & Vero rectius urbem dixit Pannoniæ, quem secutus est A. N. Estque in ripa Danubii ex Cluverio l. 3. c. 30., ubi nunc *Haimberg.*

cum (132) oppidum movit, ponteque junctis inter se navigiis in Danubium repente illato, in Quados irrupit; & cum illi in montes impetu ejus exanimati se retulissent, villas eorum passim incendit, quosque nancisci potuit, homines captivos fecit, atque inde incolumem exercitum Acincum reduxit, unde locum hibernis quærens, Sabariam, (133) ac Sabaria Brigetionem (134) accessit. Ibi signa imminentis ejus mortis multa conspecta, nam & crinita stella refulsit, & Sirmiense Palatium de cœlo tactum, curiæque & fori pars incendio conflagravit, &, cum Sabariæ esset, bubo ex culmine regii Lavacri funesta canens, nullis manibus, lapidibusque dispelli potuit. Inter hæc Quadorum legati ad eum, ut pacem peterent, processerunt. Qui ab Equitio in consistorium introducti, sese ad Valentiniani genua projecerunt. Duobus inde modis interrogatos responso suo Valentiniani iracundiam accendisse, fama est. Ammianus, (135) rogatos, cur ad arma descendissent, publico id consilio factum negasse, ac plebem munitione extructa offensam, respondisse, scribit. Socrates, & reliqui omnes, cum legatorum habitum sordidum, despectumque notasset, quæsisse, narrant, nunquid Sarmatæ omnes ejusmodi essent, cumque legati respondissent, Sarmatarum optimos, atque ornatissimos ad illum ex consuetudine missos esse, ipsum graviori ira accensum, exclamasse, male secum esse actum, quod se imperante, gens tam sordida finibus suis nollet esse contenta. Quocunque vero modo aut percontatio, aut responsio facta sit, quod constat, Valentinianus ira vehementi succensus, atque inter exordia respondendi tumidus, gentem primum objurgare acrius, tanquam beneficiorum immemorem cœpit, inde paulatim lenitus, tanquam telo aliquo ictus, vocem simul, (136) ac vires amisit, ac lethali sudore perfusus ad terram labebatur, sed ministri confestim eum arripuerunt, atque inter brachia in cubiculum deduxerunt. Ibi in lecto constitutus, cunctos astantes cognoscebat, nam cubicularii veriti, ne veneno necatus diceretur, multos propere intromiserant, &, cum vena laxanda esset, medicus nullus reperiebatur, quod eos ipse ad curandum militem pestilentia laborantem misisset, unus demum inventus, cum venam semel, atque iterum pupugisset, ne guttam quidem elicere sanguinis potuit, visceribus nimio calore combustis. Hoc, ita Ammiano scribente, retulimus. Alii omnes infinitam sanguinis vomuisse copiam tradunt. Utcunque, cum finem adesse vitæ cerneret, quædam dicere, ac mandare voluit, sed præ singultu, stridore dentium, & motu brachiorum non potuit, ac mox morbi magnitudine victus, liventibusque maculis interfusus XV. Kal. Decembris expiravit, annum agens ætatis quinquagesimum quintum, Imperii vero duodecimum. (137) Corpus ad sepulturam est conditum, ut Constantinopolim mitteretur, (138) atque inter Divorum reliquias humaretur. Placuit inde optimatibus, ut dissoluto ponte, qui in Danubium factus fuerat, Gratiani Imperatoris mandato Merobaudes advocaretur. Ille vero aut ingenii solertia quod evenerat arbitratus, aut certe furtim à nuncio doctus, missam ad se tesseram ab Imperatore dixit, ut ad observandas Rheni ripas barbarico furore infestas accurreret, ac Sebastianum Valentiniani mortem adhuc ignorantem, longius amandavit. (139) Erat tum Valentinianus Imperatoris filius decennis (140) una cum Justina matre in villa, quam Murocinctam vocabant, centum inde passuum millibus constitutus. Hunc igitur optimates primo quoque tempore advocarunt, & Augustum communi consilio destinarunt. Cerealis avunculus cum in publicum

(132) De quo alibi dictum.

(133) Quæ hodie Sarvvar castrum videtur esse ad Guntiæ, & Rabi confluentes in insula quasi positum, castris idoneum ex Ammian. l. 3. c. 20. inde oriundus S. Martinus Turon. Episcop., ut Sulpic. Severus in Vit. Sancti Martin.

(134) Tabula Theodosiana, ac Itinerarium Antonini Bregetionem scribunt, & Notitia Imperii. Ammian. l. 27. c. 12. l. 30. c. 20 itidem habet: Lapidem simul in illo tractu repertum tradit Lazius, in quo BREG. PUBLIC. D. D. Urbem Graan esse existimant plures.

(135) L. 30. c. 6. fuse rem persequitur, & Socrat. l. 4. c. 26., & ex eo Sozomen. l. 6 c. 36.

(136) *Erumpente subito sanguine*, ait Ammian., cui Hieronym. suffragatur ad Heliodorum scribens, & ad Præsidium Diaconum; item Socrat., & Sozomen. l. l. c. c. Sed Victor in Epitome impetu sanguinis voce interclusa expirasse tradit: ita & Zosim. l. 4.

(137) Recte A. N., Valentinianus enim nuncupatus fuerat Augustus Ann. D. 364. V. Kal. Martias: obiit autem 15. Kal. Decemb., unde imperavit an. 12. *minus centum dies secundo, & decimo* ait Ammianus. l. c. c. 7.

(138) Anno scilicet sequenti missum Valente V., & Valentiniano Coss., V. Kal. Januar., ex Idatio in Fastis; tumulatum vero fuit ab Imperatore Theod. sexennio post Antonio, Syagrioque Coss., ut præter Idatium Marcellinus Comes testatur in Chron.

(139) Hunc *quietum virum, & placidum* vocat Ammian. l. c. c. ult., *sed militari favore sublatum, ideo maxime tum cavendum*: eaque de causa Merobaudes longius amandandum curavit.

(140) Auctor N. lapsus est Socratem, & Sozomenum secutus, (quod Baronio pariter ad an. Chr. 366, & Du-Cangio in Familiis Augustis Bizantinis evenit) porro Socrat., & Sozomen. duos Valentinianos juniores, alterum Valentis ex Dominica susceptum an. D. 366. Coss. Gratiano Nobiliss. Puero, & Dagalaipho, ut Idatius in Fastis, alterum Valentiniani senioris filium ex Justina, in unum confuderunt: hoc errore deceptus A. N. decennem putavit fore Valentinianum hunc postremum, qui ab Ammian. l. 30. c. ult. *quadrimus* fuisse dicitur tunc eum suscepit Imperium; à Zosimo vix *quintum ætatis annum agens*; unde Valentinianus ille Nobilissimus Puer, qui anno 369. Consul processit, Collega Victore, cuique Themistius consularem dixit orationem, filius Valentis fuit, & à Socrate, l. 4. c. 26., & Sozomen. l. 6. c. 16. Galates appellatur, alius est à Valentiniano, qui post mortem Patris sui Valentiniani senioris Imperium cum Gratiano obtinuit, anno 375. Vid. Adnotationes Valesianas in Socratem pag. 50. Socrati igitur nulla hac in re fides, præsertim quia & aliam fabellam adjecit de Digamia Valentiniani majoris l. c., ait enim, Severam Aug. cum Justinam virginem eleganti forma secum lavantem conspexisset, puellæ pulchritudinem commendasse Imperatori, cumque amore incensum, uxorem adscivisse Justinam, non repudiata Severa. Virginem itaque appellat, quæ fuerat uxor Magnetii, ut Zosimus scribit. Errat pariter Socrates, dum ait, Valentinianum seniorem vixisse annos 54. imperasse 13.

cum produxisset, exercitus sexto post patris obitum die, magna animorum consensione Augustum appellavit, legitime omnibus rebus, quæ ad ejusmodi comitia pertinerent, expletis, & quidem in oppido Acinco, ut Græci scripserunt. Hanc electionem Gratianus, licet iniquo animo accepisset, tamen ratam habuit, (141) atque ei Italiam, Africam, Illyricumque dimisit, quæ ad Occidentale Imperium pertinebant; patrem autem divinis honoribus consecravit, virum nisi iræ dulcedini indulsisset, ac propterea ab æquitate animi discessisset, egregium. (142) Ut autem ipse hunc annum Treviris in observando Rheni limite, Valens Antiochiæ in persequendis Catholicis egit, sic Valentinianus puer inde ætatem una cum Justina matre ferme in Italia, ac præcipue Mediolani traduxit, quæ Arriana perfidia infecta virus suum adversus Catholicos post, mariti vinculis exoluta, evomuit.

# LIBER OCTAVUS.

## GRATIANUS, ET VALENTINIANUS MINOR AUGUSTI.

376 INsequens annus, Valente quintum, & Valentiniano Augustis Consulibus, magnarum, atque insignium calamitatum initium introduxit, quas primum Orientale, deinde Occidentale Imperium pertulit. Hoc enim primom Gothi, atque Alani ab Hunnis exagitati in Thraciam, ac finitimas provincias (quod millies ante, sed irrito semper conatu, tentaverant) penetrarunt, unde multæ, eæque acerbissimæ clades, ac prope quotidianæ offensiones manarunt, ut vere hic annus notari possit, tanquam universo terrarum orbi, qui deinde barbarica rabie assidue laceratus est, funestissimus. Ceterum Hunnorum gens, (1) monumentis veteribus incomperta, ultra Mæotim paludem Scythiam Asiaticam habitavit, omnem feritatis, ac barbariæ modum excedens. Infantibus ferro lacerare genas (2) altius, moris fuit, ut pilis succrescentibus hebetatis, imberbes senescerent, firmis membris, & opimis cervicibus prodigiose deformes, & pandi; vita vero sic asperi, ut neque igni, neque saporatis cibis uterentur, sed radicibus herbarum agrestium, & semicruda carne vescerentur, quam inter femora sua, & equorum terga subsertam brevi sotu calefaciebant: ædificiorum apud eos usus nullus, sed vagi montes, sylvasque peragrantes, pruinas, famem, sitimque perferre ab incunabulis didicerunt, indumenta linea, vel ex pellibus sylvestrium murum (3) confecta, tunica collo inserta non ante ponebatur, quam in pannulos diuturna carie diffluxisset, galeris curvis (4) capita tegentes, crura hœdinis coriis muniebant, rudes calcei liberis incedere gradibus prohibebant; (5) itaque ad pedestres parum accommodati pugnas erant, sed equis prope affixi, duris quidem, sed deformibus, & mulierum in modum iisdem interdum insidebant, in bis & commercia exercebant, & cibum, potumque, ac somnum, & consilia capiebant, sine sedibus fixis, sine lare, sine lege vagabantur cum carpentis, ibi vero cum conjugibus coibant, ibi conjuges pariebant, & usque ad pubertatem pueros nutriebant, infidi, inconstantes, ad omnem auram mutabiles, furori obnoxii, honestatis, turpitudinisve ignari, flexiloqui, & obscuri, nullius religionis, vel superstitionis reverentia astricti, auri cupidissimi. Hæc igitur gens tam fera ac barbara, Mæotide palude superioribus annis transmissa, in Scythiam Europæam trajecit, atque Alanorum (6) regionem occurrentem invasit, ac magna strage

(141) *Consanguineum pietate nimia dilexit, & educavit* deinde Gratianus, referente Ammian. l. c. Id & testatur Ausonius in Panegyrico: Pissimo.

(142) Illius virtutes, & vitia L. apud Ammian. l. c. cap. 8., & 9.

(1) An Hunni sequiori historia notiores, Chuni sint, de quibus Ptolomæus in Sarmatia Europæa, haud satis certum; gens quippe erat vaga, sedesque sæpe permutans. Ultra paludes Mæoticas glacialem Oceanum accolens dicitur apud Ammian. l. 31. c. 2., idemque de Hunnorum situ Hieronym. in Epitaphio Fabiolæ, & Procopius l. 1. Persicorum, & Gothicorum 4. Vide Zos. l. 4. Soz. l. 6. 37., Jornand. de Reb. Get.

(2) Idem prodit Ammian., & Jornandes in Geticis. Cutriguri quoque, quæ Gens erat Hunnorum, luctus causa genas cultro vulnerare consueverant, teste Agathia l. 5., unde Sigonii carmina illa in Panegyrico ad Avitum:

*Vulnere vel si quis plangit, cui flesse ferisse est,*
*Ac ferro perarasse genas, vultuque minaci*
*Rubra cicatricum vestigia defodisse.*

(3) De Scythis quoque Justin. ex Trog. l. 2., inquit: *Lanæ iis usus, ac vestium ignotus: & quamquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis, ac murinis utuntur*. Idem habet Seneca epist. 90., & ab Hunuguris pellium murinarum venire commercium affirmat Jornandes in Histor. Goth. easdemque pelles odore fragrare Hieronym. ait l. 2. contra Jovinianum, & in Epitaphio Marcellæ Viduæ.

(4) *Tiaras* vocat Hierony. in Epitaphio Nepotiani, quas Hunni gestabant.

(5) Ideo à veteri Scriptore apud Suidam Hunni ἄποδες, idest usu pedum carentes, & ἀμφοτεροβαδεῖς, in incessu titubantes dicuntur; qua de re Hieronym. l. c. indignabundus clamat: *Proh pudor! fugit Rom. exercitus, victor orbis, & dominus. Ab his vincitur* (Hunnis nempe) *hos pavet, horum terretur adspectu, qui ingredi non valent, qui, si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur*.

(6) Europææ Sarmatiæ populi erant supra Histrum incolentes, ut Plinius l. 4., & Orosius. Sed Procop. l. 4. Goth. Alanos regionem illam, quæ à Caucaso ad Caspias portas extenditur, incolere scribit. Ptolomæus Alanos Asiaticos ab Europæis distinguit, hos Alaunos vocat à montibus Alanis ita appellatos; illos vero Alaunos Scythas ab Alanis montibus dictos in Scythia cis Imaum montem collocat. Isidorus orig. l. 9. a Lano fluvio Alanos dictos minus apte putavit; præter enim laudatos Auctores Eustathius in Dionys. ἐστὶ Ἀλανὸς ὄρος Σαρματίας, ἀφ' οὗ τὸ ἔθνος οἱ Ἀλανοὶ ἐοίκασιν ὀνομάζεσθαι.

Frequens ejusdem Gentis mentio apud Claud., illis namque temporibus, relicto Tanai, ad Danubium consederat, primum militans Romanis, merensque stipendia. Postea cum Vandalis, & Suevis Galliam, Hispaniamque vastavit; unde Marius Victor ad Salmonem

A
ge edita, ipsos sibi ad belli societatem adjunxit. Erant jampridem in Scythia Getæ, (7) sive Gotthi vocati, populi paulo mitioribus, quam Hunni erant, moribus præditi. Ex his alii Visigotthi, sive Vittungi, alii Ostrogotthi dicebantur. Vittungorum autem quidam Grutungi, alii Tervingi appellabantur. Alani igitur ab Hunnis pressi, eisdem adjuvantibus, mox Grutungos sibi proximos tanta mole adorti sunt, ut sustineri nequiverint. Nam Hermenerichus rex, Hunnis cum se resistere non posse videret, sibi mortem conscivit; & Vithimaris, qui ei successit, licet Hunnis aliis auxilio comparatis se aliquandiu sustinuisset, tandem
B
victus in prœlio cecidit, & parvi ejus filii Viderichi tutores Alatheus, & Saphrax, (8) spe resistendi abjecta, occulte ad Danastum amnem, (9) qui inter Danubium, & Borysthenem fluvit, recesserunt. Quod ubi sensit Athanaricus rex Tervingorum, cui, ut ante diximus, Valens bellum ob auxilia Procopio missa intulerat, & ipse sibi in tanta rerum iniquitate consulendum putavit, ac castris prope Danasti ripas positis, Mundericum ducem ad explorandum hostium adventum, ad vicesimum usque lapidem misit, atque exercitum in omnem fortunam instruxit. Hunni vero, & Alani, speculatoribus omissis, flumine silentio noctis vadato, repentino incursu Athanaricum adorti
C
sunt, atque ad proximos montes confugere compulerunt. Athanaricus à superciliis Hierasi amnis (10) usque ad Istrum Taifalorum terras præstringens, muros altius extulit, & lorica absoluta, semet in tuto locavit; neque enim Hunni prædæ onere impediti eum usque ad extremum insequi instituerunt. His rebus cognitis, plerique rerum necessariarum inopia coacti, Athanaricum deseruerunt, ac metu exterriti, consilia tractare de novis quærendis sedibus longe ab Hunnis, Alanisque remotis cœperunt; cumque Thracias potissimum approbarent, quòd & fertiles agros haberent, & Istro interje-
D
cto à barbarorum tutæ incursu essent, (11) una cum reliquis ad ripas Istri, duce Alavivo, & Fritigerno venerunt, atque inde legatos Antiochiam ad Valentem miserunt, ut se ipsos reciperet, orantes, ac fidele in omnibus bellis ejus auxilium pollicentes.

Sunt etiam, qui scribant, promisisse, se Christiana sacra Valentis arbitrio suscepturos. Quibus rebus auditis, Valens magnum se accepturum beneficium duxit, si tantus, ac tam bellicosus populus ad se transisset, ac pro se stipendia meruisset, acceptaque conditione, misit, qui fœdus componerent, atque ipsos cis Istrum extemplo traducerent. Fœdere scripto, naves, rates, lintres, & cavati arborum alvei ad trajiciendum concessi; vehicula etiam commodata: transiere omnes, paucis tantum sævienti imbribus amne submersis, iidemque Arriano ritu, id est, in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, infecti sunt. Post paucos dies, cum Viderichus Rex Grutungorum cum Alatheo, & Saphrace, & Farnabio ad Istrum prodiisset, atque, ut & ipse cum suis reciperetur, orasset, repudiatus est. Athanaricus vero rex Tervingorum verecundia permotus, parumper cum suis abscessit, (12) memor, se nuper Valentem illusisse, cum diceret, se religione teneri, quo minus solum Romanum iniret. Prærerat tum Thraciis Lupicinus Comes, & Maximus Dux, homines temeritatis, atque avaritiæ summæ. Hi Tervingis circa ripas Danubii adhuc versantibus nec victum idoneum ex pacto præbuerunt, nec cetera necessaria ministrarunt, eosque loco servorum vili emptorum pretio habuerunt, ex quo tumultuarià Gotthis est cœptum. Qua occasione usus Viderichus, ratibus male contextis cum Grutungis trajecit, castraque à Fritigerno longissime collocavit, qui, lentis itineribus factis, Marcianopolim adiit. Tum vero Lupicinus Alavivum, & Fritigernum duces Tervingorum ad convivium ita invitavit, ut plebem ad necessaria comparanda urbem ingredi cupientem, longe à mœnibus, milite emisso, arcuerit. Quibus rebus Gotthi exacerbati, militum manum adorti conciderunt. Quod ubi Lupicinus audiit, furore accensus & ipse Gotthorum ducum satellites, qui honoris caussa pro prætorio stabant, occidit. (13) Fritigernus autem orans, ut ad placandam plebem exire cum sociis sineretur, egressus, ita ad suos loquutus est, ut omnes ad vindictam injuriæ suscipiendam accenderit. Quo facto, Tervingi, vexillis de more sublatis, tumultuaria manu

nem de perversis sæculi moribus hæc habet:

------ *si quid vastavit Sarmata, si quid Vandalus incendit, veloxque abduxit Alanus.*

Alanorum mores, & ingenium fuse narrat Ammian. l. 30. c. 2., idque præsertim, quod nullum apud eos templum, aut delubrum, nec tugurium quidem cerni potest: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque ut Martem colunt, quod &
E
Jornandes in Geticis, Scythis omnibus, atque Hunnis tribuit.

(7) Cluver l. 3 Ant. German. 34. putat, Gothones (quos Tacit. l. 43. inter Lygios, & Lemovios ponit) Gothos, vel Gotthos ipsos fuisse putat, quorum posteri Romanas Provincias invaserint, divisi in Ostrogothos, (Orientales) & Vesigothos (Occidentales). At quis crediderit, ex iam angusto solo, qualem Tacitus describit, innumerabilem pene prodire potuisse barbarorum multitudinem? Jornandes Gothorum Episcopus, in Scandinavia, vasta sane Peninsula, quam falso veteres Insulam credidere, originem habuisse, haud obscure indicat, indeque in Daciam ingressos. Getæ ap. multos iidem ac Gothi. Sed Tucydides Getas Æmi montis incolas facit in Mysia inferiori, eosque memorat pluribus in locis Ovid., & præsertim l. 4. Trist. eleg. 10., & l. 5. eleg 12. Vide Jornandem de Reb Get. p. 8., & sequ. De Vitrungis, Grutungis, & Tervingis alibi, sicut & de Alanis.

(8) *Duces exerciti, & firmitate pectorum noti*, Amm. l 30. 3., ubi quæ ab A. N. narrantur fusius descripta invenies

(9) Eumdem hunc esse ac Tyram docet Cluverius l. 3 German. c 42., & 43., hine non bene Jornandes Tyram, & Danastum disjungit. Flumen hoc ὁρίζειν τὰ μέρη τῆς Δακίας καὶ τῆς Σαρματίας, partes nempe Daciæ à Sarmatia dividere, inquit Ptolom. L 3. 10. Hodie *Niester*, sive *Dniester*.

(10) Idem fortasse, quem Ptolomæus Ἱέρασον vocat in Descriptione Daciæ, quique nunc *Prut* ex Cluverio l. 3. c. 31.

(11) Ob eamdem rationem refert Ammian. l. 31. c. 3. Thraciæ sedes fuisse electas.

(12) Se recipiens *ad Caucaladensem locum altitudine silvarum inaccessum, & montium, Sarmatis inde extrusis*. Ammian. l. c. c. 4.

(13) L. Procopium L. 2. Vandalicorum. Ammian. c. 5.

manu in agros Romanorum incnrſaverunt, ac popularionibus, incendiis, ac cædibus infeſta omnia reddiderunt, mox Lupicinum agmine incompoſito adverſus ſe prodeuntem aggreſſi, ſolum, reliquo trucidato exercitu, in oppidum confugere coëgerunt, atque inde per Mœſiam, Thraciamque effuſa populatione, nemine reſiſtente, diſperſi ſunt. His cognitis, Sueridus, & Colias poſteriorum Gotthorum duces, qui in hibernis conſtituti apud Hadrianopolim fuerant, in Helleſpontum trajicere juſſi ſunt. (14) Cum autem illi viaticum, & bidui dilationem poſtulaſſent, civitatis Magiſtratus (*) ira ob rem in ſuburbano ſuo vaſtatam incenſus, plebem cum ſabricenſibus (15) emiſit, atque eos primo quoque tempore abire, malis omnibus intentatis, præcepit; & cum dicto audientes non eſſent, tela etiam in eos conjecit. Qua re Gotthi irritati, impetu in illos facto, alios interemerunt, alios in fugam egerunt, atque habitu Romano induti (16) Fritigerno adventanti ſe conjunxerunt, ac communibus armis urbem obſidere cœperunt: verum multis detrimentis in ea obſidione affecti, Fritigerni conſilio, (17) exigua in obſidione manu relicta, ad opimam regionem captivorum indicio populandam ſe converterunt, ad quos confluxerunt ii, quos mercatores vendiderant, quoſque Gotthi pecunia adacti, vino exili, & panis fruſtis mutaverant, tum vero omnis ætatis, ſexus, graduſque homines vulgo in ſervitutem abſtracti, aut, ſi arma tenerent, occiſi ſunt. Dum hæc in Thracia geruntur, Valentinianus cum Juſtina matre in Italia, & Gratianus in Gallia, ab omni terrore belli quieti manſerunt, ac puerilia ſtudia, ut cujuſque ætatem decuit, colue-
377 runt. Valens inde quartum (18) cum Merobaude Conſul, cognitis Antiochiæ, quæ in Thracia accepta erant, incommodis, omiſſa Catholicorum vexatione, tantis ſibi malis mature ſubveniendum putavit, ac Gratianum de omni ſtatu Orientis edoctum, ut copias ex Gallia ſubſidio mitteret, monuit, atque ipſe Conſtantinopolim profectutus, Profuturum, & Trajanum (19) rectores cum magno copiarum numero præire mandavit. Gratianus Treviris Frigeridum ducem, & Richomerem domeſticorum Comitem cum paratiſſimis copiis miſit. Profuturus autem, & Trajanus, cum in Thraciam perveniſſent, Gotthis ultra Æmi-montem (20) compulſis, in præruptis faucibus ſubſederunt, ut hoſtes in iis locis incluſos, fame, ac neceſſitate conficerent, & duces Gratiani expectare cœperunt. Frigeridus morbo implicitus in tempore adeſſe non potuit. Riehomeres (21) autem, & Trajanus, conjunctis copiis, apud oppidum Salices (22) in Mœſia ſubſtiterunt, à quo non longe Gotthi caſtra more ſuo firmo plauſtrorum vallo munita poſuerant, id unum inprimis operientes, ut Gotthi loco cederent, quo abeuntium terga conciderent, & præda parta exuerent. Quo conſilio transfugarum indicio cognito, Gotthi locum mutare noluerunt, ſed copiarum numerum, popularibus undique accitis, auxerunt. Ardentibus demum utrinque pugnandi ſtudio animis, ſub occaſum ſolis in aciem eſt deſcenſum, Romanis clamorem patrio more tollentibus, Gotthis majorum facinora prædicantibus, collatiſque ſignis dimicatum eſt acriter, ſiniſtrum Romanorum cornu à Gotthis loco pulſum, ab iis, qui in ſubſidio collocati fuerant, reſtitutum eſt. Fervente autem utrinque cæde, ac fortuna victoriam alternante, nox ſuperveniens è prœlio diſcedere eos coëgit. Locus cadaverum inde aggeſtis oſſibus manſit inſignis. Ex parte Romanorum, quia minor copiarum numerus fuit, minus multi deſiderati ſunt, clades tamen ingens accepta (23). Romani Marcianopolim, Gotthi intra plauſtrorum ambitum receſſerunt, neque per ſeptem dies inde exire auſi ſunt. Alia etiam Gotthorum manus in Æmimontanas anguſtias compulſa, atque ibi, actis aggeribus, inedia maceranda incluſa eſt, nam omnes commeatus in urbes communitas convexerunt, quarum Gotthi nullam ſibi obſidendam ſuſceperunt, quod ejus operis rationem penitus ignorarent. Quibus actis Richomeres in Gallias ſe recepit, tumultu ab Alemanis concito revo-

(14) *Imperatoris litteris repente perlatis, quibus tranſire juſſi ſunt Helleſpontum*. Id. Ammian. c. 6. l. 31.

(*) Ideſt Duumvir; ſiquidem in integro Titulo Cod. Theod. de Decurionib. Magiſtratus accipitur pro Duumviro. L. Valeſium in Notis ad l. 31. Ammian.

(15) Erat Hadrianopoli Fabrica ſcutaria, atque armorum ſub Magiſtri officiorum diſpoſitione, ut legitur in Notitia Imperii. Ejuſdem fabricæ Hadrianopolitanæ meminit Athanaſ. in epiſt. ad Solitarios.

(16) *Cadaveribus* ſcilicet *ſpoliatis* Ammian. ibid.

(17) Hic enim advertens Gothos obſidendi ignaros, relicta parva manu, re infecta abire ſuaſit, *Pacem ſibi eſſe cum parietibus* memorans. Vide Ammian. c. 6. l. 31.

(18) Hic typographi error emendandus, nam Valens anno currenti Conſul V. proceſſit. Legendum autem *Gratianus quartum cum Merobaude Conſul*, iiſdem quippe Coſs. Valens Antiochia egreſſus eſt, ut conſtat ex Cod. Theod. in tit. de Erogat. mil. ann., & tit. de militari veſte.

(19) Quem Magiſtrum militum Theodoretus vocat l. 4. c. 29. Hiſt. Eccleſiaſt. referens, hunc reſpondiſſe Valenti exprobranti infelix prælium cum Gothis geſtum, non ſe a barbaris victum, ſed ipſum Imperatorem victoriam hoſtibus prodidiſſe, utpote qui Deo bellum indixiſſet, veroſque Dei cultores acerbe vexaret; proindeque Deum ſibi infenſum, barbaris autem redderet propitium. Ad eumdem Trajanum ſcripſit Baſil. epiſtolas 376. & 77.

(20) Cum adſpiratione plerique ſcribunt, ut ap. Sext. Ruf. c. 9. Plinius ait l. 4. 11. *Mons Hæmus vaſto jugo procumbens in Pontum, oppidum habuit in vertice Ariſtæum*. Æmi montis meminit Theocr. Idyll. 7. v. 76. Inde *Hæmimontana*, in provincia poſter. ævo ibi ſtatuta.

(21) Tunc Domeſticorum Comes, poſtea Magiſter militum factus à Gratiano, & ab eodem datus Theodoſio, tunc cum Gratianus Theodoſium ſibi collegam adſcivit Imperii. Conſul deinde proceſſit cum Clearcho an. D. 384., cui Conſuli, ac militum Magiſtro Libanius ait ſe panegyricum dixiſſe Antiochiæ, de Vita ſua in fin. Eumdem quoque Theodoſius Magiſtrum utriuſque militiæ deſignarat adverſus Eugenium tyrannum profecturus Tatiano, & Symmacho Coſs, ut ex L. 13. Cod. Theod. de re militari. Sed Zoſim. refert morte fuiſſe præventum.

(22) Mœſiæ inferioris oppidum, a ſalictorum copia ad Salices dictum, earque Tomos inter, & Salmuridem, ut in Itinerar. Antonini.

(23) Quam fuſe deſcribit Ammian. l. 31. c. 7.

A revocatus. Interim Gotthi, quæ mandi poterant, in Scythia, Thracia, Mœsiaque consumptis, in eam necessitatem adducti sunt, ut Hunnorum, & Alanorum nonnullos sibi auxilio spe prædarum illectos acciverint. Quo cognito Saturninus à Valente missus, ne à tanta multitudine circumveniretur, à Gotthorum obsidione decessit. Ita Gotthi, patefactis angustiis, erumpentes, per omnes Thracias dissipati sunt, atque omnia crudelitatis, libidinis, atque avaritiæ exempla in provinciam ediderunt. Inde oppidum Diballum (24) adorti, tribunum scutariorum Barzymenem cum suis castrametantem invaserunt, ac fortiter pugnantem interemerunt, quo facto, in Frigeridum
B inde se converterunt prope Beroëam, (*) ancipitem belli eventum operientem, quod ubi ille sensit, sese in Illyricum retulit, atque in receptu Farnobium Gotthorum optimatem (**) cum catervis prædatoriis divagantem, ac Taifalos (25) nuper ascitos ducentem, commisso prœlio, superavit, eoque occiso, Taifalos quidem conservavit, verum in Italiam traductos circa Mutinam, Regium, & Parmam, ut agros colerent, collocavit. Hæc usque ad hyemem vario eventu in Thracia gesta. Extremo anno Lentiensis Alemaniæ populus (26) Rhætiis finitimis, violato fœdere, limites per fallaces discursus irrupit, quod sciret, Gratia-
C num vocatu Valentis ad tumultus Thraciæ
378 compescendos iter instruere. Valente inde VI., & Valentiniano II. Augustis Consulibus, Celtæ, ac Petulantes, (27) strenui apud Romanos tum eo nomine militiæ ordines, cum Rhenum hiberno tempore pervium trajecissent, Februario mense (28) non sine magna clade Lentienses averterunt. Post autem ubi cognovere, magnam Germanici exercitus partem jam in Illyricum esse præmissam, elati vehementius cum XL. millibus hominum in fines Romanos se intulerunt. Ob id Gratianus, legionibus, quas in Pannoniam destinaverat, revocatis, aliisque, quas apud se retinuerat, advocatis, Nannieno, & Mellobaudi ducibus, & Regi Francorum bellum Lentiense commisit. Hi profecti ad hostes, prœlium clarissimum apud Argentariam (29) iniverunt, in quo tanta virtute, tantaque felicitate pugnarunt, ut non solum Regem hostium vita ejecerint, sed omnes etiam, præter quinque millia, quæ nemorum densitate tecta evaserunt, occidione occiderint. Qua victoria parta, Gratianus, Rheno transmisso, in ipsam Lentiensium regionem invasit, quos, cum se in montes retulissent, insectatus pugnavit usque ad noctem magno utriusque partis exitio, inde ad alios montes multo celsiores, quos salutis caussa insederant, cum venisset, eam illis necessitatem imposuit, ut pacem obsidibus dandis petierint, neque alia per hos annos ex Germanis illustrior victoria est relata. Post hæc Gratianus ex Gallia digressus per castra, quibus Arboris felicis (30) nomen est, in Thracias properavit. Per eosdem etiam dies Valens III. Kal. Junii (31) ex Syria venit Constantinopolim, haud æquis admodum animis à civitate acceptus. Nam Gotthi, qui Thraciam diripuerant, suburbia etiam Constantinopolis, procursione facta, vastare instituerant, quod nullis copiis urbem teneri audis-

(24) Dibaltum appellat Ammian. l. c. c. 8 Debeltum Thraciæ oppidum dicitur in Itinerar. Antonini: δεβελτὸν coloniam nominat Ptolomæus, sicuti & Plinius l. 4. A Hierocle in συνεκδήμῳ, Δεβελτός.

(*) Thraciæ civitatem, quæ & Beroa dicitur in Itinerar. Antonini.

D (**) Apud Gotthos Duces sui Optimates vocabantur, ut ex Ammian. l. 31., ubi Sueridus, & Colias ita dicti. Anaulfum quoque Gotthorum Optimatem appellat Idacius in Chron. Olympiodorus Historicus apud Photium in Biblioth. idem testatur.

(25) Taifalorum gentem turpem, ac obscœnæ vitæ flagitiis mersam Ammian. l. c. c. 9. sugillat.

(26) A Lentia, quæ modò Lintz, dictus, eaque superioris Austriæ civitas prope confluentem Trauni. *Equites sagittarii Lentiæ* memorantur in Notitia Imperii.

(27) Hi cum Celtis conjuncti semper memorantur ab Amm., numeri autem militares erant in Gallia prævalidi, ex eod. l. 20. Julianum Augustum declararunt. Horum immoderatam licentiam, eodem imperante narrat idem Marcell. l. 22. 12. In Notit. Imper. habentur *Petulantes Juniores*, & *Seniores*.

E (28) Hujus certè anni 378., & non 377., ut plures perperam existimarunt, inter quos Valesius in Not. ad l. 31. c. 10. & Ammian. secutus Chronicon Cassiodori; sed de hac re mox dicetur.

(29) Victoria hæc, cujus & meminit Victor in Epitome, anno D. 378. contigit; nam Hieronym. in Chronic. h. an. ait: *Alamannorum 30. circiter millia apud Argentuariam oppidum Galliarum ab exercitu Gratiani strata*: nec Scaligerus audiendus, qui in sua editione hæc Hieronymi verba ad annum 377. retulit. Cyrillus namque Monachus, qui S. Euthymii vitam conscripsit a San-Germanensibus Benedictinis Patribus evulgatam Analector. Græcor. T. 1. hæc habet: *Nondum expleto quinto mense, sexto Consulatu elatus impius Valens, exercituque in Barbaros Thraciam depopulantes ducto . . . . . irruentes Barbari ipsum incenderunt, nondum completo primo anno ab Euthymii ortu. Natus est autem* (Euthymius) *ut accepimus, mense Augusto, quarto Gratiani Consulatu*, ait idem Cyrillus c. 7. Si itaque an. 377. natus Euthymius, mense Augusto, quo anno Gratianus Consul fuit, & post annum ab ortu Euthymii Valens à Barbaris incensus obiit, constat Valentem postremam pugnam iniisse cum Gothis an. 378. Atqui nonnisi paulo ante Argentariaca victoria relata fuerat à Gratiano; proindeque eod. an. 378. Præstat hæc addiscere ex Ammian. l. 31. c. XI, ubi postquam rem præclarè gestam ab exercitu Gratiani enarrat, subdit: *His forte diebus Valens tandem excitus Antiochia, longitudine viarum emensa venit C P., ubi moratus paucissimos dies*, & cet. *ad Melanthiada Villam Cæsarianam profectus*, inde Niceen venit, & prope suburbanum Hadrianopolis, ubi infeliciter pugnatum, ut infra A. N. ex Ammian. Victoria igitur Argentariaca prœlium hoc à Valente initum paulo ante præcessit: præsertim quia idem Ammian. de hac victoria loquitur postquam recensuit, quæ anno 377., Gratiano IV., & Merobaude Coss., *in autumnum vergente* (c. 8.) in Thracia à Gothis gesta, & cap. 10. ait, mense Februario Lentienses Rhenum transire molitos, à Celtis, & Petulantibus non sine magna clade fuisse aversos, deinde apud Argentariam superatos. Quis igitur an. 377. id evenisse putabit in tanta temporum luce? mirari subit quomodo Valesius illam non adspexerit in Ammiano aptè adeo hæc tempora distinguente.

(30) Notitia Imp. Castrum ita dictum, in Rhætiis situm esse docet. Memoratur in Itiner Antonini, & Tab. Theodos. Nunc *Arbon* lacui Brigantino adjacens.

(31) Idacius in Fastis, Socrat. l. 4. c. 38. Histor. Eccl., quem consule de seditione hac, quam A. N. paucis enarrat.

dissent, quæ suum impetum propulsarent. Itaque popolus gravissime de Valente loquutus fuerat, quod barbaros in provinciam accepisset, neque urbem ab illorum immanitate defenderet. Quare, cum equestres ludi ederentur, omnes clamorem adversus Imperatorem sustulerunt, seque, si arma sibi darentur, bellum à mœnibus propulsuros, jactarunt. Itaque Valens III. Idus Junii urbe excessit, malum minatus civibus, si victor redisset (erat autem non solum præsenti contumelia, sed etiam superiore ad Procopium defectione permotus,) ac pedestrium copiarum curam à Trajano ad Sebastianum (32) traduxit, singularis in re militari peritiæ virum, modo ex Occidente profectum, (33) atque ita ad Melanthiada (34) villam Cæsarianam profectus, militem omnis officii, & comitatis genere colere instituit. Interim Gotthi, adventu Valentis cognito, auctis castris, circa Beroëam, & Nicopolim consederunt. Quod ubi Sebastianus audivit, adversus eos cum trecentis peditum millibus (35) Hadrianopolim provolavit, & sequenti nocte prædatorios circa Hæbrum hostium globos adortus, omnes, præter paucos, quos pedum pernicitas abstulit, interemit, & prædam ingentem recepit. Hac de caussa Fritigernus veritus, ne suus consumeretur exercitus, universos ad Cabylem oppidum (36) revocavit, atque inde in latas regiones deduxit, ne aut fame, aut insidiis laboraret. Interim Gratianus in Pannoniam iniit, ac Danubio delatus Bononiam, Sirmium introivit, & post quatriduum per idem flumen ad Martis castra, (37) febribus interpositis conflictatus, descendit, in quo tractu repentina Alanorum incursione tentatus sequentium non paucos amisit. Valens invidia (38) rerum à Gratiano, & Sebastiano gestarum accensus, ingentem exercitum à Melanthiade movit, &, ne commeatibus importandis hostes itinera clauderent, equites, pedites, & sagittarios, ad angustias occupandas immisit, triduoque proximo Gotthis Nicem (39) magna manu pergentibus obviam prodiit, ac prope suburbanum Hadrianopolis venit, ibique vallo se, ac sudibus, & fossa firmavit. Interim Richomeres domesticorum Comes à Gratiano cum litteris ejus advenit, quibus maturum adventum suum significabat, &, ut se expectaret, nec solum tantu se periculo objiceret, obsecrabat. De qua re cum in consilio sententiæ dicerentur, atque alii extemplo confligendum, (40) alii Gratianum cum Gallicano robore expectandum censerent, vicit eorum sententia, quibus Gratianum non expectandum esse placuit, ne victoriæ jam pene partæ particeps adolescens Germanica victoria gloriosus evaderet. Dum autem necessaria ad prœlium comparantur, Presbyter quidam Christianus (41) à Fritigerno legatus ad Valentem accessit, ac nomine Fritigerni petiit, ut sibi, suisque patria pulsis habitanda Thracia cum omni pecore traderetur, & pax cum Gotthis perpetua firmaretur; proprio vero, tanquam amicus, monuit, nunquam Gotthorum populum ad has conditiones descensurum, nisi armatum eis exercitum ostentaret, & terrore Imperatorii nominis intentato, eos pernicioso pugnandi studio deterreret. Postridie vero, qui fuit ante quintum Idus Augusti, Valens sub lucem, impedimentis, & sarcinis apud

(32) Is Ægypti Dux, secta Manichæus, audax juvenis, qui Georgium in sede Alexandrina locavit armorum vi, pulso Athanasio, ut hic epist. ad Solitarios testatur; eratque Antiphili filius, à quo in disciplinam traditus Libanio, relicto mox eloquentiæ studio, se militiæ dedit. Magister militiæ à Valente factus, periit hoc Gothico bello.

(33) Ammian. l. 31. c. XI. a Valentiniano Juniore ex Italia missum ait ad Valentem. At Zosim. l. 4. narrat, Sebastianum ægrè ferentem, quod Occidentis Imperatores ob imbecillem ætatem a Cubiculariis Eunuchis pro arbitrio regerentur, C. P. venisse, statimque Magistrum militiæ a Valente renunciatum.

(34) Hujus Agathias l. 5. Hist., & Suidas meminere a C. P. 140., ut primus, 102. ut alter, stadiis distans. Ita etiam appellatur ab Auctore Chronici, quod vulgo Alexandrinum. Cæsariana autem dicta, quod ad Impp. pertineret.

(35) Cum trecentis militibus per singulos numeros lectis prope Hadrianopolim accessisse Sebastianum Ammian. tradit; unde in militum præfato numero certè immaniter errat A. N., in hoc Ammianum malè exscribens.

(36) Quod Straboni, & Stephano *Calybe*; Aliis vero, ut A. N. scribit. Philippum Amyntæ perditorum hominum coloniam eo deduxisse, idem Strabo prodit l. 7. p. 222. Vide quæ Scalig. in Euseb. p. 152., & Spanhem. de usu Numis. p. 903. adnotant in Stephanum.

(37) Sozomen. l. 9. c. 5. de barbarorum ad Istrum sedentium quodam duce ait: τὴν Καστραμάρτην, πόλιν τῆς Μυσίας, προδοσίᾳ ἑλὼν, Castra Martis, urbem Mœsiæ, proditione accepit. Oppidum Daciæ Ripensis dicit Hierocles in συνεκδήμῳ, seu peregrinationis comite. Meminit & Ammian. l. 31 c. 11., ex quo A. N. Sardicensi etiam Synodo subscripsit Calvus quidam à Dacia Ripensi de Castramartis. Vide Fragmenta Hilarii de Synodis. Vulgo Stramartis dici, auctor Holstenius.

(38) Ammian. quoque ait c. 12. l. c., Valentem Gratiani virtutibus uri tunc temporis. Sed & alia quoque suberat causa simultatis, nam Valentinianus junior inscio patruo simul, ac fratre Augustus erat nuncupatus, & Gratianus paulo post assensus fuerat militum suffragiis, & inconsulto Valente partitus etiam cum fratre fuerat Imperium, teste Eunapio in Historiis. Erat insuper Valens Arianorum fautor impensus, a quibus Gratianus abhorrebat; indeque simultas, & invidia.

(39) Thraciæ oppidum à Socrate memoratum l. 2. Histor. c. 36. In Itinerar. Burdigalensi: *Mansio Nice m. IX.*, & apud Procop. l. 4. de Ædificiis Nice castrum Æmimonti.

(40) Sebastianus inter alios ad certamen urgebat, non expectato Gratiano. Ammiano teste l. c. c. 12. Victor autem, *cunctator, & cautus Imperii socium expectari censebat*: erat is autem Magister Equitum. Zosimus tamen prœlii temerè suscepti, non expectato Gratiani adventu, non Sebastiano aliter sententi, sed iis attribuit, qui Magistratuum spe frustrati una cum spadonibus aulicis ad pugnam hortabantur Valentem. L. Zosim. lib. 4.

(41) Ammian. l. 31. c. 12. ait, Presbyterum hunc utpote conscium arcanorum, & fidum, secretas alias ejusdem Regis obtulisse litteras, qui astu, & ludificandi varietate nimium solers, docebat Valentem quasi mox amicus futurus & socius, aliter se popularium sævitiam mollire non posse, vel ad conditiones rei Romanæ profuturas allicere, nisi subinde armatum iisdem juxta monstraret exercitum. Non igitur proprio nomine hæc Presbyter insinuavit, ut A. N. ait, quamvis hic exscribat Ammiani verba.

apud Hadrianopolim cum custodia idonea collocatis, (nam thesaurus regius intra urbem erat,) signa propere movit, ac decurso viæ spatio confragoso, illucescente die, (42) hostium carpenta in se disposita vidit. Quo facto, subito & ipse aciem cœpit instruere; dextro autem cornu equitum præposito, dum sinistrum explicat, Gotthi strepitu armorum perterrefacti, iterum legatos de pace miserunt, quorum vilitatem Imperator aspernatus, Optimates ad se mitti postulavit: moras autem illi de industria injiciebant, (43) ut equites sui ad tempus redirent, & miles Romanus calore debilitatus æstivo liquesceret, ardentibus circum campis, quibus dedita opera ignem intulerant, quod malum gravis etiam hominum, jumentorumque inedia onerabat. Interea Fritigernus caduceatorem misit, petens nobiles aliquot ad se obsides mitti, jussusque ire Equitius respuit, quia semel captus, atque elapsus à Diballo, justam eorum iracundiam formidabat. Richomeres autem sponte perrexit. Ceterum, cum ad vallum appropinquaret, sagittarii, & scutarii, quos Baturius (44) Iberus regebat, cupiditate elati, prœlium inierunt. Quod ubi Gotthorum equitatus, qui cum Alatheo, & Saphrace erat, animadvertit, continuo & ipse in medios hostes prorupit, atque ita strenue ab utraque parte concursum est, seque invicem, tanquam undæ, impellere acies instituerunt. Dextrum cornu Romanorum, cum ad plaustra usque penetrasset, atque à reliquo equitatu destitutum esset, incumbentibus Gothis, oppressum est. Pedestris autem acies densatis usque adeo inter se manipulis erat, ut nec mentum exerere, nec manus reducere posset: tanto vero oppleta pulvere omnia erant, ut prospiciendi cœli facultas adempta esset, ex quo factum est, ut tela nec provideri possent, cum destinato caderent, nec vitari, & ubi Gotthi immensis agminibus effusi, jumenta, & viros propellere, & proculcare cœperunt; nec locus ad receptum laxari, neque ratio ad evadendum propter confertos initi ordines quiret. Hinc Romani ira inflammati, abjectis pilis, gladiis, & securibus rem agere instituerunt, tum vero Gotthos vidisses aut succiso poplite, aut amputata dextera, aut suffosso latere fremere, & in ipsa prope morte minari, ac truces oculos circumferre. Ad extremum tamen Romani siti, inediaque confecti, urgente Gotthorum pondere, inclinarunt, ac palati sese fugæ mandarunt. Qua re animadversa, Valens per cadaverum acervos ad lancearios, & mattiarios confugit, (45) qui fixis corporibus steterant inconcussi, quo viso, Trajanus exclamat, spem omnem absumptam, ni desertus ab armigeris Valens adventitio tegeretur auxilio: quo audito, Victor Comes Batavos in subsidiis locatos ad Valentem raptim ducere voluit, sed, invento nemine, retro abiit, eademque ratione Richomeres, & Saturninus (46) semet periculo exemerunt. Gotthi occasione usi, Romanos insequuti, facile conciderunt, ac cumulos cadaverum construxerunt, huic cladi nox tandem modum imposuit. Valens primis tenebris lethali sagittæ ictu saucius (47) ex acie cessit, neque postea apparuit. Fama obtinuit, eum cum candidatis, & spadonibus paucis ad agrestem quandam casam esse delatum, ibique ab ignorantibus hostibus, quis esset, circumsessum, &, quod introrumpere non possent, admotis sarmentis, & subjecta flamma ipsum cum domo esse combustum. Periere etiam illustres viri multi, inter quos excelluit Trajanus, & Sebastianus, & cum iis trigintaquinque Tribuni Vacantes, (48) & numerorum Rectores, & Valerianus, atque Equitius, (49) quorum alter Stabulum, alter Palatium curabat, item Promotorum Tribunus Potentius, ac denique vix tertia pars evasit exercitus, neque ulla Romanis post Cannensem exitialior accidit pugna. Obiit Valens anno ætatis quinquagesimo, Imperii tertiodecimo. (50) Hac victoria potiti Gotthi, postridie Hadrianopolim, ubi thesauros asservari Regios

(42) V. nempe Id. Aug., ita Idacius in Fastis. Socrat. c. ult. l 4., aliique.

(43) Pars namque barbarorum cum Alatheo, & Safrace procul agens, & accita nondum venerat, ut inquit Ammian. l. c. c. 12.

(44) Bacurius dicendus, ut restituit Valesius, contra vulgares Ammian. editiones, hunc suspicatus esse Bacurium illum, cujus egregia opera Theodosius usus est adversus Eugenium Tyrannum, & quem Zosimus bellica laude præstantem commemorat. Sed Bacurium, de quo in præsenti, ad vallum hostile tendentem, *inerti discessa primordia belli fœdasse* tradit Ammian. l. c.

(45) In Notitia utriusque Imperii, Lancearii Seniores, Lancearii Stobenses, Lancearii Augustenses, qui sub dispositione Magistri militum Præsentalis, sicut & Mattiarii a Mattio dicti, quodam teli genere, quod & Mattiobarbulum vocabant, unde Mattiobarbuli milites apud Vegetium l. 1. c. 17. Utcumque res se habeat, utrique Lancearii, & Mattiarii memorantur apud Ammian. l. 31. c. 13. Cassiodor. in Hist. Trip. l. 6. c. 37. Zosim. l. 3. in oppugnatione urbis Majozamalchæ.

(46) Qui paulo ante Magister Equitum à Valente creatus, Consulatum denique gessit cum Merobaude iterum Consule an. D. 383., vixitque usque ad Arcadii tempora.

(47) Quamvis Libanius in Orat. ad Theodosium de cæde Juliani Apost. vind. asserat, Valentem in media militum turba pugnantem occubuisse, cum copiam fugiendi haberet, idque suaderent Duces; attamen fere omnes Valentem ad vile tugurium delatum telo transfixum scribunt, ibique à barbaris rei inscijs fuisse crematum. Ita Oros. l 7. Chrysost. Homil. 15. in Philippenses, & epist. ad viduam adolescentem. Jordanes in Histor. Goth. Eunap. in Maximo. Zosim. l. 4 Socrat. Histor. Eccles. l 4 c ult. Theodor. l. 4. c 31 Sozomen. l. 6. c. 40. Hieronym. epist. ad Heliodorum.

(48) Qui honorem scilicet Tribunorum, annonas, ac salaria accipientes, nullum habebant quem regerent numerum militum, nisi milites ex aliis cohortibus lectos, in subsidiisque locatos, qui illis regendi committebantur, teste Vegetio l. 3. c. 17., ita & Comites, & Præfecti, & ceteri Vacantes dicebantur, qui earumdem dignitatum codicillos à principe acceperant, sed in actu minime erant positi, quamobrem præcincti honore otiosi cinguli dicuntur l. ult. Cod. de Primiceriis, & Sec.

(49) Tribunus, & Curat. Palatii, Valentis Aug. propinquus, filius fortasse Equitii Pannonii, Magistri militum per Illyricum, de quo Ammian. l. 26 c. 1.

(50) Primum, & postremum Imperii Valentis annos utpote incompletos non numeras A. N, certum tamen est Valentem quatuordecim annos imperasse, & menses circiter quatuor. Ammian. in l. 26. Joviano, & Varroniano Coss., an. nempe D. 364., *quintum Kal.*

gios audiebant, petiverunt, horaque diei quarta cinctam urbem validissime oppugnarunt, ac tandem, certamine ab imbre dirempto, sese in castra plaustris vallata receperunt, ac, legato in urbem misso, civibus incolumitatem, si se dedidissent, spoponderunt. Legato ire non auso, literas Christianus quidam pertulit. Quibus lectis cives eo alacrius ad urbis defensionem incubuerunt. Itaque reliquum diei, ac noctem insequentem in parandis operibus consumpserunt, portæ silicibus magnis obductæ, mœnium partes infirmæ munitæ, & loca ad emittenda tela aptata, & sufficiens aqua collecta. Ob id Gotthi eventus belli varios animo volutantes, cum fortissimum quenque ex suis sanciari, cædique viderent, ejusmodi consilium inierunt, quippe candidatos aliquot, qui pridie ad eos defecerant, pellexere, ut simulata fuga se intra muros suscipi curarent, receptique quandam partem urbis incenderent, ut, occupata in restinguendo incendio civitate, urbs sine defensoribus remaneret. Perrexere candidati, & se tanquam Romanos recipi petiere. Recepti vero, interrogatique super consiliis hostium cum variassent, in quæstionem abrepti, capite pœnas dederunt. Prœlio inde instaurato, superior quoque Romana res fuit, &, quia nullo ordine, sed per procursus, & globos pugnabatur, converso in vesperam die, ad tentoria redierunt, semetipsos imprudentiæ accusantes, quod non, auctore Fritigerno, obsidionis incommoda declinassent. Consumpta inde in curandis vulneribus nocte, postridie consiliis agitatis Perinthum (51) occupare statuerunt, atque itineribus lentis, populationibus, & incendiis omnia permiscentes, nullo resistente, eo pervenerunt, verum Hunnis, Alanisque permisti, urbe non tentata, agrum opimum vastasse satis habuerunt, inde cum se Constantinopolim contulissent, suburbium demoliri cœperunt. At populus damno, & indignitate permotus, sua sponte egressus, hostibus obviam sese tulit, singulis, quod occurrebat, armorum loco arripientibus, Dominica vero Valentis uxor omnibus, qui egrediebantur, stipendium ex ærario ministravit. Sarraceni etiam aliquot (52) à Mavia Regina auxilio ante missi insignem operam præstiterunt. Itaque, prœlio commisso, Gotthi recedere ab urbe compulsi, (53) per latissimos Thraciæ, Mœsiæ, Daciæ, & primos Pannoniæ campos diffusi sic profana, sacraque omnia infestis non tam armis, quam animis peragrarunt, (54) ut nemo neque inermis, neque armatus ex urbibus exire, aut ex præsidiis erumpere aut ad pugnam, aut ad res necessarias obeundas auderet. Valente inde, eo, quo dictum est, modo extincto, summa rerum ad duos Augustos redacta est, ambos ad tantum tuendum fastigium immaturos. (55) Nam Gratianus annos viginti, Valentinianus vix tredecim attingebat. Ceterum Gratiani egregia supra ætatem & animi, & consilii indoles facile ipsam prope ruentem Rempublicam fulsit. Etenim certior accepta de clade factus à Victore Magistro equitum, qui ex acie cum paucis elapsus, in Macedoniam, atque inde in Pannoniam venerat, haudquaquam animo defecit, sed confestim Sirmium profectus, opportuna inire consilia de retinendo Orientis Imperio cœpit. Quibus explicatis, primum omnes undique copias accersivit, ac procursantes quacunque barbaros, aut coërcere, aut certe sustinere contendit. Cum autem ducis inopia, tam multis amissis, laboraret, oculis in omnes, qui superessent, conversis, juvenem Theodosium, cujus supra meminimus, ex Hispania evocavit, virum bello, paceque præstantem, & multis rebus fortiter, prospereque gestis insignem; verum factione paucorum in Hispania tum, unde genus trahebat, tanquam in exilio voluntario, commorantem. Inde, animo ad Orientem ordinandum collato, quod à Valentis fide alienissimus esset, Episcopos omnes, quos ille religionis caussa exilio destinarat, exemit, legemque, qua status Arrianorum primum tentari cœptus est, tulit, (56) ut præter Manichæos, (57) Photinianos, (58) & Eunomianos, quamquis-

*Kal. Apriles productum eundem Valentem in suburbanum*, Augustum fuisse pronunciatum ait. Ita & Socr. l. 4. Idacius in Fastis, & Chron. Alexandr. ubi tamen dicitur *IV. Kal. April.* Atqui obiit Valens V. Id. Aug. dum VI. Consul esset cum Valentiniano II., anno scilicet D. 378., quatuordecim itaque annos Imperium obtinuit, menses circiter 4., & aliquot dies. Falsus est ideo Victor in Epitome scribens regnasse annos 13., menses 5., itemque Sozomen., qui l. 6. in fin. Valentem anno 16. Imperii obiisse prodidit.

(51) Hæc urbs posteriori ævo dicta fuit Heraclea, ut Ptolomæus, & Zosim. l. 1. testantur. Sozomen. Hist. Eccles. l. 6. c. 7. Hypatianum dicit Episcopum Ἡρακλείας τῆς Περίνθου, Heracleæ Perinthi. Ejusdem situm describit Diodor. Sicul. l. 16 c. 77. Marcianus Heracleota sub fin. Perieges. p. 29. coloniam vocat Samiorum

- - - - - - - Σαμίων ἀποικία Πέρινθός ἐστιν.

Nummus Mediceus proditus à Spanhemio p. 826. ΕΠΙΔΗΜΙΑ Β ΣΕΥΗΡΟΥ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *II. Adventus Severi*, *Perinthiorum Neocoron*, & Getæ nummus apud Harduinum p. 398. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ fidem faciunt nonnisi sequiori ævo Heracleam dictam, ut Vopiscus, Eutropius, & Philostorgius l. 8. c. 17.

(52) Ut Socrates l. 5. c. 1. narrat, & Sozomenus, qui ex Ammian. l. 31. in fin. *ad fortem magis expeditionalium rerum, quam ad concursatorias* habiles erant *pugnas*; quod & notat Procop. l. 2. Pers., & l. 2. de Ædificiis.

(53) *Territi* sane *monstroso* miraculo, quod Ammian. narrat l. c. è civitate namque Saracenus quidam *crinitus*, *nudus per omnia præter pubem*, *subraucum*, *& lugubre strepens*, *educto pugione agmini se medio Gothorum inseruit*, *& interfecti hostis jugulo labra admovit*, *effusumque cruorem exsuxit*. Familiare quippe fuit id Saracenis, ut testatur Lambertus Schafnaburgensis in Chron. ad ann. 1077. deducto, Marianus Scotus in Chron. ad an. 1065. Item Pompon. Mela l. 2. c. 1. de Scythis Europæis hæc habet: *Mosque est bellantibus cruorem ejus*, *quem primum interemerunt*, *ipsis è vulneribus ebibere*. Idemque fieri Romæ à comitiali morbo laborantibus in arena Plinius Secundus indignatur. l. 28. c. 1.

(54) Usque ad radices Alpium Juliarum pervenisse Gotthos Ammian. refert l. 31. in fin. Clades per eosdem illatas vide apud Hieronym. epist. 3. ad Heliodor.

(55) Sane Gratianus, ut Zosim. l. 4. ὁρῶν αὐτὸν ἀνεπιτήδειον πρὸς τὴν διοίκησιν, videns se rei administrandæ minus sufficientem, &c.

(56) De hac lege loquitur Theodoretus l. 5. c. 2. Sozomen. l. 7. c. 1.

(57) A Manete dictos, qui teste Photio l. c. *è Perside fugiens Mesopotamiam*, *ibi hæreseos suæ zizaniam iterum spargere cœpit*. Vide Hieronym.

quisque religionem vellet, pro arbitrio coleret, (59) &, quamvis maximo bello districtus tot millibus barbarorum, quibus Istri ora prætexebatur, undique insultantibus, Consularia comitia habuit, quibus Ausonium Burdigalensem Poëtam, præceptorem suum, grati animi caussa cum Olybrio Consulem declaravit, atque ita ad illum usque in Galliam scripsit: (60) *Cum de Consulibus in annum creandis solus mecum volutarem, ut me nosti, atque ut facere debui, ut te velle scivi, consilium meum ad Deum retuli, ejus auctoritati obsequutus, te Consulem designavi, declaravi, & priorem nuncupavi, trabeam palmatam (61) tibi misi, in qua Divus Constantius pater noster intextus est; solvi, quod debui, & adhuc debeo, quod solvi.* Ubi vero Theodosius venit, eum præesse rei militari in Oriente jussit. Sunt qui Theodosium, accepta Præfectura, rem cum barbaris gessisse, eosque summo profligasse prœlio, scribant. (62) Quod si verum fuit, miror, id à Zosimo, & à Latino Pacato omnes ad laudandum eum ansas diligentissime conquirente, fuisse omissum. Quod inter omnes convenit, Gratianus cum videret, Rempublicam innumerabilibus malis ægram, ac potius exanimatam jacere, barbaris nationibus Romanis provinciis aliquando tandem velut inundatione aliqua superfusis, cumque se bello Germaniæ in Gallia irretitum revocari, fratrem propter ætatem ad nullum adhuc militare munus idoneum esse, animadverteret, quod suis careret, alienum, cui Orientem committeret, sibi ascivit. Ita-
379 que principio anni, quo Ausonius, Olybriusque Consules, & Hypatius Præfectus urbis fuerunt, XVIII. Kal. Februarias, cum adhuc Sirmii esset, convocatis Optimatibus, in Comitium venit, ac palam præsentem Theodosium alloquutus, ipsi se committere velle Orientem ostendit, cui Theodosius gratias egit, atque honorem, cujus magnitudinem sustinere non posset, verbis, quoad potuit, à se avertit. (63) Verum Gratianus in bene cœpto persistens, illum, licet reluctantem, Augusti nomine insignivit. Itaque in oratione post ad ipsum dicta, Latinus Pacatus sic disseruit: *Illud præ ceteris mirum, quod cum omnia faceres, ut imperare deberes, nihil tamen faciebas, ut imperares. Argumento est ille dies communis boni auctor, quo tu, cum ad suscipiendam Rempublicam vocabaris, oblatum Imperium deprecatus es, nec dans speciem tantum, ut cogi videreris, sed obnixe, & diu, & velut impetraturus, egisti, quippe aberat caussa fingendi: non enim te Princeps solus, & domi, & tanquam tentaret, ambibat, sed publice, & in Comitio, & ut aliud jam facere non posset.* Atque, his actis, Gratianus, cum Alemanos per absentiam suam, superato limite, in Galliam incurrisse audiret, relicto Sirmii Theodosio, per Venetiam, & Rhætiam in Galliam eximia celeritate se retulit. Treviros reverso, (64) (nam inde Nonis Aprilis ad Hypatium Præfectum urbis scripsit) Ausonius Consul multis verbis gratias egit, (65) quod se Consulem ordinarium effecisset, quam orationem multis de rebus in manus sumere, est utile. Inde Alemanis è Gallia depellendis diligenter opera est impensa, (66) sed rei bene gestæ memoria apud veteres incomperta; nam Ammianus, cui hæc colligere curæ fuit, suam in morte Valentis historiam terminavit. Theodosius, profecto in Galliam Gratiano, Sirmio Thessalonicam (67) adiit, urbem portu munitam, &

nym. de Script. Eccles. c. 72.

(58) A Photino nuncupati, cujus hæresis in Mediolanensi Synodo damnata. L. Petavium in Dissertat. de *Photino hæretico, ejusque damnatione.*

(59) Satis namque visum fuit Gratiano grassantes hæreses execrabiliores statim compescere prima hac lege.

(60) Harum litterarum meminit Ausonius ipse in Panegyri, quem in gratiarum actionem Gratiano dixit circa hujus anni finem. Consul autem processit paulo ante quam Theodosius Imperator crearetur, ut constat ex Precatione, qua sui Consulatus auspicia cecinit, Eidyll. 8.

(61) Species togæ, qua induebantur triumphantes, Consules, Prætores; & Consules quidem, quoties Magistratum inirent ipsis Januarii Kal., idque sub Imperatoribus. Nam libera civitate in sola prætexta fuerunt. V. Lampridium c. 40. Capitol. Gordian. c. 4. Palmata dicta fuit, *quod illam meruerint, qui reportassent de hostibus palmam*, Isidor. 19. 24., unde Sidonius Carm. 5. n. 5.

*Post Palmam Palmata venit.*

Festus autem in picta: *Tunica palmata à latitudine clavorum, quæ nunc à genere picturæ appellatur.* Acu nempe picta, atque distincta erat. Sic Auson. Eidyll. IV. 91.

*Ut præfecturam duplicem, sellamque curulem,*
*Ut trabeam, pictamque togam, mea præmia, Consul*
*Induerer, fastisque meis prælatus haberer.*

Vestem palmatam appellat Auson. ipse Grat. act. p. 245., & inferius pictam, phrygionis opere scilicet elaboratam.

(62) Theodoretus l. 5. c. 5. hallucinatus fuit narrans, nonnisi post relatam de Gothis victoriam Theodosium inauguratum Imperatorem; nam fere omnes Historici consentiunt mense Januarii Imperium obtinuisse. Ita Socr. l. 5. c. 2. Idac. in Fastis, Auctor Chron. Alexandr., aliique,

(63) Unus Theodosius inter tot, tantosque Impp. inventus, sententia Claudiani, qui non quæsierit purpuram, sed ipse quæsitus ab ea fuerit:

. . . . . . . . . . *ultro se purpura supplex*
*Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.*

Claudian. de 4. Consulat. Honorii. Aurel. Victor in Theod. illum Patre Honorio, Matre Thermantia, genere Hispanum, originem à Trajano traxisse ait. At S. Ambros. orat. in fun. Theod, Orosius l. 7 c. 33., & alii Theodosium fuisse testantur. Marcellinus in Chron. Italum patria fuisse, Zosim. autem Caucæ Gallecia natum prodidit.

(64) Ubi & 18. Kal. Octob. dedit L. 12. Cod. Theod. de Medicis, & Professoribus; hinc Ausonius in ea urbe Gratiano de Consulatu gratias agens, ait: *Quia interesse non poterat,* & cet. *ad sollemnitatem condendi honoris occurrisse, beneficiis ne deesset officium*, circa finem nempe Consulatus, interprete Gothofredo.

(65) Panegyr. hic non Kal. Januar., ut vult Vinetus, initio scilicet hujus anni, sed prope finem dictus. Numquid enim Gratianus Treviris potuit præsentia sua honestare initium Consulatus Ausonii, qui ejusdem mensis Januarii die XIX. Sirmii fuit? tam brevi temporis spatio Imperator mille, & quingenta, & amplius milliaria conficere potuit, quot Treviros inter, & Sirmium intercedunt? Adverte verba Auson. superius relata.

(66) Quæ tunc à Gratiano præclare gesta fuerint, paucis Sozom. l. 7. c. 4., & Zosim. perstringunt.

(67) Olim *Therma* hæc vocabatur, & sinui, cui adjacet, nomen Thermæo est, sive Thermaico. Sic appellatur ab Herodoto l. 7. c. 127. à Thucydide l. 1. p. 40. Huic postmodum amplificatæ nomen Thessalonicæ inditum Strabo, l. 7. Tzetza, Chiliad. c. 36. & Thucydidis Scholiastes consentiunt. Plerique

& bello Thraciæ inferendo in primis idoneam. Ibi novum Imperium ante omnia ordinare instituit; nam pro duobus militiæ Magistris amplius quinque fecit, & Præfectos alarum, turmarumque, & Tribunos numerorum multiplicavit: (68) inde aulæ, castrorumque disciplinam, quæ depravata erat, correxit. Etenim, ut Pacatus dixit, non contentus ipse ultro vitia rejecisse, alienis vitiis corrigendis curam adjecit. Et quia vel diuturna Orientis consuetudine, vel superiorum Principum remissione tantus quosdam luxus infecerat, ut adulta lascivia haudquaquam facile videretur obtemperatura medicinæ, ne quis se pati injuriam putaret, à se voluit incipere censuram, & impendia Palatina minuendo, (69) nec solum abundantem sumptum rejiciendo, sed vix necessarium usurpando, quod natura difficillimum est, emendavit volentes. Nam superiores Imperatores parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis innatassent rosæ, nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem falerna (70) fregissent. Eorum gulæ angustus erat noster Orbis, namque appositas dapes non sapore, sed sumptu judicabant, illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Imperium Colchus, (71) aut famosa naufragiis maria misissent, quin & infami sæpe delectu scripti in provinciis aucupes, ductæque sub signis venatorum cohortes militavere conviviis, cujusdam etiam Principis non prandia sæpe, sed fercula sestertiûm millies (72) æstimata pretium equestrium patrimoniorum traxerunt. (73) Theodosius autem modico, ac castrensi cibo jejunia longa lenivit, aulam omnem laboris, patientiæ, & frugalitatis exemplis adeo instruxit, ut nemo unus inveniretur, qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum littorum piscem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem, verum epulas suas mensis communibus parciores tempestivis fructibus locorum instruxit. Optimos inde viros delegit, quibus provincias, quibus militaris rei summam, quibus consilia sua arcana commisit. Inter ceteros autem magistrum utriusque militiæ Majoranum legit, avum maternum Majorani, qui imperavit, de quo Sidonius:

*Theodosius quo tempore Sirmii*
*Augustum sumpsit nomen, per utramq; magistrū*
*Militiam ad partes regni venturus Eoas,*
*Majoranum habuit.*

Disciplina emendata, ducibusque delectis, Gotthicum inde bellum sibi aggrediendum putavit, neque enim decorum, aut utile arbi-

que à Cassandro auctam putant, & in gratiam uxoris Thessalonicæ, Philippi filiæ, ita cognominatam, ut Auctores cit., & Zonar in Claudio Gothico. Bizantius autem Stephanus hanc affert originem: ὅτι φιλέππου τῦ Ἀμύντου ἐπὶ Θετταλὸς νικήσας ὅτως ἐκάλεσε, *quod Philippus Amyntæ filius, ubi Thesalos vincens ita nominaverit.* Nunc Salonichi.

(68) Vegetius II. 9. hujusmodi dignitatem explicat dicens: *Imperatores ex consularibus ad exercitum mittebantur, quibus Legiones, & auxilia universa obtemperabant in ordinatione pacis, vel necessitate bellorum, quorum loco nunc illustres viros constat Magistros militum substitutos, à quibus non binæ tantum Legiones, sed & plures gubernabantur.* A quo autem Magistri militum instituti & dicti, incertum; Aurelianus fane Magister militum per Thracias dicitur apud Vopisc. Aurel c. 17. Constantinus autem, quam Præfecti Prætor. ordinandi, puniendique milites potestatem habebant, ademit, & duos militum Magistros, peditum unum, alterum equitum instituit, qui jus omne in milites haberent. L. Zosim. l. II. 33., id in Occidente semper servatum. Theodosius vero, ex eodem Zosim. l. 4. 27. ad quinque in Oriente redigere opportunum duxit, ut ingruentibus ex omni parte hostibus obsisteret; tametsi Zosimus id Theodosio more suo vitio vertat. Eorum potestatem determinat l. ult. C. de offic. P. P., quæ eamdem in milites Magistris militiæ tribuit potestatem, quam Præfecti Prætor. retinuere in provinciales. L. 1., & 2. C. de offic. Mag. mil.

(69) Vel ante Juliani tempora vitia hæc Palatinorum invaluerant, quæ A. N. percenset, & Aulæ immodici sumptus, ut Ammian. l. 22. c. 4. refert, testatus tunc culinarum curam impensius auctam, & Mamertinus in Panegyr. *Ingentes aulicorum catervæ legionum sumptum facile vincebant.* Sed clarius Liban. in Orat. fun. pag. 291., & sequentibus. L. Socrat. l. 3. Hist. Zonar.

(70) Sæpe id Horatius vinum commendavit, ut l. 1. od. 20. *Falerna vites*; & l. 2. Sermon. sat. III. vers 115. cum Chio componit:

*- - - - positis intus Chii, veterisque Falerni*
*Mille cadis.*

Dicitur autem Falern. ab agro Falerno ad radices Massici montis in Mediterraneis Campaniæ, qui & Mons Falernus vocatur a Martial. l. 12. epigr. 57. Silius l. 7. vers. 164.

*- - - - - - gravida cui nectare vites*
*Nulli dant prælis nomen præferre Falerno.*

(71) In Peripl. Erythræi pag. 33. πόλις ἡ λεγομένη Κόλχοι, *urbs Colchi dicta*: item μετὰ δὲ Κόλχους, *post Colchos*: celebre fuit emporium, quod sinui Colchico nomen dedit, ἐν ᾧ κολυμβήσεις τῆς πινικῆς, ubi margaritharum piscatus. Hodie hæc civitas dicitur Cochin in India intra Gangem. Vide Boch. de Anim. Bibl. l. 2. pag. 469. Conchylia igitur Colchici sinus respicere visus est A. N., aliasque peregrinas piscium species, & ex alio orbe convectas aves plurimi emptas, quas olim ad convivales delicias adhiberi censoriæ leges quoque prohibuerunt, nam & M. Scaurum accipimus id vetasse. Vide Plin. l. 8. c. 57. l. 36. c. 1.

(72) Quoties cum hac voce conjunctus numerus per adverbium effertur, reddit summam centuplo majorem, sic decies sestertiûm, idem valet, ac decies centena millia nummorum sestertiorum. Si autem *decem sestertia* dicantur, veteri loquendi more, intelliguntur decem millia nummorum sestertiorum. Vide Budæum *de Asse* fuse hæc pertractantem.

(73) Equestrem censum intelligit A. N., qui erat sestertiûm quadringentorum millium, teste Svetonio Jul. c. 33. n. 3. *Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis . . . . . Extrema concio, cui facilius erat videre concionantem quam audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur, promissumque jus annulorum cum millibus quadringentis duxit.* Et Horatius epist. 1. 1. 57.

*Si quadringentis sex septem millia desint,*
*Plebs eris.*

A Tiberio Cæsare equestrem censum institutum, Plinio visum fuit, ait enim l. 33. 2. *Tiberii demum principatus nono anno in unitatem venit equester ordo, annulorumque auctoritati forma constituta est . . . . . Hæc de causa institutum, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patre, avoque sestertia CCCC census fuisset.* Utcumque Plinius intelligatur, certissimum est, censum equestrem jam inde à primis etiam R. P. temporibus celebratum; Livius namque l. 5. c. 8. *Repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati.* Hinc consumpto patrimonio, equestris dignitatis insignibus equites privabantur, ut Gellio evenit, de quo Tull. pro Sext. dixit: *Indignus ordine equestri, cujus nomen retinet, ornamenta amisit.*

arbitrabatur, barbaros pati diutius Imperio insultantes. Prosper, Marcellinus, & Victor Alanos, Hunnos, Gotthos, & Scythas magnis, multisque prœliis hoc anno victos fuisse produnt, quomodo vero bellum administratum sit, non adjiciunt. Zosimus autem rem hac ratione confectam refert. Gotthi, inquit, & Taifali, qui & prioribus annis, & paulo ante, Istro transmisso, in Thraciam penetraverant, occupatis oppidorum agris, tanta cum insolentia vagabantur, ut nemo eis ex præsidiis occurrere auderet. Hos autem perdendi, Theodosio talis demum oblata occasio est. Erat apud eum Modares (74) regio apud Scytas sanguine ortus, sed propter fidelem navatam Romanis operam imperio ab eis militari ornatus. Hic, cum imprudentibus Gothis, magnam militum manum in colle quodam haberet, atque hostes in campis temulentos, ac prope securos jacere per exploratores didicisset, ex improviso cum suis descendit, atque imparatos adortus, plerosque aut vulneribus, aut morte affecit; viris autem deletis, in mulieres, & pueros impetus factus, plaustrorum quattuor millia capta, ex quo quantus aut captivorum, (75) aut cæsorum fuerit numerus, conjici potest. Ita Theodosius eodem tempore Orientem & accepit, & conservavit, unde dixit Claudianus (76) Honorium Imperatorem appellans, & de patre Theodosio loquens:

*Unus tot funera contra*
*Restitit, extinxitque faces, agrosque colonis*
*Reddidit, & lethi rapuit de faucibus urbes.*
*Nulla relicta foret Romani nominis umbra,*
*Ni pater ille tuus jam jam ruitura subisset*
*Pondera, turbatamque ratem, certaque levasset*
*Naufragium commune manu. Sic traditur illi,*
*Servaturque Oriens.*

Ceterum Sozomenus (77) Gotthos, obsidibus datis, in amicitiam receptos, Synæsius vero in belli, civitatis, honorum, & agrorum Romanorum societatem acceptos tradit, siquidem in oratione ad Arcadium Aug. ita inquit: *Scythæ nuper non venerunt arma inferentes, sed preces porrigentes, cum ex suis sedibus pulsi essent. Cum autem humanitatem Romanorum, non arma experti essent, insolentia evecti beneficium corruperunt, quo nomine Theodosio patri tuo adversus ipsos armato cum pœnas dedissent, iterum ad misericordiam ejus confugientes, supplices una cum uxoribus suis ad pedes ejus procubuerunt: ille vero supplices excitavit, belli socios ascivit, civitate donavit, honores omnes communicavit, & partem agri Romani attribuit.* Zosimus autem omnibus, qui trans Istrum habitabant, potestatem transeundi tradit fecisse, eosque aut in numeros militares retulisse, aut agriculturæ exercendæ adhibuisse, unde etiam Pacati vox illa manavit: *Dicamne receptos ad servitium Gotthos castris tuis militem terris sufficere cultorem?* Ceterum, cum catervatim transirent, multitudinem eorum formidans, partem in Ægyptum transmisit, atque alios ex Ægypto in Thraciam evocavit, ceteris vero optionem dedit, ut in patriam se reciperent, ac pro se alios Romanis numeris ascribendos mitterent. Quam confusionem conspicati Gotthi, ut qui de rebus omnibus per populares suos transfugas fierent certiores, derepente flumen trajecerunt, ac, nemine prohibente, in Macedoniam usque procurrerunt, nocteque summa ad castra Imperatoris igne accenso conspicua, ducti à transfugis, contenderunt, atque ita, prœlio cum Romanis commisso, (78) cum Theodosius evasisset, inde se in Macedoniam, ac Thessaliam effuderunt, ac mox, ne tentatis quidem oppidis, cum ingenti præda se receperunt. Quibus profectis Theodosius, ne quid in posterum incommodi pateretur, oppida omnia, quæ muris septa erant, præsidiis confirmavit, ac de rebus omnibus Gratianum admonuit. Eodem anno Valentinianus venit Aquilejam, atque inde III. Nonas Julias ad Hesperium Præfectum Prætorio scripsit, ut licet omnes mercatores spectaret lustralis auri depensio, (79) clerici tamen intra Illyricum, & Italiam in denis solidis, intra

(74) *Qui non multo ante transfugerat ad Romanos;* ait Zosim. l. 4. 25. ubi rei gestæ seriem narrat; & Modarem Magisterio militum ornatum fuisse tradit.

(75) *Cum tot mancipiis, quot erat consentaneum tot vehi curribus: præter eos, qui pedites plaustra comitabantur, ac per vices (ut fieri consuevit) in plaustris quiescendo se recreabant.* Zosim. loc. cit.

(76) De quarto Consulat. Honorii. Et quidem hæc victoria hoc anno relata, & postquam Theodos. Imperator creatus fuit, adeo ut nulla Theodoreto habenda sit fides dicenti l. 5. c. 5., Theodosium adhuc privatum bellasse adversus barbaros illos. Nam præter Zosim. supra laudatum Socrates etiam l. 7. c. 4., Orosius l. 7. c. 20., Jornandes l. de Regnorum successione c. 93, & l. de Rebus Geticis c. 26., Marcellinus in Chronic. id aperte testantur. Immo Idacius in Fastis diem designat, quo hujus victoriæ nuncium Romam pervenit; Ausonio enim, Olybrioque Coss. an. sc. 379. prodit: *Ipso anno multa bella Romani cum Gothis commiserunt. Deinde victoriæ nunciatæ sunt adversus Gothos, Alanos, atque Hunnos die XV. Kal. Decemb.*

(77) Lib. 7. cap. 4.

(78) Impar sane erat Romanus exercitus ad resistendum barbarorum multitudini ingenti, sed plerique ex illis fortiter adeo dimicarunt, ut concesserint satis amplum Theodosio fugiendi spatium, & nonnisi trucidata *infinita*, ut ait Zos. l. c. 31. *barbarorum multitudine* ceciderint.

(79) Dicitur ita in L. XI. Cod. Theod., & alibi de Lustrali Collat., quia quarto quoque anno pendebatur; Lustrum enim quinquennale tempus ita reductum est, Cod. de Lustral. Collat. L. 2., 4., 7., 8. Dicitur & onus collationis, auri, & argenti præstatio, oblationis obsequium, auraria functio pluribus in Legibus. Extat vetus Inscriptio apud Gruter p. 147. num. 4.

P. ÆLIO. T. F. QUÆST. R. AURI.
LUSTRALIS. COACTORI.

Mirum quod Zosim. t1. §8. a Constantino introductum referat, cum sub Alexandri Severi principatu solveretur, de quo Lampridius p. 121. *Negotiatoribus*, inquit, *ut Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit.* Et deinde subdit: *Aurum Negotiatorium, & Coronarium Romæ remisit.* Sed Zosimus id scripsit, ut Constantinum more suo carperet. Suspicor itaque Constantinum formam tantummodo Lustralis auri pendendi immutasse, quæ antea forsasse annualis, aut aliter erat, facta deinde [illegible]; idque utilius visum Fisco ob facultatum incrementa, & negotiatoribus commodius, quorum facultates excutere per singulos annos, grave erat. Neque ob Exactorum nequitiam Principis factum voluti injustum à Zosimo erat arguendum. l. 2. §8. Hac Lege determinata fuit immunitas Clericis, quæ Constantii tempore erat indeterminata; data enim fuerat Clericis

intra Gallias in quinis denis immunem usum A conversationis haberent. Aquileja inde cum Justina matre processit Sirmium, fortasse ad Pannoniam ab incursionibus barbaricis defendendam. Quo eodem Ambrosius quoque Episcopus Mediolanensis advenit ad Anemnium Episcopum Catholicum consecrandum. Ibi tum primum Justina odium suum adversus Ambrosium acrem Arrianorum hostem effudit, siquidem, convocata populi multitudine, ipsum Ecclesia deturbare contendit, cujus auctoritate fulta virgo Arriana facinus inauditæ audaciæ perpetravit. Nam Ambrosium in Tribunal progressum, prehensa veste, ad partem traducere mulierum studuit, ut ab iis cæsus de Ecclesia pellere- B tur, cui ille dixit: *Et si ego indignus tanto Sacerdotio sum, tibi tamen non convenit, manum Sacerdoti injicere, quare debes Dei judicium extimescere, ne quid tibi adversi contingat*. Quod dictum tristis eventus proxime est consequutus, nam postridie virgo vitam amisit. (80) Sub hoc tempus in Hispania vetus Gnosticorum hæresis instaurata est, (81) qui, ut S. Leo scripsit, non contenti eorum recipere falsitates, qui ab Evangelio Christi sub Christi nomine defecerunt, tenebris etiam paganitatis immersi sunt, ut per magicarum artium profana secreta, & mathematicorum nova mendacia religionis fidem, morumque rationem in potestate dæ- C monum, & effectu siderum collocarent. Hujus pestis auctor fuit Priscillianus, homo nobili loco natus, dives, acer, disertus, multa lectione eruditus, ad disserendum promptus. Is, ubi doctrinam hanc erit aggressus, multos nobilium, pluresque populares oratione, ac blanditiis allexit in societatem; quin etiam mulieres novarum rerum cupidæ lubrica fide, & curioso ad omnia ingenio catervatim ad eum confluxerunt, ac demum Episcopi Instantius, & Salvianus cum receperunt. Quam rem compertam Higinus Cordubensis Episcopus ad Idacium Emeritensem Episcopum (82) retulit, qui ultra, quam oportuit, Instantium, sociosque lacessens ma- D los exasperavit potius, quam compressit; ut
380 Severus scriptum reliquit. Insequentis anni principio, qui à Christo nato CCCLXXX. Gratianum Augustum quintum, & Theodosium Augustum Consules habuit, Theodosius Thessalonicæ morbo gravissimo conflictatus est. Itaque, cum ipse sibi diffideret (quod nondum fecerat) sacro se tingi lavacro voluit, &, cum Acholium Thessalonicensem Episcopum rectæ fidei esse, compertum haberet, sacram ab illo ablutionem accepit. Ab illo inde die se hæresis Arrianæ oppugnatorem, Nicænæ vero fidei defensorem acerrimum præstitit. Itaque cum Constantinopolim una cum Oriente turpi maculatam errore æquo ferre animo non posset, III. Kal. Martias edictum ad populum Constantinopolitanum misit in hæc verba: *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus Religione versari, quam Divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio usque ad nunc ab illo insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam, evangelicamque doctrinam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam deitatem sub pari majestate, & sub ipsa Trinitate credamus.* Barbari, postquam Theodosium morbo periculoso implicitum rei militari vacare non posse senserunt, continuo ex Mœsia, Thraciaque progressi, sese populabundi in proximas provincias Pannoniam, & Macedoniam effuderunt. Quibus de rebus Gratianus certior factus, Baudonem, & Arbogastem, (83) homines genere Francos, sed rei militaris peritissimos, ac mox Vitalianum (84) cum exercitu misit. Ex quibus Baudo, & Arbogastes Gotthos in Macedonia, Thessaliaque populantes invaserunt, ac relicta præda, in Thraciam se recipere compulerunt. Vitalianus vero Fritigernum ex Achaja, & Epiro, Alatheum, & Saphracem ex Pannonia deturbavit, ac fœdus cum eis Gratiani nomine icit. His gestis, Theodosius è morbo tandem emersit. Ubi vero, quæ acta cum barbaris erant, cognovit, rata omnia habuit, ac demum Constantinopolim, quò jam pridem vocabatur, processit, & magno civitatis occursu exceptus VIII. Kal. Decembris

---

ricis negotiationem exercentibus solum alimoniæ causa L. 8. Cod Theod. de Episcop., Et si exiguis admodum mercimoniis victum sibi, & vestitum conquirerent L. 15. eod. tit. Valens autem Clericos omnes negotiantes Lustrali collationi pendendæ subjecit. Gratianus, & Valentinianus hac Lege lata immunitatem determinarunt, certo solidorum numero constituto; nempe in Illyrico (Occidentali sc., quippe Orientali imperabat Theod.) & Italia intra decem solidos, in Galliis quindecim Clerici negotiantes immunes essent à Lustrali collatione.

(80) Narrat id factum Paulinus in Vit. S. Ambrosii. E

(81) Non enim tunc primum Gnosticorum hæresis in Hispania, nam illuc Marcus ex Ægypto profectus, Memphis ortus, execrandum intulit errorem, teste Severo Hist. l. 2., & S. Epiphanius hær. 26. in fin. prodidit Gnosticos ex Ægypto pulsos fuisse; & Hieronym. in Isa. c. 44. Marcum in Gallias primo, deinde in Hispanias navigasse his onustum mercibus. Quamvis autem Papebrochius die XII. Maji in Vita S. Epiphan. adversus hæc excipiat, certè Priscillianus à Gnosticis institutus hanc hæresim instauravit. Et quidem hoc anno 379., non sequ. ut Baronio visum fuit. Prosper in Chron. sub Ausonii, & Olybrii Consulatu 379. gesto ait: *Ea tempestate Priscillianus Episcopus de Galæcia ex Manichæorum, & Gnosticorum dogmate hæresim nominis sui condidit*. Hoc igitur anno hæresis detecta fuit, & sequenti damnata in Synodo Cæsaraugust., ut præsefert ejusdem titulus.

(82) Rectè A. N. corruptum Severi locum l. 2. Hist. emendavit, qui de laud. Concilio loquutus, Idacium dixit *emeritæ ætatis* Sacerdotem, cum Emeritensis Sacerdos, *Emeritæ* sc. *civitatis*, sit legendum. Hic sanè Idacius factis, ac scriptis Priscillianum, ejusque asseclas prosecutus est, teste Isidoro de Vir. illustr. dicente: *Idacius Hispanus Episcopus, cognomento, & eloquio clarus scripsit quemdam librum sub Apologetici specie, in quo detestanda Priscillianorum dogmata, & maleficiorum ejus artes, libidinumque ejus probra demonstrat*, & cet.

(83) Hos Zosim. l. 4. 33. *ab avaritia, donisque captandis prorsus immunes, & in bellicis rebus prudentia pariter, ac robore præstantes* appellat.

(84) *Hominem, qui rebus fatiscentibus nequaquam sufficere posset*. Zosim. l. 4. 34. in init., eoque duce rem administrante narrat regiones Celticas barbaris relictas fuisse, iisque Istro transjecto Pannoniæ, Mysiæque Superioris adeundæ potestatem factam. Ibi Alatheum Zosimus *Allothum* dicit:

bris (85) urbem de Gotthis, Scythisque triumphans inivit. Versis inde ad ordinandam civitatem consiliis, nihil potius habuit, quod ut labem Arrianam elueret. Itaque post biduum Demophilum, (86) qui Arrianorum Ecclesiam obtinebat, postquam in proposita permanere sententia sensit, urbe exire cum omnibus Arrianis præcepit, atque Ecclesias eorum Catholicis tradidit, anno quadragesimo, postquam ab eis fuerant occupatæ. Legem etiam, teste D. Augustino, tulit, ut Episcopus, Clericusve in hæresi deprehensus denis libris auri multaretur. Cum autem Demophilus extra urbem injuriam ad convocatam multitudinem quereretur, ac plerisque res digna videretur, quæ generalis Concilii sententia constitueretur, Theodosius, ut omnes ex Oriente hæreses exterminaret, Concilium Constantinopolim in insequentem annum indixit. (87) Eodem anno Gratianus Treviris VIII. Kal. Februarias corpori naviculariorum (88) delatam à divo Constantino, & Juliano principibus equestris ordinis dignitatem firmavit, & eum Alemanis Rheni limitem incursantibus depugnavit. Valentinianus vero VIII. Kal. Maji Mediolano ad Paulinum Præfectum urbis sic scripsit: *Mulieres quæ ex viliori sorte progenitæ spectaculorum debentur obsequiis, si scenica officia declinarint, ludicris ministeriis deputentur, quas nec dum tamen consideratio sacratissimæ Religionis, & Christianæ legis reverentia suæ fidei mancipavit.* In Hispania post multa inter Episcopos certamina conventus apud Cæsaream Augustam est convocatus, (89) cui etiam Aquitaniæ Episcopi interfuere. Verum, hæreticis judicio se committere non ausis, in absentes lata sententia, damnatique Instantius, & Salvianus Episcopi, Elpidius, & Priscillianus laici. Additum est etiam, ut si quis damnatos in communionem recepisset, sciret, in se eandem sententiam esse promendam. Ithacio Sossubensi Episcopo negotium datum, ut decretum Episcoporum omnibus indicaret, maximeque Higinum communione sejungeret, qui, cum primus omnium palam insectari hæreticos cœpisset, postea turpiter depravatus in communionem eos recepisset. Syngrio inde, 381
Eucherioque Consulibus, (90) & Valeriano Præfecto urbis, Athanaricus Rex Tervingorum, (91) qui, ut supra retulimus, in Thraciam non transierat, quod se Religione impediri, ne Romanum solum attingeret, asseruerat, patria à suis expulsus, mense Januario Constantinopolim venit, atque à Theodosio comiter, ac benigne exceptus est. Is, cum urbem inviseret, atque intentis oculis universa lustraret, in magnam Romanæ potentiæ admirationem adductus dixit: Deus Profecto terrenus ipse est Romanis Imperator; quisquis adversus eum manum sustulerit, ipse sui sanguinis reus erit. Neque ita multo post vita cessit, funus ejus pompa splendidissima Theodosius celebravit, atque ipse ei quoque honoris caussa præivit. Hoc, Ammiano maxime auctore, tradimus, qui ita scribit: *Athanaricus proximorum factione genitalibus terris expulsus, Constantinopoli fatali morte decessit, & ambitiosis exequiis ritu sepultus est nostro.* Eo mortuo, Tervingi sese Theodosio bonitatem ejus admirati dediderunt, ac pro illo se militaturos, ac limite custodiendo aliorum incursiones propulsaturos promiserunt, id fœdus inde per annos prope viginti servatum. (92) Theodosius autem

(85) Ita Socrat. l. 5. c. 6. ita & Auctor Chron. Alexandrini; unde error irrepsit in text. Idacii in Fastis, ubi sub h. an. Coss. scribitur: *His Coss. victoriæ nunciatæ sunt amborum Augustorum. Et ipso anno ingressus est Theodosius Aug. Constantinopolim die XVIII. Kal. Decemb.*, expungenda igitur nota numeralis X. observante Gothofredo in Chronol. Cod. Teod. nam ex L. 25. c. Cod. de Petitionibus Theodosius 15. vel 16. Kal. Decemb. erat adhuc Thessalonicæ.

(86) Quomodo id factum Sozomen. l. 7. c. 5. narrat: erat autem is Demophilus post Eudoxium Episcopus Constantinopolitanus hæreticus, & una cum Demophilo abiit etiam Lucius, qui ab Arianis quondam Alexandrinæ Ecclesiæ præfectus fuit, sed pulsus C. P. concesserat, eodem Sozomen. teste, qui subdit hæc accidisse anno quadragesimo ex quo Ariani Ecclesias occupaverant, ut & Marcellinus in Chronico affirmat sub his Coss., inquit enim: *His Coss. Theodosius M. postquam de Scythicis gentibus triumphavit, expulsis continuo ab Orthodoxorum Ecclesia Arianis, qui eam per quadraginta fere annos sub Arianis Imperatoribus tenuerant, nostris Catholicis Orthodoxus restituit Imperator mense Decembri.*

(87) Annuente Damaso, R. P., & assensum præbente, ut Patres Sextæ Synodi, Act. 18. declarare videntur his verbis de Macedonii hæresi loquentes: *Sed Maximus Theodosius Imp. & Damasus Fidei adamas obstiterunt*, & cet., convocatione certe Constantinopolitani Concilii Oecumenici, cujus cogendi jus penes R. Pontificem residere Damasus ipse probe novit Ep. ad Episcopos Illyr., ap. Theodoret. l. 2. 22.

(88) Ita appellantur à Tacito Annal. 12. 55. 2., & Veget., qui IV. 32. navicularios esse ait, qui in classe singulis præsunt navibus, quosque Græci Navarchos appellant, sed Tacitus de iis loquitur, qui meritorias naves habebant, & Græce ναύκληροι.

(89) De hoc Concilio loquitur Severus l. 2., qui tamen in eo falsus est, quod Priscillianum laicum dicat, quem Abulæ Episcopum ordinatum Idacius in Chron. anno Abrahami 2401. diserte testatur, cui Hieronym. ad Ctesiphontem, & Prosper in Chron. adstipulantur. Aquitani Episcopi huic conventui interfuere, in quibus Siradius, qui videtur esse S. Phœbadius Agennensis in Aquitania secunda Episcopus, doctrina, & morum sanctitate eximius: item Delphinus Burdigalæ Aquitaniæ secundæ Metropoleos Episc. Ithacius vero *Clarus* cognominatus Episcopus Hispaniæ erat, fortasse Ossonobensis (erat Ossonoba urbs Lusitaniæ) quem A. N. hic Sossubensem ex Severo appellat.

(90) V. Gothofredum in Prosopographia Cod. Theod. Eucherius autem propatruus fuit Arcadii Imperatoris.

(91) Hoc anno Athanarici mortem evenisse Idacius testatur in Fastis dicens: *His Coss. ingressus est Athanaricus Rex Gothorum Constantinopolim die III. Id. Januar. Eodem mense, diem functus Athanaricus VIII. Kal. Februar.* Idacio suffragatur Prosper, & alter Idacius in Chron. Ad illius funus alludit S. Ambros. in procemio librorum de Spir. Sancto ad Gratian. Aug. dum de Urbe C. P. ait: *Postea vero quam fidei exules abdicavit, hostem ipsum*, (Athanaricum nempe) *quem Regnum semper timere consueverat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet.* Theodosii ceteroquin clementiam erga Athanaricum vel Zosim. ipse infensus Theodosio commendat l. 4. 34. Themistius quoque & ipse Ethnicus Orat. 6. ex nostris Orosius l. 7. c. 34. Pacatus item in Panegyr. Theodos. Persas munera detulisse ad Theodosium Imperatorem affirmat.

(92) Infidam hanc fuisse pacem, tradit Idac. in Chron., & Isidorus inquit, anno sequenti Gothos *patrocinium Romani fœderis recusantes Ala-*

autem Concilio, quod indixerat, operam dedit. Convenere ex Catholicis Episcopi centum quinqusginta, (93) ex Macedonianis triginta sex mense Majo. In primis autem affuerunt Timotheus Alexandriæ Episcopus, Cyrillus Hierosolymorum, & Meletius Antiochiæ; vacabat enim Ecclesia Constantinopolitana (94) quod Gregorius Nazianzenus, qui Catholicam Ecclesiam contra Demophilum Arrianum per biennium tenuerat, Nazianzum proxime se receperat. Præcipua cura fuit, ut Macedoniani ad Catholicorum partes redirent, nam post edictum Gratiani, quo liberam religionis fecerat potestatem, iterum ab eis defecerant, verum inanis omnis conatus cecidit. Cum se facturos negassent, ut Consubstantiale sentirent, urbe exire jussi sunt. Inde, cum de Ecclesia Constantinopolitana relatum esset, Nectarius (95) vir Senatorius, ac præfectura fungens, & adhuc catechumenus à populo propter virtutis opinionem ad eum honorem evectus, ac mox ab Episcopis consecratus est. Illo inde cum ceteris assidente, decretum factum est, (96) ut Episcopus Constantinopolitanus proximas post Romanum sedes haberet, is honos dignitati Regiæ urbis visus est convenire. Nicæni inde Concilii fides confirmata, ac Filium Patri consubstantialem esse, statutum est, Arrianique repulsi. Inde Macedonianorum hæresis condemnata, qui Spiritum Sanctum creaturam esse dicebant, ooo aliter atque Arriani Filium. Fidesque de Spiritu Sancto constituta, in qua ipsum non creatum esse, sed procedere, decretum est, & cetera, quæ in Symbolo de gloria, & honore Spiritus Sancti dicuntur. Jam vero damnati etiam Sabelliani sunt, qui unam tantum Trinitatis personam faciebant, & Apollinaristæ, qui Verbum in homine ratione carente habitasse, & loco mentis Verbum ipsi animæ affuisse dicebant. Hæc in hunc modum ab Episcopis decreta ubi Theodosius comperit, Heracleæ III. Kalend. Augusti sic edixit: *Episcopis tradi omnes Ecclesias mox jubemus, qui unius maiestatis, atque virtutis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confitentur, quos constabit communi Nectarii Episcopi Constantinopolitani Ecclesiæ fsi sociatos, itemque Timothei Alexandrini, Cyrilli Hierosolymitani, & Meletii Antiocheni, omnes autem, qui ab eorum fidei communione dissentiunt, ut manifestos hæreticos ab Ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum facultatem permitti, ut veræ, ac Nicænæ fidei Sacerdotia casta permaneant.* Ut autem Theodosius ad extirpandas hæreseos Arrianæ reliquias Concilium Constantino-

---

*Alaricum Regem sibi* constituisse; & quamvis Isidorus circa tempus rupti fœderis errare videatur, (nam Themistius orat. in Grat. act. ad Theodos., quam sub Saturnini Consulatu, an. 383. gesto habuit, pacem adhuc durasse ait) attamen Gothorum novi motus in R. Imperium in dubium revocari nequeunt.

(93) Auctor Anonymus Vitæ S. Pauli C. P. Episcopi præfatum numerum recenset, cujus excerpta Bibliothecæ suæ *Codice* 257. Photius inseruit, & inter Catholicos Episcopos Gregorium Nanzianz. pariter numerat. Hæreticorum autem Capita Eleusium Cyzicenum, Marcianum Lampsacenum, & Evethium Ephesium commemorat.

(94) Luce indiges universa hæc A. N. narratio, quæ nunquam sibi constabit, nisi duplex Concilium C. P. celebratum an. 381. distinguatur; primum ipso anni exordio, de quo Socrates l. 5. c. 5., ubi: *Eodem tempore*, inquit, *quo & res Antiochenæ in tanta perturbatione versabantur, & Gregorius communi multorum Episcoporum consensu ab urbis Nanzianzi Episcopatu ad Episcopatum Constantinopolis translatus fuit, Meletius C. P. necessario contendit*. Cum igitur Socrates ejusdem libri c. 8. Concilii C. P. Oecumenici figat Epocham Calendis Maji ann. 381., patet, Gregorium Nanzianz. aliquot saltem mensibus Regiæ Urbis Episcopum creatum, non quidem opera unius Meletii, sed suffragiis Synodi Episcoporum, quæ ad id collecta fuit, ut docet vel ipse Gregorius Nanz. in carmine de Vita sua canens.

*Nam quidquid Ortus Præsulum (Ægyptum citra)*
*Habebat, usque ad inclytam Romam novam,*
*Terræ, marisque ex intimis recessibus,*
*Quo concitatum cælitus pacto, haud scio,*
*Cœit repente, firmet ut Thronum mihi.*
*Quos inter unus Vir erat pius admodum,*
*Simplex* & cet.

Et prosequitur deinde Meletii hac in re operam exponere, subjungens, Petrum Alexandrinum Episc., qui antea per litteras, ejus probaverat electionem, una cum Ægyptiis Episcopis postea improbavisse. Petrus itaque Alexandrinus Episc. ab ea Synodo abfuerat, in qua S. Gregorius in C. P. sedem provectus est, accessit autem postea, eodemque anno obiit. Timotheus vero illius successor interfuit Synodo Oecumenicæ, in qua Gregorius Nanz. pacis studio se abdicavit: ac proinde Synodus, in qua Meletius, aliique Episcopi Gregorium ad Episcopatum C. P. evexerunt, diversa fuit ab Oecumenica, in qua Meletio vita functo Patres religiose parentaverunt, S. Gregorio Nysseno funebrem orationem recitante. In secunda igitur hac Synodo, cui interfuit non Petrus Episcopus Alexandrinus, sed ejusdem successor Timotheus, abdicatus fuit Maximus Cynicus Constantinopolitanæ Sedis invasor, & in ea Gregorius confirmatus, a quo studio pacis cum se abdicasset, Nectarius suffectus fuit.

(95) Tarsensis erat è Cilicia, & Constantinopoli morabatur. L. Sozomenum l. 7. c. 8. narrantem fusè Nectarii electionem, adnitente Diodoro Tarsi Episcopo apud Imperatorem. Hanc Electionem luxit Gregor. ipse Nanzian. in Carmine de Vita sua. In Concilio autem hoc secundo Constantinopoli habito electum Nectarium certissimum est; Canones enim ejusdem Synodi præferunt diem septimum Iduum Juliarum, & hoc anno III Kal. Aug. Theodosius dedit L. 3. Cod. Theod. de Fide Catholica, in qua jam Nectarius Episcopus C. P. dicitur.

(96) Meminit hujus Canonis Socrat. l. 5. Hist. Ecclesiast. c. 8., Sozomenus l. 7. cap. 9. Niceph. l. 12 Histor. Eccles. c. 13. & S. Leo ep. 53. ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum agnoscit Canonem illum esse laudati Constantinopolitani Concilii, & tantummodo negat, ad Apostolicam Sedem fuisse relatum, ab eaque probatum. Non itaque subdititius Canon ille tertius, qui in Dionisii Exigui Versione postrema pars est Canonis II. Nonne etiam præter secundum consessus honorem post Roman. Pontificem, Patriarchica dignitas, & jurisdictio in diœceses Thracicam, Ponticam, & Asiaticam Episcopo Constantinopolitano collata? Ita sane hunc Canonem intellexere Chalcedonenses Patres edito Can. 28. quem L. Sed Constantinopolitani I. Decreta usque ad Innocentii III. tempora recepta non fuere, tunc cum Lateranense IV. Can. 5. sanxit: *Antiqua Patriarchalium Sedium Privilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ* & cet. *Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum obtineant, servata cuilibet propria dignitate.*

nopoli ex Orientalibus habuit, sic Gratianus Aquilejæ haberi jussit (97) ex Occidentalibus, convenere ex Italia, Gallia, & Pannonia Episcopi, atque Gallorum, & Afrorum legati; fuere autem ex Italia Valerianus Aquilejensis, Ambrosius Mediolanensis, Eusebius Bononiensis, Limenius Vercellensis, Sabinus Placentinus, Philaster Brixianus, Bassianus Laudensis, Heliodorus Altinas, Exuperantius Derthonensis, Diogenes Genuensis, & Anemnius Sirmiensis, quem consecratum fuisse ab Ambrosio diximus, quorum plerique post mortem in sanctorum Confessorum relati numerum adhuc magna ab his civitatibus religione coluntur; tulit enim hæc ætas ingentem numerum sanctorum apud Italos Episcoporum, quos, ut scribit Ammianus, tenuitas edendi, potandique parcissime, vilitas indumentorum, supercilia humum spectantia, perpetuo numini verisque ejus cultoribus ut puros commendavit, & verecundos. Hoc Concilio duo Episcopi Palladius, atque Secundianus cum Arrianis facere deprehensi, iique magna altercatione convicti, atque damnati sunt. Nonis Septembris acta ad Gratianum sunt missa. Damasus Episcopus, cum acta Concilii Constantinopolitani accepisset, Sylvestrum imitatus, (98) qui Concilium Nicænum Romæ probarat, & hoc sibi excutiendum putavit, atque ob eam rem Concilium Romam Episcopis Occidentalibus indixit, atque, Aquilejensi conventu perfecto, Episcopos Orientis eò quoque Theodosii litteris evocavit. Eodem anno in Hispania Instantius, & Salvianus damnati judicio Sacerdotum Priscillianum laicum, sed tanquam auctorem omnium malorum una secum in Cæsaraugustana synodo notatum, ad confirmandas vires suas Episcopum Abilæ designarunt, rati nimirum, si hominem acrem, & callidum Sacerdotali auctoritate armassent, se validius sibi præsidium paraturos. Tum vero Idacius, & Ithacius acrius institerunt, arbitrantes posse inter initia malum comprimi, sed parum sano consilio seculares judices adierunt, ut eorum decretis, atque animadversionibus hæretici pellerentur. Igitur post multa, & fœda, Idacio supplicante, elicitur à Gratiano rescriptum, quo universi hæretici excedere non Ecclesiis tantum, aut urbibus, sed extra omnes etiam terras expelli jubebantur. Quo comperto, Gnostici diffisi rebus suis, non ausi judicio certare, sponte cessere, qui Episcopi videbantur; ceteri formidine dissipati sunt. At Instantius, Salvianus, & Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum Pontificem objecta purgarent, interiorem Aquitaniam prætereuntes, ab imperitis suscepti perfidiæ semina sparsere, maximeque Elusanam plebem (*) bonam, & religioni studentem pravis prædicationibus pervertêre, & Burdigala per Delphinum repulsi, in agro Euchrociæ (99) mulieris locupletis aliquantisper morati nonnullos suis erroribus infecere, inde iter peregerunt, uxores, atque alienas etiam fœminas in comitatu habentes, in queis ipsa erat Euthrocia, ac filia ejus Procula, de qua sermo fuit, Priscilliani stupro gravidam partum sibi graminibus abegisse. Ut vero Romam pervenere, Damaso se purgare Pontifici cupientes, ne in conspectum quidem admissi sunt, ibi etiam Salvianus est mortuus: regressi Mediolanum æque sibi adversantem Ambrosium repererunt. Cum duos Episcopos summa auctoritate illudere non potuissent, corrupto Macedonio tum magistro officiorum, (100) rescriptum à Gratiano obtinuerunt, quo restitui Ecclesiis jussi sunt. Antonio inde, & 382
Syagrio (101) Consulatum, & Severo Præfecturam urbis, gerentibus, Justina Augusta Mediolani cum Valentiniano puero constituta, ut Arrianorum caussam duobus Conciliis superiore anno afflictam restitueret, Ambrosium evertere instituit. (102) Itaque mu-

(97) Postulaverant Palladius, & Secundianus Ariani Episcopi, & Attalus quidam ejusdem Sectæ Presbyter, ut Imperatoris Gratiani mandato Generale Concilium, in quo caussam dicerent, cogeretur; sed fas non putavit Gratianus, ut ob duos in Fide cariosos totus Orbis Christianus commoveretur, & Ecclesiæ Sacerdotibus destituerentur, ut patet ex Synodica epist. ad Imperatores data; unde celebratum Aquilejense Concil., cui 32. Episcopi adsuere ex Italia, Galliis, Pannonia, & Africa, eique præsedit Ambrosius Mediolanensis. Hujus Concilii acta adulterina, & à Vigilio Tapsensi conficta suadere, sed infeliciter, nititur P. Franciscus Chiffletius, qui ejusdem Vigilii libros in Arianos scriptos Notis illustravit. Vide Hermantium l. 3. c. 3. Chiffletii argumenta elidentem.

(98) Qui ex Italia Episcoporum Concilium collegit, cujus Fragmenta extant T. 1. Concilior., in quo Nicænam Fidem confirmavit.

(*) Ab Elusa Aquitaniæ oppido dicta, Ruffini illius patria, in quem duos libros scripsit Claudian., & l. 1. vers. 137. de Megara furia, Rufinum instigante, ut orbem perdat terrarum, dicitur:

*Invadit muros Elusæ, notissima dudum*
*Tecta petens.*

Hinc Elusates apud Cæsar. l. 3. B. Civ. c. 19. Plin. l. 4. c. 19., & Elusani apud Apollinarem Sidon. l. 7. epist. 6.

(99) Hæc à Severo Histor. l. 2. in fin. A. N. accepit.

(100) De quo Paulinus in Vita S. Ambros., narrans ejusdem præcepto denegatam Ambrosio Imperatorem alloquendi copiam, foribus clausis; ejusdemque dolo malo impulsus Gratianus propitium se gessit hæreticis.

(101) Primus pater erat Placillæ prioris Theodosii Imp. uxoris, ad quem Antonium respexit Themistius in Orat., quæ inscribitur: *Gratiarum actio ob pacem, & ob Consulat. Saturnini*, ann. sequ. gestum, dum inquit: *Postquam enim generis propinquitati primas honoris detulisti, patruo videlicet*, (Eucherio sc. ann. præced. Consuli) *& affini* (Antonio nempe). Hic autem Syagrius alius ab eo est, qui elapso anno Consul processit.

(102) Diram hanc Justinæ in Ambrosium persecutionem ante Gratiani necem evenisse Sozomen. refert l. 7. c. 13., & Nicephor. l. 11. c. 19., aliique hos secuti. At Ruffin. l. 2. c. 15. post Gratiani obitum contigisse tradit, cui S. Gaudentius suffragatur in Præf. serm. Biblioth. Sanct. Prosper in Chronico Imperiali, sicut & Sigebertus in Chron. initium persecutionis S. Ambros. anno 385. consignarunt. Idque inde suadetur, quod Justina egit cum D. Ambrosio, ut Basilicam Arianis concederet, ubi & suos ipsi conventus celebrarent, quod quum se facturum negaret Ambrosius nec promissis illectus, nec territus minis, Lex deinde 4. Codic. Theod. de Fide Cath. lata fuit an. 386. X. Kal. Feb. Mediolani, Honorio sc. Nobiliss. Puero, & Evodio Coss., qua Valentinianus, Matre instigante, Arianis Conventus agendi fecit potestatem, quod, vivo Gratiano, Justina minimè obtinuisset. Nec mirum si Paulinus Ecclesiæ Mediolan. Clericus ejusmodi persecutionem ante obitum Gratiani narret, res quippe gestas collocat,

muneribus, atque honoribus oblatis homines in eum incitavit, Tribunatusque promissis iis, qui ipsum raptum de Ecclesia ad exilium pertraxissent. Quod cum aliquot irrito conatu tentassent, Euthymius quidam ausus est domum sibi juxta Ecclesiam comparare, atque ibi currum constituere, ut correptum repente cisio (103) imponeret, atque aliò asportaret; post annum autem eodem die, quo se Ambrosium rapturum, atque in exilium deducturum, putarat, in idem cisium illatus ipse ad exilium est deportatus. Cui tamen ab Ambrosio viaticum, atque alia necessaria ministrata sunt. Ceterum Ambrosius ad Palatium vocatus accessit. Quod ubi sensit populus, qui egregie erga illum erat affectus, insidias parari veritus, ad Palatium repente confluxit, ac tumultum ingentem excivit. Comiti autem militari ad fugandam multitudinem cum expeditis egresso alacri animo restitit, neque ante seditioni est modus impositus, quam populum incitatum rogatus Ambrosius longo sermone demulsit, (104) demum, Sacerdotali dignitate, ac constantia egregie conservata, domum discessit. Erant adhuc multi non solum Romæ, sed etiam in Senatu Romano errori Gentilitatis addicti. Hi, credo, imbecillitate Valentiniani, & Justinæ matris ejus illecti, consiliis communicatis, petere ab eis statuerunt, ut ara vetus in Curia (105) reponeretur, ad quam jurare Senatores solebant de rebus publicis consulturi, & ut sacris faciundis (106) sumptus ante sublati à Gratiano restituerentur. Quod cum Christiani, qui numero superabant, clam moveri sensissent, libellum Damaso Pontifici obtulerunt, denunciantes, nihil se ejusmodi censuisse, neque assensione sua probasse, si id concederetur, se in Senatum non venturos; quem libellum Damasus ad Ambrosium, ille ad Gratianum misit. Valentinianus Venetiam perlustrans XII. Kal. Julias (107) Patavio ad Severum Præfectum urbis de mendicis servitute eximendis rescripsit, at vero XV. Kal. Decembris Veronæ (108) ad Flavium Præfectum Illyrici, atque Italiæ de jussis suis exequendis in hunc modum: *Si vindicari in aliquot severius contra nostram consuetudinem pro caussæ intuitu jusserimus, nolumus statim* (109) *eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sors, aut fortuna suspensa sit. Reos sane excipiat, vinciatque custodia, & excubiis solertibus vigilantes observet.* Hunc, credo, ille matris impulsu edixit, veritus, ne quid præcipitantes ætatis vitio in caput reorum decerneret. (110) Interim Damasus Romæ Concilium habuit Episcoporum Occidentis frequentissimum. (111) Orientales non venerunt, sed legatos cum litteris, sese purgantes, miserunt, (112) in quibus expositis, quæ ex superiore persequutione pertulerunt, incommodis, ita pergunt: *Quoniam vos Concilium Romæ convocantes, nos velut membra propria Imperatoris litteris advocastis, nihil nobis fuisset optatius, quam ut vestræ voluntati, & præsenti necessitati obsequeremur, verum id plerique facere non potuimus.*

non servata Chronographiæ ratione, sed occasione ipsa dicendi; cum itaque commemorasset, quæ a Justina in Ambrosium acta essent Sirmii, hac occasione arrepta, ad alia ejusdem argumenti institutam protrahit orationem.

(103) Vehiculi genus pertinens ad itinera extra Urbem cum celeritate facienda; hinc Cicer. pro Sext. Rosc. c. 7 *Decem horis nocturnis, sex & quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit*. Memorat & Auson. epist. 8. *trijuge cisium*.

(104) Extat oratio *de non tradendis Basilicis*, quam anno II. persecutionis suæ recitavit, ubi ait: *Quasi vero superiori anno, quando ad Palatium sum petitus, cum, præsentibus Primatibus, ante Consistorium tractaretur, cum Imperator Basilicam vellet eripere, ego tunc aulæ contemplatione Regalis infractus sim, constantiam non tenuerim Sacerdotis, aut imminuto jure discesserim*. Unde constat biennio hanc persecutionem durasse.

(105) Ara Victoriæ, de qua Herodian.: *Curiam ingressi sic, ut ultra quoque Aram Victoriæ penetrarent*. VII. 11. 4. Hanc invalescente Christiana Religione sublatam graviter conquestus est Symmachus epist. X. 61., cui Ambrosius obstitit eleganti responso.

(106) L. Ambros. epist. 30. ad Valentinian., ubi de his loquens, ait: *At cum per totum ferè Orbem à pluribus retro Principibus inhibita, interdictaque sint, Romæ autem à fratre clementiæ tuæ augustæ memoriæ Gratiano fidei veræ ratione sublata sint, & datis antiquata rescriptis; ne quæso, vel fideliter statuta convellas, vel fraterna præcepta rescindas*. A paucis tamen Senatoribus Gentilibus id postulatum, Catholicis reclamantibus idem Ambros. laudata testatur epistola. Sed quæ A. N. hoc anno gesta percenset, post Gratiani obitum evenere, ut ex totius epistolæ contextu legenti patet.

(107) XII. Kal. Junias restituit Gothofred. Est autem L. un. *de Mendicantib. non invalid.*, data ad Severum non Præfectum Urbis, sed Præfect. Prætorio; eaque Lege Mendicantes validi, qui Romæ plurimi erant, expelli jubentur.

(108) Extat hæc Lex Justinian. Cod. l. 9. tit. 47. de Pœnis 20. ad *Flavianum* data P. P. Illyrici, & Italiæ *XV. Kal. Septemb.*, & L. 13. Cod. Theod. tit. eod. Certè hujus Legis Author Theodosius, Ambrosio consulente, post imperatam inclementer, imprudenterque Thessalonicæ (quæ Illyrici Occidentalis caput erat) multorum civium stragem, de qua A. N. an. 388., & Consulum nomina fuisse immutata putat Gothofredus in cit. lege, adeoque illam ad ann. D. 390. esse referendam, Valentiniano IV., & Neoterio Coss., ac Gratiani nomen expungendum, qui jam eo anno naturæ concesserat. Gothofredi rationes vide ad prædictam L. Certum est autem per ea tempora Flavianum P. P. fuisse Illyrici, & Italiæ, ut ex L. 11. C. Theod. de Fide testium, L. 4. 5. de Apostat., L. 2. de Constitutionibus Principum, & L. 6. de Contrahenda emptione colligitur.

(109) *In suspenso ira retinenda: potest enim pœna dilata exigi, non potest exacta revocari*. Quintilianus Declamat. 303., & Calpurnius Declamat. 25. legem memorant de damnatorum supplicio in diem tricesimum differendo. Sidonius Apollin. l. 1. epist. 7. Senatusconsulto Tiberiano hoc triginta dierum spatium cautum scribit.

(110) Vitium hoc Theodosio exprobrat Ambrosius epist. 28. Imperatorem ipsum alloquens: *Habes naturæ impetum, quem si quis lenire velit, cito vertes ad misericordiam: si quis stimulet, in majus exsuscitas, ut vix eum revocare possis; atinam si nemo mitigat, nullus accendat! libenter eum committo tibi, ipse te revocas, & pietatis studio vincis impetum naturæ*.

(111) De Episcopis, qui ad R. Synodum venere, L. Hieronym. epist. 27. ad Eustochium, & Theodoret. l. 5. c. 9.

(112) Cyriacus, Eusebius, & Priscianus Episcopi fuere legati, ut eadem litteræ testantur, in quibus & Fidem suam Orientales Antistites profitentur, & octas hæreses execrantur. Vide Theodoret. l. 5. c. 9.

*mus. Convenimus enim Constantinopolim jussu litterarum superiore anno à vobis post Concilium Aquilejense ad Theodosium Imperatorem missarum, & nos ad iter tantum Constantinopolitanum accinximus, atque de hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in provinciis remanserunt, attulimus; longius vero iter neque expectavimus, neque ante cognovimus, quam Constantinopolim venimus, neque pro angustiis temporis ulterius ire parati fuimus, neque Episcopos in provinciis certiores mature facere hujus nostri consilii potuimus.* Ad has Damasus ita rescripsit: *Quod debitam Sedi Apostolicæ reverentiam tribuistis, id vobis quoque maxima honori fuit, nam etsi in Sancta Ecclesia, in qua Sanctus Apostolus sedens ejus administrandæ rationem nos docuit, nobis primæ partes deferuntur, tamen confitemur, nos illo dignitatis gradu multo inferiores.* In hoc Concilio omnes hæreses, quæ adhuc Ecclesiam turbaverant, perculsæ anathemate sunt, ac Constantinopolitanum Concilium confirmatum. Extat Damasi epistola ad Paulinum Thessalonicensem Episcopum missa, apud Theodoritum, in qua decreta commemorantur: *Quoniam post Concilium Nicænum ejusmodi error emersit, ut quidam dicere audeant Spiritum Sanctum per Filium factum esse, anathema indicimus omnibus, qui Spiritum Sanctum esse negant unius, & ejusdem Essentiæ, & Potestatis cum Patre, & Filio. Item Sabelliani erroris fautoribus, qui dicunt, Patrem, & Filium eumdem esse, item Arrio, & Eunomio, qui licet verbis discrepantes, asserunt tum Filium, tum Spiritum Sanctum creaturam esse. Item Photino, qui hæresim Ebionis* (113) *renovans, Christum ex Maria solum editum esse contendit. Item illis, qui duos Filios esse affirmant, unum ante secula, alterum post carnem ex Maria susceptum. Item iis, qui asserunt, Verbum Dei in carne humana loco animæ rationalis habitasse.* (*) *Item iis, qui dicunt, Verbum Dei productione, & contractione à Patre secerni, ipsumque Essentiæ expertem esse, aut morte interiturum esse. Qui vero ab Ecclesiis, in quibus vixerunt, ad alias se transtulerint, usque eo sint à nostra communione secreti, quousque ad ipsas urbes redierint, in quibus erant primum ad aliquem honoris Ecclesiastici gradum elati.* Ad hoc Concilium ex Palæstina venit Hieronymus Stridoniensis (114) cum Paulino Antiochiæ, & Epiphanio Salaminæ Episcopis, ut ipse scribit in Epitaphio Paulæ: (115) *Cumque Orientis & Occidentis*, inquit, *Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam Imperiales litteræ contraxissent, vidit Roma Paulinum Antiochiæ, & Epiphanium Salaminæ Episcopos, viros admirabiles*, & in Epitaphio Marcellæ: *Denique cum Romam cum Sanctis Pontificibus Paulino, & Epiphanio Ecclesiastica traxisset necessitas.* Remissis inde domos suas Episcopis, Damasus Hieronymum retinuit, ut sibi in caussis Ecclesiasticis inserviret, quod ipse scribit ad Ageruchium. *Cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Rom. urbis Episcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem, vidi duo inter se paria nobilissimorum è plebe hominum comparata, unum, qui viginti sepelisset uxores, alteram, quæ viginti duos habuisset maritos extrema sibi, ut putabant, matrimonio copulatos.* Hæc in Italia. In Hispania vero Instantius, & Priscillianus rescripto Gratiani confisi (116) repetivere Hispanias, atque sine ullo certamine Ecclesias, quibus præfuerant, recepere. Verum Idacio non animus, sed facultas ad resistendum defuit, quia hæretici, corrupto Volventio Proconsule, vires suas confirmaverant. Quin etiam Ithacius ab his, quasi perturbator Ecclesiarum, insimulatus, jussusque deduci, cum trepidus profugisset in Galliam, ibi Gregorium Præfectum adiit, qui, compertis quæ gesta erant, duci ad se turbarum auctores jussit, ac de omnibus ad Gratianum retulit, ut hæreticis ambiendi viam præcluderet. Sed id frustra fuit, quia per libidinem, & potentiam paucorum cuncta ibi venalia erant. Merobaude (117) inde, & Saturnino Con- 383
sulibus, Symmacho vero Præfecto urbis, Theodosius Constantinopoli Arcadium filium, (118) licet adhuc puerum, XIV. Kal. Februarii Imperii consortem ascivit, Augusti dignitate ornatum; mense autem Junio, (119) cum omnes omnium hæreseum Episcopos advocasset, conventu acto, reque co-

(113) Hic Hebraica lingua *mendicum* sonans, qui de Christo tenuiter quidem sensit, ut inquit Euseb. l. 3. Hist. Eccl. 21. de cujus impiis erroribus L. Tertull. l. de *Carne Christi*, Epiph. *hær.* 30. Theodor. Hær. Fabul. l. 2. 1., Philastr. l. de Hæresib. *in Ebione*; à quo Ebionitæ. Adversus ejusdem errores disputat Irenæus l. 3. 24., & sequentibus, Tertull. l. c. 17., & 18., & l. *de Virginib. velandis* 6., & Epiph. l. c.

(*) Ita Eunomius perperam sensit, Divinitatem, animæ vices supplevisse effutiens, ut Theodoret. l. 5. Hæreticarum fabularum c. 11. testatur. Quæ huic impietati addiderint Eunomiani L. apud Nemesium l. de Natura hominis c. 3.

(114) A Stridone in Dalmatiæ, Pannoniæque confinio, ut ipsemet ait extremo Catalogo Scriptorum Eccles. in hæc verba: *Hieronymus, patre Eusebio natus, Oppido Stridonis, quod à Gothis eversum, Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuit.*

(115) Epitaphium carmen erat funebre, quod *post completam sepulturam* dicebatur ad tumulum, ait Servius Ecl. V. 20., sicut Epicedium, quod *cadavere nondum sepulto*, teste eodem Serv., & Scalig. Poët. 1. 50. Est item *Epitaphium* elogium, quod tumulo inscribitur, atque ita hic sumitur. Hieronymus enim in fin. funebris Orationis, qua Paulæ parentavit, refert Epitaphia, quæ inscribi curavit tumulo, & loco, ubi ejusdem Sanctæ Mulieris corpus erat sepultum in Bethleem. Vide Hieronym. epistolam 26. ad Eustochium, Paulæ filiam. T. 1.

(116) Quod opera Magistri officiorum Macedonii illos ab Imperatore obtinuisse superius dictum est.

(117) II. quidem Cons., utpote qui ann. D. 377. cum Gratiano IV. Consulatum auspicatus est primo. Ejus opera Valentinianus junior ad Imperium evectus fuit. V. Amm. l. 30. Collegam habuit Saturninum, qui Comes fuerat Orientis, ut liquet ex ep. D. Basil. 315.

(118) XIV. Kal. Febr., die sc. 19. Januar, ut Auctor Chron. Alexandrini, & Miscellæ, qua die etiam Theodosius M. susceperat Imperium. Porro Arcadii inauguratio hoc anno peracta; Cangius namque lib. de Familiis Byzantinis duos Arcadii Nummos profert, in quorum postica legitur: CONCORDIA AAAA., quatuor enim erant Augusti, Gratianus, Valentinianus junior, Theodosius, & Arcadius: aliunde hæc Numismata nonnisi hoc anno cusa, in cujus mense Augusto Gratianus occisus fuit.

(119) Conventus ille celebratus, ut paci Ecclesiæ tandem consuleretur, isque Constantinopoli ha-

cognita, neminem præter Novatianos in urbe esse permisit. Ceterum quanto acrius hæreticos Theodosius in Oriente premebat, tanto vehementius eos in Occidente Valentinianus fovebat. Erat enim jam annos septemdecim natus, & Probum Præfectum prætorio, (120) penes quem summa rerum in Italia erat, despiciebat. Itaque edictum per omnes Imperii sui provincias misit, ut qui aut Imperatori obstitisset, aut Templa reposcenti non tradidisset, capitali supplicio obnoxius esset. Id vero, Auxentio auctore Mediolani quondam Episcopo, fecit. Hic enim, Mercurini nomine sibi indito, (121) Justinæ Augustæ accitu in urbem redierat, atque omnia oefario miseere tumultu pergebat pro recuperaoda Ecclesia, quam amiserat. Itaque Valentinianus ab illo impulsus, Ambrosium per Tribunum vocavit, & coram se in Consistorio adesse præcepit, ut cum Auxentio de fide disputaret, se præsente, & iis judicibus, quos uterque legisset, eo nimirum consilio, ut, Ambrosio Ecclesia egresso, Auxentium restitueret. Qua re animadversa, Ambrosius eò adire noluit, ne Ecclesiam Arrianus reciperet. verum non convenire respondit, (122) ut de fide coram judice laico extra Ecclesiam ageretur. Qua voce Valentinianus permotus, ipsum palam Basilica Portiana, quæ extra urbem erat, eedere, & quò vellet, abire mandavit. Ambrosius vero à Clero, populoque magna animorum alacritate defensus, se urbe exiturum, aut Ecclesia, quæ Dei esset, cessurum negavit. Hinc Valentinianus ira fervidus, armatos milites ad Basilicam occupandam immisit, verum, populo illam custodiente, atque Ambrosium protegente, nihil profecit, tumultus tamen magni periculi, & fœdioris exempli fuit. Dum Ambrosius in his angustiis versabatur, epistolam ad Valentinianum ex Basilica misit, in qua factum, consiliumque suum probare contendit. Ex ea epistola libet aliquot huc sententias inferre, maxime ad hanc turpitudinem demonstrandam idoneas: *Dalmatius*, inquit, *Tribunus mandato clementiæ vestræ postulavit à me, ut & ipse judices legerem, sicut elegisset Auxentius, quod in Consistorio esset futura certatio, arbitro pietatis judicio tuæ. Respondeo, patrem tuum legibus suis sanxisse, in caussa fidei, vel Ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis, hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus judicare. Quin etiam, si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda caussa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere. Et si scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat, in caussa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare? Pater tuus, vir maturioris ævi dicebat: Non est meum judicare Episcopos: tua nunc dicit clementia; Ego debeo judicare. Et ille baptizatus in Christo inhabilem se ponderi tanti putabat esse judicii, clementia tua, cui adhuc emerenda Baptismatis Sacramenta servantur, arrogat sibi de fide judicium, cum fidei Sacramenta non norit. Veniant plane, si qui sunt, ad Ecclesiam, audiant cum populo, non ut quisquam judex resideat, sed unusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur: agitur de istius Ecclesiæ Sacerdote, si audierit illum populus, & putaverit melius disputare, sequatur fidem ejus non invidebo. Omitto, quia jam ipse populus judicavit, taceo quia pater clementiæ tuæ quietem futuram spopondit, si electus susciperet Sacerdotium, hanc fidem sequutus sum promissorum. Quod si de aliquorum peregrinorum assentatione se jactat Auxentius, ibi sit Episcopus, unde sunt ii, qui Episcopatus putant nomine decorandum; nam ego non Episcopum novi, nec unde sit, scio. Quis erit ille, qui cum legat, per tot provincias uno momento esse mandatum, ut quicunque obviaverit Imperatori, feriatur gladio, quicunque Dei Templum non tradiderit, protinus occidatur, quis, inquam, est, qui possit vel unus, vel inter paucos dicere Imperatori, Lex tua mihi non probatur? Deinde ipse eligam judices laicos, qui, cum tenuerint fidei veritatem, aut proscribantur, aut necentur, quod lex de fide lata decernit. Si ad Synodum provocat Auxentius, ut de fide disputet, (licet non sit necesse propter unum tot Episcopos fatigari, qui etiamsi Angelus de Cœlo esset, paci Ecclesiarum non deberet præferri,) cum audiero Synodum congregari, & ipse non deero. Venissem ad Consistorium clementiæ tuæ, ut hæc coram suggererem, si me vel Episcopi, vel populus permisissent, dicentes, de fide in Ecclesia coram populo debere tractari. Atque utinam Imperator non denunciasses, ut quò vellem, abirem. Nam mihi à Sacerdotibus dicitur: Non multum interest, utrum volens relinquas, an tradas Altare Christi, cum enim reliqueris, trades. Atque utinam liquido mihi pateret, quod Arrianis Ecclesia minime traderetur, sponte me offerrem tuæ pietatis arbitrio. Sed si ego solus interstrepo, cur etiam de aliis omnibus invadendis Ecclesiis est præceptum? Utinam confirmetur, ut Ecclesiis nullus molestus sit, opto, ut de me, qualis videtur, sententia proferatur.* Scripsit etiam eodem tempore ad populum, ut animum ejus in tantis difficultatibus confirmaret. Ex quibus hæc volui decerpsisse: *Circumfusi milites, armorum crepitus, quibus vallata est Ecclesia, fidem non terrent meam, sed mentem exagitant, ne, dum me tenetis, perniciosum aliquid vestræ oboriatur saluti. Nemo vos turbet, quod aut carrum præparaverunt, aut dura, ut videbatur sibi, Auxentii ipsius, qui se dicit Episcopum, ore jactarunt. Auxentius gladium volantem per omnes urbes*

habitus; sed successu haud satis felici, necesse enim fuit legum præsidio hæreticos iterum compescere. V. Socrat. l. 5. c. 10. Sozomen. l. 7. c. 12.

(120) Quater hac dignitate functum fuisse Sextum hunc Petronium Probum declarant Inscriptiones in basibus Statuarum, quas an. 395. Probinus Consul, & Anicius Probus filii eidem dedicarunt, quas refert Baronius ad ann. 395. pag 529 num. V.

(121) *Alius in Scythiæ partibus dicebatur, alius hic* (Mediolani sc) *vocatur, nomina pro regionibus habet.* Ambr. epist. 13., Idemque scribit in Auxentium: *Minora fecit in Scythia, & ita erubuit, ut mutaret vocabulum: sceleratiora hic ausus est, & volet, quocumque perrexerit, nomine suo prodi?*

(122) Libellum obtulit Valentiniano Ambrosius, Consistorium adire renuens, fas non esse declarans apud laicos caussam Fidei agi. V. Ambr. epist. 32. Sed hæc Justinæ in Ambrosium persecutio in sequentes annos rejicienda post obitum Gratiani, ut superius dictum est,

*urbes direxit. Auxentius uno momento populos, quod in ipso est, trucidabit, alios gladio, alios sacrilegio, meam Basilicam petit cruento ore, sanguinolentis manibus. Absit, ut patrum meorum tradam hereditatem; absit à me, ut Christi tradam hereditatem; absit, ut tradam hereditatem patrum, hoc est, hereditatem Dionysii,* (123) *qui in exilio in caussa fidei defunctus est, hereditatem Eustorgii Confessoris, hereditatem Mœroclis, atque omnium retro fidelium Episcoporum. Auxentius, ne cognosceretur, quis esset, mutavit sibi vocabulum, ut quia hic fuerat Auxentius Episcopus Arrianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, se vocaret Mercurinum. Mutavit ergo vocabulum, sed perfidiam non mutavit. Idem conclusus undique ad versutiam patrum suorum confugit, de Imperatore vult invidiam commovere, dicens judicare debere adolescentem catechumenum, sacræ lectionis ignarum, & in Consistorio judicare. Quasi vero superiore anno, quando ad Palatium suum petitus, cum præsentibus Optimatibus ante Consistorium consisteretur, cum Imperator Basilicam vellet eripere, ego tunc aulæ contemplatione regalis infractus sim, constantiam non tenuerim Sacerdotis, aut imminuto jure discesserim. Nonne meminerunt, quod ubi me cognovit populus Palatium petiisse, ita irruit, ut vim ejus ferre non posset, quando Comiti militari cum expeditis ad fugandam multitudinem egresso obtulerunt omnes se neci pro fide Christi? Non tum rogatus sum, ut populum multo sermone mulcerem? & sponderem fidem, quod Basilicam Ecclesiæ nullus invaderet?* Ex his Ambrosii verbis, facile Valentiniani, & Justinæ aversus à Catholica religione animus, & turbulentus Mediolanensis Ecclesiæ status, cognosci poterit. Quæ dum aguntur, tristis ecce nuncius de nece Gratiani Augusti, & Galliarum amissione affertur, qui auditus Valentinianum, ac totam Italiam ingenti dolore incendit. Ea vero res hoc modo acta est. Clemens Maximus, domo Hispanus (124) Theodosii principis commilito olim in Britannia fuerat, tum vero exercitui in eadem provincia præerat. Res autem tulit, ut milites in Britannia tumultum consciverint, & metu Gratiani, Maximum, quem fortissimum esse sciebant, Imperatorem acclamaverint. Ille vero primo Imperium renuit, facti iniquitatem aversatus, deinde, ubi periculum sibi à militibus imminere, si eorum voluntati restitisset, animadvertit, in illorum potestate se futurum ostendit, atque insignia, quæ offerebantur, accepit, ac mox cum exercitu navibus ad ostia Rheni accessit, ubi ab iis, qui in eis stationibus versabantur, militibus est acceptus. Qua re audita, Gratianus homine, ut modicarum virium ad lædendum, neglecto, milites ei tantum Alanos, quos mercede conductos habebat, (125) opposuit. Hoc vero Romani veterani animo iniquo tulerunt, insignem sibi injuriam factam interpretantes, quod barbaros, aut virtute, aut fide potiores existimasset, atque iracundia incensi ad Maximum, summa omnia pollicentem, plerique se contulerunt. Quo facto Gratianus exterritus, Treviros, ubi per mensem Aprilem fuisse comperimus, reliquit, & sese Parisios retulit. Quod ubi Maximus comperit, repulsis Alanis, & ipse eòdem citato agmine maturavit. Ibi per quinque dies collatis castris, levibus aliquot prœliis varie est certatum. Quibus transactis, Gratianum Mauri primum, deinde reliqui sensim deseruerunt. Quod ut ille vidit, trepidus, trecentis equitibus sumptis, fugam capessit, atque ab obviis civitatibus omnibus exclusus, (126) Lugdunum pervenit, castris ad urbem positis, non ita multo post Maximus cum omnibus copiis insequutus accurrit. Ceterum primum aperta vi hominem delere consilium fuit: ubi non successit conatus, ad dolum se contulit, quo se facile credulum adolescentem irretiturum putavit. Quippe Gratiani sponsam adventare, (127) ut ipsi flumen trajicienti occurreret, sermone distulit. Quod Gratianus amore percitus, facile adductus est ad credendum. Vehebatur autem occulte in rheda, in qua sponsa esse simulabatur, Andragathius quidam, homo magni roboris, atque audaciæ singularis. Ille vero, ut in propinquo esse cum paucis Gratianum alacrem, vidit, confestim cum suis è rheda prosiluit, atque incautum juvenem comprehendit, & gladio trajectum vita exuit. Mortuus est Gratianus VIII. Kal. Septembris, annos XXIV. natus, (128) virtute, ac pietate, si diu vita suppeditasset,

(123) Qui Protasio successit. Subscripsit primo damnationi Athanasii deceptus, sed, detecta fraude, resipuit. I. D. Ambros. serm. 69. qua arte Dionysii subscriptio deleta fuit. Inter alios exules amandatos, inquit Athan. ep. ad Solitar. fuit *Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Italiæ Metropolis.*

(124) Ita Zosim. l. 4. 35. Plerique ex Socrat. l. 5. c. 11., Christophorsonum sequuti, Britannum putarunt: sed ea Socratis verba: *Μάξιμος ἐκ τῶν περὶ τὰς Βρεττανίας μερῶν ἐπανίςη τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ*, non Britannia oriundum, sed *ex partibus Britanniæ* R. Imperium invasisse significant.

(125) *Nam dum exercitum negligeret,* (Gratianus) *& paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, anteferret veteri, ac Romano militi, adeoque Barbarorum comitatu, & prope amicitia capitur, ut nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitavit.* Aurel. Vict. in Epit. in Gratiano pag. 59.

(126) *Versus Alpes aufugit, quas cum nullo munitas præsidio reperisset, versus Rhætias, & Noricum, & Pannonias, & Mysiam Superiorem tendit.* Zosim. l. 4. 35. in fin., qui tamen in eo fallus est, quòd necem Gratiani ad Sigiduni pontem evenisse narrat; cum Lugduni in Gallia occisum tradant Socrat. l. 5. c. 11. Hieronym. epist. 3. P. Diaconus Hist. Miscell. l. 12. c. 23. Ruffin. quoq. l. 2. c. 14.

(127) Dolum hunc narrat Socrates l. c., idemque Sozomen. Sed Zosimus l. c., à Maximo Andragathium oriundum è Ponto Euxino, Magistrum equitum missum tradit, qui Gratianum fugientem persequeretur. Is autem Gratianum assecutus Sigiduni (Lugduni) pontem transiturum occidit.

(128) Ita Marcellin. in Chron., & quidem h. an. non vero seq., ut Prosper in Chron. male consignat. Vixit annos viginti quatuor, & aliquot menses; natus erat quippe Gratianus Eusebio, Hypatioque Coss. an. D. 359. die IV. Kal. Majas, teste Idacio in Fastis, in Chronico autem Alex. X. Kal. Jun. eod. an., & an. 383. VIII. Kal. Septemb. obiit. Recte igitur Socr. l. 5. c. 11., annos 24. vixisse ait, & Sozomen. l. 7. c. 13. annos circiter quatuor ac viginti. In Victor. Epit., in Gratian., ann. XXXVIII. in aliquibus Codicibus. Veron. XXVIII. MSS. duo XXXIX. Cujacii exempl. antiquiss. XXIX. Sed præstat Socrati, atque Sozomen. adhærere, aliisque supra laudatis.

ſet, optimum quenque Imperatorem adæquaturus. (129) De Maximo ſic loquutus eſt Pacatus: (130) *Qui non ad primum novi ſceleris nuncium hominem riſit? nam infra dignitatem iracundia videbatur, cum pauci homines, & inſulani totius incendium Occidentis adolerent, & regali habitu exulem illum ſuum induerent*. De Gratiano ita D. Hieronymus: (131) *Gratianus ab exercitu ſuo proditus, & ab obviis urbibus non receptus, ludibrio hoſti fuit, cruentæque manus veſtigia parietes tui Lugdune teſtantur*.

# LIBER NONUS.

## VALENTINIANUS AUGUSTUS, ET MAXIMUS IMPERATOR.

GRatiano perempto, Maximus Victorem filium puerum ſibi Cæſarem cooptavit, (1) ac Galliam ditioni ſuæ adjungere properans, Ballioni (2) & Merobaudi, (3) qui duces Gratiani fuerant, in poteſtatem adductis vitam ademit. Interim Valentinianus in Italia, fœda Gratiani fratris cæde accepta, magno curarum æſtuavit incendio, neque enim ſolum vicem fratris mortui doluit, ſed etiam Maximi potentia ad rationem revocata, de propria ſalute ſolicitus eſſe cœpit; veritus ſcilicet, idquod poſtea evenit, ne Maximus, Occidente in ſuam ditionem redacto, ſuperatis Alpibus, in Italiam ſe demitteret, ac ſeipſum quoque adverſus tantas opes infirmum Imperii ſui parte, ac vita denique ſpoliaret. Itaque, quod ad bellum gerendum viribus imparem ſe ſentiret, conſilio armorum abjecto, pacem ſibi poſtulandam putavit, ac propterea Ambroſium Epiſcopum, virum gravitate, prudentiaque præſtantem ad eum legavit. (4) Ex altera parte Maximus immaturum eſſe, ante res Galliæ compoſitas, remque pecuniariam conſtitutam, Italiam aggredi arbitratus, utique pacem cum utroque Auguſto ſibi agitandam exiſtimavit, atque ita propere oratores ad utrumque de concilianda concordia miſit. (5) Ambroſius omnium injuriarum oblitus, munus legationis haud gravate ſuſcepit, atque in itinere Victorem Comitem, qui à Maximo ad Valentinianum mittebatur, offendit. Ceterum, cum ad Maximum perveniſſet, rogatus, cur Valentinianus ad ſe, tanquam filius ad patrem, non acceſſiſſet, reſpondit, aſpero hiemis tempore puerum cum matre Alpes incommode tranſiturum fuiſſe, ſe vero miſſum eſſe, ut de pace ageret, non ut de Valentiniani officio reſponderet. Tum ille: Expectemus, quid Victor ab illo reſponſi ferat. Ut autem Victor revertit, accito ad ſe Ambroſio, Pacem Valentinianus, inquit, accipit, adventum abnuit, atque, Ambroſio multa de bono Valentiniani erga illum animo prædicante, pacem compoſuit. Quod ut Bauto militiæ Magiſter accepit, Hunnos, & Alanos contra Juthungos, (6) qui Rhætias populabantur, accitos juſſu Valentiniani, cum Galliæ appropinquarent, avertit in Alemaniam, ne Maximum in ſuſpicionem armorum adduceret. Eodem anno Romæ Symmachus, urbis Præfectus, homo non tam eloquentiæ, quam Gentilitatis ſtudio clarus relationem Senatus nomine ad Valentinianum miſit, (7) petens, ut, quod paulo ante agitari cœptum erat, ipſe aram Victoriæ reponi in curia

(129) Gratiani laudes L. apud Ambroſ. Orat. in obitu Valent., & in Pſal. 61 Ruffin. l. 2. c. 13. Auſonium in gratiarum Actione pro ſuo Conſulatu. Mirum autem, quod Ammianus primo Gratianum laudans, Commodo deinde ſtudeat comparare, ea de cauſa, quod familiare illi foret ſagittis impetere feras in vivariis. Numquid hoc illiberale? num in Adoleſcente intolerandum? Sed ethnicus Scriptor parum æquus in Principes Chriſtianos, l. 31. magni fecit Commodi mores, quos cum illis Gratiani comparare auſus eſt. L. præſertim apud Aur. Victor. in Epit. pag. 31. Commodi vitia paucis perſtricta.

(130) In Panegirico Theodoſio M. dicto.

(131) Epiſt. 3.

(1) Ut docet vetus inſcriptio, quam in Italia Bononienſes columnæ iiſdem dedicatæ poſuerunt, quam refert A. N. pag 221. ad an. 387. prope fin. Auguſtum quoque renunciatum fuiſſe Victorem teſtatur Aurel. Victor in Epit. his verbis p 60. de Theodoſio loquens: *Victoremque ejus filium intra infantiæ annos à Maximo patre Aug. factum necavit*.

(2) Dux erat in Galliis, de quo Ambroſ. ep. 27. hæc habet in perſona Maximi: *Quot, inquit, occidi? Reſpondi ei Balionem. Ac quem virum? qualem bellatorem?* & paulo infra: *Non ego* (loquitur Maximus) *eum juſſi occidi. Reſpondi: hoc audivimus, quod occidi juſſus ſit. Sed, inquit, ſi ipſe ſibi vim non intuliſſet, juſſeram eum deduci ad Cabillonum, & ibi vivum exuri. Ergo propterea & illud creditum eſt, quod eum occiderit*.

(3) Proſper in Chron. ad an. 384., Gratian. occiſum prodit *Merobaudis Magiſtri militum proditione*, ſed hic qui bis Conſul fuit, fidem Gratiano ad extremum uſque præſtitit, ut Pacatus in Panegyr. teſtatur c. 28. Niſi apud Proſperum loco Merobaudis, *Mellobaudis* ſit legendum, conjiciente Hadriano Valeſio l. 2. Rerum Francicarum, de quo Ammian. l. 30. c. 3., qui & l. 31. c. 10. ſubdit, Mellobaudem Francorum Regem à Gratiano Domeſticorum Comitem renunciatum, an. ſc. D 377.

(4) Fuit hæc prima legatio, ſecundam enim ſequ. an. ſuſcepit, de utraque Ambroſius ipſe diſtincte loquitur orat. in fun. Valentiniani dicens; *Ego tuus iterum Legatus repetivi Gallias*. Hinc mirari ſubit quomodò Paulinus Scriptor Vitæ S. Ambroſ. ambas in unam confundat.

(5) V. Zoſim. l. 4. 37 in init., nam Maximus *poſſidere ſe jam tuto credebat Imperium*, ut idem Zoſim. ait. De hac pace Rufin. l. 11. c. 15. ait: *Valentinianus in Italia degens, fratris nece, atque hoſtis metu perterritus, ſimulatione oblatam pacem à Maximo, ſimulans ipſe quoque libenter amplectitur*.

(6) Hi Prothingi à Zoſim., l. 4. 38. in init., ab Ammiano Gruthungi l. 27. c. 11. & Claudian. IV. Conſul. Honor. prope fin. vocantur. At Gautunni ſunt Fl. Vopiſco in Probo c. 18. Trutungi Pollioni in Claudio c. 6. Vithungi Sidon. Apoll. carm. 7. verſ. 233. Sed & Juthungos memorat Ammian. ipſe l. 17. c. 12.

(7) Libellus fuit à Symm. ad Valentinianum miſſus titulo Relationis, ubi de Ara Victoriæ reſtituenda (quod alias à Gentilibus tentatum erat) de reddendo Veſtalibus ſtipendio, & redditibus tum ipſis virginibus, tum templorum miniſtris. Huic Relationi acriter reſtitit Ambroſius epiſt. 30., & Præfecti conatus apud Valentinianum eluſit.

curia fineret, atque impensæ ad sacra facienda à Gratiano Augusto sublatæ restituerentur. Quod ut Ambrosius audiit, proxima, ut ipse inquit, legatione confisus, Valentinianum ab ejusmodi re indulgenda, quæ Gentilitatem reduceret, avocavit, rogavitque, ut sibi relationis exemplum remitteret, ut ei respondere posset, quemadmodum accurate respondit. Legitur adhuc scriptum utrumque. Ceterum, cum in Consistorio Valentiniani omnes, qui aderant, Christiani, & Gentiles ea reddenda esse contenderent, solus Valentinianus dissensit, ac, Christianis perfidiæ incusatis, Gentilibus ita respondit; *Quo modo, quod pius frater eripuit, me reddere suadetis? cum & religionem læsurus sim, & fratrem, à quo nolo pietatis officio superari?* subjicientibus autem illis, patrem illius nunquam, ut eas eriperet, adduci potuisse: occurrit; *Patrem meum laudatis, quia non abstulit, nec ego abstuli, neque idem reddidit, ut me debere reddere contendatis, & , si reddidisset, frater ademit, cujus in hoc genere imitatorem me esse malo, nam perinde hic Augustus, ac pater, fuit, & par utrique debetur reverentia, & par utriusque est erga Rempublicam gratia*. In Hispania Gnostici, (8) antequam Gratianus occideretur, grandi pecunia Macedonio data, obtinuerant, ut cognitio Præfecto Prætorii Galliarum Imperiali auctoritate adimeretur, atque Hispaniarum vicario mandaretur, missique à Magistro officiales fuerant, qui Ithacium tum Treviris agentem ad Hispaniam retraherent, quos ille callide frustratus, per Pritannium Episcopum defensus, illusit, inde, cum rumor increbuisset, Maximum in Britannia sumpsisse Imperium, ac brevi in Gallias irrupturum, licet rebus dubiis, novi Imperatoris adventum expectare constituit. Ricimere (9)
384 inde, & Clearcho Consulibus, Theodosium Augustum Constantinopoli positum legati à Sapore Persarum Rege, & Maximo Imperatore missi, pacem petentes, adiere, neque eæ irritæ legationes fuere. Sapori fœdus datum. Maximo etiam, ut se Augustum, (10) ac collegam suum appellaret, permissum, quin etiam Cynegio Prætorii Præfecto in Ægyptum eunti mandatum, ut Alexandriæ imaginem Maximi, tanquam consortis Imperii, poneret. Hæc ab utrisque ad tempus simulata concordia est. V. Idus Septembris Placilla uxor puerum alterum ei peperit, (11) quem Honorium appellavit, eum, qui post Occidentale Imperium tenuit. In Gallia Maximus, Provincia in ditionem adducta, sedem Imperii Treviris posuit, (12) atque, exercitu ad occupandam Hispaniam misso, levi eam negotio imperio suo adjecit. Quibus rebus ad voluntatem fluentibus usque adeo est elatus, ut fortunæ prosperitatem animo capere non potuerit, ac curis ad majus bellum conversis, cogendæ pecuniæ caussa omnia avaritiæ, ac rapacitatis exempla ediderit; siquidem, ut Pacatus dixit, vacuavit municipibus suis civitates, implevit exulibus nobilibus solitudines, persunctorum honoribus summis virorum bona publicavit, capita diminuit, (13) vitam ære taxavit, stabat ipse purpuratus ad lances, & momenta ponderum, nutusque trutinarum pallens, atque inhians exigebat, comportabantur interim spolia provinciarum, exuviæ exulum, bona peremptorum, hic aurum matronarum manibus extortum, illic raptæ pupillorum cervicibus bullæ, (14) istic dominorum cruore persusum pendebatur argentum, numerari ubique pecuniæ, fisci repleri, æra cumulari, vasa concidi, cuivis ut intuenti non Imperatoris domicilium, sed latronis receptaculum videretur. Quæ dum ille molitur Valentinianus, pace constituta, cadaver Gratiani recuperare cupiens, Ambrosium iterum ad Maximum misit. Ille autem obsequutus, Treviros properavit, & ad Palatium progressus, cum Gallicano eunucho cubiculi Præfecto dixisset, esse de quibus sine arbitris agere Valentiniani nomine

---

(8) Loquitur hic A. N. de Instantio, Salviano, & Priscilliano, qui Romæ à Damaso rejecti, & Mediolani ab Ambrosio, Macedonii Magistri officior. pecunia corrupti patrocinio, rescriptum ab Imperatore impetrarunt, quo eos restitui Ecclesiis jubebatur. Hoc igitur freti repetivere Hispanias, invadentes Ecclesias, quibus antea præerant, & Ithacium tamquam Ecclesiæ turbatorem ad Judices detulerunt, qui perterritus profugit in Gallias, Gregorium Præfectum adiens, cui caussæ cognitio erepta fuit, eodem Macedonio agente, & Hispaniarum Vicario demandata, missique officiales, qui Ithacium ad Hispanias pertraherent. Evasit tamen is, & paulo post ad Maximum libellum contra Priscillianum, ejusque asseclas detulit. V. Severum Sulpit. Histor. Sacræ l. 2. prope fin.

(9) *Richomeres*, de quo V. Gothofred. in Prosographia Cod. Theod

(10) Et sane h. an. 384. Maximus Imperator cognitus à Theodosio, ut A. N. Postumianus enim ad extremum Anni præced. fuit Præfectus Prætorio Orientis, & Cynegius h. an. eamdem Præfecturam obtinuit, ad quem variæ Leges eodem anno directæ Cod. Theod. V. Gothofredum in Chronologia ejusdem Cod. de Cynegii, & Postumiani Præfectura.

(11) Idac. in Fastis sub hujus anni Coss. habet: Ipso anno natus est Honorius nob. in purpuris die V. Id. Sept. Item Auctor Chronici Alex. sub iisdem Coss. Socrat. l. 5. c. 12. Placilla itaque prima Theodosii M. uxor tres peperit filios, Gratian sc Arcadium, & Honorium, teste Nysseno in Orat. funebri de ejusdem Reginæ laudibus.

(12) Ammian. l. 15. c. 27. Treviros *domicilium Principum clarum* vocat. Et Anonym. Auctor Græcus descriptionis veteris Orbis, qui libellum suum ante ann. 350. in lucem edidit, inquit: Πόλιν δὲ μεγίστην φασὶ ἔχειν, ἣ καλεῖται Τρίβερις, ὅπου καὶ οἰκεῖν ὁ Κύριος λέγεται. *Civitatem autem maximam habere dicitur*, (Gallia) *quæ vocatur Treveris, ubi & morari Imperator dicitur*. Diviso namque Imperio Romano, qui Transalpinas partes tenebant, Treveris plerumque fixere sedem, Constantius, Constantinus, Constantinus filius, Constans, Magnentius, & sæpe Gratianus, quos in hoc sequutus est Maximus.

(13) Prior status triplici modo permutabatur; hinc triplex capitis diminutio, ex Paulo. Si libertas, civitas, & familia amitteretur, *maxima* erat capitis diminutio, ut erat deportatio: si vero libertas, & civitas, *media* dicebatur, ut in colonias Latinas transportatio; si tandem civitate, & libertate retenta, familia tantum mutaretur, *minima* erat *capitis diminutio*, ut *Adoptatio*.

(14) Bulla ornamentum erat pueritiæ, unde Propert. IV. l. v. 132.

*Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo.*

Aurea insigne erat puerorum prætextatorum, ut Festus habet: de hac Plaut. Rud. IV. 4. 127.

*Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die.*

mine vellet, à Maximo impetrare non potuit. Qua re commotus in Consistorium adiit, (15) & Maximo assurgente, ut osculum daret, id officii respuit, convenire negans, ut in Consistorio Episcopus audiretur, cui ille injurias, quas se à Bautone, (16) quas à Valentiniano, quas ab ipso in priore legatione accepisse præ se ferebat, cum ab omnibus se delusum expostularet, evomuit, quæ omnia diligenter Ambrosius oratione purgavit, ac necem ei Ballionta objecit. Demum Gratiani cadaver postulanti ille se daturum negavit, ne dolorem militum refricaret, cui Ambrosius; *Non est, quod de militibus laboret*, inquit, *quid enim mortuum desiderent, quem viventem destituerunt*? Tum ille se consideraturum subjecit, mox indignatus, quod Ambrosius Episcoporum suorum communione vitaret, ipsum primo quoque die decedere ex Galliæ finibus imperavit. Ita Ambrosius, re infecta, Italiam non sine aliqua insidiarum suspicione repetiit, præsertim vero cum Hyginum Episcopum (17) jam ætate confectum in exilium ab eo traditum comperisset. Reversus autem legationem scriptis exposuit, Valentinianum monens, ut esset cautior adversus hominem pacia involucro bellum regentem. Post paucos dies Valentinianus rursus à matre percitus, insanire, ac nova æstuare expellendi Ambrosii libidine cœpit. Itaque comitibus consistorianis missis, mandavit, ut basilicam novam (18) quæ erat in urbe, sibi traderet, cui respondit Ambrosius, templum Dei tradi à Sacerdore non posse; postridie vero, cum Præfectus progressus suadere cœpisset, ut basilicam Portianam concederet, populus reclamavit, ille se Valentiniano renunciaturum subjecit, tertia vero die, quæ erat Dominica Palmarum, Ambrosius, cum in basilica nova operam Officiis divinis navaret, certior factus, missos ad basilicam Portianam decanos vela suspendere, (19) ac populum eò concurrere, tamen solemnia Missiarum inivit, ceterum, dum offert, raptum audit à populo Castulum Presbyterum Arrianum, qua re accepta, amarissime flere, atque orare in ipsa oblatinoe Deum instituit, ut subveniret, ne cujus sanguis in caussa Ecclesiæ funderetur, sed suus non solum pro salute populi, sed etiam pro impiis hauriretur, ac, missis Presbyteris, & Diaconis, hominem exemit injuriæ. Confestim corpus omne mercatorum mulctis gravissimis oneratur, ac ducenta pondo auri triduo exiguntur. Sanctis diebus (20) quibus moris erat debitorum vincula relaxari, carceres negotiatoribus implentur. Palatina officia, hoc est, Memoriales (21) Agentes in rebus (22) Apparitores (23) diversorum Comitum à pro-

(15) Locus erat, ubi qui in consilio Principis erant, consistebant, sedente inter illos Principe, qui Comites consistoriales dicebantur l. ult. C. de Comit. Consistor. Hinc loquens Ambrosius de Maximo, quem adierat legatus, ait epist. 133. *Ubi sedet in Consistorio, ingressus sum: assurrexit, ut osculum daret, ego inter Consistorianos steti*. Indignatus jure fuit Ambrosius, Episcopum in Consistorio audiri, quasi Ecclesiastici ad laicorum tribunal pro causis Ecclesiasticis essent pertrahendi; præsertim Episcopi. L. epist. 32 D. Ambrosii.

(16) Injustas Maximi querelas l. apud Ambrosium epist. 27., rerum in sua legatione gestarum seriem complectentem, ubi & Maximi diluit dicta adversus Bautonem, Valentinianum, & ipsummet Ambrosium; in ejusdem autem epistolæ fine is Valentinianum admonet his verbis: *Vale Imperator, & esto tutior adversus hominem pacis involucro bellum tegentem*. Hæc autem non hoc anno gesta, sed 386. circiter, ut superius dictum est de duplici Ambrosii legatione, & persecutionis tempore, quam in illum Justina movit.

(17) Fortasse hic Adiginus fuit Episcopus Cordubensis, qui primus adversus Priscillianum hæresiarcham concitavit plures Episcopos, nefanda illius crimina detexit, teste Severo l. 2. Histor., quique hostis acerbissimus fuit Luciferianorum hæreticorum. In hunc Episcopum Marcellinus, ac Faustinus libello, quem Theodosio obtulerunt, vehementer oblatrant.

(18) *Nec jam Portiana, hoc est extramurana basilica petebatur, sed basilica nova, hoc est intramurana, quæ major est*. Ait Ambros. epist. 33. alias 14. ad sororem Marcellinam ejus rei gesta describens.

(19) Decani hic Præpositi videntur esse illorum, qui vela ducebant in aula, unde Velarii dicti, qui in duplici Inscriptione Romæ, & Neapoli memorantur; in prima nempe:

TI. CL. THALLUS
PRÆPOSITUS. VELARIORUM
DOMUS. AUGUSTÆ.

In altera vero:

D. M.
L. FLAVI. AU
LIB. PRIMIGENI
SUPRA. VELARIOS
DE DOMU. AUG.

Erant vela illa, sive cortinæ veluti titulus, quo significaretur basilica vendicata ab Imperatore; quia putaretur illuc venturus Imperator, ex more cortinis tensis locus eidem paratus fuit. De hujusmodi velis, quæ & dicebantur Regiæ cortinæ, Ambrosius loquens c. ad Marcellinam epist inquit, tunc in eadem basilica *scissas ab illudentibus pueris cortinas regias*.

(20) Ita paschales dies appellantur Leg. 8. Codic. Theod. tit. de Indulgentiis criminum; unde paschalis indulgentia, cujus Author Valentinianus senior L. 3. ejusd. Cod. tit. eod. *Ob diem Paschæ, quem intimo corde celebramus, omnibus, quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus*. Graviorum tamen criminum rei ibid. excipiuntur. Eaque Lex an. D. 367 lata, Lupicino nempe, & Joviano Coss. De hoc more Gregor. Nyssen. orat. 3 de Resurrect. Cum Apud Gentiles id quoque servabatur, ut diebus Cereri sacris vincti solverentur ex lege Græcorum, ut Sopater [illegible], inquit, [illegible]. Item in Panathenæis Ulpianus. Et Romæ id factum Livius l. 5. testis est, dicens in descriptione Lectisternii, quod primum in Urbe fuit: *Et cum inimicis quoque benigne, & comiter sermones habitos, jurgiis, ac litibus temperatum, vinctis quoque dempta in eos dies vincula*.

(21) Sic dicti, qui in primis laterculi minoris curam habebant, in quo Præfecturæ, Tribunatus, & Præpositura castrorum erant descriptæ in limitibus Imperii L. 1., & 2. C. de Offic. Quæst. Qui scriniis *memoriæ* præficiebantur, ubi ea erant reposita, Memoriales vocati. Ita etiam dicti scriniarii epistolarum, libellorum, & dispositionum L. 2. C. de privil. eor., qui in sacr. palat. milit. Hinc Zeno Aug. L. ult. Cod. de div. rescr. *Qui illicite scribere ausi fuerint, cujuscumque scrinii memoriales, seu pragmaticarios, vel adjutores primiceriis, amissione cinguli ferantur*.

(22) Horum munus fuit Consulum nomina, victorias Augustorum, edicta Provincialibus nunciare, teste Libanio in Orat. pro Aristophane Corinthio pag. 203., in Orat. Funebr. in laudem Juliani pag. 305. Ad illos quoque pertinebat cura, ne quis sine evectione cursum publicum usurparet, arg. 18, & l. 59. C. Theod. de cursu publ. Successere frumentariis in eo, quod sedulo animadvertebant, num quæ conspiratio, aut motus adversus Principem glisceret, teste Hieronym.

Google

à processu abstinere jubentur. Honoratis (24) minæ gravissimæ intenduntur, nisi basilicam traderent. Comites, & Tribuni Ambrosium adeunt, ac basilicam propere sibi tradi poscunt, Imperatorem jure suo uti dicentes, quod in potestate ejus omnia forent. Quibus respondit Ambrosius: *Si Imperator à me petet, quod meum est, idest, fundum meum, argentum meum, non recusabo; quanquam omnia, quæ mea sunt, pauperum sunt;* (25) *verum quæ Dei sunt, Imperatoriæ potestati non sunt obnoxia: si patrimonium affectatis, invadite; si corpus, accurrite, vultis in vincula ducere, vultis ad necem? ludus est, non ego me vallabo stipatione populorum, nec Altaria tenebo, vitam deprecans, sed pro Altaribus victimam me præbebo.* Horrebat porro animo, armatos ad basilicam occupandam missos audiens, ne, dum basilicam vindicarent, cædem aliquam facerent, quæ in perniciem recideret civitatis, orabatque Deum, ne ipse aut urbis, aut Italiæ funeri superesset, simul detestans invidiam fundendi sanguinis, offerebat jugulum suum, ac Gotthos Tribunos, qui aderant, sic compellabat: Quò tenditis, aut quid agitis? an vos propterea possessio Romana suscepit, ut publicæ perturbationis ministros vos præbeatis? quò transibitis, si hæc deleta fuerint? Rogatus inde, ut compesceret populum, respondit, sui juris esse, ut non solicitaret, Dei, ut mitigaret, si se concitorem turbarum putarent, in se irruerent, aut, in quas vellent, terras abducerent. His dictis, illi abierunt, ipse in basilica veteri totum diem exegit, inde domum cubitum se recepit, ut si quis abducere vellet, paratum haberet. Inde ante lucem, ubi primum limine pedem extulit, basilicam circumfusi milites occuparunt, ac statim Imperatori significarunt, si prodire cum Catholicis vellet, se illi præsto futuros, sin minus, ad cum cœtum, quem Ambrosius cogeret, transituros. Prodire ex Arrianis ausus est nemo, quia nec quisquam civium erat, pauci de familia regia accessere, & nonnulli etiam Gotthi. Dum autem lectionibus opera datur, renunciatur Ambrosio, basilicam etiam novam populo esse refertam; milites autem, qui basilicam obtinebant, ubi præceptum Ambrosii acceperunt, ut à communione se abstinerent, statim ad conventum ejus se contulerunt, denunciantes, se ad orandum, non ad pugnandum venisse, populus autem, clamore edito, postulavit, ut Ambrosius ad illam basilicam se conferret; ille autem, concione instituta, ac, caussa sua probata, se iturum negavit, post autem, cum audisset, cortinas regias esse collectas, & basilicam populo refertam præsentiam sui desiderare, Presbyteros suos misit, atque concionari perrexit. Post paulo notarius cum mandatis Imperatoris advenit, ac, *Cur animum induxisti*, inquit, *ut contra placitum faceres?* cui ille respondit: *Quid placitum sit, aut quid temere factum dicatur, ignoro*, tum notarius: *Cur Presbyteros ad basilicam destinasti? num tyrannus sis, scire cupio, ut me adversus te præparem*, tum Ambrosius: *Nihil in præjudicium feci Ecclesiæ, tantum quo tempore audivi occupatam à militibus esse basilicam, liberius ingemui, multisque hortantibus, ut eò pergerem, dixi: Tradere basilicam nequeo, sed nec contendere debeo, ubi vero cognovi, cortinas regias esse sublatas, cum eo me deposcerent, misi Presbyteros, ego non ivi, dixi vero: Credo in Christo, Imperatorem nobiscum facturum; si hæc tyrannis videtur, habeo arma, sed in Christi nomine habeo offerendi mei corporis potestatem, cur cunctaris percutere si tyrannum existimas? veteri jure Imperia à Sacerdotibus donata, non usurpata sunt, & vulgo dicitur, Imperatores magis Sacerdotium expetisse, quam Sacerdotes Imperium. Christus fugit, ne rex fieret, habemus tyrannidem nostram, tyrannis Sacerdotis infirmitas est, cum infirmor, inquit, tunc potens sum, caveat Valentinianus, ne sibi tyrannum constituat, cui Deus adversarium non paravit. Non hoc Maximus dicit, me tyrannum esse Valentiniani, qui se queritur meæ legationis objectu in Italiam non potuisse transire, numquam Sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrannos sæpenumero passi sunt.* Hunc in modum totus ille dies in mœrore traductus est. Scissæ ab illudentibus pueris cortinæ sunt Regiæ, basilica militum catervis circundata, Ambrosius se recipere domum non potuit, itaque psalmos cum fratribus in minore Ecclesiæ basilica dixit. Postridie (26) lectus est de more liber Jonæ, quo expleto, sermonem instituit, qui dum habetur, nuncius allatus est, (27) Valentinianum jussisse, ut milites basilicam relinque-

ronym. in Abdiam c. 1., qui propriè Curiosi dicebantur è schola Agentum in rebus, ut docet Imperii Notitia, de quibus Libanius in Orat. adversus Florentium pag. 425., & adversus Icarium 472. L. Aurelium Victor. in Dioclet.

(23) Nuncii, sive Ministri, qui præsto erant Magistratibus ad mandata accipienda, & exequenda. Vide Auth. N. de Antiq. jur. civ. Rom. 11. 15. Panvin. de Civit. Rom. c. 66. Gratianus L. 1. Cod. Theod. de habit. quo intr. urb. uti oport. vestes statuit, quibus uti deberent.

(24) De quibus L. 8. *de privilegiis eorum*, & cet. Cod. Theod. qui civiles dignitates in Urbe, vel in Provinciis gesserant, ut ex c. L. In Judicum secretaria ingredi poterant, & cum iis sedere, L. 1. de offic. judic. civil., quod Plebeis hominibus non licebat. Vales. in Ammian. l. 14. 5. ex ejusdem Scriptoris loco l. 21. putat etiam intelligi posse per Honoratos, qui dignitate militari erant perfuncti.

(25) His arguit Ambros. Arianos, qui ei exprobrabant, quod aurum Pauperibus erogaret, ut illorum defensione esset tutus; qua de re in Auxentium scribens inquit: *Sed invidiam faciunt, quia aurum erogatur. Nec ego hanc invidiam perhorresco. Habeo ærarios: ærarii mei pauperes Christi sunt .... Quod si objiciunt quod defensionem ab iis requiram: non nego, sed etiam ambio: habeo defensionem, sed in orationibus pauperum. Cæci illi, & claudi, debiles, & senes robustis bellatoribus fortiores sunt.*

(26) Feria III. nempe, non II. ut Baron. voluit ad ann. 387. XXIX. pag. 399. Dominica namque Palmarum erat, (qua die Symbolum ab Episcopis, Competentibus tradebatur, qui deinde in pervigilio Paschalis baptizabantur) quando raptus à populo fuit Castulus Arianus; eaque evenerunt quæ supra ab A. N. narrantur ad initium usque sequ. period. Feria autem II. *ante lucem circumfuso milite occupatur Ecclesia*, de quo die Ambrosius epist. 14. ad Marcellinam sororem, inquit: *Exactus est totus ille dies in mœrore nostro*. Unde ly *Postridie* significat Feriam III. majoris Hebdomades.

(27) Quomodo eo die qui Feria tertia erat, nuncius allatus, si ipsemet Ambrosius ait, fuisse diem, quo Christus *se pro nobis tradidit*, *quo pœnitentia in Ecclesia* relaxatur? Certe hic dies fuit Feria V. qua Dominus, Paschate

querent, & ut mulctæ exactæ negotiatoribus redderentur. Qua re populus exultavit, (erat autem is dies, quo se pro nobis Christus in Cruce tradidit, atque in Ecclesia pœnitentia relaxatur,) ac milites accedentes ad altaria osculis pacis insigne significarunt. Valentinianus tamen iram posuisse non est visus, siquidem, cum Comites eum obsecrarent, ut prodiret ad Ecclesiam, idque se rogatu militum facere dicerent, respondit: Si vobis mandarit Ambrosius, vinctum me tradetis. Quam vocem qui audiverunt, omnes cohorruerunt. Quin etiam Calligonus præpositus cubiculi (28) Ambrosium sic appellavit: Tu, me vivo, Valentinianum contemnis? ego tibi caput abscindam. Cui Ambrosius: *Deus permittat tibi, ut impleas, quod conaris, ego enim patiar, quod Episcopi, tu facies, quod spadones*. Hæc de seipso memoriæ commendavit Ambrosius. (29) Interim, ut addit Rufinus, Benevolo memoriæ magistro (30) Justina præcepit, ut adversus fidem Patrum Imperialia decreta dictaret, illo vero se impia verba prolaturum abnuente, celsiorem honoris gradum spopondit, si mandata perficeret, cui Benevolus: Quid mihi pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? hunc ipsum, quem habeo, auferte, dum integram fidei conscientiam tuear, ac protinus cingulum ante pedes ejus abjecit. Ambrosius vero jejuniis, vigiliisque sub Altari positus, per obsecrationes divinum sibi, atque Ecclesiæ præsidium invocabat. Erat illo tempore Mediolani Augustinus Tagastensis, qui postea Hipponensem Ecclesiam Episcopus rexit. Is superioribus annis ex Africa profectus, rhetoricam Romæ, deinde Mediolani docuerat, atque Ambrosio cognitus propter ingenii præstantiam acceptissimus fuerat. Itaque, cum assiduis ejus concionibus interesset, ex Manichæo catechumenus evaserat, (31) per hos autem dies in Paschate ab eodem saluliferum quoque baptismatis sacramentum accepit. Proximo inde mense Junio Ambrosius sancta veterum martyrum corpora reperit, civitati ad eam usq; diem incognita.(32) Fuerunt autem Gervasius, & Protasius, qui sacrum, sæviente Nerone, martyrium tulerant, quippe per quietem divinitus est admonitus, ut terram ante cancellos Sanctorum Felicis, & Naboris effoderet, nam ibi martyrum Gervasii, & Protasii reliquias delitescere. Pridie igitur Idus Junias, (33) adhibitis clericis, terram egerit, ac statim martyrum ossa omnia integra, & sanguinis plurimum repetit, qua re cognita, populus frequens accurrit, ac locum per biduum ita celebravit, ut non solum oculis religionem haurirent, sed vestes etiam certatim ad salutaria ex illo tactu morborum remedia comparanda, injicerent. (34) Nam multi interim dæmonibus, non pauci

schate celebrato, se pro nobis tradidit Judæis, ut ex Evangelistis liquet; eademque Feria V. relaxabatur Pœnitentia, ut vetustissima Ecclesiæ consuetudo probat, ex ep. Innocentii I. illam memorante. Dicendum itaque, verba Ambrosii: *nec mora, nunciatur Imperatorem jussisse* & cet. ep. 33. intelligenda esse, ut non multi dies intercesserint, & Imperator jusserit & cet, cujus jussionis nuncius allatus sit die Feriæ V.

(28) Hujus impudentiam multam Deus non omisit, teste Augustino contra Julianum Pelagian. l. 6. c. 14., ubi hæc habet: *Est tamen concupiscentia spadonum, pudiceque comprimitur, ut concubendi quamvis irritus ipse conatus in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum Valentiniani junioris eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis confessione convictum*.

(29) Epistola laudata ad Marcellinam sororem 14. alias 33.

(30) Narrat id Ruffin. l. 2. c. 16. Ejusdem Viri factum S. Gaudentius quoque commendat in Præfat. secm Biblioth. sanct., Brixianum fuisse prodens, & a S. Philastrio Catholica disciplina informatum. Maluit is cingulum abjicere, quam Justinæ obsequi impiæ voluntati; Magistratu nempe, cujus præcipuum erat insigne *cingulum*, se abdicare. Absque cingulo Principem adire non licebat Magistratibus, teste Chrysost. in I. ad Corinth. c. 2. serm. 20. Eodemque carebant, qui honoraria dignitate fungebantur, L. p. C. ut dignit. ordo serv. l. omnes C. de metat. Quare ex auctorati Magistratus cingulo exuebantur §. I. in Auth. de incest. nupt. seu Novell. 12.

(31) Anno D. 387. baptisma suscepisse S. Doctorem communis fert Eruditorum opinio, anno ætatis suæ 33. non dum completo; idque suadent Augustini verba l. 9. Confess. c. 6. *Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Justina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs*, & cet. Subdit deinde: *Tunc Hymni, & Psalmi, ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est*. Narrat tandem, *per visum*, patefactum fuisse divinitus Ambrosio locum, ubi Martyrum Protasii, & Gervasii corpora laterent, & patrata in eorumdem translatione miracula; quamobrem Justinæ *animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus, à persequendi tamen furore compressus est*. Si igitur hæc anno ante suum baptisma evenere ex ipsomet Augustino, cum ex superius traditis de biennio persecutionis Justinæ in S. Doctorem constet, anno 386 hanc cessasse, nonnisi 387. fuit baptizatus, die sc. 24. April. in Paschalis pervigilio, cum trigesimum tertium ætatis annum non dum complevisset. Id pariter infra ostendetur, ubi de inventis SS. MM. Gervasii, & Protasii Corporibus. Neque ad ann. 388. rejiciendum Augustini baptisma, ut vult Baron. ad eumdem ann. p 421. num. 71., & sequ. nam, vel ipso Cardinali fatente, ad ann. 385 pag 372. num 3., Augustinus anno 385., erat ætatis suæ annum agens trigesimum primum, ut ait Confess. l. 8. c 7., tuncque inter Catechumenos adscriptus biennio perseverans, ut Baronius ostendit; anno igitur 387. baptizatus fuit, ætatis autem ann. 33.

(32) Inventa fuere SS. MM. Corpora anno præced. ad baptismum August., ut ex l. 9. Confess. ejusdem c. 6. supra ostensum est, anno sc. D. 386., ad quem an. in Chronic. Prosperi Tyronis legitur: *Justina mater Valentiniani Arianis favens in Ambrosium, & omnem Mediolanensem Ecclesiam diversa injuriarum genera congerit. Reliquiæ Gervasii, & Protasii Martyrum ab Ambrosio primum Mediolani repertæ. Hymni Ambrosii compositi, qui numquam antea in Ecclesiis Latinis modulis canebantur*. V. Cardinal. Norisium in suo Opusculo de Itinerar. D. August. post Baptismum. Hermantium in Vita Gallica S. Ambrosii, & Joseph Antonium Saxium Bibl. Ambr. Præf. in ejus Dissertatione Apologetica de Corporibus SS. Gervasii & Protasii num. 10.

(33) In Martyrol. Rom. SS. Gervasius, & Protasius die 19. Junii coluntur, qui fortasse dies Translationis fuit; per aliquot enim dies sacros cineres Fidelium cultui expositos idem S. Ambros. testatur, ep. ad Marcellinam sororem.

(34) V. ep. Ambrosii cit., & Paulinum in Vita ejusdem, ubi miracula, quæ tunc evenere, narrantur. Indeque didicere vel ipsi Ariani, quænam virtus sanctorum Reliquiis ines-

Digitized by Google

pauci suis debilitatibus solvebantur. Quibus beneficiis quantum Catholicorum fides confirmabatur, tantum Arrianorum perfidia minuebatur. Itaque Justina, his signis auditis, exterrita tum primum animum flexit, ac seditionem ad deturbandum Ecclesia Ambrosium excitatam, remisit. Non deerant tamen, (35) qui apud ipsam in Palatio virtutes martyrum deriderent, atque Ambrosium pecunia comparasse homines dicerent, qui se à dæmonibus vexari falso assererent. Quod cum passim linguæ non temperantes facerent, ecce unus ex ipsa multitudine arreptus vociferari cœpit: Utinam ita torqueantur ii, qui negant martyres, vel qui non credunt Trinitatis unitatem, quam docet Ambrosius, illi vero hac voce perculsi, cum converti debuissent, hominem subito comprehenderunt, ac præcipitem in piscinam dederunt. Ceterum Ambrosius ipsa ossa primo die in basilicam Faustæ, populo lætante, traduxit. Severus autem homo oculis captus, universæ civitati notissimus, cum gratulationis publicæ caussam exegisset, eamque accepisset, tacita religione repente tactus, eò se duci jussit, &, cum sudario feretrum attigisset, idque oculis admovisset, illico aspectum recepit. Quo facto, Ambrosius concionem de gloria Martyrum habuit, tertioque die ea sub Altari reposuit, ubi ipse sibi sepulchrum destinaverat, ac concionem alteram in eandem sententiam habuit. Utraque scriptis ejus inserta est. Huic spectaculo affuit etiam Augustinus, ut ipse in Confessionibus testatum reliquit: *Cum ab Ambrosio baptizatus sum*, inquit, *annus erat, aut non multo amplius, cum Justina Ambrosium persequebatur, quæ fuerat seducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia mori parata cum Episcopo suo. Ibi mater mea solicitudinis, & vigiliarum primas partes tenens, orationibus incumbebat. Nos adhuc frigidi à calore spiritus Dei excitabamur tamen civitate attonita, atque turbata. Tunc Hymni, & Psalmi, ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus tædio contabesceret, institutum est, & ex illo die in hodiernum retentum. Tunc Ambrosio per visum aperuit Deus, quo loco laterent Martyrum corpora Protasii, & Gervasii quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti sui recondiderat, unde opportune promerent ad coërcendam rabiem fœmineam, sed regiam, cum multi imbecillitatibus suis essent liberati, Justinæ animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus, à persequendo in furore compressus est*. Eodem anno III. Idus Octobris Damasus Pontifex Romæ diem suum obiit (36) in numerum Confessorum ascriptus. In ejus locum Syricius Diaconus Kal. Januarii subrogatus est. (37) Sequenti, 385
in consulatu Arcadii Augusti, & Bautonis, (38) Theodosius Augustus, ut Marcellinus Comes notavit, (39) sævas nationes per Legatos Imperio suo subdidit, qui vero hi populi fuerint, neque ipse, neque alius quisquam explicuit. In Italia Valentinianus primos menses Mediolani, reliquos Veronæ, & Aquilejæ traduxit. Ex omnibus locis leguntur rescripta, (40) quorum unum huic loco attexendum mihi videtur, datum Nonis Novembris Aquilejæ, ejusmodi: *Quotiescunque ex diversis Provinciis ad sacrum mansuetudinis nostræ comitatum legationes, quas instruxere decreta (41) necesse erit commeare, in auditorio quidem Celsitudinis tuæ universa tractentur, sed ut nullam fidem (42) capiat ordo gestorum, inlibataque rerum divisio (43) singularum nostro auditui, sententiæque ser-*

inesset, qui eas parvi pendere perperam nitebantur; ut ex Ambr. e. patet.

(35) Ariani hi erant, teste eodem Ambrosio serm 91., qui miraculorum vim enervare conabantur, quos ibidem S. Doctor perstringit. Eadem habet Paulinus in Vita S. Ambrosii.

(36) Recte anno præsenti A. N. obitum Damasi consignavit, Marcellini Comitis Chronicon emendans, ubi ante biennium collocatur sub Consulatu Antonii, & Syagrii; unde mirum, quod ex eod. Marcellin. mensem Octobris retinuerit. Hieronym. sane, qui Romæ morabatur, moriente Damaso, in Martyrolog. ad IV. Id. Decembris, seu ad diem X. ejusdem mensis, inquit: *Romæ Depositio S. Damasi Episcopi*. Et in auctiori Chronico veterum Pontificum die XI. Decemb. evenisse dicitur: *Sepultus est in Basilica sua III. Id. Decembris cum matre sua, & germana*. Marcellinum autem in rebus gestis hujus sæculi pluries in Chronologiam peccasse Viri docti observarunt.

(37) Siricius mense Decembris præteriti anni Pontifex inauguratus; aliter enim nullatenus intelligi possent Carmina Epitaphii ejusd. Pontificis, in quo Auctor ait:

*Ter quinos populum in annos, qui rexit amore;*
*Nunc requiem sentit cœlestia regna potitus.*

At qui obiit an. 398., anno itaque præcedenti Sum. Pontifex creatus.

(38) Cui Augustinus Panegyrim habuit, *pro rhetorica professione*, quam Mediolani exercebat, ut ipsemet ait adversus litt. Petilian. l. 3. c. 25. Kal. Januar.

(39) Idacius sub Coss. anni præcedentis, refert, Legatos Persarum C. P. venisse pacem à Theodosio postulantes. Juthungi quoque hoc anno Rhætias populabantur, teste Ambrosio ep. 27.

(40) V. Chronologiam Cod. Theodos. Gothofredi p. CXIV. & XV., ubi rescripta Mediolani data certis temporibus recensentur: item Veronæ, ubi lata L. 14. de lustrali colatione C. Theod. ad Principium PF. P. Plura autem Aquilejæ, in quibus lex 10. de Legatis, & Decretis Legationum, quam hic subjicit A. N. Cod. eod.

(41) Sermo est in hac lege, (10. Cod. Theod. de Legat. & Decret. Legation.) de Legationibus, quæ à Provinciis mittebantur. Conveniebant porrò omnes Primatum insignibus decorati in frequentiori aliqua, seu opulentiori totius Provinciæ urbe, & inibi de rebus ad publicam rem spectantibus *tractatum* habebant: mox quod communi consilio deliberatum erat, scribebatur. Hujusmodi deliberationes *Decreta* ut d. l., & aliis tit. eod. *Desideria* l. 3. 6. 7. 8. de Decurion. *Petitiones* l. 3. 4. 7. de Legat., & Decret. Legation. exprimebant enim Provinciarum desideria vel postulata ad Principem directa, per Legatos electos, & quidem spectabiles Viros, (si à Provinciali conventu mitterentur) hujusmodi decretis instructos; hinc apud Symmachum l. 1. epist. 11., & l. 4. epist. 52. dicitur, Legatus, & Legatio instructa Mandatis.

(42) Corrige *nullum finem*. Siquidem ex laudata Lege, item 12. 14. 16. eod. tit. Præfecti P. munus sibi vindicare conati sunt respondendi hujusmodi legationibus; ideo Valentinianus junior postulata legationum ita ad Præsentalem, seu Comitatensem PF. P. referri constituit, ut tamen in suo Auditorio finem non haberent, & integra omnia Principi reservarentur.

(43) Legendum, *decisio*, & quoniam prope fin. eadem lex mendum habet, prout ab A. N. profertur, integram sic præstat describere ex Cod. Theod. Gothofr. *Quotiescumque ex diversis provinciis ad sacrum Mansuetudinis nostræ Comitatum Legationes, quas instruxere decreta, necesse erit commeare, in auditorio quidem Celsitudinis tuæ universa tractentur,*

*servetur, ita ut deinceps excellentia tua, cum in consistorio mansuetudinis nostræ secundum consuetudinem ex decretis petitiones legatorum de nostris scriniis recitantur, moram propriis ratione decursa, sententiis, quas pandimus, referat*. In Gallia Maximus (44) eandem, quam ex Pacato retulimus, tyrannidem exercere perrexit. Treviris agentem demum Ithacius adiit, ac multa in Priscillianum crimina, ac maledicta conjecit. Quibus Maximus percitus, datis ad Præfectum Galliarum, & vicarium Hispaniarum litteris, omnes omnino, quos levis suspicio libis illius attigerat, deduci ad conventum Burdegalæ jussit, qui, teste Prospero, his Consulibus convocatus est. Ita deducti Instantius, & Priscillianus, quorum Instantius prior caussam dicere jussus, postquam se parum purgavit, indignus esse Episcopatu pronunciatus est. Priscillianus vero, ne ab Episcopis audiretur, Maximum appellavit, idque temere permissum à Catholicis fuit, (45) ut inquit Severus, unde hæc hausimus, debuisse enim eos Episcopis judicium reservare, non Imperatori caussam de tam manifestis criminibus permittere. Ita Idacio, & Ithacio accusatoribus sequentibus, omnes ei culpæ affines ad Maximum sunt adducti. Ibi, cum forte Martinus adesset, Turronensis Episcopus, Ithacium monuit, ut ab accusatione desisteret, Maximum vero, ut miserorum sanguine abstineret, satis, superque esse, ut Episcoporum sententia hæretici judicati Ecclesiis pellerentur, novi exempli esse, ut caussam Ecclesiæ judex seculi judicaret. Itaque, quoad ille Treviris fuit, cognitionem inhibuit, & mox discessurus egregia auctoritate à Maximo sponsionem elicuit, nihil cruentum in eos constitutum. Sed postea Maximus per Magnum, & Rufum Episcopos à mitioribus consiliis revocatus, caussam Evodio Præfecto Prætorii permisit, viro acri, & severo. Is Priscillianum duobus judiciis auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis, (46) nocturnos etiam turpium fœminarum egisse conventus, nudumque orare solitum, nocentem pronunciavit, detrusitque in custodiam, donec Imperatorem consuleret. Quibus rebus cognitis, ille decrevit, Priscillianum, sociosque ejus damnari capitis oportere, atque Ithacio invidiæ se instantis judicii subtrahente, Patricium quendam fisci patronum accusatorem apposuit. Judicio redintegrato, Priscillianus rei capitalis damnatus est, & cum eo Felicissimus, & Armenius, qui nuper à Catholicis clerici Priscillianum sequuti descriverant. Latronianus (47) quoque, & Euphrocia vidua unco ad pœnam tracta, ut Pacatus dixit. (48) Asarius, & Aurelius diaconus gladio interempti. Instantius, & Tiberianus (49) in Sylinam insulam deportati. (50) Nardacius, licet minus nocens, sponte se Episcopatu abdicavit. (51) Tertullus, Potamius, & Joannes, tanquam viliora capita, & digni misericordia, quia ante quæstionem se socios prodidissent, ad tempus in Gallias relegati. Priscilliano occiso, non solum non repressa hæresis, sed etiam latius propagata est; nam sectatores ejus, qui eum prius, ut sanctum honoraverant, postea ut martyrem, colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias delata. Quin & jurare per Priscillianum summa religio fuit, atque inter Episcopos discordia gravior exarsit.
385 (52) Postero anno, Honorio, nobilissimo puero, (53) Evodioque Consulibus, Theodosius, ut inquit Marcellinus, invasam ab hostibus Thraciam vindicavit, (54) victorque cum Arcadio filio urbem inivit. Hos vero Grutungos fuisse scribit Claudianus, qui, duce Odotheo rege, Istrum transire conan-

*sed ita ut nullum finem capiat ordo gestorum, inlibataque rerum decisio singularum nostro auditui, sententiaque servetur: ita ut deinceps Excellentia tua cum in Consistorio Mansuetudinis nostræ secundum consuetudinem ex decretis petiones Legatorum de nostris scriniis recitantur, motum proprii arbitrii ratione decursa sententiis, quas pandimus, referat.*

(44) Ingressum Maximi in Gallias, & speciatim Treviros meminit & Severus l. 2, ubi & Priscilliani in Burdegalensi Synodo damnationem aliaque commemorat, quæ A. N. ex Prospero in Chron. his Coss.

(45) Idacius, & Ithacius merito inde Episcopi invisi fuere, quod apud Imperatorem, & sæculares Magistratus, Actores fuissent in Priscilliani, sociorumque causa: nec probasse Ecclesiam hujusmodi factum, demonstrat S. Martini Episc. Turonensis querela, qui palam obsistebat, dicens: *Novum esse, & inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ judex seculi judicaret*. L. Severum l. 2. Histor. Sacr.

(46) Hinc Hieronym. de Scriptor. Ecclesiast., de Priscilliani defensoribus inquit: *Sed frustra ab impietate vindicare curarunt hominem, quem opera probrosa condemnarunt, cujus sordes nec Bætis, Tagusque abluere valuissent.*

(47) Apud S. Hieronym. legitur, *Matronianus*, de Scriptor. Eccles. in Matronian., de quo hæc habet: *Matronianus Provinciæ Hispaniæ vir valde eruditus, & in metrico opere veteribus comparandus, cæsus est & ipse Treviris*, & cet.

(48) In Panegyrico Theodosio dicto, ubi cædem hanc sugillat, & in Episcopos accusatores ethnicus homo invehit (nullo delectu habito inter Catholicos, & Hæreticos) qui *mulieri viduæ* exprobrarent *nimiam religionem, & diligentius cultam divinitatem*; quasi Gnostici Priscillianistæ Christian. Religionis exacti fuerint cultores.

(49) Bæticus natione, de quo Hieron. de Script. Eccles. agit his verbis: *Scripsit pro suspicione, qua cum Priscilliano accusabatur hæreseos, apologeticum, tumenti, compositoque sermone*, subdens, tandem sibi devotam Christo virginem matrimonio copulasse.

(50) Ultra Britanniam sitam, teste Severo supra laudato l. 2. c. 51., estque una ex parvis insulis extremitati Dumnoniorum objectis.

(51) In hoc laudandus, *nisi postea amissum locum repetere tentasset*: ait Sever. l. c., ex quo decerpsit A. N. quæ sequuntur de Priscillianorum studio in Authorem suum capite damnatum.

(52) Theognostus enim Ithacii conatus aversatus, palam damnavit, ejusdemque judicium pars sanior Antistitum secuta est, Ithacii communionem vitando. Alii vero metu Imperatoris Maximi (qui favebat Ithacio) in Trevirensi Concilio absolverunt, & communione donarunt. L. Sulpitium Sever. Dialog. 3. de virtutibus, & miraculis Sancti Martini.

(53) De quo Claudian.

*------ Inter cunabula Consul*
*Proveberis signans posito modo nomine Fastos,*
*Donaturque tibi, qui te produxerat, annus.*

Evodius autem emenso anno Galliarum Præfectura apud Maximum fungebatur, cui Priscilliani causa fuerat ab eodem Maximo demandata.

(54) Ita Marcellinus sub his Coss. in Chron., item Idacius in Chron., & Idacius in Fastis, qui diem pariter consignavit, quo Theodosius Constantinopolim rediit, IV. nempe Idus Octobr. Vide Claudian. à v. 621. ad 635. in quarto Consulatu Honorii.

nantes, prœlio navali devicti, atque deleti sint, in primo Honorii Consulatu, sic enim inquit:

*Ausi Danubium quondam transnare Grutunni*
*In lintres fregere nemus, ter mille ruebant,*
*Per fluvium plenæ cuneis immanibus alni.*
*Dux Odetheus erat, tantæ certamina classis*
*Incipiens æstas, & primus contudit annus.*
*Submersæ sedere rates fluitantia nunquam*
*Largius arctoos pavere cadavera pisces.*
*Confessusque parens Odethei regis opima*
*Rettulit, exuviasque tibi.*

Eandem vero rem Zosimus (55) his verbis expressit: Promotus magister militum Odetheo cuidam occurrit, maximis copias non solum ex iis, qui Istrum accolebant, sed etiam ex remotissimis regionibus, transmisso flumine, adducenti, & collatis signis, tantam eorum stragem edidit, ut flumen cadaveribus redundaret, & numerus iniri peremptorum non posset, & paulo post: Eo tempore, inquit, natio Scythica, quos Grutungos vocabant, ad Istrum processit. Hi, cum multitudine abundarent, & necessariis armis instructi essent, ac robore corporis excellerent, peragratis interjectorum barbarorum agris, ad ripam Istri venerunt, ac transitum sibi concedi postularunt. Promotus autem Magister militum, hac re comperta, exercitum flumine admovit, ac transmissionem eorum morari instituit, mox adhibitos nonnullos, qui linguam eorum callebant, ad hostes ire præcepit, pollicitatum, si sibi præmium esset, se eis ducem Romanorum, atque exercitum prodituros, profecti rem ex sententia transegerunt. Ubi tempus advenit, barbari ex pacto nocte intempesta meliorem suorum partem transmittere incœperunt, ac mox alios priorum auxilio summiserunt. Promotus autem doli compositi auctor, navium multitudine ad id instructa, eos flumen superare conantes non solum ex adverso prohibuit, sed etiam ex transverso adortus, viros prope omnes submersit: inde mulieres, ac pueros invectus, prædam eximiam peperit. Theodosius autem, qui non longe aberat, ad eam victoriam inspiciendam progressus vinculis captivos exemit, eorum opera ad bellom contra Maximum, si opus esset, usurus. Per eosdem etiam dies alibi quoque res egregie gesta est. Erat oppidum in Scythia Thraciæ parte, (56) quod Tomos vocabant, cujus præsidio præerat Gerontius. Is à barbaris quibusdam militibus, quos Theodosius præmiis, honoribusque provexerat, contemptus, insolentiam eorum vindicare constituit, ac cum paucis in eos, qui extra urbem sedebant, improviso erupit, & ceteris eum sequi recusantibus, (57) fortissimo eorum milite, qui se primus ad virtutem ostentandam objecerat, interfecto, ceteros, qui ex muris prœlium spectabant, ad exeundum accendit, atque ita aut barbaros stravit omnes, aut in fugam conjecit, quorum plerique in Templa Christianorum, quæ violari nefas habebatur, salutis caussa se receperunt. Theodosius autem, re audita, rationem ab illo poposcit, cur eos, quos ipse honoribus extulisset, ausus esset attingere, eumque non Reipublicæ caussa, sed prædæ invasisse coarguit; ille vero se ad Fiscum omnia retulisse respondit, atque ita iram Imperatoris evasit. Valentinianus in Italia tanquam superatis demum fractisque Catholicis, conveniendi copiam restituit Arrianis, qui Concilium Ariminense complectebantur. Extat adhuc rescriptum ejus ad Eusignium Præfectum prætorio Mediolani X. Kal. Februarias datum, ac temere, & imperite inter Catholica decreta relatum: (58) *Damus*, inquit, *copiam colligendi iis, qui secundum ea sentiunt, quæ temporibus Divæ memoriæ Constantii Sacerdotibus convocatis ex omni orbe Romano, expositaque fide ab iis ipsis, qui dissentire noscuntur, Ariminensi Concilio, Constantinopolitano etiam confirmata in æternum mansura decreta sunt.* In Gallia Maximus post Priscilliani necem Ithacium ejus accusatorem, ceterosque illius socios vi regia tutatus est, ne quis ei crimini daret, opera illius cujuscunque modi hominem fuisse damnatum. Congregati etiam Treviris Episcopi cum Ithacio communicarunt, auctoresque Maximo fuerunt, ut Tribunos cum summa potestate ad Hispanias mitteret, qui hæreticos inquirerent, & deprehensis vitam, ac bona adimerent. Quo facto non erat dubium, quin plurimos oppressuri innocentes essent; etenim, ut inquit Sulpicius, tum solis oculis judicabatur, cum quis pallore potius, aut veste, quam fide, hæreticus æstimaretur. Verum, cum Martinum Episcopum ad Comitatum venire audirent, veriti, ne aut consiliis suis repugnaret, aut à communione sua se removeret; Maximum impellunt, ut, missis obviam Magistri officialibus, Treviros prohiberet accedere, nisi se cum pace Episcoporum apud se consistentium affore fateretur.

(55) Lib. 4. 38., ubi Barbaros ipsos appellat Προθίγγους, Prothingos, quos Claudianus l. c. Grutunnos. Ibi fuse prœlium hoc, victoriamque de hostibus à Promoto relatam prosequitur, sed Odethei ducis non meminit, ut Claudianus.

(56) Scythia hæc provincia fuit Thraciæ, ut ex Sexti Rufi Breviar. c. 9., & Notitia Imperii Orientalis. Tomi ibi Metropolis; unde Caracallæ nummus ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ ΤΟΜΕΩC, nam Τομις, Τομευς apud Strabon l. 7. pag. 220., & apud Ovid. l. 4. Pont. 14. Rem feliciter a Gerontio gestam adversus barbaros lege apud Zosim. l. 4. c. 40.

(57) Cum paucis satellitibus pugnaturus prodiit extra mœnia Gerontius; ceteri namque Romani milites barbarorum metu pugnare detrectarunt donec exemplo Ducis excitati, Romani nominis ad animos revocata memoria, barbaros profligarunt. L. Zosim. l. c.

(58) Lib. 4. Cod. Theod. de Fid. Catholica, cujus & meminit Ambros. epist. 32. ad ipsummet Valentinian. h. legis Auctorem, & epist 33. Sozomen. l. 7. c. 13. Ruffin. l. 2. c. 16. Temere, & imperite inter catholica decreta relatum præsens decretum merito ait A.N., nam religiosior hac in parte Justinianus (sive Trebonianus) a Codice suo longe ablegavit. Non una tamen hæc lex in Theod. Cod. acatholica; lex enim 15. de Episcopis hoc vitio laborat: Ethnicam quoque superstitionem sapiant l. 9. 2. 9. de Maleficiis: l. 4. 5. de sep. viol. l. 1. de Paganis. Sed his legibus posteritati demandatis, lucem plurimam historia recepit in multis. Concilium autem C. P. hic memoratum, ubi & Ariminensis professio fidei, qua excludebat οὐσίαν dicitur confirmata, non fuit Occumenicum illud, sed quod jussu Constantii coactum Kalend. Januar. an. D. 360. Filium divinum, Patri per omnia similem declaravit.

tur. (59) Cui Martinus respondit, se cum pace Christi venturum: itaque ingressus urbem, nocte orationis causa Ecclesiam adiit, postridie vero Palatium petiit, ut pro Narsete Comite, & Leucadio Præside, qui Gratiani partes pertinacius foverant, supplicaret, &, ne Tribuni cum jure gladiorum in Hispanias mitterentur, vetaret. Ceterum, cum Episcopi omnes turpi principem assentatione complecterentur, solus Martinus Apostolicam servavit auctoritatem, nam cum supplicandum fuit, imperavit potius, quam rogavit, & à convivio ejus, licet sæpe rogatus, abstinuit, quod diceret, se mensæ ejus participem esse non posse, qui Imperatorem unum regno, vita alterum expulisset; cum autem Maximus, se non sponte sumpsisse Imperium affirmaret, sed impositam sibi à militibus divino nutu regni necessitatem armis defendisse, & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, qui tam incredibili eventu victoriam peperisset, nullumque ex adversariis, nisi in acie, oppetiisse, tamdem victus vel ratione, vel precibus ad convivium venit, mirum in modum gaudente Maximo, quod impetrasset, convivæ autem aderant, veluti ad diem festum evocati, summi, atque illustres viri, Præfectus, idemque Consul Evodius, Comites duo summa potestate præditi, frater ejus, & patruus, medius inter hos Martini Presbyter accubuerat, ipse autem sellula juxta Maximum posita consederat, medio ferme convivio minister de more pateram (60) Regi obtulit, ille Martino dari jubet, avide expectans, ut ab illius dextera poculum sumeret, sed Martinus ubi ebibit, pateram Presbytero suo tradidit, neminem existimans digniorem, qui post se biberet, nec integrum sibi fore, si aut Maximum, aut eos, qui Maximo erant proximi, Presbytero prætulisset. Quin etiam eidem Maximo longe ante prædixit, futurum, ut, si ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellum Valentiniano facturus, primo quidem adventu victor esset, sed parvo post tempore interiret. Ceterum pro rebellibus orantem Maximus primo, atque altero die suspendit, sive, ut rei pondus imponeret, sive, quia, ut plerique arbitrabantur, bonis eorum inhiaret. Interea Episcopi, quorum communionem Martinus non inibat, Maximum soliciti adeunt, actum esse de suo omnium statu querentes, si Theognisti pertinaciam, qui ipsos solus palam, lata sententia, condemnaverat, Martini armaret auctoritas, non oportuisse hominem recipi mœnibus, illum jam non defensorem hæreticorum esse, sed vindicem; nihil actum morte Priscilliani, si Martinus illius ultionem exerceat, postremo prostrati flentes opem ejus implorant, ut utatur adversus eum vi sua. Quibus vocibus Maximus adductus, Martinum secreto accersitum blande appellat, hæreticos jure damnatos more judiciorum publicorum potius, quam insectationibus Sacerdotum; non esse caussam, cur Ithacii, ceterorumque partis ejus communionem putaret esse damnandam. Theognistum odio potius, quam causa, fecisse dissidium, eundemque tamen solum esse, qui se à communione secreverit, à reliquis nihil novatum, quin etiam Synodum paucos ante dies habitam pronunciasse, eos culpa non teneri. Quibus cum Martinus minime moveretur, Maximus iracundia incitatus, se de conspectu ejus abripuit, & mox iis, pro quibus ille rogaverat, percussores immisit. (61) Quod ubi Martinus nocte comperit, anxius Palatium repente irrupit, & cum spopondisset, si eis parceretur, se communione usurum, protinus ab eo, quæ cupiebat, est consequutus. Postridie vero, cum Felix Episcopus sacraretur, communionem cum Episcopis iniit, neque tamen communionem illam subscriptione firmare, cum id magnopere peterent, voluit. Tertio inde die domum revertens mœstus, quod ad horam noxiam communionem iuisset, prægressis paululum comitibus solitario in loco subsedit, caussam doloris accusans simul, atque defendens, cui Angelus repente astitit, dicens: Merito Martine compungeris, sed aliter temet explicare nequisti, collige virtutem, recipe constantiam. Post autem, cum quosdam energumenos tardius, quam solebat, & gratia minore, curaret, subinde lacrymans amicis dixit, se propter communionis illius labem detrimentum accepisse virtutis. Imminutam inde virtutis gratiam multiplici mercede recuperavit; nam energumenum ad pseudothyrum (62) Monasterii ipsius adductum, priusquam limen attingeret, liberavit. Burdigalæ Urbicam Priscilliani discipulam impietatis in pertinacia permanentem, seditione concitata, vulgus lapidibus obruit. Valentiniano 387
deinde Augusto tertium, Eutropioque Consulibus, Theodosius Quinquennalia Arcadii filii magna lætitia Constantinopoli celebravit,

(59) Recusaverat primo Martinus cum Ithacianis communionem inire, sed cessit deinde tempori, cum iis communicans, ut Imperatorem à mittendis in Hispanias Tribunis, & Lictoribus avocaret, qui in Hæreticos inquirerent, & animadverterent. Prævideerat quippe Sanctus Antistes, plures etiam Catholicos cum Hæreticis morti addicendos, ut eorum bona fisco vendicarentur, ut ex Severo: *Resumpsit autem pristinam constantiam Martinus, communionem cum Ithacianis evitans, & ad horam, mitam ingemuit*. L. Severum in Vit. S. Martini c. 23. ex quo A. N. hæc, & sequentia depromsit.

(60) Varro de ling. Lat. 4. 26. ait: *Preterea in poculis erant pateræ: hisce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendæ causa, cum magistri fiunt, potio circumfertur*. Eod. Varr. teste, in orbem præbebatur a summo

(61) Quod in Hæreticos perditissimos gladium potestatis exeruerit Maximus, eosque extinguere conaretur, non reprehendendus; idque utiliter factum S. Leo commendat epistol. 93. ad Turibium Episcopum Asturicensem: rite, legitimeque fieri, ut adversus hæreticos auxilium Principum imploretur, ostendit Augustinus adversus Donatistas disputans. Sed in hæreticus capitali supplicio agi, horruerunt quamplures ejusdem temporis Episcopi id postulare, in quibus Sanctus Martinus. Et Ambrosius epist. 76. ad Studium scribens (alias 52.) de damnatis à Maximo, inquit: *Sed vehementior facta est* (sc. quæstio) *postquam Episcopi reos criminum gravissimorum in publicis judiciis accusare, alii & urgere usque ad gladium, supremamque mortem, alii accusationes hujusmodi, & cruentos Sacerdotum triumphos probare cœperunt*.

(62) Latens janua, quæ à prætereuntibus non animadvertitur; hinc Tullius Verr. 11. 20. *Eæ pecuniæ quemadmodum ad istum per pseudothyrum revertantur, tabulis vobis, & testibus planum faciam*.

vit, (63) atque inde VIII. Kal. Aprilis rescripsit. (64) Sequitur bellum omnium maxime per hæc tempora memorabile adversus Maximum Imperatorem. Hujus Maximus ipse fuit auctor. Etenim Imperii prolatandi sæva cupiditate cœcatus, animum demum ad Italiam invadendam adjecit, atque, ut caussam belli speciosam haberet, litteras ad Valentinianum misit, (65) præcipiens, ut Catholicorum vexatione desisteret, quos pater ejus eximio studio coluisset; sin minus, bello se eum persequuturum, sciret. Ea denunciatione Valentinianus exterritus subito Domninum (66) ad eum Aquileja legavit, postulatum, nt fœdus secum redintegraret. Maximus astute consilium suum occultans Domninum amice complexus, insignibus muneribus oneravit, atque impertito fœdere, militarem etiam manum abeunti permisit, qua Valentinianus contra barbaros uteretur, Pannoniæ finibus imminentes: ubi vero eum à se itinere aliquot dierum digressum sensit, relicto in Gallia Victore filio, quem Augusti dignitate ornaverat, universis cum copiis in Italiam iter intendit, custodibus præmissis, (67) ne quis prævertens adventum suum Italiæ nunciaret: mox postquam Domninum jam Alpes superasse audivit, tum, quanta maxima potuit, celeritate ad Alpes Cottias properavit, (68) iisque sine impedimento trajectis, Aquilejam versus ducere instituit. Quo tumultu prærepto, Valentinianus in timorem sui adductus, quod vires pares ad tantum excipiendum impetum non haberet, suorum monitu repente inde se cum Justina matre proripuit, ac navi conscensa, Thessalonicam accessit, ac raptim certiorem Theodosium de his rebus omnibus fecit, summis precibus orans, ut sibi ad Italiam retinendam adesset, quam maturrime posset. Hoc Theodosius nuncio perturbatus, primo Valentinianum monuit, in hanc illum calamitatem esse delapsum, quod fidem oppugnaret, quam tueri Imperator debuerat: deinde securo esse animo jussit, nam se necessitatibus ejus non defuturum. Interim Maximus Aquilejam progressus, urbe nullo negotio est potitus, quo facto confestim tota Italia, ac subinde Africa in fidem ejus, potestatemque se tradidit. Unde Gildas Sapiens (69) scripsit: *Britannia nomen Romanum, non morem legemque tenens, ad Gallias Maximum Imperatoris insignibus initiatum misit. Ille callida arte potius, quam virtute finitimas quoque provincias contra Romanum statum regno suo adnectens, & unam alarum ad Hispaniam, alteram ad Italiam extendens, & Thronum Imperii apud Treviros statuens, tanta insania in domos debacchatus est, ut duos Imperatores legitimos, unum Roma, alterum vita expelleret.* (70) In Italia Bononienses inter ceteros Maximum summo studio receperunt, (71) ac columnam, quæ adhuc ad primum ab urbe lapidem extat, ipsi, & Victori filio ita inscripserunt: DD. NN. MAG. C. MAXIMO, ET FL. VICTORI PIIS FELICIBUS SEMPER AUGUSTIS BONO R. P. NATIS. Italia, Africaque receptis, quacunque ratione potuit, pecunias tanto gerendo bello necessarias undique coacervare contendit, atque in eis extorquendis misere, fœdeque populos laceravit. Per hos menses hæresis nova in Æmilia, & Liguria erat oborta (72) quorundam, qui sacratum virginum connubia inducebant, cujus ut cer-

(63) Idacius in Fastis scribit: *His Coss. Quinquennalia Arcadius Aug. propria cum Theodosio Patre suo editionibus, ludisque celebravit XVII. Kal. Febr.*, die nempe XVI. Januar., quo & eum Imperatorem factum jam scripserat. Eadem habet Marcellin. in Chronico, diem tantummodo reticens.

(64) Plures per mensem Martium, & Aprilem Constantinopoli datas leges; vide apud Gothofred. in Chronol. Cod. Theod.

(65) Extant T. 1 epist. Rom. Pontif. Earumque meminit Theodoret. l. 5. c. 14. dicens: *Maximus tyrannus cum de facinore contra præclarissimum veritatis præconem Ambrosium per Valentinianum admisso certior factus esset, scribit ad Valentinianum litteras, hortaturque, ut tum à bello contra pietatem faciendo desistat, tum ne paternam pietatem prodere moliatur. Postremo minatur bellum, si non obtemperaret, se contra eum suscepturum.* Nullas belli minas in litteris Maximi ad Valentin. legimus, quas refert Theodoret. Neque hoc anno hæ litteræ scriptæ, quo jam desierat Valentinian. Catholicorum Ecclesias impetere, de qua re in iis conqueritur Maximus: Ea siquidem persecutio anno 385., & sequ. duravit, ut superius est demonstratum. Neque catholicæ Fidei studium, sed Imperii totius occupandi libido Maximum impulit ad bellum. L. Zosim. l. 4. 42.

(66) *Natione Syrum, & notæ melioris familiarem. Quippe maxima secundum ipsum potestate præditus, fide pariter, & usu rerum præstare ceteris videbatur, & quidquid alioqui Princeps, alio nemine conscio facere volebat, huic in primis credendum statuerat.* Zosim. l. cit. in med., vertente Leunclavio. Sed Domninus ob nimiam credulitatem, facilem aditum in Italiam Maximo aperuit. Non sic passus fuit se decipi Ambrosius, qui callidas ejusdem artes cognovit, cum secundo à Valentiniano legatus, ita ad hunc scripsit epist. 56. *Esto tutior adversus hominem pacis involucro bellum tegentem.*

(67) Facilis erat ea custodia: *nec enim latere poterant, qui parte Alpium arctissima proficiscebantur.* Inquit Zosim. l. c., nec ullo Valentiniani milite præpediente, angustiæ situum Maximi cœptis adspirabant, ut idem Auctor affirmat.

(68) Adventus Maximi in Italiam, Cottiis, ac Juliis Alpibus occupatis, mense Augusti accidit; nam Valentinianus, qui audito tyranni adventu in Aquilejam, Thessalonicam fugit, Mediolani erat VI. Id. Septemb., ibique legem tulit 4. de Principibus agentium in rebus Cod. Theod. ante fugam initam.

(69) Iltuti Morganensis discipulus, & Bannochorensis Cœnobii Monachus, & Abb., cujus libellum de excidio Britanniæ habemus, necnon acrem in Britann. clerum reprehensionem. In priori natum se ait eo anno, quo Saxones à Britannis victi ad Badonicum montem, an. sc. Chr 493., ut probat Gerard. Voss. de Histor. Lat. l. 2. 21. pag. 231. an Sapiens dictus, ut ab Albanio distingueretur (si tamen is unquam fuit) ut Balæus contendit? Sapientis Gildæ meminit Beda Eccles. Hist. Anglor. l. 1. 22.

(70) Valentinianum namque fugere compulerat, & occiderat Gratianum: ad hoc idem respexit Gildas ipse de excid. Britann., dicens de Maximo: *Apud Aquilejam urbem capite nefande cæditur, qui decorata totius Orbis capita regno quodammodo dejecerat.*

(71) An hi bene habiti à Maximo, cum Bononiam una cum aliis plerisque Italiæ civitatibus recenseat Ambrosius inter loca sua ætate vastata? L. epist. ad Faustinum v. 8., alias 61.

(72) Pluribus jam ab hinc annis Helvidius, Auxentii Ariani discipulus, & Jovinianus Monachus ex Monasterio Mediolanensi an. D. 382. erumpens, id effuderant virus, unde Jovinianus Christianorum Epicurus à Hieronymo

certior Syricius Pontifex factus est, protinus eam, decreto facto, damnavit, atque auctores ejus homines Arrianos notavir, atque, his actis, ad Mediolanensem Ecclesiam scripsit, se damnasse Jovinianum, Auxentium, Genialem, Germinatorem, Felicem, Frontinum, Martianum, Januarium, & Ingeniosum, qui sacras virgines conjugio sociari jubebant: *Nos enim*, inquit, *nuptias non aspernanter accipimus, sed virginum nuptias Deo devotas majore honorificentia veneramur*, ad quem Ambrosius, aliique Episcopi rescripsere, se item hæresim illam, atque hæreticos repudiasse, atque damnasse, subscripsere autem Episcopi Eventius, Maximus, Felix, Bassianus, Theodolus, jussu Domini Geminiani Episcopi ipso præsente, Aper Presbyter, Eustasius, & Constantius. Ex quibus Bassianus Laudensem, Geminianus Mutinensem Ecclesiam rexit, atque uterque post in sua Ecclesia tumulatus, multis miraculis editis, Sanctorum Confes-
388 sorum numero est ascriptus. Postero anno, (73) Theodosius iterum cum Cynegio Præfecto prætorio Consul Thessalonicam cum Optimatibus suis accessit, siquidem inde pridie Idus Martias edicta proposuit. Ibi Val·ntinianum præsentem, opem suam implorantem, acriter objurgavit, quod à paterna fide recessisset, atque Arrianam hæresim tot Conciliorum sententiis profligatam amplexus esset, adeoque monitis, præceptis, & precibus circumvenit, ut ad Catholicorum partes attraxerit. Inde consilia de Maximo ulciscendo, ipsa etiam præsente Justina, peracta. Aliis, ut inquit Zosimus, arma primo quoque tempore inferenda censentibus, Theodosius in eam sententiam erat pronior, ut ad vitandum civile bellum res ante per legatos transigeretur; &, si Maximus Italia, atque Africa ultro cederet, priore divisione staretur, si eo contentus non esset, bello vindic:aretur. Nemine autem adversus eum hiscere audente, Justina ad eum accessit, eique adducta secum Galla filia, eximiæ pulchritudinis virgine, ad genua procubuit, orans, ne Gratiani inultam cædem relinqueret, à quo tantum principatus fastigium accepisset, neve se prostratos, atque omni alia spe destitutos jacere diutius sineret, atque interea puellam lacrymantem, ac fortunam suam deplorantem ei obtulit. Theodosius vero puellæ specie captus, eam in matrimonium postulavit, (nam Placilla uxor diem suum obierat (74), eamque à Justina accepit, cum eo, ut nullam bello suscipiendo moram afferret. Hoc, ut, dixi, Zosimus, quem falsum esse ostendit Marcellinus, qui biennio ante Gallam Theodosio nupsisse notavit. Itaque placet magis, Theodosium rei indignitate, & Valentiniani necessitate permotum ultro arma sumpsisse, atque hoc ipsum Pacatus etiam innuit, cum, exposita Maximi tyrannide, ita subjecit: *Tandem in nos Deus oculos retulit, & bonis Orientis intentus ad mala respexit, & hunc sacrario capiti objecit furorem, ut fædus abrumpere, jus fetiale* (75) *violare, bellum edicere non timeret, an ego sine divino numine factum putem, ut qui sub nomine pacis luderet, & primi sceleris pœnas lucrari quiescendo potuisset, secundum, tertiumque vexillum latrocinii civilis attolleret, &, superatis Alpibus, Julia quoque claustra laxaret, tibique Imperator imponeret servatæ adhuc veniæ fidem, vincendo necessitatem? Agebat, credo, præcipitem vindicanda jam proximo ultore Respublica, & extinctus aperto Dominus parricidio pœnas ab eo debitas expetebat. Non id confidentia, sed amentia, non temeritas, sed necessitas erat, nec ultro lacessebat te bello, sed ulterius negare se supplicio non poterat.* Decreto igitur bello, Theodosius, Cynegio Præfecto prætorio mortuo, (76) Præfecturam eam Promoto, (77) & urbanam Proculo ejus filio, optimis viris, mandavit: inde Magistrum equitum Promotum, peditum Timasium constituit, ac delectum omnium gentium diligentissime habuit, primum enim fidem Regum, quibus

tonymo merito est appellatos, quem V. l. 1. adversus Jovin. c. 2. Hujus Hæresiarchæ errores Pammachius Senator, S. Paulæ gener, ad Syricium Pontificem detolit, teste Hieron. Epist. 50. ad eumdem nobilissimum virum data. Siricius Romæ convocato Concilio, ann. Chr. 390. Jovin. damnavit, ejusdemque asseclas, deque eorum damnatione transmisit epistolam per Legatos, Crescentem, Leopardum, & Alexandrum ad Mediolanensem Ecclesiam. L. Synodicam Mediolanen. Conc. Epist., quæ inter Epistolas Ambros. est 7., ubi, quas regerent Ecclesias Episcopi hi, quos A. N. nominat, invenies; Eventius scil., Maximus, & cet.

(73) Marcellinus in Chron. anno præterito, nempe 387. tradit Theodosiom Thessalonicam se contulisse, idque Zosimus affirmare videtur, dum inquit, Theodosiom, cum accepisset Valentiniani fugam, cum nonnollis è Senatu eo perrexisse. l. 4., ubi Theodosiom consueto more vellicat, & cap. sequ. narrans ejusdem cum Galla, Josinæ filia, nuptias. Certum est autem, Thessalonicæ latam L. 14. Cod. Theod. *de Heret. IV. Idus Mart.* Lex vero 2. ejusdem Cod. *de Nuptiis*, & L. 5. *Ad L. Jul. de adult.* dicuntur datæ *prid. Id. Mart.* & prid. Kal. Maj. L. un. *de privatis carcer. custod.* eod. Cod.

(74) Filia Antonii, qui Consul fuit an. 382. Theodosio nupta ante Imperium, obiit an. 385. ex Auct. Chron. Alex. *Flacilla* etiam dicta; mater Arcadii, Honorii, & Gratiani. L. Gregor. Nyssen. Orat. in funere Placillæ.

(75) Hæc Pacatus in Panegyr. c. 30. *Feciales sane fidei publicæ inter populos præerant; per hos enim Cabat, ut justum conciperetur bellum, & ut fœdere fides constitueretur: ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent; & per hos etiam nunc fit fœdus.* Varro de Ling. Lat. IV. 15. Horum Collegium Romæ erat. Apud Liv. feciales non leguntur ante Hostilii tempora. Aurel. Vict. de Vir. illustr. c. 5. n. 4. prodidit, *Ancum Marcium jus feciale, quo legati ad res repetendas mitterentur, ab Ænucolis transtulisse: & ad Rhesum primum excogitasse.*

(76) Idacius in Fastis ait: *defunctus est Cynegius Præfectus Orientis in Consulatu suo C. P. Hic universas Provincias longi temporis labe deceptas in statum pristinum revocavit, & usque ad Ægyptum penetravit, & simulacra gentium evertit. Unde cum magno fletu populi civitatis deductum est corpus ejus ad Apostolos die XIV. Kal. April.* Hinc l. 17. de Cohortalibus, & l. 23. de suscept. præpos. vel *Tatiano* reponendum loco *Cynegio*, sicut & L. 5. tributa in ipsis speciebus inferenda esse, Cod. Theod. vel ad alios Consules, non ad Timasium, & Promotum. Quæ Leges Reinesio in Zos. l. 4. 45. facessere negotium circa tempus mortis ejusdem Cynegii.

(77) Tatiano quidem, ut Zos. l. 4. 45. data lex 2. de Fabricensibus XV. Kal. Nov. Cod. Theod. His Coss. Ejusque filius erat Proculus, cui Præfectura Urbana concredita h. an., teste Zos. ibid.

bus Orientis limes ambiebatur, data, atque accepta dextera confirmavit, quo foris securius agitaret, si nihil sollicitum, & suspectum domi reliquisset, tum copias tripartito divisit, ut hostis audaciam multiplicato terrore percelleret, & fugam ejus circumfusus ambiret: postremo, barbaris ultro operam pollicentibus, commilitii gratiam fecit, ut limiti manum suspectam detraheret, & militi auxiliatorem adjungeret. Qua illius benignitate pellectæ omnes Scythicæ gentes tantis agminibus confluxerunt, ut quem remiserat suis, barbaris videretur imperasse delectum. Itaque sub ducibus, vexillisque Romanis ibat, & ad nomen respondebat Gotthus, Hunnus, & Alanus, urbesque Pannoniæ, quas inimica populatione exhauserat, miles implebat. Per eosdem dies, Theodosius, dum Thessalonicæ fuit, memorabile iræ, cujus impotens fuit, exemplum edidit. (78) Instantibos enim equestribus ludis, populus nobilem aurigam quendam, (79) qui ob læsum hominem in vinculis habebatur, sibi dari poposcit, &, cum non impetraret, commota seditione, hominem, qui violatus ab auriga dicebatur, necavit. Qua de re Theodosius ira ardens, durius in omnes consulere voluit, verum ab Episcopis, (80) ut se ad lenitatem daret, rogatus, tandem se temperaturum spopondit. Post aliquot inde dies, cum res prope ex omnium animis excidisset, nefario domesticorum impulsu illud impotentius, ne dicam vecordius, fecit, quod septem millia hominum in theathrum ludorum gratia convocata, & quidem innoxiorum, militibus immissis, gladio ferienda, atque necanda mandavit, qua re jodicatum est nihil fœdius, aut crudelius ne a Barbaro quidem patrari homine potuisse. Interim Barbari quidam, (81) qui ipsi stipendia faciebant, ingentibus muneribus à Maximo de proditiune solicitati, cum rem emanasse sentirent, ab illo discesserunt, & paludes, lacusque versus in Macedoniam confugerunt, quos Theodosius perquisivit, ac majore ex parte repertos peremit. Ita hoc metu liberatus, inde ad iter se adversus Maximum expedivit, ac Valentinianum cum Justina in naves impositum, datis, qui tuto deducerent, in Italiam destinavit, certa opinione ductus, Romanos lubentissimis eos animis expectare. Maximus interim, motis Aquileja castris, Alpibus Julius superatis, in Pannoniam iniit, ac Pætovione capta, (82) & præsidio confirmata, usque ad Savum amnem processit, atque ibi, Sciscia occupata, (83) subsedit: ubi vero certior factus est, Justinam cum Valentiniano sinum Ionium trajecturam, paratis triremibus, Andragathium ad illos capiendos dimisit, qui, cursu in omnes partes intento, tamen propositum tenere non potuit, quod eos ante adventum suum Fretum transmisisse offendit; cum autem Theodosium exercitu navali Italiam recuperaturum putaret, idoneis copiis expeditis, in spem gerendæ rei omnia illa loca circumlustravit. Theodosius, ubi Maximum in Pannonia superiore ad Savum esse, ac Scisciam belli sedem cepisse audivit, ex Macedonia in Pannoniam transgressus, ad Savum iter intendit, atque ibi castra posuit: inde opportuno tempore amne trajecto, prœlii copiam fecit, quam neque Maximus egressus Scitcia detrectavit. Ceterum Theodosiani, collatis signis, tanta mole pugnarunt, ut repente hostes loco moverint, motosque in fugam converterint. Ex quibus, qui in oppidum refugerunt, aut fossas cadaveribus oppleverunt, aot se obviis sudibus induerunt, aut portas, quas eruptione patefecerant, morte clauserunt, quorum vero

(78) Thessalonicensium cædes ann. 390. contigisse videtur, com enim Ambrosius Rufinum agnoverit tantæ cædis Auctorem, Magistrum officiorum, teste Paulino in Vit. S. Ambros. is eo munere, præfato anno, fungebatur, ut Theodoret. ait l. 5. 18., sicuti quoque demonstrat L. 3. Cod. Theod. de Fabricensibus, mense Martio, Mediolani scripta. Certe ad tempora post debellatum Maximum referenda ex Rufin. l. 2. c. 18., Paulino in Vit. S. Ambros., & Theodoret. l. 5. 17. repugnante solum Sozomeno l. 7. c. 24., eamdem cædem ad secundum Theodosii in Italiam adventum referente, cum Eugenii tyrannidem extinxit.

(79) Rem ita narrat Sozoman. l. 7. 24. *Botherichi tum temporis apud Illyricos militum Præfecti auriga pincernam domini impudice intuitus, de stupro interpellarat; eaque de causa comprehensus, in vinculis erat. Instante autem solemni equestri certamine, populus Thessalonicensis illum, veluti ad eam concertationem necessarium, dimitti postulabat. Quod quoniam non impetrabat, in gravem seditionem efferbuit, ac tandem etiam Botheticam ipsum interfecit. Qua re nunciata, Imperator* & cet.

(80) Non ab Ambrosio tantum, qui apud Theodosium pro Thessalonicensibus egit, ut Paulinus in V. S. Ambros., sed & a pluribus Episcopis, teste D. August. de Civit. Dei l. 5. 25. Sed promissis Imperator non stetit, impellentibus ad tantum nefas Comitibus, quo septem millia hominum jussit occidi. Talem numerum Theodoret. exhibet l. 5. 17. Eamdem stragem referens Sozom. l. 7. 24. inquit: *Civitas multis injustis cædibus adimpleta fuit. Siquidem & peregrini, qui moda vel adnavigaverant, vel de via advenerant, ex improvisa apprehendebantur; fiebantque miserabiles clades*, & cet.

(81) Hos permixtos Romanis legionibus fuisse Zos. narrat l. 4. 45., unde A. N. accepit; a quibus expeditus Theodosius Justinam, Valentin. filium, filiamque Gallam Romam ducendos commisit, *persuasus* (inquit Zosim. l. c.) *Romanos lubentissimis animis hos excepturos, quorum à Maximo voluntates essent alienæ.*

(82) In Antonini Itinerario Pœtovio. In lapidibus apud Gruter. pag. 533. num. 8, & 766. n. 2. POETEVIONE, sed pag. 529. n. 5. LUCILIO POETOVION. Tacitus l. 3 Hist. in init. *Petovionem in hiberna XIII. legion. convenerant.* Petobionem Amm. l. 14. 37. appellat; est autem ad Dravum in finibus Pannoniæ, nunc Petav.

(83) Siscia ab omnibus dicitur, qui ejus meminere. V. Plin. l. 3. 25. Item Straboni Σισκία, Syscia, Ptolomæo Σίσκια, Siscia, & Zosimo l. 2. 48. aliisque, ad ripam Savi. Sed Maximus Sisciensi prælio non interfuit; nam Zosimos l. 4. 46. narrat, Theodosium per Pannoniam, portasque montium Apenninorum progressum, in incautos Maximianos irrupisse, parte exercitus sui ad Aquilejæ muros properante, aditumque sibi aperiente per portas, ubi Maximum solio deturbavit. Et in Panegyrico Pacat. c. 34. describens idem prælium ad Savum flumen commissum, ait: *ipsum illum vexillarium sacrilegæ factionis avidis gurgitibus absorbuit* (flumen) *& ne morti sepultura contingeret, cadaver abscondit.* Dux autem illius exercitus, aquis submersus, Maximus certe non fuit, proindeque prælio non interfuit tyrannus, qui intra Aquilejam, abjecta omni spe Imperii, resedit, Tyrannidis an. 5., ut Pacatus c. 30., & Philostorgius l. 10. 8., ultrici gladio peremptus.

vero fugam amnis magnitudo inhibuit, ii trepidi, & invicem complexi per abrupta se in gurgites dejecerunt, inter quos absorptus est illius expeditionis vexillifer, cujus cadaver reperiri non potuit. Hac victoria parta Theodosius Pætovionem processit. Ibi Marcellinus Maximi frater sese advenienti objecit. Qua re conspecta, Theodosius & ipse instruxit suos; verum, præcipitante jam die, sibi duxit à prœlio temperandum, prima vero luce, productis utrinque castris, mora dimicandi non est facta, neque alia hujus prœlii, ac superioris, fortuna fuit. Pari fuga hostes propulsi, aut in sylvas se receperunt, aut fœde concisi victoriam Theodosio reliquerunt, victori hostis à nocte subtractus est: multi summissis vexillis supplices ad Theodosium confugerunt, atque ad terram provoluti, veniam postularunt, hi omnes à Theodosio benigne recepti. Maximus duplici prœlio superatus, fugam capessivit, ac maxima celeritate Aquilejam repetiit. Quem pari velocitate Theodosius insequutus est. Adventanti Æmona, quæ prima civitas Italiam ingredienti ad radices Alpium occurrit, (84) effusa portis obviam prodiit, &, quod diu à Maximo obsessa, nunc demum adventu Theodosii liberata esset, lætitiæ suæ cumulum declaravit, processere obviam tripudiantium catervæ cantu, & crotalis personantes, ante mœnia festus liberæ nobilitatis occursus, conspicui veste Senatores, reverendi municipali purpura Flamines, insignes apicibus Sacerdotes, portæ virentibus sertis coronatæ, aulæis ornatæ plateæ, accensisque funalibus auctus dies, ut prope, nondum finito bello, triumphare Theodosius videretur. Ceterum, Æmona relicta, Maximum assidue tergis insistens tanto ardore est insequutus, ut uno die Aquilejam accesserit, magna spatia terrarum emensus, quò progressus, confestim urbi oppugnationem admovit. Ea vero fervente, Maximus infirmitatem suarum virium contemplatus, propter instantis periculi magnitudinem prope de potestate decessit. Quod ubi milites animadverterunt, ut ante urbis expugnationem sibi consulerent, ipsum pecuniam exercitui partientem comprehenderunt, ac regiis insignibus nudatum, & vinctum ad Theodosium perduxerunt: *Maximus*, ut inquit D. Ambrosius, (85) *destitutus est à suis, quod ante ipsos expeditionis dies cum audisset, Romæ Synagogam incensam, edictum statim eò miserat, quasi vindex publicæ disciplinæ, cum dicerent, Rex iste Judæus factus est, atque idcirco Sciscia, & Pætovione, atque ubique terrarum victus est*. Theodosius ubi Maximum vidit: Qua fiducia ad arma civilia descendisti? inquit, cui ille respondit, favoris tui obrendi prætextum, neque enim aliter potuissem allicere milites, nisi auctoramenti mei re finxissem auctorem. (86) Qua voce audita, Theodosius ira exarsit, nec tamen supplicio alicui tetriori ipsum addixit, sed oculis dejectis, & vultu rubore suffuso, verba misericordiæ plena fecit. (87) Quod ubi ministri ejus senserunt, Maximum ex oculis ejus abduxerunt, & tertio ab urbe lapide caput ei à cervicibus amputarunt. Hæc VII. Kal. Septembris administrata. Maximi clade percepta, Andragathius, qui navibus sinum Ionium scrutabatur, quod acerbissima se passurum, & Gratiano à se occiso pœnas daturum sentiret, si in manus Theodosii pervenisset, rebus deploratis omne belli consilium posuit, ac se è navi in mare præcipitavit, (88) atque ibi vitam finivit.

## VALENTINIANUS JUNIOR A. SOLUS.

Theodosius victoriam insignem haud magno admodum certamine consequutus, (89) Valentiniano ad se reverso Imperium Italiæ reddidit, diligenter monito, (90) ut, consiliis matris posthabitis, idem de Trinitate sentiret, quod à Nicænis Patribus constitutum fuisset, atque Honorium filium Constantinopoli evocatum Aquilejæ sibi expectandum putavit. X. Kal. Octobris Valentinianus Aquilejæ de iis, qui sequuti Maximum fuerant, sic edixit: (91) *Nullus sibi honorem audeat vindicare, quem tyrannica concessit audacia, sed ad pristinum statum damnata præsumptio revocetur*. Scribit D. Ambrosius, Theodosium, Maximi victoria parta, quia hostes in acie straverat, tam diu se à Sacramentis abstinuisse, donec filiorum adventu Dei gratiam erga se vigere perspexit. Postquam autem venit Honorius, tum Me-

(84) Ita Herodianus l. 8. 1. Πρώτην Ἰταλίας πόλιν, primam, i: limitaneam urbem Italiæ, sitamque dicit ante radices Alpium Pannonicas, unde non in Italia post Alpes, ut Capitolinus voluit. Pannoniæ melius adscribenda cum Plin. l. 3. 25. V. Zosim. l. 5. 29., apud quem Ἠμώνα, Emona scribitur.

(85) Epist. sc. 29., alias 17., ubi & Theodosium ab executione edicti, quo præcipiebatur refici incensam synagogam sumptibus Episcopi, qui eam incenderat, revocare studuit.

(86) Auctor est Pacatus Paneg. c. 43.

(87) Quod Pacat. in Paneg. aperte declarat dicens: Rapitur ergo (Maximus nempe à militibus) ab oculis, & ne quid licere posset clementiæ, inter innumeras manus tertur ad mortem. VI. Kal. Sept. evenisse id affirmat Socrat. l. 5. c. 14. V. Kal. Aug. Idacius in Fastis. IV. Kal. Aug. Idac. in Chron. Zosimus autem nullum clementiæ indicium edidisse Theodosium erga Maximum prodidit l. 4. 46. prop. fin., sed exprobrasse paucis narrat, quæ in R. P. commeruisset Maximus, & *hominem carnifici tradidisse*, meritam pœnam luiturum.

(88) Ita Zosim. l. 4. 47. Histor. vero Miscell. l. 13. *Andragathius comes, qui peremerat Gratianum, cognita Maximi nece, præcipitem è navi in vicino fluvio semetipsum projiciens, suffocatus est*. P. Diac. l. 2. *præcipitem sese è navi in undas dedit, ac suffocatus est*.

(89) Tum si temporis brevitas spectetur, tot victi exercitus: tum si Galliæ, Hispaniæ, Britannia, Italia, & universum Occidentale Imperium recuperatum, tutumque redditum Orientale, mors Gratiani vendicata incruento pene triumpho, &, quod clariorem eam victoriam fecit, Theodosius, *Valentinianum puerum Imperii sui partibus, unde fugatus fuerat, cum misericordissima veneratione restituit*, inquit August. de Civit. Dei l. 5. 26.

(90) Recitat & Suidas, verb. Valentinianus, à Theodosio dicta Valentiniano, sed tunc cum eidem profugo in Oriente ipse Theodosius occurrit.

(91) Est L. 6. Cod. Theod., qua dignitates, seu honores a Maximo collati, revocantur. Quod utique tralatitium jus fuit; salva tamen pristina dignitate: eoque in sensu Pacatus in Paneg. post hoc bellum inquit, *nullius dignitatem imminutam*. Extat ea Lex tit. 14. de Infirman. his, quæ sub Tyrann., & cet.

Mediolanum processit, eo vero adventante, Ambrosius secessit Aquilejam, ne necessario aut infamem ejus perfidiam, ac crudelitatem Thessalonicensem turpi silentio comprobaret, aut iram ejus justa objurgatione accenderet, quemadmodum ipse epistola ad eum scripta ostendit. VI. Idus Octobris Valentinianus edictum contra Maximum renovavit: (92) *Omne*, inquit, *judicium*, *quod Maximus infandissimus tyrannorum credidit promulgandum*, *damnamus*. Dum Maximus Aquilejæ obsidebatur, Franci Genobaldo, Marcomere, & Sunone ducibus, superato Rheni limite, in Germaniam inferiorem invasere, ac, plurimis cæsis, fertiles pagos depopulati Agrippinæ etiam coloniæ terrorem incussere. Quod ubi Nannienus, & Quintinus militiæ Magistri, quibus Maximus Victoris filii pueritiam, & Galliarum defensionem commiserat, audiere, statim cum exercitu Agrippinam accurrere, &, cum Francos graves præda Rhenum trajecisse, plurimis suorum in Romano solo, qui populationem redintegrarent, relictis, invenissent, collatis apud Carbonariam signis, plerosque delevere. Consiliis inde, num transeundum esset in Franciam, initis, Nannienus, ea re improbata, Maguntiacum rediit. Quintinus vero cum exercitu circa Nivisium castellum (93) Rhenum transgressus, secundis à fluvio castris casas habitatoribus vacuas, atque ingentes vicos destitutos offendit, (Franci enim simulato metu se in remotiores saltus receperant, caudicibus per extrema sylvarum objectis,) atque universis domibus exustis, milites per noctem sub armis tenuit: prima vero luce saltum ingressus, usque ad meridiem tramitum se erroribus implicans, totum perlustravit, tandem cum ingentibus septis clausa omnia reperisset, in palustres campos, qui sylvis jungebantur, evasit, molientibus hostium rari apparuere, qui, conjunctis arborum truncis superstantes, velut è fastigiis turrium, sagittas tormentorum more effudere, inlitas herbarum venenis, ut vulnera summæ coti, & non lethalibus locis inflicta haud dubias mortes adducerent. Inde majore multitudine hostium circumfusus exercitus, in apertos campos, quos liberos Franci reliquerant, avide effusus est, ac primi equites voraginibus immersi, permixtis hominum, jumentorumque corporibus, ruina invicem suorum oppressi sunt. Pedites autem, quos nulla onera equorum calcaverant, impliciti limo ægre explicantes gressum, rursus se sylvis trepidantes abdebant. Perturbatis ergo ordinibus cæsæ legionis, Heraclio Jovianorum Tribuno, ac pene omnibus, qui militibus præerant, interfectis, paucis effugium tutum nox, & sylvarum latibula præstitere. Maximo inde, quemadmodum diximus, interempto, Valentinianus Arbogastem magistrum militum (94) in Galliam adversus Victorem Augustum Maximi filium misit, atque in locum Nannieni, & Quintini Cariettonem, & Syrum suffecit. Non magna res dimicatione confecta est, primo adventu Victor prœlio superatus, comprehensus, atque occisus est. Gallia universa in fidem recepta, Carietto, & Syrus cis Rhenum adversus Francorum exercitum constiterunt. Hæc in exitu anni peracta. Itaque postero ineunte, quo Tima- 389
sius, & Promotus (95) Consulatum, & Albinus Præfecturam urbis administrarunt, Valentinianus, Justina matre amissa, (96) XIV. Kal. Februarias Mediolano ad Præfectum prætorio Galliarum Constantianum sic scripsit: *Omnes, qui tyranni usurpatione provecti (97) cujuslibet acceperunt nomen militum dignitatis*, *codicillos*, *atque epistolas promere iubemus*, *& reddere*. Theodosius inde mense Junio (98) cum Honorio filio Romam per-

(92) Extat in Cod. Theod. L. 7. de Infirm. his, quæ sub Tyrann., & cet. ubi legitur his verbis concepta: *Omne judicium*, *quod vafra mente conceptum*, *injuria non jura reddendo*, *Maximus*, *infandissimus Tyrannorum*, *credidit promulgandum*, *damnavimus*. *Nullus igitur sibi lege ejus*, *nullus judicio blandiatur*. Recte dicitur, *vafra mente*; Paganorum namque favori emerendo, callido sane consilio jura, & judicia reddiderat Maximus.

(93) *Novesium* dicitur apud Tacit. l. 4. Hist. 33., & 35., & passim alibi. Oppidum erat infra Bonnam, cum qua ab eodem Tacito conjungitur, nunc forsan *Niis*, vel *Nuys*.

(94) Arbogastem à Theodosio missum scribit Zosim. l. 4. 47. in init., ut Victorem interficeret, *Cæsaris dignitate ornatum* à Maximo, eodem Zosimo teste.

(95) Horum prior copiis pedestribus, alter equestribus anno præcedenti in bello adversus Maximum præfuere ex Zosim. l. 4. c. 45. & in præmium rei præclare gestæ uterque hoc anno Consul processit.

(96) An. sc. 388. obiit Justina; nam Prosper Tyro in Chron. Imper. ait num. 4. *Justina*, *quæ Ecclesias vexaverat*, *ne Regnum cum filio reciperet*, *morte præventa est*. Idem ex Rufino tunc vivente clare colligitur l. 11. c. 17.

(97) A Maximo collati Magistratus, dignitatesque, atque ab his dictæ sententiæ per universam Præfecturam Galliarum revocantur, cassanturque, cæso jam Victore Maximi filio, quem Pater in Galliis reliquerat, profecturus in Italiam: sicuti superius indicatis legibus per Præfecturam Italiæ fuere revocata jura, & dignitates. Eaque Lex, quæ est 8. Cod. Theod. de Infirm. his, quæ sub Tyrann. & cet., ita exhibetur ibid. emendatior: *Omnes*, *qui Tyranni usurpatione provecti*, *cujuslibet acceperunt nomen inlicitum dignitatis*, *codicillos*, *atque epistolas*, *& promere jubemus*, *& reddere*, & cet. elegantissime expressa in decursu ejusdem legis, quam vide, ubi data legitur XIX. Kalend. Febr. ad Constantinianum, in P. P. Galliarum successorem Evodii, qui sub Maximo P. P. Galliarum fuerat, teste Sulpic. Sever. Eidemque inscribuntur lib. 4. de legitimis hæreditatibus: L. 5. de proximis Comitibus, Cod. eod. Theod.

(98) Teste Idacio in Fastis sub hujus anni Coss. *Introivit Theodosius Aug. urbem Romam cum Honorio filio suo*, *die Iduum Juniar.*, *& dedit congiarium Romanis*. Urbe vero excessisse Theodosium Kal. Sept. addit Marcellin. in Chron. An triumphans ingressus Romam fuerit una cum Valentiniano, Historici varie scripserunt; Socrates l. 5. c. 14, cum quo & Sozomen. l. 7. 14 prodidit, utrumque Imperatorem Romæ triumphasse. Sed laudati Historici, eo quod Valentinianus tunc Romæ erat; inde hallucinati sunt, & cum Theodosio triumphum iniisse scripserunt. Præter enim Idac. Pacatus, in Panegyr. Theodosio post triumphum dicto, unicum semper Imperatorem alloquitur, de Valentiniano ne verbum quidem. Et Rufinus l. 11. c. 17. Postquam de Maximi tyrannide locutus est, subdit: *Adfuit Theodosius propter Regni fidem*, *bonitatisque beneficiorum Gratiani memor*: *& in vindictam totius viribus Orientis insurgens*, *ultus est sanguinem justum*. *Valentiniani quoque impia inter hæc matre defuncta*, *Fidem Catholicam*, *quam ipsa violaverat*, *& regnum tyrannide depulsa restituit*. *Atque ipse postea quam Romam* illu-

perrexit, & cum Valentiniano urbem triumphans inivit, ac pompam ferculorum modo curru, modo pedibus subseqnntus, nunc de bello, nunc de victoria triumphavit. In Curia Senatum, pro rostris populum alloquutus est, omnibus se principem, singulis se exhibuit Senatorem. In Senatu à Latino Pacato, (99) viro eloquentissimo laudatus est ea oratione, cujus sæpe meminimus, in qua ille bellum, victoriamque, & triumphum hunc de Maximo celebravit. Urbem inde lustrans, non publica tantum opera, sed privatas etiam ædes invisit, quin etiam congiarium (100) populo dedit, & Victoriæ ludos edidit, (101) & Symmacho viro clarissimo (102) majestatis reo, quod litteras ad Maximum scripserat, veniam impertivit, & ædes panarias, (103) quas qui adibant, fœda consuetudine per occultas insidias in pistrina ad servitutem adigebantur, evertit, & pœnas meretricum abrogavit, quibus audiendis prava prætereuntium libido irritabatur; atque inde in exitu anni (104) Mediolanum recessit, cum jam domum Episcopus repetisset Ambrosius. Cum Franci novas ex Gallia prædas egissent, Arbogastes non patiendum ratus, Valentinianum monuit, pœnas à Francis expetendas, nisi omnia, quæ superiore anno cæsis legionibus diripuissent, subito restituerent, auctoresque belli traderent, in quibus violatæ pacis perfidia puniretur, ac post paucos dies ad eos accessit, & cum Marcomere, & Sunone Francorum regalibus colloquutus, imperatis de more obsidibus, Treviros in hiberna recessit. Proximo anno, qui erat à 390
Christo nato CCCXC. Valentiniano Augusto IV., Neoterioque Consnlibus, & Albino urbis Præfecto, (105) cum Theodosius in Paschate (106) ad Templum religionis gratia perrexisset, Ambrosius Episcopus, re animadversa, raptim ad fores occurrit, eumque tanquam hominem nefarium ab ingressu Ecclesiæ repulit, & piorum communione dejecit, (107) eo nomine, quod se contra fidem Episcopis datam innoxio civium Thessalonicensium sanguine maculasset, neque eam labem aliquo adhuc, ut par erat, piaculo publice diluisset. (108) Theodosius autem dolore percitus, lacrimisque perfusus, nullam vim fecit, sed domum se mœstissimus retulit, & decimum quintum Kalen-

---

*illustri triumpho invectus est, ad propria rursus regna remeavit.*

(99) Is Drepano oriundus, celebris orator, qui Panegyrim Trajano Imperatori dicavit, cum Maximum tyrannum debellasset.

(100) Sicuti donativum militibus, ita Congiarium populo dabatur, quod & *liberalitas* etiam dictum; hinc in Nomm. Congiarii distributionem præseferentibus, sæpissime legitur, Liberalitas prima, secunda, tertia. Suet. Aug. c. 41. n. 5. *Congiaria populo frequenter dedit, sed diversæ fere summæ, modo quadringenos, modo tricenos, nonnunquam ducenos, quinquagenosque nummos.* Et Tiber. c. 20. n. 3. *Prandium dein populo mille mensis, & congiarium tricenos nummos dedit.*

(101) Quia ob triumphum decernebantur, eorumque meminit in Marco Capitolin., ubi de eodem, & Lucio ait: *Ludos etiam ob triumphum decretos spectaverunt habitu triumphali.* V. Kal. Novemb., & sequentibus quinque diebus ludi Victoriæ fiebant. Sic enim Kalendar. Hi ludi à P. Cornelio Sulla instituti fuerunt bello civili. Asconius in Verrinam 2. Vellejus l. 2.

(102) Singularis clementiæ significationem Theodosium erga Symmachum edidisse, testis est Socrat. l. 5. 14., excellentem ipsius in latinis litteris eruditionem commendans, & inter quamplures libros latino sermone conscriptos, illum de laudibus Maximi Tyranni, eo vivente, recitatum laudat, unde læsæ majestatis reus factus, veritus mortem, ad Ecclesiam confugit; sed Leontii Ecclesiæ Novatianæ Episcopi precibus, Principis indulgentiam expertus fuit. Hæc Socrates ibid.

(103) Narrat Socr. l. 5. 18. Romæ ædes fuisse peramplas, antiquitus extructas, in quibus conficiebatur panis civitati suppeditandus, quibus Mancipes præerant. Pergit deinde dicens: *Quia pistrina ad ædes spectantia in profundo sita essent, & ad latera singularum ædium adfixæ caponæ, inque illis meretrices habitarent: complures idcirco, tum qui cibi capiendi necessitate adducti, tum qui obscœna libidinis intemperantia inflammati, eo ventitabant, per insidias dispoliati fuerunt: nam machina quadam factum est, ut ex caupona in pistrinum præcipitarentur*, & cet. Et paulo post id uni ex Theodosii militibus evenisse scribit, qui, pugione in prohibentes exire districto, exitum inde sibi feliciter aperuit, remque detulit ad Imperatorem; unde *Mancipes gravi affectos supplicio, ædesque illas, latronum perfugia, disturbatas*, Auctor Socrates ipse. De his Mancipibus, sive Pistoribus (nam & Mancipum Romæ varia genera, in quibus & Mancipes Thermarum, seu Salinarum, de quibus L. un. de Mancip. Thermar. C. Theod.) accipienda quoque videtur L. un. de Mancipibus.

(104) VI. namque Kal. Decemb. Med. degit L. 19. *de Hæreticis*, & mense Decemb. L. 120. *de Decurionib.*, & L. 13. *de Tutoribus*. Mediolanum vero advenit è Foro Flaminii, ubi legem tulerat 5. *de Quæstionib.* Omnes in Cod. Theod.

(105) Ad quem extat *L. ult. ad L. Jul. de vi*; & L. 27. *de operibus publicis*; hoc anno datæ. Sed is erat ab anno præced. Præf. U., ut ex pluribus legibus ad eumdem directis liquet, quas vide apud Gothofr. in Chronic. Cod. Theod. pag. 120.

(106) L. hæc apud Paulin. in Vit. S. Ambr., & fusius apud Theodoret l. 5. 17., qui plura recenset à Paulino prætermissa.

(107) Theodosium excommunicatione perculsum ab Ambrosio negat P. Natalis Hist. Ecclef. T. IV. p. 185. Certe Theodoret. l. 5 Histor. Ecclef. 18., qui, eod Natal. ab Alex. fatente, prolixe, accurateque rem enarravit, semel, iterum, tertio excommunicatum fuisse designat. Refert Sancti Episcopi verba ad Theodosium, ut ab ingressu Ecclesiæ arceat, hujusmodi: *Recede igitur, & ne conare novo scelere scelus ante editum augere; sed capesse vinculum, quo ut ligeris, Dominus omnium cælitus sententiam dat: quod quidem vinculum*, & cet. Secundo, interroganti Rufino, quænam luctus causa, respondit Theodosius apud eumdem Theodoret. *Nam mihi venit in mentem sententia à Domino prolata, quæ palam dicit: Quemcumque ligaveritis super terram, erit ligatus & in cælis.* Tertio Rufinus Imperatori dixit: *Si placet, curram ad Episcopum: ei supplicabo, persuadeboque, ut tua solvat vincula.* L. Theodoret. l. cit. Quæ sane omnia satis demonstrant, Theodosium excommunicatum fuisse ab Ambrosio. Hoc idem dicere videtur Sozomen. l. 7. 25. Facundus Hermianens. l. 12. 5. pro defensione Trium Capitulorum.

(108) Concil. Ancyr. c. 21. vetat, ne *voluntarius homicida nisi in fine vitæ communicet*. Notæ sunt autem, & publicæ pœnitentiæ canones, diversique Gradus, & vetus Ecclesiæ disciplina in reos graviorum criminum. Vide Morin. de Pœnitentia, qui tamen in eo caute legendus, quod reis gravissimorum quorumdam criminum denegatam fuisse olim communionem putat, etiam urgente exitu vitæ.

lendas Julias ad Tatianum Præfectum prætorio ita scripsit: (109) *Qui ante secundum Consulatum mansuetudinis meæ ex ordine Curialis, vel Presbyteri fastigium, vel Diaconi ministerium, vel Exorcistæ suscepit officium, omne ejus patrimonium immune à Curialibus nexibus habeatur*. Veronam inde profectus tertium Nonas Septembris (110), ad eundem ita: *Quicumque sub professione Monachi reperiuntur, deserta loca, & vastas solitudines sequi, atque habitare jubeantur*. Valentinianus autem assiduis Theodosii præceptis imbutus Catholicam pietatem ita colere cœpit, ut Ambrosium eodem loco, atque honore, quo parentem, habuerit, ac mandata ejus diligenter exhauserit. Ceterum pridie Nonas Martias ad Albinum Præfectum urbis sic scripsit: *Servos, qui fecisse violentiam confessionibus testium, (111) aut propriis docebuntur, si inscio Domino commiserint, postremo supplicio deditos luere perpetrata censemus*, & pridie Nonas Aprilis ad eundem: *Augustæ in partibus civitatis (112) magis antiqua reddi convenit, quam inchoari supervacua, nosse itaque par est officium magnitudinis tuæ, & ceteras, à quibus sumptus hujusmodi operibus de ærario præbebuntur acceptos omnino non ferri, si quis per usurpationem opus præter conscientiam nostram intra æternam urbem voluerit publica conlatione construere*.

391 At vero, postquam Natalicia Domini accesserunt, quæ Titiano, Symmachoque (113) Consulibus ineuntibus erant futura, Theodosius, cum per octo menses (114) communione privatus vixisset, iterum cupidine templi adeundi flagrabat, sed spectatam Ambrosii severitatem formidans, propius accedere non audebat. Qua re animadversa, Rufinus, qui apud illum plurimum valebat auctoritate, negotium Ambrosii placandi suscepit, atque, illo convento, justum Imperatoris desiderium demonstravit, cumque, ut aliquando tandem de pristina sententia cederet, atque ipsum Imperatorem in gratiam Ecclesiæ reciperet, summis precibus obsecravit. Quas Ambrosius eadem, qua ante, constantia respuit, ac se ante millies mortem oppetiturum, quam tantum dedecus in Ecclesia permissurum, respondit. Hoc audito, Theodosius accessit, &, cum ad Ambrosium, qui in Salutatorium venerat, (115) pervenisset, ad pedes procubuit, rogans, ut se vinculo Ecclesiæ solveret, ac sibi pœnitenti aditum templi concederet. Interroganti vero Ambrosio, quo se pœnitentiæ genere expiaturus esset, eo, respondit, quod tu injunxeris. Tum Ambrosius piaculum imposuit, atque illum sese, præsente, & flente populo, expiantem Ecclesiæ communioni restituit. Hunc in modum de pœnitentia Theodosii scripsit in vita S. Ambrosii Paulinus, itemque D. Augustinus Homilia XXXII. *Deus*, inquit, *voluit, ut Theodosius Imperator ageret pœnitentiam publicam in conspectu populi, maxime, quia peccatum ejus celari non potuit*, & libro quinto de civitate Dei: *Quid fuit Theodosii religiosa humilitate mirabilius, quando in Thessalonicensium gravissimum scelus, cui jam, Episcopis intercedentibus, promiserat indulgentiam, tumultu quorundam, qui ei cohærebant, vindicare compulsus est? & Ecclesiastica coërcitus disciplina, sic egit pœnitentiam, ut Imperatoriam celsitudinem pro illo populus orans magis fleret, videndo prostratum, quam peccando timeret iratum?* Addidit etiam edictum in eandem sententiam, atque illud Valentiniani, quod supra posuimus, Ne capitales pœnæ ab Imperatore injunctæ, nisi post triginta dierum spatium, sumerentur. Inde Valentinianus in Gal-

(109) Antea Theodosius, Curialem non secus per Clericatum liberari voluerat, quam alio vicario vice sua ex patrimonio suo substituto, L. 115. de Decurion., vel nisi cessis Curiæ suo patrimonio L. 104. Verum hac L., hoc anno 390 edita aliquam & temporis, & gradus distinctionem facit; nempe per Clericatum eos liberari vult citra patrimonii cessionem; sicque retento patrimonio, qui Presbyteri, Diaconi, vel Exorcistæ, non vero inferioris gradus Clerici, ante secundum Consulatum, quem Theodosius una cum Cynegio iniit an. D. 388. Deinceps vero ab eo Consulatu Clericos quoscumque factos, patrimonio suo cedere secundum anteriores constitutiones jubet. Extat hæc L. in Cod. Theod. 121. de Decurion.

(110) An huic legi occasionem dederint Monachi plerique Jovinianistæ, vix credendum, etsi ita putarit Baronius ad h. ann. Potius Monachi Syriam incolentes, & præsertim qui prope Antiochiam in montibus erant, de quibus Libanius orat. pro templis, quique pietatis obtentu Judiciario ordini sæpe intercedebant; nam iis id exprobrat Eunapius *Ædesio* p. 78. Neque id in pœnam statutum fuit, sed jussi Institutum servare. *Quid enim desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Ait Hieronym. epist. ad Rusticum Monach. Idemque ad Paulinum epist. 13., hinc 16. quæst. 1. c. 1. *Monachus Græcè, Latinè singularis dicitur: unde Monachum per omnia singulariter agere oportet*. Monachorum itaque oberratio vetita, quod multi: ὡς τὰ Ἑλληνικὰ, [illegible] πολιτικὰ [illegible] πράγματα, [illegible] ἐν ταῖς πόλεσιν. Ecclesias, & civilia turbarent negotia . . . . . . Extat h. L. 1. de Monachis in Cod. Theod.

(111) Molestum fuit Christianis Principibus vis illatæ crimen, unde in h. L. (quæ est 4. Cod. Theod ad L Jul de Vi public.) servi morte damnantur, si inscio domino; si vero ejusdem jussu violentiam fecissent, metallis per sententiam dantur, domini vero notantur infamia, amissa nobilitatis, vel honoris sui dignitate. L. ead.

(112) Pluribus in legibus, quæ videri possunt in Cod. Theod. de Operibus publicis, cautum est, ut Vetera opera sint instauranda, & reparanda. Idque statim inconsulto Principe L. 2. 44. C. eod. tit. cit, alioquin Judex jam privatus ea reparare cogebatur.

(113) Cujus ad nos variæ epistolæ pervenere. Tenax falsorum numinum cultûs, ob idque à Theodosio relegatus extra trecentesimum lapidem; sed scripto ad Theodos. Apologetico restitutus fuit, & ad Consulatum evectus, teste Socrate l. 5. 14. Vide de hoc Symmachi Consulatu Prudentium adv. Symm. lib. 1.

(114) Ita Theodoretus l. 5. c. 17. addens, quæ Ambrosius Rufino Thessalonicensis cædis dixit instigatori: *Videris*, inquit, *mihi, Rufine, canum impudentiam imitari: nam tametsi tuo suasu tam crudelis facta est cædes, tu tamen ita perfricuisti os, ut nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginem Dei insanivisse*.

(115) Locus, in quo Episcopi sedebant Sacra peracturi, & Fidelium salutationes excipiebant, qui se illorum precibus commendabant; unde, fidelibus dimissis, sacris induti vestibus ad altare procedebant. Meminit D. Gregor. M. l. 4. ep. 54. usum Pallii describens Mariano Archiepisc. Ravennæ. Sever. Sulp. l. 2. Dialog. 1. Gregor. Turon. l. 2. Hist. Franc. 21., & alibi.

Digitized by Google

Galliam, Theodosius in Græciam se recepit. (116) Ceterum Thessalonicam progressus, magnum in Macedonia tumultum offendit, quotquot enim barbari intra paludes, & proximas sylvas abditi ex priore Romanorum expeditione salvi evaserant, Italicis Theodosii occupationibus excitati, Macedoniam, Thessaliamque effuse, nullo resistente, populabantur. Theodosio vero Thessalonicam regresso, in loca se abdita contulerant, atque illucescente die erumpentes, proxima omnia loca infesta habebant, & se statim in tutum referebant, ita ut unde id mali manaret, non appareret: itaque, re ad disquisitionem consilii revocata, ipse cum equitibus ad ea loca explorandi causa processit, cum autem in domum anus cujusdam pernoctandi gratia divertisset, ibi barbarum exploratorem reperit, quem captum tormentis admotis omnia sibi barbarorum consilia, atque acta referre coëgit. Itaque, adducto inde ad ea loca, quæ ille indicarat, exercitu, omnes prope primo adventu oppressit. Qui superstites fuerunt, cum exercitum Theodosii labore fatigatum, & curatis corporibus somno mersum animadvertissent, impetum in illum fecerunt, quin etiam ipsum Imperatorem oppressissent, nisi quidam, qui nondum cibum ceperant, cursu ad tentorium capto, periculi imminentis admonuissent; qua re cognita, omnes fuga salutem sibi petere contenderunt. Promotus autem, jussu Theodosii, barbaris se objecit, ac tantam eorum stragem edidit, ut paucos incolumes reliquerit, qui se rursus paludibus abdiderunt. Theodosius inde Constantinopolim profectus, IV. Idus Novembris urbem cum filio iniit, ut Socrates scripsit, ac varia spectacula edidit, & Rufinum multis honoribus extulit, in primis vero cum Arcadio Augusto filio in insequentem annum Consulem declaravit, licet Promoti nece vulgo infamem, (117) quem jussu Theodosii in Thraciam contendentem per barbaros quosdam in insidiis constitutos dicebatur in-
392 terfecisse. Qua impunitate elatus, postea in Consulatu Tatiano Præfecto Prætorii, (118) & Proculo Præfecto urbis judicium intulit, atque illi Præfecturam, huic vitam judicum sententiis abstulit. (119) In Gallia Valentinianus certior factus, barbaros Italiæ finibus imminere, de Italiæ quiete solicitus, Gallico otio relicto, ad eam redire, & sese periculis omnibus objicere statuit, atque ita Viennam accessit, ut inde ad Alpes, expeditis belli consiliis, properaret. Erat apud ipsum Arbogastes Comes, & Magister militum. (120) Hic secundum à Bautone duce locum à Gratiano Augusto consequutus, post excessum ejus primas sibi injussu Valentiniani asciverat, ac favore militum, quod rei bellicæ gnarus, fortis, & pecuniæ contemptor esset, magnas opes adeptus, libertatem in Valentinianum immodicam exercebat, ita ut quæ ipse non probaret, etiam si recta essent, omnino fieri prohiberet. Nec Valentinianus, licet hoc iniquo animo patiens, remedium inire idoneum poterat, quod ille militum benevolentia septus erat. Itaque cum illo de trajectione in Italiam adversus barbaros colloquutus, ac voluntati suæ reluctantem nactus, iram usque adeo non tenuit, ut, educto ense, illum percutere nisus sit, sed à familiari, extorto è manibus gladio, prohibitus, ipsum verbis asperioribus objurgavit: inquirenti inde, cur tam acerbe sæviret, allaturum sibi manus respondit, si, cum esset Imperator, voluntati obsequi suæ non posset, &c., ut addit Zosimus, cum quodam die augusto in solio assideret, torvis oculis advenientem aspiciens, libellum, quo ei potestatem abrogabat, porrexit, quo lecto, Arbogastes accensus: Nec potestatem mihi, inquit, dedisti, neque eripies. Hac de causa capitalibus subortis inimicitiis, Arbogastes illum Viennæ prope habuit in obsidione, nam primum obsequiis omnibus Regiis nudavit, ac pene infra privati modum redegit, & rei militaris curam Francis satellitibus tradidit, & civilia officia adversus eum solicitavit, ita ut pauci relicti essent, qui familiari ejus sermoni, aut jussis obtemperare auderent. Quod ubi sensit Valentinianus, literas ad Theodosium misit, obsecrans, ut sibi auxilio esset, simulque jurejurando affirmans, se,

nisi

(116) Scribit Socrates Theod. cum Honorio filio suo his Coss. Constantinopolim rediisse, eamque urbem ingressum die IV. Id. Novemb. l. 5. 18. Idem & Marcellin. in Chronic. Quæ autem in Macedonia antea gesta rit, A. N. ex Zosimi l. 4. 48. delumpsit.

(117) Erat tunc Rufinus (natione Celta) Palatinorum ordinum Magister, Theodosio acceptissimus, quod Promoto satis molestum erat; cumque Rufinus quædam in Promotum jactasset, hic ægre ferens alapam impegit; quam injuriam Rufinus apud Imperatorem conquestus obtinuit, ut alio extra aulam Promotus ablegaretur, eo nomine, ut in re bellica milites exerceret: sed eumdem in Thraciam proficiscentem a barbaris per insidias trucidari Rufinus ipse mandavit, *Virum, qui & opes contempserat, & erga Rempublicam, ipsosque Principes sincere se gesserat*. Zosim. l. 4. 51. ubi cædes Promoti fuse narratur. Rufinus Consul processit cum Arcadio Augusto II., ann. namque 385. Arcadius primum inierat Consulatum cum Bautone, ut vel ipse A. N. eod. ann. testatur.

(118) Nil commeruerant Tatianus, ejusque filius Proculus, teste Zosim. l. 4. 52, *quam quod Præfecturas gerentes, ille Prætorianam, hic urbanam, eas incorruptissime à muneribus, & quammaxime fieri posset, ex officii ratione administraverant*. Tatianus in patria exulare jussus fuit, in Lycia nempe, cui pristinos honores, & famam restituendos edixit Arcadius l. 9. de Indulgent. Crimin. Codic. Theod., quos ob falsa crimina Tatiani amiserant Lycii. Vide hanc L. latam Arcad. Aug. IV., & Honorio Aug. III. Coss. ann. D. 396. Sed fortasse divino judicio infausta hæc evenere Tatiano, qui Præfectus Ægypti Athanasium persecutus, Christianos afflixit. L. Rufin. l. 10. 2, ubi de Valente Imperat. loquitur, dicens: *Episcopos egit in exilium, & Presbyteros, ac Diaconos, & Monachos, Tatiano Alexandriæ Præsidente, usque ad tormenta deduxit, & ignibus tradidit*.

(119) Damnatus Proculus malis Rufini artibus ad Suburbium ductus fuit, quo Imperator misit, morte ut liberaretur: sed qui missus, *Rufini mandato parens, tardius abiit, eumque prævenit capitis amputatio*. Zosim. l. 4. 52. pluribus hæc enarrans. Item Claudian. l. 1. in Rufin. Asterius Homilia in festum Calendarum, pag. 600. Auctor Fastorum Siculorum &c.

(120) *Oriundus ex Gente Francorum*, juxta Zosim. l. 4. 53., *fretus industria sua citra Principis auctoritatem magisterium militum in se transtulerat*. Francum fuisse confirmat Suidas verb. Arbogastes, & S. Paulin. in Vit. S. Ambros.

nisi ab eo adjuvaretur, primo quoque tempore ad illum advolaturum. Ceterum, cum barbarorum adventus in Italiam timeretur, Ambrosius Episcopus ab Honoratis civitatis rogatus, ut legatus ad Valentinianum proficiscens, (121) illum in Italiam invitaret, se iturum promisit, sed postridie, acceptis literis, mansiones instrui, ornamentaque invehi, quæ proximum Imperatoris adventum significabant, Honoratorum voluntate substitit. Cum autem rumor subito Viennam pertulisset, Ambrosium invitandi Regis ad Italiam gratia Viennam esse venturum, Valentinianus lætitia ingenti elatus est, quod videbat, adventum ejus rebus suis opportunissimum esse futurum. Cunctante inde Ambrosio, literas ad eum magna celeritate perferendas curavit, rogans, ut sine mora ad se contenderet, non ut interesset synodo Gallorum, sed ut in ipsa egressione se sanctæ ablutionis sacramento initiaret. Atqui magnam ille spem saluris suæ in Ambrosii moderatione, ac sapientia collocarat, confidens fore, ut oratione sua Arbogastem sibi placaret, atque ad saniora consilia revocaret. Itaque, literis lectis, Ambrosius statim iter ingressus est; verum, cum juga alpium superasset, ipsum interfectum fuisse accepit. Ceterum Arbogastes illi hoc modo vitam eripuit. Imperio spe devorato, eunuchos Valentiniani cubicularios majoris promissione mercedis atque honoris in ejus perniciem incitavit. Ita illi ab ipso edocti, cum Valentinianum aut dormientem, ut quidam scripserunt, aut certe solum, & inermem, dum ludicrum militare intentus è fenestra spectaret, nacti comprehenderunt, ac, nemine alio ex ministris aulæ præsente, illisis faucibus, strangularunt, (122) & ne, inquisitione facta, deprehendi possent, velo gulæ alligato, quasi semet ea morte multasset, sublimem suspenderunt. Epiphanius Episcopus Salaminius ipsum in Palatio suffocatum inventum esse scribit Idibus Maji (123) pridie Pentecostes, ac postridie sepulturæ mandatum. Is annum tantum vicesimum erat natus (124), juvenis vel ipsius Ambrosii testimonio omnibus tum corporis, tum animi bonis ad Imperii magnitudinem sustinendam instructus ita, ut etiam in omni genere virtutis paternas laudes videretur esse superaturus. Hoc scelere perpetrato, Arbogastes Imperium sibi asciscere propter barbariem, impietatemque non ausus, ad alterum transtulit. Erat in castris Eugenius quidam homo paganus, qui ludum primum litterarum habuerat, deinde stipendia in aula meruerat, inde scriba, & quæstor factus, Magistri dignitatem ab imperatore fuerat consequutus. Ad hunc igitur, quem participem consiliorum de nece Valentiniani habuerat, Arbogastes Imperium detulit. Zosimus (125) ipsum ab Arbogaste compulsum, alii vero a Flaviano Præfecto urbis prospera omnia eventura ex ariolorum prædictione pollicito, evectum prodiderunt.

## EUGENIUS IMPER.

Eugenius (126) igitur ab Arbogaste Augusti dignitate ornatus, ad illius arbitrium omnia administrans, statim ad firmandas opes ingentem exercitom partim ex Romanis, partim ex Gallis conflavit, & Galliam in deditionem adduxit. Hæc in Italiam, & in Orientem nunciata, mirifice omnium animos, ac pectora vulnerarunt. In primis vero Theodosius doluit, ubi se consortem Imperii ætate florentem, atque affinitate conjunctum amisisse, atque Imperium ad alienos, eosque indignissimos recidisse audivit, cujus luctum Galla uxor assidua comploratione accendit. Cadaver Valentiniani à sororibus ejus mercede redemtum, ac Mediolanum, ut sepulturæ mandaretur, translatum est, sic enim scripsit D. Hie-

(121) Hujus legationis meminit Ambrosius orat. in funere Valentin., ubi & ejusdem Imperatoris desiderium commendat baptismatis suscipiendi.

(122) Valentinianum ab Argobaste occisum, prodidit Zosim. l. 4. 54., inflicto lethali vulnere, *ludicra cum quibusdam militibus exercentem prope muros Viennæ Galliæ*. *In Palatio strangulatum tradidit inventum*. Epiphanius in libello de mensuris, & ponderibus, ubi characteres temporis, quo occisus Valentin., diligentissimè notat; ait enim: *Quibus Coss.* (Arcad. nempe II., & Rufino) *mortuus est Valentinianus junior, Valentiniani Magni filius: qui subinde, uti ferunt, præfocatus in Palatio repertus est, Idibus Maji, pridie Pentecostes, die Sabbati, ipso vero die Pentecostes elatus est. Erat tum apud Ægyptios mensis Pachon dies vicesima prima: juxta Græcos Arthemisii mensis tertia & vicesima: secundum Romanos decimo septimo Kal. Junius*. Sozom. l. 7. 22 spontaneo laqueo periisse affirmat, fortasse quod cubicularii ipsi levi fama sparserunt. V. Rufin. quoque l. 2. 31.

(123) Insignis hic est Epiphanii locus *l. de mensuris, & ponderibus*, cui consonat Prosper in Chron., his Coss. unde emendandus Marcellinus in Chron. male editus, *Idibus Martiis*, & referens ad annum præcedent. Valentiniani obitum.

(124) Quadrimum fuisse Valentinianum, quando suscepit Imperium, testis est Ammian. l. 30. c. ult., & Zosimus, l. 4. 19. in fin. vix quintum ætatis ann. attingentem. V. quæ superius ad ann. 375. ad fin. l. 7. sunt dicta. Certe sibi non constat A. N. qui ad præfatum ann. scripsit, Valentinianum *decennem* Augustum renunciatum: modo autem narrat mortuum anno ætatis vigesimo. Sed prior locus corrigendus ex Ammiano, a quo parum differt Zosim., & Philostorg. l. 11. c. 16., & ætat. annus vigesimus retinendus juxta Nicephorum l. 12 38., cui consonat locus Ambros. orat. funeb Valentin II. ubi illum tradit an. XVI. Regni sui obiisse, utrumque annum extremum incompletum pro integro numerans, more Antiquis usitato. Laudes Valentiniani I. apud Ambros. in orat. fun. cit., & in epist. ad Theodos.

(125) L. sc. 4. 54. id narrat., Sozomen. vero ait: *inductus quorundam verbis, qui se futura prædicturos pollicebantur & victimarum immolatione, & viscerum inspectione, & observatione syderum. Harum verum studiosi tunc erant, tum alii multi apud Romanos in dignitate constituti viri, tum etiam Flavianus tunc temporis Præfectus, vir eximius, & in rebus politicis prudens habitus, quique insuper ex omnis generis divinationis scientia exacte præscire futura credebatur.* Ad hunc Flavian. extant complures Symmachi epistolæ, quibus clare intelligitur, illum Idololatriæ fuisse addictissimum.

(126) Non ie, qui Procopio tyrannidem exercenti præsto fuit adversus Valentem; Zosimus namque illius meminit l. 4., eumque ab eo, qui occiso Valentiniano imperavit, alium fuisse, non obscure declarat, quem in aula versatum, Richomeri Duci familiaritate conjunctum, ejusque commendatione ab Arbogaste Amicum adscitum, tradit. L. Sozom. l. 7. 22.

Digitized by Google

Hieronymus epistola tertia : *Adolescens Valentinianus, ac pene puer post fugam, post exilia, post recuperatum multo sanguine Imperium haud procul ab urbe fraternæ mortis conscia necatus est, & cadaver exanime stipendio infamatum*. Quo cognito, Theodosius litteras ad Ambrosium misit, rogans, ut sepeliendum curaret, ad quas Ambrosius ita rescripsit: (127) *Doleo vehementer, non solum, quod immatura morte Valentinianus A. decesserit, sed etiam, quod informatus fide, ac tuis institutis tantam devotionem erga Deum nostrum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu, ut quem ante persequebatur, nunc diligeret, quem ante ut adversarium repellebat, nunc ut parentem putaret. Quod ego non recordatione injuriæ veteris exprompsi, sed pro testimonio conversionis, illud enim alienum, hoc suum, quod alte infusum sibi ita tenuit, ut matris persuasionem excluderet, ille se à me nutritum præ se ferebat, me ut sedulum patrem desiderabat, ille simulato à quibusdam adventus mei nuncio, impatienter præstolabatur. Quin etiam illis ipsis publici doloris diebus, cum sanctos, & summos Sacerdotes Domini intra Gallias haberet, ut à me tamen Sacramentis Baptismatis initiaretur, scribendum arbitratus est. Quod etiam si non rationabiliter, amabiliter tamen suum erga me studium testificatus est. Hunc ego non doleam, ævi integrum, antequam Sacramentorum, quæ desideravit, adipisceretur gratiam, repentina morte obiisse? Refrigerasti animum, quod etiam ipse dignatus es ferre testimonium dolori. Nunc de sepultura ejus quoniam scripsit clementia tua, ita hic procurandum, sed exors excessit Baptismatis, quid cognoverim, non repressi. Est hic prophyreticum labrum pulcherrimum, & in usus hujusmodi aptissimum. Nam & Maximianus Diocletiani socius ita humatus est, sunt tabulæ porphyreticæ pretiosissimæ, quibus vestiebatur operculum, quo regales exuviæ claudantur. Hoc fuerat præparatum, sed expectabatur rescriptum clementiæ tuæ, cujus perceptione recreatæ sunt sanctæ filiæ tuæ, filii tui Valentiniani sorores, quæ se gravibus afficiunt modis, & amplius exagitabantur, quod nihil scriberetur sibi. Unde iis non parum accessit solatii, sed dum inhumatæ sunt reliquiæ, nequaquam sibi parcunt, videntur enim sibi germani sui funus quotidianum videre. Et re vera, cum sine fletu magno, ac sine dolore gravi nunquam sint, tamen quotiescunque eò accedunt, exangues revertuntur. Et ipsis igitur consuletur, & carissimis exuviis, si acceleretur sepultura, ne æstivo penitus solvantur calore, vix enim superiorem æstatem transegimus*. Ex voluntate igitur Theodosii funus celebratum, & cadaver Mediolani sepulturæ mandatum est. Justis solutis, Ambrosius laudationem scripsit, quam postea quoque edidit, in qua inter alia hæc posuit : *Conversi sunt dies nobis votorum nostrorum in lacrymas, si quidem Valentinianus nobis, sed non talis, qualis sperabatur, advenit. Et iste quidem vel morte sua voluit adimplere promissum, sed nobis acerbissima facta est ejus, quæ exoptabatur, præsentia. Utinam adhuc nobis abesses, ut sibi viveret! sed ille non passus, cum audiret alpes Italiæ hoste infestari barbaro, maluit periclitari se, si Gallias derelinqueret, quam nostro deesse periculo. Magnum discrimen agnoscimus Imperatoris, quod Romano subvenire voluit Imperio. Hæc causa mortis, quæ plena laudis. Solvamus bono principi stipendiarias lacrymas, quia ille nobis solvit etiam mortis suæ stipendium. Nec tamen flendi admonitio necessaria. Flent omnes, flent & ignoti, flent & timentes, flent & inviti, flent & barbari, flent & qui videbantur inimici. Quantos ille de Gallis usque huc totius tractu itineris populorum egit gemitus? omnes enim non tanquam Imperatorem sibi, sed tanquam parentem publicum obiisse domestico fletu doloris illacrymant, suaque omnes funera dolent. Amisimus enim Imperatorem, in quo duo pariter acerbant dolorem, annorum immaturitas, & Consiliorum senectus. Audite omnes populi, & videte dolorem meum, Virgines meæ, & juvenes mei abierunt in captivitatem, sed cognito, quod ex Valentiniani essent partibus, liberi reverterunt. Militavis hostis barbarus Imperatori adolescenti, & suæ oblitus victoriæ, memor fuit Imperialis reverentiæ. Laxavit sponte quos ceperat, excusans, quod ignorasset Italos. Nos adhuc murum Alpibus addere parabamus. Valentiniani gratia non expectavit Alpium vallum, fluenta amnium, aggeres nivium, sed Alpes & fluvios supergressa, muro nos sui Imperii protexit. Valentinianus errorem juventutis ante correxit, quam disceret, esse lapsum alicujus erroris. Ferebatur primo ludis Circensibus delectari, sic istud abstersit, ut ne solemnibus quidem principum natalibus, vel Imperialis honoris gratia Circenses putaret esse celebrandos. Ajebant aliqui, ferarum eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci, omnes feras uno momento jussit interfici. Jactabant invidi, quod præmature prandium peteret, cœpit ita frequentare jejunium, ut plerunque ipse impransus convivium solemne suis Comitibus exhiberet, quo & religioni sacræ satisfaceret, & principis humanitati. Scenicæ cujusdam forma, ac decore deperire Romæ adolescentes nobiles nunciabantur, jussit eam ad comitatum venire: Missus pretio depravatus sine mandati effectu rediit, alterum misit, ne voluisse emendare vitia adolescentum, & non potuisse videretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus, deductam tamen nunquam aut spectavit, aut vidit, postea redire præcepit, ut & omnes agnoscerent, irritum ejus non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse, qui potuit habere in potestate, despexeras. Et hæc fecit, cum adhuc non haberet uxorem, & tamen exhiberet suis tanquam vinctus conjugio castitatem. Quis tam dominus servi, quam ille corporis, fuit? quis tam aliorum arbiter, quam ille suæ censor ætatis? Quid de pietate ejus loquar? qui cum homines nobili ortos genere, & locupleti prosapia, quæ cito movere solet invidiam regiæ cupiditatis, accusator urgeret, præfectus insisteret, respondit, ut nihil cruentum sanctis præsertim diebus statueretur. O juvenis optime, utinam te viventem invenire potuissem, utinam te dilatio aliqua meo reservasset adventui! quanta ego cura inter te, & comitem tuum, quanta sedulitate concordiam, & gratiam refudissem? quam me ipsum pro tua obtulissem fide, quam in me ipsum eos recepissem, quibus ille se timere dicebat? Ceterum, si Comes non esset inflexus, tecum remansissem. Nunc quid habeo, quod melius faciam, quam,*

(127) Est epist. 34., alias 57. ejusdem S. D. v. orat. in fun. Valentiniani.

*quam, ut tibi lacrymas pro tanto tuo in me affectu rependam? Ego te suscepi parvulum, cum legatus ad hostem tuum pergerem, ego Justinæ maternis traditum manibus amplexus sum, ego tuus iterum legatus repetivi Gallias, & mihi dulce illud officium fuit pro salute tua primo, deinde pro pace, atque pietate, qua fraternas reliquias postulabas, nondum pro te securus, & jam pro fraternæ sepulturæ honore solicitus.* Multa alia in hanc sententiam addit, quæ longa sunt ad repetendum, & ipsa omnibus est in promptu oratio. Dum hæc Mediolani aguntur, Theodosius Constantinopoli easdem curas, quibus, occiso Gratiano, jactatus fuerat, secum volutare animo cœpit. Fuere, inquit Rufinus, (128) nonnulli Sacerdotes, qui pacis ab Arbogaste legatione suscepta, immunem esse Arbogastem à nece Valentiniani apud Theodosium affirmarint. Theodosius autem, belli consilio nondum expedito, legatum Eugenii Rufinum Atheniensem (129) ad se missum, ut animum exploraret, rogaretque, num se æquo animo imperare passurus esset, incerto, ac perplexo responso dimisit. Extremo anno Arbogastes, quietam obtinens Galliam, Sunonem, & Mareomerem subregulos Francorum odio avito insectans, Agrippinam, jam sæviente hyeme, petiit, ratus tum omnes Franciæ recessus penetrari posse, cum decussis foliis nudæ, atque aridæ sylvæ occulere insidiatores non possent: inde cum exercitu transgressus Rhenum, Bructeros ripæ proximos, (130) & pagum Aëtiam, quem Chamavi incolunt, (131) populatus est, nemine usquam occurrente, nisi quod pauci ex Ampsivariis, (132) & Chattis, Marcomere duce, in ulterioribus collium jugis se ostendêre.
**393** Postero anno, quo Theodosius III. Consul cum Abundantio fuit, Eugenium impetus cepit Italiam occupandi, parum memor, quinam Maximum idem tentantem excepisset eventus: verum cum Flavianus, homo vaticiniis Gentilium deditus spe victoriæ certæ inflarat; prius tamen Germanos novis sibi fœderibus obligandos ratus, ne, se ex Galliis profecto, Rheni limitem hostiliter incursarent, ad flumen progressus, ingentes, quas Italiæ causa paraverat, copias Francorum, atque Alemanorum gentibus ostentavit, atque ita eos ad vetera redintegranda fœdera perpulit. Tum vero in convivio Arbogastes à Regibus Francis rogatus, num Episcopum Ambrosium nosset: *Novi*, inquit, *atque ei carus sum*, cui illi: *In hoc profecto vincis omnes, quod ab illo viro diligeris, qui dicit Soli: Consiste, & consistit*. (133) Germania pacata, Eugenius in Italiam cum Arbogaste transgressus est. Qua re accepta, Ambrosius Episcopus urbem Mediolani reliquit, & sese Bononiam contulit, ea re maxime perturbatus, quod, Eugenium acceperat, (134) Flaviano urbis Præfecto, & Arbogaste Comite contendente, permisisse, ut ara Victoriæ, & sumptus cœremoniarum repeteretur, quod ne fieret, sua auctoritate Valentinianus vetuerat. Bononiæ vero cum esset, divino monitu corpora Sanctorum Martyrum Vitalis, & Agricolæ tum civitati incognita in solo Judæorum jacentia reperit, eaque cum magna populi gratulatione in ædem S. Stephani, quæ nunc etiam visitur, transtulit. Discedens inde Bononia Faventiam, atque inde Florentiam à civibus invitatus, perrexit, atque ibi partem sacrarum, quas Bononia eruerat, Reliquiarum repofuit, Basilica ipsis Martyribus consecrata, (135) & puerum mortuum in vitam restituit. Interim vero Eugenius cum Arbogaste, & Flaviano Mediolanum inivit, quo facto reliqua inde Italia sese illius potestati permisit. Eodem anno Theodosius Constantinopoli IV. Idus Januarii Honorium filium, eodem modo, quo ante Arcadium, appellavit Augustum, & consortem una cum Arcadio Imperii Orientalis accepit. (136) Ea res ita celebrari (ut ante diximus) assuevit, ut milites acclamantes Imperatorem in scutum levarent, & per castra circumferrent. Quod tum factum scribit Claudianus, Honorium alloquens:

*Nec dilatus honor, mutatur Principe Cæsar.*
*Protinus æquaris fratri, nec certius unquam*
*Hortati superi, nullis præsentior æther*
*Affuit ominibus, tenebris involverat atris*
*Lumen hyems, densosq; nothus collegerat imbres.*
*Sed, cum mox solita miles te voce levasset,*
*Nubila dissolvit Phœbus, pariterque dabantur*
*Sceptra tibi, mundoque dies caligine liber.*

Post hæc certior factus, Eugenium, superatis Alpibus, una cum Arbogaste in Italiam transcendisse, atque, terrore omnibus incusso, ad deditionem adegisse, haudquaquam sibi dubitandum putavit, quin serpenti incendio occurreret, atque una, & Va-

(128) Lib. 2. 31.

(129) Hic tamen *nec litteras Arbogastis secum attulit, nec ullam aliam mentionem illius fecit*, teste Zosim. l. 4. 55. in fin.

(130) Strabo l. 7. post initium, & Ptolomæus l. II. XI. Bructeros Majores, & Minores distinguunt, hi ad Rhenum in limite; Majores verò ad caput Luppiæ versus, & saltum Teutoburgicum. Bructeros commemorat Tacit. Germ. 33., & alibi. Posteriori autem ævo Eumenius c. 12. in Panegyr. Constantino dicto. Nazarius ad eumdem. Claudian. IV. Consul. Honor v. 450.

. . . . . . . . . . *venit accola silvæ*
*Bructerus Hercinia*.

(131) Ptolomæo sunt Χαῖμαι, Chæmæ. Hi Septemtrionem versus, proxime Chaucos, habitarunt, ut ostendit Cellar. Geograph. antiq. l. 2. 5. pag. 470. eorumque meminit Tacit. l. 13. 55., & Germ. 33.

(132) Ansibarii, sive Ansivarii dicti, qui, teste Tacito l. 13. 55., à Chaucis finitimis suis pulsi, campos sitos supra Frisios, in austrum versus, à Romano duce obtinere non potuerunt: confugêre ad Tencteros, Bructerosque, à quibus deserti, Usipios, & Tubantes adeuntes, rejecti fuere, ad Cattos, & Cheruscos tandem venere.

(133) Narrat hæc Paulinus in Vit. S. Ambros.

(134) V. Paulin. l. c., & Epist. Ambros. 15. ad Eugenium, qua causam ei significavit, cur ipso non expectato, Mediolano recesserit, & tyrannum reprehendit ob sumptum erogatum Gentilium sacrificiis.

(135) Quam Juliana clarissima fœmina erexerat, referente Paulino in V. S. Ambros.

(136) Ita Socrat. l. 5. 24., Prosper, & Marcellin. in Chron., cum autem hi duo scribant inauguratum Honorium, cum *hora tertia* tenebræ factæ sunt, ansam præbuere Petavio l. 13. de Doctr. Tempor. existimandi, Socratem hallucinatum, remque gestam mense Novembri, cujus die vigesim., feria prima, solis eclypsis accidit. Sed Prosper, & Marcellinus id unum exprimere voluerunt, solem scilicet defecisse eo anno, quo Honorius Augustus appellatus, non quidem eadie, ut Petavio placuit, & Hermannio in V. Sanct. Ambros.

Valentiniani mortem, & servitutem Italiæ vindicaret. Ceterum de eventu belli sollicitus, quod Eugenius omnibus rebus necessariis dicebatur esse paratissimus, primum sibi divinam, (137) deinde humanam exposcendam opem existimavit. Itaque jejuniis, vigiliisque perfunctus, cum Sacerdotibus, & Populo Templa omnia supplicabundus obivit, atque ante Martyrum, Apostolorumque sepulchra cilicio indutus procubuit, ac fida Sanctorum præsidia imploravit. Quin etiam Joannem Monachum (138) in Thebaide vaticinii laude florentem sibi consulendum putavit, cujus responsa proximo Maximi bello vera fuisse cognoverat, atque Eutropium eunuchum (139) in Ægyptum misit, ut aut virum sanctum ad se adduceret, aut de belli, quod animo moliebatur, eventu consuleret. Joannes autem, cum venire abnuisset, voce oraculum edidit, ac victoriam illum relaturum, verum non incruentam, respondit. Qua voce Theodosius excitatus, alacri inde, atque erecto animo sese ad humana & pecuniarum, & virorum, equorumque præsidia comparanda convertit. Cum autem propterea Antiochiæ tributa acerbius à Præfectis exigerentur, (140) populus usque eo furore provectus est, ut, concitata seditione, statuas Imperatoris dejecerit, atque una ipsum probris, ac maledictis incesserit. Quare vix ab eo irato, atque infenso Flaviani Episcopi precibus veniam, cum supplex, atque ad pedes prostratus petisset, obtinuit. Interim Romæ Flavianus Præfectus urbis, qui magnam veteris auguralis scientiæ inter suos habebat opinionem, auctor erat Romanis, ut sacrificia instaurarent, victimas cæderent, exta pecudum inspicerent, quibus non tam Deos propitiarent, quam futuri belli eventum perciperent; Eugenio autem gloriosissimam victoriam, & Christianæ religionis
394 ruinam temere promittebat. Arcadio inde III., & Honorio II. Augustis Consulibus, Theodosius omnes gentes, quibus expeditionem indixerat, convenire Constantinopolim jussit, inter quas ingentes Gotthorum, Alanorum, & Hunnorum catervæ erant: ac duces eis præposuit, Romanis quidem copiis Timasium, & Stilichonem, hominem Vandalum, qui Serenam fratris sui filiam habebat in matrimonio; barbaris vero Gainem, Saulem, & Bacurium. (141) Inter Gotthos, qui ordinas sub eo duxerunt, insignis Alaricus fuit, is, qui postea urbem Romam cepit, & primus barbaros ad Italiam pervastandam invexit. Inde, amissa ex partu uxore Galla, Rufino, qui filios, atque aulam moderaretur, in urbe relicto, Constatinopoli exiit, (142) atque in Templo ad Septimum votis D. Joanni Baptistæ factis, ut ea expeditio bene, ac feliciter sibi, ac Reipublicæ eveniret, in Pannoniam iter intendit. Hac re cognita, Eugenius Theodosio sibi potius in vestibulo Italiæ occurrendum, quam in penetralibus excipiendum putavit. Itaque, cum adhuc ille in itinere esset, una cum Arbogaste, & Flaviano Mediolano egressus est, jurejurando affirmans, se, victoria parta, stabulum in Basilica Mediolanensi facturum, & sub armis Clericos probaturum. (143) Quod ut Ambrosius audiit, extemplo è Tuscia Mediolanum revertit, spe sua in Deo defixa, nequaquam permissurum, ut credentem in se hominibus impiis traderet. Eugenius Aquilejam progressus, castra posuit in campo ad fluvium nomine Frigidum, (144) qui ab ea triginta millibus passuum distat, ac Juliarum Alpium angustias, per quas tritus est in Italiam transitus, valido præsidio sepsit. Theodosius autem, peragrata Pannonia, ad Julias Alpes provectus, præsidio ex saltu dejecto, & Flaviano, cum evadere potuisset, extincto, fauces ipsas contra opinionem hostium occupavit, (145) ac, superato sine labore jugo, sese in Campos VII. Idus Septembris demisit, atque extemplo pugnæ copiam fecit: ardentibus ex utraque parte pugnandi cupiditate militibus sine mora instructæ acies, prœliumque commissum est, cum Eugenius vexillum Her-

(137) Rufin. l. 2. 32. Ita habet: *Igitur præparatur ad bellum non tam armorum, telorumque, quam jejuniorum, orationumque subsidiis: nec tam excubiarum vigiliis, quam obsecrationum pernoctatione munitus circuibat cum Sacerdotibus, ac populo omnia orationum loca, ante Martyrum, & Apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, & auxilium sibi fida Sanctorum intercessione poscebat.*

(138) V. Ruf. l. c., Sozomen. l. 7. 22., Evagrium Vit. SS. Patr. c. 1., qui addit, Joannem & victoriam, & obitum Theodosii, ea obtenta, prædixisse, referente etiam Theodoreto l. 5. 24.

(139) Qui sub Arcadio post Rufinum rexit Imperium, ut inquit Sozomen. l. 7. 22.

(140) Seditio Antiochena, in qua Theodosii, filiorum, ac Placillæ uxoris jam demortuæ, statuæ dejectæ sunt, ad ann. 387. revocanda. Mota namque seditio, quo tempore expeditio in Maximum parabatur, teste Zosimo l. 4. 45. init. hinc Ambrosius epist. ad Theodos. 17 eo tempore scripta, quo is Imper. Maximum expugnavit, indulgentiam Antiochenis concessam memorat: qua de re perperam Theodoret. l. 5. 20., & Sozomen. l. 7. 25. tumultus Antiochenos referunt ad tempus, quo Theodosius in Italiam adversus Eugenium tyrannum advenit, quibus A. N. adhæsit. Neque statuæ Imperatoris tantum, sed & Placillæ Aug. dejectæ, cujus simulacrum per urbem cum ludibrio pertractum idem Theodoret. testatur, idque ex oratione Flaviani coram Theodosio habita patet. L. Chrysost. ad pop. homil. 20., ubi Flaviani Antiochen. Epist. legationem, & orat. cum Theodosii responso accurate refert.

(141) Hic *oriundus ex Armenia, vir omnis expers improbitatis, & rebus præterea bellicis exercitus.* Zosim. l. 4. 57. Iberum fuisse tradit Rufin. l. 2. 10., & l. 2. 33. Tunc erat Domesticorum Comes apud Theodosium.

(142) Non audiendus Zosim. l. 4. 58. nec Marcellin. in Chron., qui ajunt, Theodosium secum Honorium duxisse; uterque enim filius C. P. relictus ex Claudian. in III. Consul. Honorii, cui adstipulatur Rufin. l. II. c. ult.

(143) Irarum Eugenii causa erat, primò odium in Christianam Religionem; præterea, ut Paulin. in V. S. Ambros., *Quia munera Imperatoris Eugenii, qui se sacrilegis commiscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur.* His accedebant stimuli Arbogastis, & præsertim Flaviani Præfecti studium pro cultu Deorum.

(144) *Γίνεται συμβολὴ περὶ τὸν ποταμὸν τὸν καλούμενον Φρίγιδον: prælium committitur ad fluvium Frigidum vocatum.* Socrat. l. 5. 25., Claudian. III. Consul Honorii v. 99. infra ab A. N. recit.

*Alpinæ rubuere nives, & Frigidus amnis*
*Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum*
*Staret, ni rapidus juvisset flumina sanguis.*

(145) Ita Zosim. l. 4. 58. *Alpium aditu præter omnem spem potitus ad hostes accessit, inopinato adventu Eugenio territo.* Eadem habet Rufin. l. 2. 33.

Herculis, Theodosius vero Christi inferret: (146) Ceterum, cum duo aciei cornua Theodosius effecisset, atque in uno Romanas legiones, in altero barbarorum auxilia collocasset, factum est, ut Romani cum Romanis ancipiti certamine depugnarent, barbari vero loco moti ab Eugenianis fœdissima strage conciderentur. Quod ut Theodosius sensit, veritus, ne simul à nonnullis, quos in monte à tergo collocatos animadvertit, durissimo suo tempore premeretur, protinus ante aciem solus, ut omnes videre, atque audire possent, in terram projectus supplex Dei auxilium invocavit: (147) *Adesto mihi Domine*, inquiens, *ne quando gentes dicant, ubi est Theodosii Deus?* Quo voto perfecto, multiplex subito Dei subsidium se ostendit, nam duces exercitus, qui montem insederant, nuncium ad eum miserunt, pollicentes, se transituros, si sibi venia, atque honos apud illum esset, quam conditionem ille accepit, &, ut in tanto tumultu potuit, sacramento firmavit: ita omnes sese ad Theodosium contulerunt. (148) Bacurius vero, qui barbaris præerat, collecto animo, prœlium instauravit, ac tanta mole se in hostes incitavit, ut magna ex parte aut in fugam dederit, aut occidione occiderit. Fervebat tamen adhuc in ceteris partibus utrinque pugna, atque Eugenius victoriæ certus, suos interequitans ad constantiam hortabatur, illud identidem usurpans, se pro certo habere, Theodosium mox desperatione rerum sibi manus allaturum, monere autem, ne illum occiderent, sed vivum ad se perducerent. Tum vero ventus sævissimus ortus, qualem nunquam ante spirasse constabat, (149) in ora hostium tanto impetu irruit, ut ordines eorum turbarit. In quo illud fuit mirabile visu, quod tela, & sagittæ, quæ contra Theodosianos emittebantur, in eos, qui miserant, à vento rejiciebantur, & clypei manibus rapiebantur, &, scissis loris, in eorum ora provolvebantur, & oculi eorum ingesto pulvere opplebantur, ita ut aspectus adimeretur. Quæ vero Theodosiani tela jaculabantur, ea vehementiore, quam ante, impetu ferebantur. Qua ex re, tanquam præsenti Dei auxilio, animati, tanta vi se in hostes intulerunt, ut ferre non potuerint, ac fugæ sese tradiderint. Hunc in modum uno prœlio, unoque die cum Eugenio debellatum Rufinus, Socrates, Sozomenus, & Orosius prodiderunt. Quibus etiam assentitur S. Ambrosius, cum scribit: (150) *Cum locorum angustiis, & impedimentis calonum agmen Theodosii paulo serius in aciem descenderet, & inequitare hostis prœlii mora videretur, equo desiluit, & ante aciem solus progressus, ait: Ubi est Theodosii Deus?* Theodoritus autem, & Zosimus biduo rem confectam scribunt hoc modo. (151) Cum defectio Solis incidisset, tanta, ut noctis tenebras adæquaret, Gotthi prope omnes, (decem millia fuisse feruntur,) una cum Bacurio duce desiderati sunt, nox prœlium diremit. Hoc detrimento allato, Eugenius per noctem in castra regressus, munera distribuere iis, qui se strenue gesserant, cœpit, &, tanquam nullo à Theodosio imminente periculo, ut corpora quiete curarent, præcepit. Theodosium vero, ut inquit Theodoritus, sui monuerunt, ut bellum in Ver proximum prorogaret, ac majorem exercitum compararet, ut multitudine par esse Eugenio posset. Quod Theodosius se facturum negavit, ac per totam noctem Deum de victoria supplicavit: sub gallicinium vero somno victus, sibi videre visus est duos viros equis candidis insidentes, qui se bonum animum habere juberent, &, ut prima luce in prœlium rediret, monerent; nam ipsum victoria potiturum, quorum alter se Joannem, alter Philippum Apostolos esse dicebat. Hoc idem visum militi quoque apparuit, idque per Tribunum ad Theodosium detulit. Theodosius inde exercitum alloquutus, quæ sibi, & militi visa in somnis essent, exposuit, atque omnes arma capere, & forti animo pro libertate, & fide pugnare præcepit, atque, illucescente die copiis in prœlium eductis, hostes somno, vinoque mersos invasit, atque inde eo, quo supra dictum est, modo conflixit. Ceterum, cum in hoc articulo res Eugenii versarentur, cohortes ejus aliquot, duce Arbitione, divino se urgeri Numine arbitrantes, ac prorsus de victoria desperantes, ad Imperatorem venerunt, ac supplices veniam postularunt: omnes subito in fidem recepti cum eo, ut ad Eugenium irent, captumque ad se adducerent. Illi vero alacri cum clamore in collem, ubi is hujus rei ignarus sedebat, citato agmine contenderunt. Eos ubi anhelantes venire prospexit Eugenius, victoriæ nuncios ratus, continuo, num vivum ad se adducerent Theodosium, est sciscitatus, cui illi, non illum ad te adducentes, sed te ad illum adducturi accessimus: atque, his dictis, ex solio extractum, vinctis post terga manibus, ad Theodosium perduxerunt. Theodosius, ubi in conspectum venit, quæ impie, ac nefarie adversus

(146) In hanc rem Prudentius adversus Symmach. l. 1., ipsum Theodosium, Romam his versibus compellantem inducit:

*Agnoscas, Regina, libens mea signa necesse est,*
*In quibus effigies Crucis aut gemmata refulget,*
*Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.*

(147) V. Rufin. l. 2. 33. Socrat. l. 5. 24, qui VIII. Idus Septemb victoriam a Theodosio relatam scribit. Eandem divinitus obtentam non modo Catholici rerum Scriptores, sed & Gentilis Poeta Claudianus cecinit in Panegyr. ad Honor. Imp. in 3. ejus Consulatu.

(148) Ita Sozomen. l. 7. 24., & Orosius addit l. 7. 35, Arbetionem quoque Comitem ad Theodosii partes accessisse.

(149) Ad id respexit Claudian. in Panegyr. ad Honor. Imp. in 3. ejus Consul. canens:

*Te propter gelidis Aquilo de monte procellis*, & cet.

Idem narrat Orosius l. 7. c. 35., & Aug. de Civit. Dei l. 5. 26., unde A. N. accepit rei gestæ miraculum.

(150) Orat. in funer. Theod, ubi ejusdem Imperatoris fide partum hunc triumphum prædicat, dicens post multa: *Theodosii ergo fides fuit victoria vestra.*

(151) Ille l. 5. 24., Zosim. vero l. 4. 58., cui autem nonnisi caute deferendum, cum Theodosio quoque infensus fuerit, & nomini Christiano. Solis defectus, quem commemorat Zosimus, anno præcedenti consignat. a Prospero, & Marcellino in Chron., nempe sub Consul. Theod. 3., & Abundantii, mense Novemb., die 20. feria 3., ex Petav. l. 13. de doctr. Tempor. Omnes vero Historici mense Septemb. prælium hoc initum, relatamque victoriam tradidere. V. Socr. l. 5. 24., Claud. in 3. Consul. Honorii, & in 4.

fus Valentinianum commiserat, memoravit, A
ac religionem ejus, qui Herculis auxilio confisus esset, irrisit, ac, sententia lata, caput ei truncari mandavit: id hasta præfixum, ac per castra circumlatum ubi Eugeniani viderunt, repente armis abjectis, deditionem fecerunt. Arbogastes, rebus abscissis, cum se in montes asperrimos recepisset, ac se conquiri ad necem sentiret, post biduum sibi mortem conscivit. Hanc pugnam, atque hanc victoriam descripsit etiam Claudianus, alloquens Honorium, cujus Consulis, ut ipse ait, auspiciis est pugnatum:

*victoria velox*
*Auspiciis effecta tuis, pugnastis uterque* B
*Tu fatis, genitorque manu; te propter & Alpes*
*Invadi faciles: cauto nec profuit hosti*
*Munitis hæsisse locis, spes irrita valli*
*Concidit, & scopulis patuerunt claustra revulsis.*
*Te propter gelidis Aquilo de monte procellis*
*Obruit adversas acies, revolutaque tela*
*Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas.*
*O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris*
*Æolus armatas hyemes, cui militat æther,*
*Et conjurati veniunt ad classica venti.*
*Alpinæ rubuere nives, & Frigidus amnis*
*Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum*
*Staret, ni rapidus invisset flumina sanguis.*

Quin etiam D. Augustinus libro V. de civitate Dei ita scriptum reliquit: C *Valentiniano sive per insidias, sive quo alio pacto, vel casu proxime extincto, Theodosius alium tyrannum Eugenium, qui in illius Imperatoris locum legitime fuerat subrogatus, accepto rursus Prophetico responso, fide certus oppressit: contra cujus robustissimum exercitum magis orando, quam feriendo pugnavit. Milites nobis, qui aderant, retulerunt, extorta sibi esse de manibus quæcunque jaculabantur, cum à Theodosii partibus in adversarios vehemens ventus iret, & non solum quæcunque in eos jaciebantur, concitatissime raperet, verum etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Unde & Poeta Claudianus, quamvis à Christi nomine alienus, in ejus tamen laudibus dixit:* D

*O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris*
*Æolus armatas hyemes, tibi militat æther,*
*Et conjurati veniunt ad classica venti.*

*Victor autem, si ut crediderat, & prædixerat, Jovis simulachra, quæ adversus eum fuerant, nescio quibus ritibus velut consecrata, & in Alpibus constituta, deposuit, eorumque fulmina, quod aurea fuissent, jocantibus, quod illa lætitia permittebat, cursoribus, & se ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter, benigneque donavit.* Narrant eadem hora, qua pugnatum est ad amnem Frigidum, Constantinopoli in Templo ad Septimum hominem dæmoniacum in sublime raptum, velut cum S. Jo. Baptista contendentem illum conviciis proscidisse, cum diceret, caput illi defectum esse, ac deinde addidisse: Tu me vincis, & meis copiis insidiaris. (152) Qui vero aderant, dæmoniacum aliquid de bello, quod cordi erat omnibus, dicere arbitrati, diem, & horam notarunt, atque illo plane momento victoriam esse partam, haud ita multo post certis nunciis cognoverunt.

## THEODOSIUS MAJOR AUG.

HIs rebus gestis, Theodosius, tanquam Occidentalis jam Imperii Dominus, Aquilejam inivit, (153) atque Honorium filium Constantinopoli, & Mediolano Ambrosium Episcopum evocavit. Ambrosius, missis nunciis, primum oravit, ut filios hostium, qui ad Ecclesias confugerant, conservaret, (154) deinde ad eum Aquilejam processit, quem ut vidit Theodosius, ad pedes ejus accidens, se precibus, & meritis ejus incolumem esse asseruit, ac rogatu ejus miseris illis ignovit. De quibus eodem in loco sic Augustinus: *Theodosius inimicorum suorum filios, quos non ipsius jussus, sed belli abstulerat impetus, etiam nondum Christianos ad Ecclesiam confugientes Christianos hac occasione fieri voluit, & Christiana caritate dilexit, nec privavit rebus, sed auxit honoribus, in neminem post victoriam privatas inimicitias valere permisit.* Discessit inde Aquileja una cum Theodosio Ambrosius, ita ut uno die ante illum Mediolanum accesserit. Theodosius autem, assumpto Honorio Mediolanum veniens (155) una cum eo de Eugenio triumphavit, ut Claudianus descripsit:

*Quanti tum juvenes, quantæ sprevere pudorem*
*Spectandi studia matres, puerisque severi*
*Certavere senes, cum tu genitoris amico*
*Exceptus gremio, mediam veherere per urbem,*
*Velaretque pios communis laurea currus?*

His rebus magna felicitate confectis, paucis post diebus Theodosius in morbum incidit,

(150) Refert id Sozomenus l. 7. 24. Prænunciatam quoque hanc victoriam in Ægypto a S. Joanne Monacho scribit Evagrius Vit. SS. Patr. part. 1 c. 1.

(153) Zosim. l. 4. c. ult. ait, Theodosium, Eugenio devicto, Romam ingressum, & Prudent. l. 1. in Symmachum prodit, ab eodem Imperatore ad Urbem veniente idololatriam vetitam, debellatis jam duobus Tyrannis Maximo, & Eugenio. Item Auctor Miscellæ, clade Eugenii narrata, inquit, Honorium Romæ Augustum a Theodosio renunciatum. Sed omnes alii Historici, semel tantum venisse Romam Theodosium tradidere, extincto Maximo, quibus standum. E

(154) V. August. de Civ. Dei l. 5. 26., & Paulin. in Vit. S. Ambros. Theodosii clementiam commendat vel ipse Claudian. in 3. Consul. Honorii, & Synesius ea oratione, qua agit cum Arcadio de servanda clementia erga supplices.

(155) Recte A. N. solum Honorium in Occidentem venisse ait, Socratem secutus l. 5. in fin. Sozomen. l. 7. in fin., Zosim. l. 4. 59., & Philostorgium l. 11. c. 2., ubi Eugenii morte narrata, scribit: *Post hæc Imperator Mediolani constitutus filium suum Honorium accersivit, eique totum Occidentem commisit.* Et Rufin. l. 2. 34. tradit, Theodosium, ad se evocato Honorio, Orientale Imperium Arcadio mandasse; unde hallucinatur Auctor Chron. Alexandr. asserens, Arcadium Roma profectum; ibi Honorium fratrem reliquisse: præsertim quia Claudian. in 3. Consulat. Honor., hujus iter describens, nullius meminit Arcadii. Et D. Ambrosius orat. habita in fun. Theodos. diserte dicit, Arcadium funeri non interfuisse: quapropter cum de Diversis 3. pag 122. ait, Theodosii filios ad eum venisse, de Honorio, & Placidia ejus sorore videtur locutus. Atque ita intelligendus etiam Paulin. in Vit. S. Ambros. dicens: *de filiis nihil habebat novum, quod conderet, quibus totum dederat, nisi ut eos præsenti commendaret parenti*; loquens de Stilicone, cui Theodosius filios, etiam absentes, commendare potuit.

Digitized by Google

cidit, qui aquæ inter cutem appellatur, (156) quo ingravescente, saluti suæ metuens testamentum condidit, atque Arcadio Orientem, Honorio Occidentem reliquit, atque illi Rufinum, huic Stilichonem
395 tutorem constituit. Januario vero ineunte, Olybrio & Probino Coss. (157) paulisper ex morbo recreatus, ludos Victoriæ edidit, atque eos animi causa ante prandium inspectavit, post prandium vero cum vehementius languere cœpisset, Honorio, ut interesset, mandavit, (158) ac subsequente nocte XVI. Kal. Februarii è vita migravit, anno ætatis LX. Imperii XVI. mortem ejus frequentes imbres, & solito tenebrosior caligo, & terræ tremor præcedens nunciavit. Fuit Theodosius inter omnes Imperatores memorabilis, (159) non solum, quia propria virtute, atque eximio Imperatoris judicio ad illius est dignitatis culmen evectus, sed etiam quia in Imperio dignum se tanto fastigio præstitit, Republica non solum fortitudine, sed etiam pietatis Christianæ studio sublevata, quibus laudibus proxime ad Constantinum accessit. Honorius cadaver patris Constantinopolim inter Augustos sepeliendum misit; (160) post diem autem quadragesimum Ambrosius in Templo, ipso Honorio præsente, laudavit. Extat illa oratio; in qua inter cetera hæc posuit: *Theodosii Principis & proxime conclamavimus obitum, & nunc quadragesimum celebramus diem, assistente sacris Altaribus Honorio Principe, quia sicut sanctus Joseph celebrat quadragesimam patris Jacob supplantatoris illius, & nos celebramus Theodosii quadragesimam, qui imitans Jacob, supplantavit perfidiam tyrannorum, qui abscondit simulachra gentium, omnes enim cæremonias oblitteravit, qui etiam iis, qui in se peccaverant, doluit, quam dederat, periisse indulgentiam: & veniam denegabant, sed non negabunt filii, quod donavit pater. Nunc se regnare Theodosius cognoscit, quando est in regno Domini Jesu Christi, & considerat templum ejus. Nunc sibi rex est, quando recipit etiam filium Gratianum, & pulchra jam dulcissima sibi pignora, quæ hic amiserat, quando ejus Flaccilla adhæret fidelis anima Deo, quando patrem sibi redditum gratulatur, quando Constantino adhæret,* (161) *cui licet Baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen, quod primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit. Fles Honori, & lacrymis pium testificaris affectum, quod in bonorum adhuc bonore tumuli patris corpus per spatia multa transmittis? fles, quod non usque Constantinopolim reverendas reliquias ipse prosequeris? eadem tibi causa nobiscum est. Ne vereare, ne inhonoræ videantur, quocunque accesserint, reliquiæ triumphales: non hoc sensit Italia, quæ claros spectavit triumphos, quæ à tyrannis interim liberata concelebrat suæ libertatis auctorem: non hoc Constantinopolis, quæ secundo ad victoriam Principem misit, quem cum vellet tenere, non potuit.*

(156) Sic Cic. 3. Officiorum: *Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem*, & cet. Et vitium intercus vocat Gellius l. 13. 8. quod intus latet: *Quum*, inquit, *vitia facundissime accusarent, intercutibus vitiis ipsi madentes.*

(157) Uterque Occidentalis ex Gente Anicia, iique filii Aniciæ Faltoniæ Probæ, ut docent Inscription. apud Gruterum 5., & 6. p. 352., & 1. p. 353., quam laudat Hieronym. ep. ad Demetriad. sicuti & Claudian. de Consulat. Probini, & Olybrii à v. 177. Probinus, vivente etiamnum matre, sed profuga, capta urbe à Gothis, obiit: Olybrius autem ante matrem, & captam ab Alarico Romam, ex Hieronymo epist. cit. Vide Reinesium epist. 69., ubi Aniciorum Genealogiam illustratam exhibet. De his Coss. Claudian. carm. de Consul. Olyb. & Probin. cecinit:

*Jam nova germanis vestigia torqueat annus*
*Consulibus, lætique petant exordia menses.*

Et ad fin.

*Omni nobilior lustro tibi gloria soli*
*Contigit: exactum nunquam memorata per ævum*
*Germanos babuisse duces.*

(158) *Filio spectaculis præsidere jusso, sequenti anno animam exhalavit, Olybrio, & Probino Coss. ante diem XVI. Kal. Februarias*, inquit Socrates l. 5. 26. addens: *Vixit porro Imperator Theodosius annos sexaginta: imperavit autem annos sexdecim*; eumdemque annorum vitæ numerum exhibent Sozomen., Theophanes, & Cedrenus, aliique: Auctor vero Chron. Alexandr. 65. attribuit. Sed Aurel. Victor in Epit. ait in Gratiano: *accito ab Hispania Theodosio, cunctis faventibus, agenti annum à tricesimo tertium, imperium committit*. Et inferius in Theodosio tradit: *rebus bumanis, annum agens quinquagesimum, apud Mediolanum excessit*. Si igitur anno 379., quo Augustus dictus, triginta trium erat annorum, adde sexdecim Imperii (obiit enim 395., XVI. tamen Kalend Februar.) erunt anni æt. 50., ut & Paulus Diaconus habet.

(159) Non audiendus Zosimus l. 4. pluribus in locis, dum Theodosium carpit, cujus virtutes Aurelius Victor in Theodos. extollit, nec Themist. orat. 5., aut Symmach. l. 2. epist. 13., omnes sane hi Ethnici, quique in Christianorum gratiam loqui non potuerunt.

(160) *Corpus ejus eodem* certe *anno C.P. translatum, atque sepultum est*. Aurel. Vict. in Epit. in fin., postquam dixit *apud Mediolanum* excessisse. Quamvis Zosimus dicat l. 4. in fin. *dum Constantinopolim revertitur, morbo vitam finiit*. Sed l. 5 4. τελευτήσαντος ἐν Ἰταλίᾳ Θεοδοσίου, *decedente in Italia Theodosio.*

(161) Eusebium Cæsariensem secutus Ambrosius; baptismum Constantini evenisse affirmat, *eodem in ultimis constituto*. Vide quæ superius dicta de Baptismate Constantini M.

LIBER

# LIBER DECIMUS.

## HONORIUS AUGUSTUS.

THeodosio exempto, simul etiam robur, ac dignitas ipsius titubare Imperii cœpit. Neque enim aut in Arcadio, qui Orientem, aut in Honorio, qui Occidentem accepit, ad impendentem malorum tempestatem sustinendam satis aut nervorum, aut animi fuit. His vero cladibus causam attulit, primum imbecilla utriusque Principis ætas, quod ille novemdecim, hic decem duntaxat annos natus, parum rebus tantis administrandis erat idoneus; deinde nefaria Rufini, (1) & Stilichonis, qui tutores hærebant, (2) improbitas, qui, captata puerorum occasione, certatim animum ad invadendum Imperium per omne genus sceleris, ac perfidiæ contulerunt. Nam cum ambo tanta habendi cupiditate flagrarunt, ut jus venale omne habuerint, neque ullum ad conficiendam pecuniam injuriæ genus omiserint, tum se tanto inter se odio persequuti sunt, ut alter alterius evertendi causa, humana, divinaque omnia permiscuerit. His accessere barbari, qui prioribus annis in fines Romanorum accepti, atque honoribus militaribus, exclusis veteribus Romanis, ornati, eo insolentiæ venerant, ut jam non servire, sed dominari, neque jussa Imperatorum expectare, sed eorum temporibus inhiare, viderentur. Quæ mala cum Synæsius Cyrenarum antistes videret, (3) orationem ad novum Imperatorem Arcadium scripsit, in qua cum alios Principum mores reprehendit, longe à disciplina vetere diffidentes, tum maxime, quod, despectis Romanis, barbaros colerent, neque imminens ex ea re periculum providerent. Placet autem ejus orationis summam in hos annales intexere, quod præsentem, & futurum Reipublicæ statum mirifice possit illuminare: *Debet*, inquit, *rex assidue cum militibus suis versari; in primis autem cum iis, quos agri, quos urbes, quos denique universa regio, quæ illius imperio paret, propugnatores dat, & custodes Reip. ac legum, sub quibus alti, atque instituti sunt. Hi enim sunt, quos Plato canibus similes esse dicit. Sed neque pastor unquam cum canibus lupos collocabit; nam si quando in canibus imbecillitatem, aut ignaviam aliquam animadverterint, & ipsos canes, & gregem, & pastorem denique ipsum aggredientur: neque legislator unquam arma concedet iis, qui non sunt nati, & educati sub ipsius legibus, nullum enim ab his pignus benevolentiæ habet, est enim hominis audacioris, cum videat, juventutem multam alibi educatam, sine moribus viventem, sua in regione arma tractantem, non extimescere, nec videre, Tantali saxum tenui filo appensum impendere Reip. nam tum eam externi milites invadent, cum rem sibi bene cessuram existimabunt. Ac sane jam hujus mali velitationes quædam fiunt, jamque nonnullæ partes Imperii, perinde ut corporis, laborant; cum non possint ea, quæ aliena sunt, cum ipso corpore coalescere, & ad harmoniam sanam reduci; secernenda autem esse tum à corporibus, tum à civitatibus ea omnia, quæ sunt in iis aliena, & medici, & Imperatores censent. Qui vero exercitum non conscribit, qui illis opponi possit, & veluti illi domestici sint, vacationem militiæ petentibus multis permittit, suosque aliis rebus operam dare concedit, quid aliud, quam in propriam perniciem ruit? cum æquum esset, istos Scythas, qui hic arma gestant, persequi, & ab ipsa agricultura propugnatores accersere, & delectus adeo acres habere, ut philosophi è scholis, opifices ex officinis, populi ex theatris evocarentur. Quo modo enim ferre possumus, partes viriles in nostra Rep. alienorum, & externorum esse, & fortissimum Imperium concedere aliis bellicæ gloriæ principatum? Neque enim dubitandum est, fore, ut illi aliquando armis instructi hominum urbanorum se dominos esse velint. Quod priusquam eveniat, revocandi sunt nobis Romanorum animi, & ita assuefaciendi, ut ipsi suo marte vincere & possint, & velint, nec omnino societatem ullam cum barbaris ineant, sed eos omnes despiciant, omnique loco funditus pellant. Primum igitur Magistratu ejiciantur, & procul à curiæ honoribus arceantur, quibus per summum dedecus ea obvenerunt, quæ diu apud Romanos habita sunt, & re ipsa fuerunt, honestissima. Nam & Deam Themidem,* (4) *quæ Senatui, & Bellonam,*

quæ

---

(1) Erat hic Elusæ in Aquitania natus, ut Claudian. Scriptor coævus l. 1. in Rufinum à v. 122. Celtam Zosimus dixit l. 4, Celtarum nomine Gallos designans; nam etiam Strabo l. 4. pag. 205. ait: *Hæc diximus de Gallis, qui Narbonensem Provinciam incolunt, qui quondam Celtæ appellabantur: & arbitror ab his esse à Græcis nomen Celtarum universis Galatis, seu Gallis inditum, ob gentis claritatem.* Rufini, & Stilichonis improbitatem describit Zosim. l. 5. 1., & 2. Suidas in voce Ῥουφῖνος.

(2) *Rufinus, & Stilicho erant tutores filiorum Theodosii*: inquit Suidas l. c. & Zosim. l. c. *Sed reapse totius principatus potestas per Orientem penes Rufinum, per Occidentem in arbitrio Stilichonis erat*; nunquam tamen Zosim. Rufinum *tutorem* appellat, cum de Stilichone aperte dicat l. 4. 59. relictum a Theodosio ἐπίτροπον τῷ παιδὶ, *tutorem sc. filio*. At Suidæ testimonium plurimi faciendum, affirmantis, se hæc ex Chronographia Eunapii, Rufino, & Stilichoni æqualis, deprompsisse.

(3) Patria nempe Cyrenensis, Philosophus insignis, ordinatus Episcopus Ptolemaidis à Theophilo Patriarcha Alexandrino, ut liquet ex ejusdem epist 53., post tertium annum ab inita Theophilum inter, & S. Joann. Chrysost. fautores pace, conscripta. De eod. L. Evagrium l. 1. 15., Nicephor. l. 14. 55. Vid. quoque Holstenium in Dissert. de Synesio, & de fuga Episcopatus, quam Valesius ad calcem Notarum suarum ad Evagrium, integram attexuit.

(4) Quam, tradit Festus, hominibus præcipere, ut quod fas est, postulent. Fabulæ Cœli, & Terræ filiam fecere. Ejus vetustissimum oraculum in Bœotia ad Cephisum amnem; unde Ovid. 1. Metam. cecinit:

*Fatidicamque Themin, quæ tunc oracla tenebat.*

*qua exercitui præfidet, obvelare se arbitror, cum cernant, hominem penula scortea (5) indutum ducem esse chlamydatorum, & villosam pellem exuentem togam sumere, & de summa rerum cum Romano Magistratu consulere prope ipsum Consulem sedentem, longe post eum sedentibus iis, quibus honos ille jure optimo debebatur, atque illos eosdem, ubi paululum è curia egressi fuerint, pelles suas rursum induere, togamque Romanam apud suos deridere, quod impediat ensis eductionem. Apud nos exercitus magni sunt, nostrisque servis Scythis sanguine conjuncti, qui, nescio quo infelici fato in Romanum Imperium influxerunt: illi suos duces habent magnæ auctoritatis viros non solum apud eos ipsos, sed etiam apud nos, quod malum nostra dedit socordia nobis; præter eos autem milites, quos jam habent, servos etiam nostros ipsis accessuros existimate. Hæc igitur nobis munitio demolienda, purganda sunt Imperatoris castra non aliter, ac cumulus tritici. Cunctos autem Scythas Romani, quibus cum illis res est, manu, & consilio antecedunt. Scythas autem istos & narrat Herodotus, (6) & nos ipsi cernimus morbo simiditatis laborare; hi enim sunt, qui ubique terrarum servitia explent, quique sedem stabilem nunquam habuerunt, qui sedibus suis sæpe à multis expulsi, nostra ætate ad nos venerunt, non animo bellandi, verum supplices, cum rursus finibus suis moti essent. Cum autem Romanorum mores, sicuti in supplices decuit, humanissimos, & non arma experti essent, barbari, quam par fuit, gratiam retulerunt, nam insolentes facti beneficium non agnoverunt, quo nomine, cum patri tuo adversus ipsos armato meritas pœnas dedissent, rursus ad misericordiam ejus confugientes, supplices se una cum uxoribus suis ad pedes ejus projecerunt, ille vero supplicantes erexit, & belli socios ascivit, & civitate donavit, & omnium bonorum participes fecit, & partem Romani agri eis attribuit. At illi, propterea quod pater tuus mitem se eis præbuit, nos in hunc usque diem deridentes qua fama humanitatis nostræ etiam vicini eorum ad nos veniunt, advenant enim sagittarii equites, petentes, ut eos complectamur, illosque nobis, utpote multo se superiores, exemplum proponunt. At difficile est, istos expellere. Si me audies, difficultas illa facile tolletur, si militum numerum adauxeris, si Romanos ad virtutem excitaveris, si legiones domesticas scripseris, si adversus barbaros istos animo vehementi, & concitata ueris; nam mox vel agriculturæ operam jussi dabunt, vel eodem itinere, quo venerunt, fugam capessent, & nunciabunt iis, qui trans Istrum incolunt, non amplius esse apud Romanos illam facilitatem, (7) sed eos ducem habere juvenem quendam excelsi animi, qui etiam insontem reprehendere possit.* Hæc, ut exposui, de periculosa Reip. barbarorum insolentia scripsit Synæsius ad Arcadium, ut primum post mortem patris Imperium iniit, quæ non observata vim sacri cujusdam oraculi habuerunt, nam barbari, cum annis prioribus quievissent, ab hoc anno tumultus miscere de integro in Orientali Imperio incœperunt. Quæ res, quoniam insignium, quæ post Occidentem afflixerunt, calamitatum initium introduxit, quemadmodum gesta sit, diligenter est exponendum.

Stilicho, cum utriusque Principis, atque Imperii tutelam à Theodosio sibi commissam esse assereret, (8) Rufinum munere suo exuere omni ratione contendit, atque ad eam rem iter Constantinopolim adornavit, ita ut, rebus Italiæ constitutis, magna celeritate se in Galliam ad limitem Rheni pacandum contulerit. Qua re cognita, Rufinus subito, quascunque potuit, ei moras opposuit; itaque cum alia in Oriente bella, tum præsertim Gotthicum gravissimum excitavit. Quippe, litteris occulte ad Alaricum in Thraciam missis, ipsum ad invadendam Græciam perpulit; compererat enim, graviter illum ferre, se militaribus copiis nullis Præfectum esse, sed eas duntaxat obtinere, quas ei Theodosius tradiderat, cum adversus Eugenium arma tulerat. Inde de industria homines sibi fidos ei objecit, Antiochum, (9) qui Græciam pro Consule regeret, & Gerontium, (10) qui Thermopylas custodiret, (11) secretis utrique mandatis editis, ut Alaricum, si impetum in ea loca fecisset, male pertinaci defensione reciperent. Qua re fretus Alaricus, cum ingenti Gotthorum exercitu raptim ex Thracia movit, atque irruptionem in Macedoniam fecit, nullis, neque oppidis neque Ecclesiis, neque hominibus parcens, (12) unde prædæ sperare aut sibi, aut suis aliquid posset.

(5) Penula ex pellibus ita appellabatur, de qua Martialis loquitur l. 14.

*Ingrediare viam cœlo licet usque sereno,*
*Ad subitas nunquam scortea desit aquas.*

Penularum usum Senatoribus intra Urbem concessit Alexander Imp., teste Lampridio. Ad imbrem præsertim arcendum deferebatur; Quintil. enim l. 6 4. iii: *Galba penulam roganti amico respondet; si non pluit, non opus tibi; si pluit, ipse utar.*

(6) Vide Herod. l. 4. 99.

(7) Qua lic. fuerat Theodosio vivente; unde Jornandes de Rebus Geticis c. 29. *Postquam Theodosius amator pacis, generisque Gothorum rebus excessit humanis, cœperunt ejus filii utramque R. P. luxuriose viventes annihilare, auxiliarisque suis, id est Gothis, consueta dona subtrahere.*

(8) Ut Zosim. narrat l. 5. 4. in fin., unde Claudianus Stilichonis assentator adversus Rufin. l. 2. init utriusque Imperii administrationem Stilichoni concreditam cecinit. At Orientales nullam unquam rationem Stilichonis habuere, eique solum Occidentales paruere. Vide quæ superius ex Suida.

(9) Hunc Zosim. l. 5. 5. (ex quo A. N. narrationem hanc desumpsit) πονηρίας ὄργανον, *improbitatis instrumentum* vocat, filium fuisse tradens Musonii, hominis Græci, doctrina eximii, fratrem vero Musonii, & Axiochi, qui eruditione, & vitæ integritate cum Patre contendebant.

(10) *Qui & ipse consiliis ejus* (Rufini sc.) *adversus Rempublicam subserviturus esset.* Zosim. inquit l. c. Quod satis ostendit eventus.

(11) Harum situm Herodotus l. 7 c. 176. exacte describit, & Livius l. 36 15. Thermopylarum *jugum ab Leucate, & mari ad Occidentem verso per Ætoliam ad alterum mare Orienti objectum tendens, ea aspreta, rupesque interjectas habet, ut non modo exercitus, sed ne expediti quidem facile ullas ad transitum calles inveniant. Extremos ad Orientem Oetam vocant, quorum quod altissimum, Callidromum appellatur, in cujus valle ad Maliacum sinum vergente iter est non latius, quam sexaginta passus. Hæc una militaris via est, qua traduci exercitus, si non prohibeantur, possint: ideo Pylæ, & ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatur.*

(12) *Alarichus è Thracia discedit, & in Macedoniam, Thessaliamque progreditur, interjectis omnibus excidio datis.* Zosim. l. 5. 5. in med. ubi narrare pergit, quæ mala egerit Alarichus in Bœotia, Attica, Megaride, Peloponneso, & in reliqua Græcia.

A fet. In Thessaliam inde transgressus, à Thessalis ad ostia Penei fluminis (13) commisso prœlio pulsus, tria hominum millia perdidit. Inde ad Thermopylarum angustias, qui transitus erat notissimus in Græciam, ventum, eæque, cedente ex composito Gerontio, occupatæ, qua de re sic Eunapius: (14) *Alaricus cum barbaris per Thermopylarum fauces pervasit non secus, quam per apertum stadium, ac campum liberum, & decursui equorum patentem. Eas Græciæ angustias illi prodidit impia natio fuscis utentium vestibus, qui, nullo prohibente, simul cum eo irruperunt, rescissa jam pontificalium institutorum lege, ac vinculo*. Ceterum, occupatis Thermopylis, cum in Bœotiam descendisset,
B omnia præter Thebas expugnavit: has enim, quod munitas invenisset, atque Athenis animo immineret, studiose reliquit. Athenis autem facile se potiturum sperabat, vel quia propter urbis amplitudinem custodiri ab omni parte non possent, vel quia, occupato portu Piresei, (15) cives inopia rei frumentariæ brevi deditionem essent facturi: cum autem exercitum urbi admoveret, Minervam in muris obambulantem sibi videre visus est, (16) ea specie, qua à Gentilibus fingebatur; pro mœnibus vero Achillem stantem, qualem Homerus expressit, cum iratus Patrocli necem ulturus accessit: cujus visi nova specie territus, consilium
C oppugnationis abjecit, ac pacem ultro civibus obtulit, qua sacramento ultro, citroque firmata, urbem cum paucis ingressus est. Summo omnium studio exceptus, cum lectissimis civibus lautus accubuit, ac muneribus eximie cultus, urbe pariter, ac tota Attica sine ullo maleficio cessit. Inde transitu in Megaridem facto, & urbe primo impetu capta, ad Isthmum processit, eoque sine ullo certamine Gerontii beneficio superato, in Peloponnesum ingressus, Corinthum, Argos, Lacedæmonem, ceteraque interjecta oppida nullo negotio redegit in potestatem. (17) Quibus cladibus cognitis, Rufinus eo
D magis ad Imperii cupiditatem exarsit. Interim Stilicho in Rhætiam profectus, primo adventu Francos Reges, & Suevos, Alemanosque ita perterruit, ut pacem postularent. Ex quibus Marcomeres Rex Francorum in exilium actus: Summo autem frater ejus, cum se germani vindicem ferret, à suis est interfectus: ita fœdus cum Francis percussit. Mox de Alarici irruptione in Illyricum facta edoctus, Italiam eadem, qua venerat, celeritate repetiit, atque exercitum, quem Theodosius in Italia reliquerat, in naves imposuit, aliisque ex Italia, Galliaque militibus secum adductis, in Illyricum contendere maturavit: atque in Peloponnesum egressus, Alaricum late omnia, ut diximus, expugnantem offendit. Cujus adventu Alaricus exterritus, milites suos per agros palantes, ac dissipatos contraxit, ac se vallo, castrisque sepsit. Stilicho vero armato ad illum progressus exercitu, extremo decertare prœlio voluit: verum, cum instructæ utrinque acies starent, litteras ab Arcadio Rufini impulsu scriptas accepit, quibus præcipiebatur, ne quid in Oriente rei militaris attingeret: quibus lectis, bellum, quod in manibus erat, omisit: quod si, ut spes erat, prospero eventu cessisset, satis constat, multas, quæ imminebant Occidenti, calamitates, facile potuisse averti. Hæc in hunc modum acta tradit Claudianus. (18) Zosimus autem auctor est, Stilichonem in Peloponnesum egressum, Alaricum in Pholoën Arcadiæ oppidum compulisse, (19) eumque commeatus inopia extinguere potuisse, nisi sese ocio tradidisset, ac, quæ Gotthi non attigerant, militibus suis diripienda dedisset. Quo facto, Gotthos spatium nactos, sese ex Peloponneso cum præda in Epirum intulisse, atque easdem ibi populationes, & vastitates edere perrexisse. Quocumque vero modo res gesta sit, Stilicho, re infecta, cum sibi redeundum videret, exercitum Theodosianum ad Arcadium misit, ac Gainem ei ducem Præfectum secreto, quid adversus Rufinum moliri vellet, edocuit. Interim cadaver Theodosii Constantinopolim ex Italia transportatum VI. Idus Novembris funere magnificentissimo est elatum. V. autem Kal. Decembris, (20) appropinquante Constantinopoli exercitu, Gai-

(13) Strabo pag. 233., inter Cyllenem, & Cheronatam promontorium exire Peneum, & Selleenta fluvios, inquit. Ptolomæo post Cyllenem sunt Penei fluminis ostia.

(14) *In Maximo pag. 75.*

(15) Sic appellatus à Pireæo pago, qui erat antequam Themistocles conderet portum, teste Pausania Attic. c. 1. Nepos in Vit. Themist. c. 6. ait: *Cum Phalereo portu neque magno, neque bono Athenienses uterentur, hujus consilio triplex Piræei portus constitutus est, isque mœnibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret*. Hujus meminit Statius l. 12. Thebaidos v. 616. Catull. carm. 64 de nupt. Pel., & Thet. Ovid. l. 6. Met. v 445., aliique.

(16) Visum hoc narratur à Zosimo l. 5. 6., sed purum putumque commentum hominis, in Deorum cultum propensi, videtur; nam Athenienses quoque mala passos ab Alaricho præter Hieronym. epist. 3. ad Heliodorum, Claudian. 2 in Rufin. testatur, v. 191. *Cecropias* (Athenienses sc.) *matres traxisse fera vincula*. Et Eunapius in Maximo scribens, Eleusinium antistitem jam antea prænunciasse, templa, & sacra eversum iri in Attica, subdit id evenisse, ὅτε Ἀλλάριχος διὰ τῶν πυλῶν παρῆλθε, *quando Alaricus per Thermopylas irrupit*.

(17) Cum ea loca *nullis essent munita mœnibus, velut Isthmi præsidio secura*. Zosim. l. 5. 6. qui narrat *Spartam* quoque captam, *nec armis amplius, nec idoneis ad pugnam viris munitam propter Romanorum avaritiam; sed iis expositam magistratibus, qui & proditores essent, & illorum libidini, qui rerum potirentur, percupide in omnibus, ad perniciem publicam spectantibus, inservirent*.

(18) In Rufin. l. 1. hæc narrat, à quibus longe diversa narrat Zosimus l. 5. 7., quæ tamen à veritate non aberrant, si vel Orosium ipsum, tunc temporis viventem consulamus, qui l. 7. 37. inquit: *Quid uterque* (Rufinus nempe, & Stilicho) *egerit, quidve agere conatus sit, exitus utriusque docuit: cum alius sibi, alius filio suo affectans regale fastigium, ut rebus repente turbatis necessitas, reipublicæ scelus ambitus tegeret, gentes barbaras, ille immisit, hic fovit*.

(19) Memorat Plin. l. 4. 6., Ovid Fastor. l. 2. v. 273. & Statius Thebaid. l. 10. 228.
*Vertice sic Pholoës volucrum nutritor equorum*.
L. Zosim. l. 5.

(20) Ita Marcellinus in Chron., & Socrat. l. 6. 1. Rufini necem referens Zosimus addit, uxorem, filiamque illius ad Ecclesiam Christianorum, metu confugientes, Eutropii opera obtinuisse, ut Hierosolymam irent. Eodem modo Rufini mortem Philostorg. l. 11. 3., & Hieronym. epist. 3.

Gaines prægressus, militum adventum Arcadio nunciavit, eumque ea de re gestientem, ut de more obviam extra urbem procederet, adhortatus est. Quod Arcadius summo studio fecit, ac benigne salutatus, comiter omnes excepit. Quo facto, milites accepto à Gaine signo, cuncti in Rufinum, qui cum Arcadio exierat, &, ut inquit Claudianus, ab Arcadio in partem Imperii accipi postulabat, infesti se intulerunt, ac plurimis illatis vulneribus confecerunt. Caput inde abscissum & pilo præfixum per urbem latum est, manus dextera amputata ad dedecus insatiabilis avaritiæ stipem ostiatim emendicavit. (21) Eo anno Florentino urbis Præfecto successit Andromachus, quo præfecturam gerente, Honorius Mediolano multa edicta edidit, quibus eos, qui tyrannos in seditione sequuti erant, aut pœna multavit, aut venia sublevavit, & patris acta firmavit: ex quibus hoc huic historiæ adscribere libuit, datum X. Kal. Aprilis: (22) *Quæcunque à parentibus nostris diversis sunt statuta temporibus manere inviolata, atque incorrupta circa sacrosanctas Ecclesias præcipimus. Nihil igitur à privilegiis immutetur, omnibusque, qui Ecclesiis serviunt, tuitio deferatur, quia temporibus nostris addi potius reverentiam cupimus, quam ex iis, quæ olim præstita sunt, immutari.* In Africa S. Augustinus, quem ab Ambrosio salutari fonte ablutum supra diximus, Episcopus Hipponensis est factus. (23) Rufino extincto, Eutropius eunuchus (24) locum tenuit. Is Rufini bona amicis dilargiri contendens, ab Arcadio est cohibitus, siquidem initio se-
396 quentis anni, quo ille quartum, & Honorius tertium consulatum gesserunt, Idibus Februarii edixit, (25) ut ea, quæ Rufinus quondam, cum viveret, quoquo pacto possederat, in eodem statu manerent, nec quisquam sibi post ejus obitum vindicandi potestatem assumeret. Eutropius repente Rufinus alter effectus, cum Timasium, (26) & Abundantium, (27) atque honoratissimum, & gratiosissimum quenque apud Arcadium ex aula per varias calumnias emovisset, atque adeo etiam in exilium projecisset, tum in Stilichonem arbitratu suo res Occidentis administrantem se intulit, & ad intercludendum illi Constantinopolim aditum, hostem judicandum à Senatu Arcadii voluntate curavit; mox ut Africam Honorio adimeret, Gildonem Comitem, & Magistrum utriusque in Africa militiæ ad studia sua traduxit. Ita Gildo, (28) exercitu Africano corrupto, repente Africam occupavit, eamque se Arcadii nomine obtinere denunciavit. Quam rem Stilicho pro eo, ac debuit, gravissime accepit, neque remedium quærere ei recuperandæ cessavit. Interim Honorius Mediolani Libycarum ferarum munus populo exhibuit (29) in quo res insignis memoriæ contigit. Cum Cresconius quidam ad bestias damnatus à militibus Stilichonis de Ecclesia, ad quam confugerat, raperetur, Ambrosius Episcopus cum clero ad hominem conservandum accurrit, sed milites duces Arrianos habentes prævaluerunt, atque arreptum hominem ad amphitheatrum deduxerunt; verum non ita multo post, expedito dimissi leopardi in eum locum, in quo spectandi causa sedebant, assultu, misere laniati sunt. Quod ubi vidit Stilicho, religione haud intactus, per multos dies Episcopo satisfecit, & Cresconium, quia gravissimorum criminum erat manifestus, in exilium mittere satis habuit. Per eosdem etiam dies ipse Ambrosius corpus Sancti Nazarii Martyris in horto extra urbem invenit, sanguine perinde recenti, ac si eodem tempore, quo levabatur, lotum, & com-

(21) Claudian. in Rufin. l. 6.
*Dextra quinetiam ludo concessa vagatur*
*Æra petens: pœnasque animi persolvit avari*
*Terribili lucro: vivosque imitata retentus*
*Cogitur adductis digitos inflectere nervis.*
Prodit Philostorg. l. cit., πολὺ χρυσίον ἐπὶ καταδύσει δεδωκότι, *multum auri hoc spectaculo* abscissæ manus corrogasse milites.

(22) Reperitur in Cod. Theod. Lex 29. *de Episcop.*

(23) His Coss. Episcopum ordinatum D. Augustinum Prosper in Chron., & Cassiodor. affirmant; & sane mense Decemb., cum ipsemet Homil. 25. inter quinquaginta c. 3. dicit: *Natalis Domini imminet*: eaque habita ad populum fuit in anniversaria ordinationis suæ die.

(24) *Eutropius autem, opera Stilichoni navata, in omnibus, quæ contra Rufinum ille machinatus fuerat, jam iis, quæ agerentur in aula, plena cum potestate præerat.* Zosim. l. 5. 8.

(25) Est in Cod. Theod. L. 14. *de bonis proscriptor.* Eaque sane ad uxorem, & cognatam Rufini spectat, quos à metu, pœnaque immunes esse constituit hac Lege. V. Zos. l. 3. 8.

(26) Qui cum Prommo Consul processerat, cujus mores Suidas carpit. De eodem Hieronym. epist. 3. habet: *Timasius præcipitatus repente de altissimo dignitatis gradu, evasisse se putat, quod Oasi vivit inglorius.* Oasis porro urbs Ægypti in Lybiæ confinio, quam memorat Olympiodor. apud Photium in Biblioth. c. 80. Eo exulem missum Timasium Zosim. l. 5. 9. post med., & Sozomen. l. 8. 7. testantur. Ille autem narrat fusius malas Eutropii artes, quo Timasium perderet opera Bargi cujusdam hominis vilissimi, & criminosi, qui innoxium accusaret affectati imperii. L. cap. 9.

(27) *Qui sub Theodosio maximos honores adeptus etiam Prætor, atque Consul designatus fuerat: mox aula pellitur, oppidum Phœniciæ Sidonem habitare jussus, ubi reliquum vitæ tempus transegit*, Zosim. l. c. In Colchide reliquam vitam egisse auctor est Asterius Homil. in festum Kal. ann. Chr. 400. recitat., cui suffragatur Hieronym. epist. 3. tradens Abundantium apud Pithyuntem exulare jussum, oppidum in extremis Colchidis, & Imperii Rom., quod accolebant crudelissimi Barbari, ut Theodoret l. 5. 34.

(28) Hujus opera usus Eutropius *Africam Honorii principis imperio subtractam, Arcadianæ ditioni adjecit*, ait Zosim. l. 5. 11. V. Orosium fuse hæc percensentem l. 7. 36. Ob occupatam autem a Gildone Africam ingens fames Romæ fuit, ut constat ex L. 2. Cod. Theod. de conditis in publicis horreis, quam Honorius edidit Mediolani VI. Kal. Januar. E. Claudian. à v 17., & l. 1. in Stilichon., & l. 1. in Eutropium.

(29) Narrat hoc Paulin. in V. S. Ambros., subdens, Cresconium paulo post indulgentiam consecutum, eosque milites fuisse, qui *Duces haberent de perfidia Arrianorum*. Quoad feras attinet, hæ ex ultimo Orbe conquirebantur; ex Africa leones, & tigres; crocotæ, & rhinocerotes ex India; crocodili ex Ægypto advehebantur; unde ex Cod. 11. tit. 45. cautum, ne bestiæ, quæ ad Comitatum ab omnibus limitum Ducibus transmittuntur, plus quam septem dies intra singulas civitates retinerentur. Et Symmach. epist 7. *Adde si placet, quod à me postulatum teneo, ut aliarum Lybicarum mihi emptio sacra auctoritate præstetur.* Eadem quoque epist. gratulatur de leopardis Imperatoria munificentia sibi concessis.

compositum in sepulchro fuisset, id ad Basilicam Apostolorum pridie Solemnis eorum deinde conditum fuit. Et hoc anno Alaricus una cum suis victoria superiore superbus, Epiro egressus, Græciam provinciam incursavit, eamque incendiis, & populationibus vastare, nemine resistente, contendit. Quo terrore perculsi incolæ, multi externas regiones salutis gratia quæsiverunt. Eo etiam anno varia prodigia nunciata graves curas in hominum mentibus excitarunt; (30) nam & terra per plurimos dies sævo motu concussa est; & cœlum maximo ardore visum
397 est conflagrare. Cæsario inde, Atticoque Consulibus, Honorius Romam processit, atque edictum in Foro Trajani edidit, ne quis in campo Martio casas, aut tuguria collocaret. Eo præsente res accidit altera memorabilis, quæ finem muneri gladiatorio attulit. Cum gladiatores adhuc prisco more in foro darentur, (31) Telemachus quidam ex Oriente Monachus spectaculi fœditatem aversatus, dirimendi certaminis gratia provolavit in medium. Qua re populus indignatus, Monachum lapidibus est aggressus. Quem extinctum ubi sensit Honorius, in numerum Martyrum ascribi curavit, & nova lege, ne in posterum gladiatorum munus ederetur, edixit. (32) Interim, cum Africa amissa ante oculos versaretur, ejus recuperandæ talis occasio est oblata. (33) Mazescel nefariis à Gildone fratre insidiis appetitus, ex Africa fugit, atque ad Honorium profectus, quo statu res illius provinciæ essent, edocuit, bellique facilitate proposita, operam suam ad Gildonem expugnandum, si sibi idoneus daretur exercitus, est pollicitus. Res in eum locum adducta erat, ut differri vindicta non posset; nam Gildo ex Africa ita navigationem omnem impediebat, ut Romam in magnam rei frumentariæ difficultatem adduceret. Itaque, Honorio, ac Stilichone auctoribus, Senatus, vetusto more relato, bellum adversus Gildonem, duce Mazescele, decrevit, atque ita res necessariæ ad id comparari sunt cœptæ. Qua re cognita, Gildo rabie adversus Mazescelem efferatus, liberos ejus, qui in Africa remanserant, jugulavit, ac scelus scelere cumulavit. Honorius mense Aprili rediit Mediolanum. Idem annus duorum nobilissimorum antistitum morte fuit insignis, Ambrosii Mediolanensis, (34) & Martini Turonensis. (35) Ambrosium gravissimo morbo jactatum simul ac Stilicho audiit, divino quasi afflatus numine, vaticinium protulit, inquiens: *Si hic vir naturæ concesserit, ultimus Italiæ impendet interitus*; excessit autem magna sanctitatis, & doctrinæ fama pridie Nonas Aprilis, inque ejus locum Simplicianus Presbyter, homo jam ætate confectus, est substitutus. Martinus, mirandis operibus editis, supra hominis conditionem in vita nobilitatus, III. Idus Novembris migravit ad cœlos. Uterque ab Ecclesia inter Confessores, Ambrosius etiam inter Doctores ascriptus est. Martini sepulchrum incredibili & civium, & convenarum multitudine celebrari pietatis nomine cœptum, ex quo præcipue Turonensis est Ecclesia insignita. Eodem anno Idibus Augustis Concilium Carthagine actum est, (36) in quo præter cetera Aurelius Episcopus decrevit, ut Episcopi Africæ de die Pa-

(30) Præsertim Constantinopoli; sub his enim anni Coss. Marcellin., & Prosper in Chronicis ea evenisse tradunt, quorum fama in Africam usque perlata, ut liquet ex August. de excidio urbis, fuse hæc narrante. Paulus Diacon. l. 13 scripsit: *Interea ingens terræmotus Constantinopoli factus est, ita ut subtus terra tremeret, & desuper fusa cœlitus flamma penderet; tamdiuque mansit, donec orationibus Arcadii Principis, & populi Christiani præsentem perditionem Deus exoratus averteret.*

(31) Hi submoti ab omni Orbe Rom. à Constantino, teste Sozomen. Histor. Eccl. t. 8., & Euseb. de Vit. Constant. 4. 45., ubi ait: *Vetuit gladiatorum cædibus pollui urbes*. Quin etiam Justinianæo Cod. Constantini lex ipsa lib. 11. tit. 43. inserta: *Cruenta spectacula, in otio civili, & domestica quiete non placent. Quapropter omnino gladiatores esse prohibemus*. Et cum sub Constantio, & postea sub Theodosio, ac Valentiniano rursus irrupissent, preces apud Honorium pro iis abolendis interposuit Prudent. contr. Symm. tt. 1113.

(32) Extat in Cod. Theod. *L. ult. de gladiatoribus*.

(33) Hoc quidem anno apparari cœptum bellum adversus Gildonem, ut ostendunt leges Cod. Theod. 12. 13., & 14. de Tironibus, in quarum priore statuitur, juniores in arma conscribendos, & ne quidem Principis rem privatam ab hoc esse immunem. Conscriptum exercitum in Africam movisse, vel præsentis anni fine, vel initio sequentis, patet ex Claudian. de bello Gildonico, & l. 1. in laudem Stilichonis, ubi hyemis procellas, quæ tunc evenere, memorat.

(34) Marcellin in Chron. habet: *Ambrosius Mediolanensis virtutum Episcopus sanctus, arx fidei, orator Catholicus, ad Christum Dominum commigravit. Coss. tamen Honorio IV. & Eutychiano*: labitur autem Marcellinus, (& quidem sæpe per hæc tempora) nam Coss. Cæsario, & Attico obiit S. Ambrosius, anno sc. præsenti 397. quidquid contra Henschenius sentiat Exercitat. *de anno, & die mortis S. Ambros. Episc. Mediolan.* præfixa T. 1. SS. mensis April., ubi an. sequ. die XVII. April. defunctum contendit. Certe Beda in suo gemino Martyrolog., Florus, Ado, Usuardus, R. Martyrolog. diem depositionis ejusdem ad diem IV. April. memorant, quæ dies erat Sabbati Sancti (Pascha enim eo anno 397. in diem V. ejusdem mens. incidit) ut Paulin. in Vit S. Ambros. ubi Præsulis sanctissimi morte enarrata, ait: *Atque inde ad Ecclesiam antelucana hora, qua defunctus est, corpus ipsius portatum est, ibique eadem fuit nocte, quam vigilavimus in Pascha*. Addit deinde: *Lucescente die Dominico corpus ejus* sepultum esse in Basilica & cet. Concil. Carthagin. h. an. celebratum, his nempe Coss., satis id evincit, dum Can. 48. inquit: de Donatistis, placuit, ut consulamus fratres, & Consacerdotes Siricium, & Simplicianum. Hic autem Simplicianus alius esse nequit, quam qui successit Ambrosio.

(35) Lapsus est A N., dum huic anno obitum D. Martini consignat, secutus Gregorium Turonens, qui sub Consul. Attici, & Cæsarii decessisse tradidit S. Episcopum, illius errorem corrigit Baron. Annal. T. 3. ad an. Chr. 351. n. X., & quatuor sequentib. & Paglus in Dissert. *de Anno, & die mortis S. Martini Episc. Turonens.* ostendit anno 400. obiisse die XI. Novemb.

(36) III. quidem his Coss. celebratum, non tamen *Id. Aug.* ut A. N. scribit., sed V. Kal. Septemb., ut legitur in ejus præfat. à Dionysio Exiguo recitata, ubi habetur, quod cum ex statuto Concil. Hipponensis de celebrando Concilio Plenar X. Kal. Sept., nondum omnes Provinciarum Legati adessent, Zitisensis Provinciæ legatis paulo post advenientibus, V. Kal. Sept. inchoatum est; atque in eo quinquaginta canones, ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentes, editi, in quibus & ille, quo præcipiebatur, ut Paschatis dies à Primate Carthaginensi indiceretur;

Paschatis celebrando, qui in controversia erat, ad antistitem Carthaginiensem referrent: de pueris vero apud Donatistas baptizatis, Syricium Pontificem, & Simplicianum Episcopum Mediolani consulerent, cui Concilio subscripsit etiam Sanctus Augustinus Hipponensis Episcopus. In Oriente Arcadio Eudoxia Augusta Flaccillam puellam peperit. Nectario Episcopo Constantinopolitano mortuo, (37) Joannes Antiochenus suffectus est, is, qui ab eloquentiæ magnitudine, quasi auream orationem ore funderet, Chrysostomus appellatus est. Et hoc anno Alaricus in Epiro, & Græcia cum suis inso-
398 lentius sævit. Insequenti inde Honorius quartum Consulatum suum in Occidente, Eutychianus vero in Oriente inivit. Eo anno, Syricio Pontifice VIII. Kal. Martii vita functo, (38) Anastasius Presbyter VII. Idus Aprilis est subrogatus. De quo sic Paulinus Nolanus Episcopus ad Delphidium: *Sciat Veneratio tua, Sanctum fratrem tuum Papam urbis Anastasium amantissimum esse humilitatis nostræ, nam brevi post ordinationem suam epistolas de nomine nostro plenas, & religionis, & pietatis, & pacis ad Episcopos Campaniæ misit, quibus & suum declararet affectum, & aliis benignitatis suæ præberet exemplum: deinde nos ipsos Romæ, cum solemni consuetudine ad Beatorum Apostolorum natalem venissemus, tam blande, quam honorifice excepit, postea quoque, interposito tempore, etiam ad natalem suum,* (39) *quod cum Sacerdotibus suis deferre solet, invitare dignatus est.* Honorius nuptias cum Maria Stilichonis, & Serenæ filia (40) quadriennio ante sibi desponsa, jam maturis utriusque ad ineundum matrimonium annis, Mediolani apparatu magnifico celebravit. Stilicho Mazescelem cum idonea militum manu contra Gildonem in Africam misit. Is, cum Pisis conscendisset, ad Caprariam insulam delatus, (41) sanctos quosdam viros assumpsit, quorum se apud Deum precibus victoriam pariturum putavit; atque in Africam egressus, contra Gildonem cum quinque militum millibus constitit, qui septuaginta millia in armis habebat. Inde, cum castra movere, & intercedentem superare vallem moliretur, per noctem à S. Ambrosio, qui paulo ante finem vivendi fecerat, admoneri in quiete sibi est visus, cum, manu sublata, & impacto ter humi bacillo, diceret: *Hic*, quod ille interpretatus est, tertio post die se ibi victoria potiturum. Atque ita post triduum, illatis in hostem signis, statim sine certamine milites Romanos omnes ad deditionem adduxit, barbaris fugientibus, Gildo & ipse se fugæ mandavit: verum, cum arrepta navi in altum provectus, vi ventorum Tabracam (*) esset rejectus, post aliquot dies ab hostibus captus, est strangulatus, (42) sive, ut inquit Zosimus, ne in manus hostium perveniret, ipse sibi mortem conscivit. Mazescel (43) inde ingenti potius, quam gloriosa victoria decoratus, in Italiam se recepit. Hac re Romam nunciata, eximia omnes lætitia cumulati; nam urbs,

retur; de infantibus vero per Donatistas baptizatis referretur ad Siricium & Simplicianum, an cum fuerint ad Ecclesiam conversi, parentum error illos impediat, quo minus ad sacra altaris ministeria promoveantur. Is est Canon 48.

(37) *Quinto Kal. Octobr. Nectar. Episc. C. P. diem obiit*, inquit Socrat. l. 6. 2. & D. Joann. Chrysost. electus, nequicquam obnitente Theophilo Episc. Alexandr., ut illius famam læderet, quo Isidorum suæ ipsius Ecclesiæ Presbyterum ad C. P. sedem eveheret. V. Socrat. l. c., ubi Chrysostomi ordinationem, seu potius enthronisinum ponit IV. Kal. Martii Consulatu Honorii IV., & Eutychiani.

(38) Ita in quibusdam Martyrolog., à Florentinio in Not. ad Martyrolog. S. Hieronymi ad diem 26. Novemb. In Pontificali vero dicitur: *Sepultus V. Kal. Martii*. Sed ejusdem obitus ad diem 26. Novemb. refertur in Martyrologio excuso Bedæ, attributo D. Hieronymo, Rabani, aliisque à Bollando ad diem 22. Februar. inter prætermissos citatis. Syricio successit Anastasius die decima quarta Decemb. an. 398. V. quæ Pagius ad an. Chr. 402. n. 16.

(39) Morem concurrendi ad Natalem diem Apostolor., ep. quoque 13. ad Sever., testatur Paulinus ipse duobus in locis. Immo & extant litteræ Gallæ Placidiæ Aug. ad Pulcheriam Aug., in quibus legitur: *Ut Romam frequentibus concursionibus adæque desideremus inspicere, causa nobis est amplectenda Religionis, ut terminis Sanctorum nostram exhiberemus præsentiam*. Extat T. 1. Concil. ante Chalc. vet. Edit.

(40) Hoc anno quidem, ut ex Claudiano colligitur, qui in fin. Panegyr. de 4. Consul. Honor. cecinit:

*Cum tibi protulerit festas nox pronuba tædas:*
*Quæ tali devota toro? quæ murice fulgens*
*Ibit in amplexus tanti Regina mariti?*
& paulo post:
*O mihi si liceat thalamis intendere carmen*
*Connubiale tuis?* & cet.

(41) *A Majore* (scilicet Baleari) *XII. M. P. in altum abest Capraria, insidiosa naufragiis*, ait Plin. l. 15. 19., nunc *Cabrera*. De qua Rutilius Numatianus in Itinerar. l. 1.

*Processu pelagi jam se Capraria tollit,*
*Squallet lucifugis insula plena viris:*
*Ipsi se Monachos Grajo cognomine dicunt,*
*Quod soli, nullo vivere teste volunt*. & cet.

Impius ipse Christianæ Religionis detractor sanctos Viros in insula degentes carpit. Prope Caprariam, eodem Rutilio teste, Gorgonia quoque Monachis abundabat, ut clarius ex S. Gregor. l. 1. epist. 48. V. Orosium l. 7. c. 36., quem A. N. hic exscribit.

(*) Cujus meminit Claudian. l. 2. in Eutropium:
*Inclyta captivo memoratur Tabraca Mauro.*
Plinio Tabracha, Tabathra Stephano, Thabraca Ptolomæo: Colonia, & urbs olim Episc. Africæ maritima, cum vicina insula ita etiam dicta, inter Hipponem ad occasum, & Uticam ad ortum.

(42) Ita Orosius l. 7. 36. innuere videtur. At Zosim. l. 5. 11. ait Gildonem *sibi mortem laqueo fracta gula*, conscivisse. Et sanè h. an. is debellatus, teste Marcellin. in Chron. ante diem XII. April. quo lata lex 4. de Canone frumentario urbis Romæ, qua Honorius annonæ urbis prospexit; & lex unic. de pretio panis Ostiensis: ambæ in Cod. Theod. Hinc Symmachus l. 7. epist. 58., narrato metu Romanorum ob prædictum Gildonicum bellum, subdit, jam meliorem spem affulgere rei frumentariæ. Gildonis, & Masceldeli, sive Mascezelis Historiam L. ap. Oros. 7. 36.

(43) Qui paulo post secundarum rerum insolentia elatus, *Ecclesiam temerare ausus est, atque ex ea quosdam non dubitavit extrahere. Secuta est pœna sacrilegium. Nam iisdem superstitibus, atque insultantibus, quos ab Ecclesia ad pœnam protraxerat, post aliquantum tempus solus & ipse punitus est. Probavit in se uno, ad utrumque semper divinum vigilare numen; quando & cum speravit, adjutus; & cum contempsit, occisus est*. Inquit Oros. l. 7. 36. Zosim. vero, Stilichonis invidia, illum jussum à militibus in flumen præcipitari: *Ibi Stelicho ridere, Masceldelus, fluminis abreptus impetu, suffocari*, ait l. 5. 11.

urbs, atque Italia tota ingenti annonæ difficultate levata est. Senatus eo nomine Honorio triumphum decrevit, quem fama fuit, Mediolano Romam venturum, verum omnium opinionem fefellit. Itaque Claudianus Romam hac de re conquerentem fecit, his versibus:

*Vestra parens Auguste queror, quonā usq; tenebit*
*Prælatus mea vota Ligur? vetitumque propinqua*
*Luce frui spatiis decernens gaudia parvis,*
*Torquebit Rubicon vicino nomine Tybrim?*
*Nonne semel sprevisse sat est, cum reddita bellis*
*Africa venturi spe lusit principis urbem?*
*Nec duras tantis precibus permovimus aures.*
*Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires* B
*Electi candoris equos, & nominis arcum*
*Jam molita tui, per quem radiante decorus*
*Ingrederere toga, pugnæ monumenta dicabam,*
*Defensam titulo Libyam testata perenni.*

Stilichoni vero monumentum populus Rom. ex Senatusconsulto cum his verbis constituit: *Fl. Stilichoni inlustrissimo viro, Magistro equitum, peditumque, Comiti domesticorum, Tribuno prætoriano, & ab ineunte ætate per gradus clarissimæ militiæ ad columen gloriæ sempiternæ, & regiæ affinitatis evecto, progenero Divi Theodosii, comiti Divi Theodosii Augusti in omnibus bellis, atque victoriis, & ab eo in affinitatem regiam cooptato, itemque socero Dn. Honorii Augusti, Africa consiliis* C *ejus, & provisione liberata*. Eutropio liberam prope dominationem non solum in aula, sed etiam in Imperio Arcadii exercente, (44) atque omnes omnium pecunias, opesque per varias causas in domum suam astute vertente, Gaines indigne tulit, ut qui honorem duci provectioris ætatis con-

A venientem nactus non esset, nec muneribus vel amplissimis insanam barbari cupiditatem exsaturare ad colligendam gratiam posset, ac varia secum moliri ad res novandas animo cœpit. In Epiro, ceterisque finitimis Orientis provinciis eadem Alarici, & Gothorum debacchata libido est. Constantinopoli III. Idus Martias Joannes Episcopus consecratus statim Cleri disciplinam corrigere est aggressus, inde in Magistratus urbis invectus, omnibus justo severior, ac quodammodo acerbior visus. Postero anno 399 Consulatum inierunt Manlius Theodorus, (45) & Eutropius ipse eunuchus. Hic potentia extraordinaria nixus, homo Paganus, B duo gravissima flagitia perpetravit, primum, quod in contumeliam Ecclesiæ edictum ab Arcadio extorsit, ut si quis ad Ecclesiam confugeret, ab Altari abreptus pœnas graviores persolveret, quæ lex à Joanne Episcopo ingenti animi magnitudine improbata est; deinde quod in Eudoxiam Augustam sese contumeliosius gessit. Itaque, cum propterea ad pœnam ab Arcadio quæreretur, impunitatis causa ad Templum se contulit, & contra legem à se promulgatam aram supplex amplexus est. Quam rem ubi Joannes vidit, conscenso ambone, orare instituit, (46) neque tantum facinus inultum patiendum esse diserta admodum oratione C contendit. Itaque Eutropius honore spoliatus est, nomine ejus ex Fastis exempto, (47) ita ut solus Manlius Theodorus Consul appellaretur, deinde etiam in exilium actus. Qua de re Arcadius XVI. Kal. Februarias ad Aurelianum Præfectum prætorio sic scripsit: (48) *Omnes res Eutropii, qui quondam Præpositus sacri cubiculi fuit, æra-*

(44) Eutrop. enim, teste Zos l. c. 12. *in Arcadium veluti pecudem quamdam imperium exercebat*. Sed Gaines Gothici duo exercitus provectum ad tantam dignitatem Eutropium sibi infensissimum indignatus, contra Arcadium cum Tribigildo Tribuno militum in Phrygia, sibi affini, conspiravit, ita temperatis D artibus, ut Tribigildus aperte deficeret; ipse vero Gaines dux belli in ipsum Tribigildum delectus, rem ex utriusque opportunitate gereret. Eo igitur necessitatis adduxerunt Arcadium his artibus, ut Eutropium omnibus spoliatum dignitatibus Gaini dederet. Confugit miser ad Ecclesiam, contra cujus immunitatem antea legem ab Arcadio impetraverat, inde abreptus, instante Gaine, in Cyprum insulam exul abiit: sed inde revocatus (urgebat enim Gaines ipse) Chalcedonem missus pœnas morte luit. Hæc fuse narrat Zosim. l. 5. à c. 13. usque ad 18. L. duplicem libr. Poematis à Claudiano conscripti in Eutropium. V. Sozomen. l. 8. 4. Socrat. l. 6. 6. Hæc autem evenere anno sequ. 399.

(45) De quo August. de ordin. l. 1. 21. *Hic*, inquit, *temporibus (ut omittam ceteros) vir & ingenio, & eloquentia, & ipsis insignis muneribus fortunæ, & quod ante omnia est, mente* E *præstantissimus Theodorus, quem bene ipse nosti, id agit, ut & nunc, & apud posteros nullum genus hominum de litteris nostrorum temporum jure conqueratur*. Ad hunc scripsit libr. de Vita Beata. Claudian. de ejusdem Theodori Consulatu cecinit. Dictus autem *Fl. Mallius Theodorus*, ut ex Inscriptione Gruter. p. 199 & ex Onuphrio in Fast.

(46) Socrates impudentem arrogantiæ notam inurit Chrysostomo, quasi superbe nimis in miserum Eutropium insultarit; sed qui probe noverit orationis illius mirabile artificium, & S. Episcopi consilium, facile intelliget, singula dicta eo collimasse, quo populum cohiberet ab inferendis manibus Eutropio, quem summopere oderat: tantaque fuit eloquentiæ vis, ut, furore deposito, populus fleret, & ne neci daretur, expetierit. L. eamd. orat.

(47) Hinc Claudian. l. 2. in Eutropium post multa cecinit:

*Ablato penitus respirant nomine Fasti,*
*Maturamque luem sanior aula vomit.*

De causa ademptæ dignitatis, exilii, tandem & mortis L. Philostorg. l. 11. 6. præter supra laudat. Script., quibus addendus Nicephorus l. 13. 4., ubi & refert injuriam ab Eutropio illatam Eudoxiæ Aug. *Super alia enim convicia, & illud minabundus adjecit, breve fore, ut ex Imperiali aula abjectam, ipse domum remittat. Illa autem vehementi fervens ira, filiolam utramque in utrisque ulnis ferens, ad virum accessit*, & cet. quæ casum Eutropii exhibent.

(48) Extat hæc lex 17. de Pœnis Cod. Theod., ubi per ly *Consulatu à commemoratione nominis ejus vindicato*, eradi nomen Eutropii è Fastis publicis, actisque omnibus privatis, publicisque præcipitur. Ita & oblitteratum in Fastis Heracliani nomen L. 1. de infirmand. his, quæ sub Tyrann. Eod. Cod. Pisonis quoque nomen olim eradendum Aurelius Cotta censuerat, quod impedire studuit Faberius, ut M. Pisonem eximeret infamia, teste Tacito l. 3. Ann. Imperator hic Eutropium vocat *luculentum prodigium*, quo in sensu Claudian. l. 1. in Eutrop. ait:
*Omnia cesserunt Eunucho Consule monstra*
Et post:
*Quid jam de Consule miror*
*Prodigium est quodcumque gerit.*
Honoribus, & dignitatibus spoliatur, *qui polluit morum scævitate*, sc. iniquitate, nam scævum crimen dicitur L. 44. de Episc. Dogma scævum, L. 59. de hæret., & Religio scæva L. 43. tit. eod. Cod. Theod. jussum statuas omnes aboleri, & ex fuco imagines Eutropii. In hanc rem facit Apulei locus in Apo-

*ærarii nostri calculis adjunximus, erepto splendore ejus, & à tetra illuvie, & à commemoratione nominis ejus, & cœnosis sordibus vindicato, ut ejusdem universis actibus antiquatis, omnia mutiscant tempora, nec ejus enumeratione seculi nostri labes appareat, nec ingemiscant aut qui sua virtute, aut vulneribus Romanos fines propagant, vel qui eosdem servandi juris æquitate custodiunt; quod divinum præmium Consulatus lutulentum prodigium contagione fœdavit, Patriciatus etiam dignitate, atque omnibus inferioribus spoliatum se esse cognoscat, quos morum polluit scævitate, omnes statuas, omnia simulachra tam ex ære, quam ex marmore, seu ex fucis, quam ex quacunque materia, quæ apta est effingendis, ab omnibus civitatibus, oppidis, locisque privatis, & publicis præcipimus aboleri, neque tanquam nota nostri seculi obtutus polluat intuentum. Adhibitis itaque fidis custodibus, ad Cyprum insulam perducatur, in qua tua sublimitas relegatum esse cognoscat, ut ibidem per vigili cura vallatus nequeat suarum cogitationum rabie cuncta miscere.* Inde idem graviorum criminum quoque compertus, capite pœnas dedit. Mortuo Eutropio, Gaines eandem viam ad potentiam comparandam ingressus, petere ab Arcadio non erubuit, ut Ecclesia una ex iis, quæ in urbe erant, Arrianis, quos ipse fovebat, assignaretur, quæ petitio, ut impia, atque aliena, item à Joanne vituperata est: deinde res novas in Phrygia molitus, tandem Chalcedone fœdus cum Arcadio iniit, (49) ac sese Constantinopolim retulit. Ibi vero, cum occulte Gothis à se introductis urbem diripere, (50) atque incendere statuisset, consilio patefacto inceptum omisit. Arcadius altera filia auctus est, (51) quam Pulcheriam nominavit. Eodem anno, teste D. Augustino, (52) Carthagine Gaudentius, & Jovius Comites Honorii XIV. Kal. Aprilis Deorum Templa diruerunt, & simulachra fregerunt. Honorius ipse Venetiæ oppida peragravit, siquidem Brixiæ, Veronæ, Patavii, & Altini fuisse reperitur. (53) Altino autem Kal. Decembris sic edixit: *Ex possessionibus Gildonis, quæ ad nostrum ærarium sunt devolutæ, Canonem omnium titulorum ex integro solemni more, impetrata cautione, solvi præcipimus.*
Stilicho ab Arcadio invitatus, ut Consulatum in Eutropii locum iniret, in insequen- 400
tem annum accepit, eumque cum Aureliano Præfecto prætorio in Oriente inivit, (54) profectusque post annos quinque Romam, ingenti plausu à populo cuncto exceptus est, sive cum circum, & ludos inivit, (55) sive cum in foro pro Tribunali jus dixit, sive cum rostra conscendit, teste Claudiano, qui ita scripsit:

*Et quod adhuc nullo potuit terrore coacta*
*Libertas Romana pati, Stilichonis amori*
*Detulit. Exultant avidi, quocunque decorus*
*Conspiciare loco, nomenque ad sydera tollunt.*
*Nec vaga dilecto satiantur lumina vultu,*
*Seu circum trabeis fulgentibus aureus intres,*
*Seu celebres ludos, solio seu fultus eburno*
*Cingas jure forum, denso sub turbine vulgi*
*Circumfusa tuæ conscendant rostra secures.*

Annus hic fuit à Christo nato quadringentesimus, omnium, quos Occidens vidit, maxime memorandus extitit; namque initium irruptionum barbaricarum, quibus in dies magis sævientibus, Occidentale Imperium est usque ad extremam internecionem afflictum. Neque enim ullum sive bellicæ calamitatis, sive barbaricæ feritatis, sive vesanæ cujusdam libidinis excogitari exemplum potuit, quod non in ipsas provincias, civitates, agros, hominesque passim cum maxima atrocitate sit editum. Quippe Alaricus, cum per quinquennium in Epiro Imperii Orientalis provincia una cum Gotthis fœdis Græciæ direptionibus, & maleficiis intentus sedisset, tandem animum ad invadendum Occidentem adjecit, atque in Dalmatiam, &, ut Jornandes scripsit (56) in Pannoniam transiit, easque late populans, duci-

---

Apolog p. 86. *Enimvero, quod luto fictum, vel ære infusum, vel lapide incisum, vel cera inustum, vel pigmento illitum, vel alio quopiam humano artificio adsimulatum est*, & cet.

(49) *Coitum est in quodam ante Chalcedonem loco, ubi Euphemia religiosæ Martyris ædes extructa stabat, quæ propter cultum Christo præstitum honore afficitur*, inquit Zosim. l. 5. 18. post med. Eo pervenit Arcadius, postulante Gaine, fœdusque ictum.

(50) Zosim. l. c. in fin ait: *Barbaris vero clam datis signis hortatur*, (Gaines) *ut ubi milites egressi urbe conspexissent, confestim eam militum ope destitutam* (quos eo consilio alio amandarat) *invaderent, & potestatem universam sibi traderent.*

(51) Ita habet Marcellinus in Chronic., & Auct. Chron. Alexandr., qui addit, eam natam mense Audinæo, XIV. Kal. Februar. Si tamen vera sunt, quæ Philostorg. l. 11. c. 6 tradit de Eudoxia, ulnis suis ambas filias complectente, ut Arcadium adversus Eutropium commoveret, dicendum est, lapsum esse Marcellinum, ex quo Auct. Chr. Alex. plura excerpsit, in consignando Pulcheriæ ortu præsenti anno.

(52) Lib. de Civit. Dei 18. c. ult. id narrat: sed cum populus Christianus conserto agmine impetum faceret in magnifica quædam templorum ædificia, non sine urbium insigni deformitate, edicta Honorius promulgavit ad id compescendum. Vide L. 15. de Paganis C. Theod., & L. 18 eod. tit.

(53) VI. enim Kal. Febr. Ravennæ emisit legem 15., & III. Kal. Septemb. Patavii legem 18. supra laudatas. Brixiæ L. 34. *de Episc.* VII. Kal. Jul. Item Brixiæ L. 3. de habitu, quo uti oport. Veronæ L. 59. de appellat. Prid. Id. Jun. Altino L. 3. de canone frumentario prid. Non. Septemb., alias ibidem, in quibus Kal. Decemb. L. 16. de bonis proscript., quam hic A. N. commemorat ex Cod. Theodosiano.

(54) Qui, teste Philostorgio, interfuit judicio de Eutropio habito l. 11. 6.

(55) Edebant Consules ludos circenses, & quidem tantis sumptibus, ut Libanius panegyri ad Julian., misereri se illorum fateatur; unde Alexander Severus (ut apud Lampridium c. 43.) *Consules quoscumque vel ordinarios, vel suffectos creavit, ex Senatus sententia nominavit, sumptum eorum contrahens.* Aliquando vero sumptu publico Imperatores hos fieri ludos voluere, ut testatur Vopiscus in Aureliano c. 12. De apparatu autem Stilichonis Cons. Claud. in ejus Consul. v. 345 canit:

*Tum virides pardos, & cætera colligit austri*
*Prodigia, immanesque simul Latonia dentes,*
*Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes,*
*Inscripti rutilum cælato Consule nomen*
*Per Proceres, & vulgus eant . . . .*

(56) Lib. de Rebus Gethicis, ubi ait de Alarico: *sumpto exercitu, per Pannonias, Stilichone, & Aureliano Coss., & per Sirmium dextro latere, quasi viris vacuam intravit Italiam: nullo penitus obsistente, ad pontem applicuit Candidiani, qui tertio milliario ab urbe erat regia Ravennate.* Ita & Prosper, ac Cassiodor. in Chronicis ad Consulatum Stilichonis, & Aureliani anno 400. gestum.

A dueibus Honorii patientibus, pereurfavit. Has vero clades à Gotthis, eeterifque barbaris eorum fociis per fuperiores annos illatas, D. Hieronymus epiftola tertia his verbis expreffit: (57) *Viginti & eo amplius anni funt, cum inter Conftantinopolim, & Alpes Julias quotidie Romanus fanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theffaliam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctafque Pannonias Gotthus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni inftant, rapiunt. Quot matronæ, quos virgines Dei, & ingenua, nobiliaque corpora his belluis fuere ludibrio? capti Epifcopi, interfecti Presbyteri, & diverfo-* B *rum officia Clericorum, fubverfæ Ecclefiæ, ad Altaria Chrifti ftabulati equi, Martyrum effoffæ Reliquiæ, Romanus orbis ruit. Quid putas nunc habere animi Corinthios, Athenienfes, Lacedæmonios, Arcadas, cunctamque Græciam, quibus imperant barbari?* Hæc ille ante Gotthicam in Italiam irruptionem feribit, ex quibus has provincias magna ex parte in poteftate Gotthorum fuiffe, perfpicitur. Honorius, impreffione Gotthorum in Dalmatiam, ae Pannoniam provineias fuas audita, vehementer Italiæ timere, quæ eum his jungebatur, inftituit; ae propterea, Ravennæ eum effet, VIII. Idus Augufti damnatos omnes domum revocavit, C (58) atque Altinum, ac demum etiam Aquilejam ad ea, quæ opus erant, procuranda perrexit. Interim Gaines ad Hellefpontum profectus, ut, trajectione facta, Afiam occuparet, Romana adveniente elaffe, cujus dux erat Fravitta, (59) homo Gotthus, prœlium navale committere eft eoactus, in quo, tempeftate eoorta, majorem Gotthorum partem amifit. Quare, omiffo Afiæ eonfilio, fe reeepit in Thraciam, eo eonfilio, ut, transmiffo Iftro, in ulteriorem Scythiam fe referret. Hudin (60) autem Hunnorum, qui trans Iftrum erant, prineeps, parum utilem rebus fuis fore adventum ejus ratus, ac gratiam fe initurum ab Areadio arbitratus, eum à trajectione eoërcuit, prœlioque memorabili edito, vita exuit, ac eaput ejus ad Areadium mifit, atque eo beneficio fœdere in focietatem acceptus eft. Eodem anno Venerius Epifcopus Mediolanenfis in locum Simpliciani mortui eft fublectus, (61) de qua caufa fic Paulinus: *Mediolanenfis quoque novus filius vefter, nunc frater Venerius jam fcripferat nobis poft ordinationem fuam.* In Africa eum Petilianus Donatifta fæviret, (62) ufque eo intemperantia, & procaeitate linguæ provectus eft, ut feripferit, Catholicos habere cathedram, quam David peftilentiæ eathedram appellaffet, eis enim jufte relictam effe, quia in ea Sancti federe non poffent, eui Divus Auguftinus refpondit: *Si omnes per totum Orbem tales effent, quales vaniffime criminaris, cathedra tibi quid fecit Ecclefiæ Romanæ, in qua Petrus fedit, & in qua hodie Joannes * fedet? quibus nos in Catholica veritate connectimur, & à quibus vos nefario furore feparatis? Quare appellas cathedram peftilentiæ, cathedram Apoftolicam? fi propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, nunquid Dominus Jefus Chriftus propter Pharifæos, de quibus ait: Dicunt enim, & non faciunt, cathedræ, in qua fedebant, ullam fecit mentionem?* Cum Chriftiani Gazæ in Palæftina male à Gentilibus ibi prævalentibus haberentur, Porphyrius Epifeopus (63) ægre paffus, Joanne Cæ-

(57) Hanc epift. fcripfit Hieronym. an 396. ordine 3. ad Heliodor., cum enim Gothi Iftrum fuperarint an. 376., & *viginti illi anni* ab eodem memorati in l. epift. anno 396. definant, & annus incipiat vigefimus primus, fequitur, nonnifi an. 396. hæc à Hieronymo fcripta, ex quibus liquet, non Alaricum tantummodo cum Gothis fuis Græciam, D fed & Hunnos quoque vaftaffe Orientem, quamvis Zofimus de hac ultima clade non loquatur. Ex ead. 3. Hieronymi epiftola facile intelliguntur, quæ de Hunnorum irruptione in Imperium narrat epift 30. de Epitaphio Fabiolæ.

(58) Remeare hos permifit, militiæ forfan gratia, ut A. N. coujecit, ad quem finem quoque fpectat L. 12. de Veteranis Cod. Theod., & L. 18. de re militari, & L. 10. de deferotibus ibid., ubi & præfens Lex 10. de Indulgentiis criminum.

(59) Non *Flavium*, ut Auct. Chron. Alex. *Fravitam* edunt Caffiodor., Profper, Fafti Heracliani, aliique; Zofimus *Frajutum* Φραΐυτον vocat; natione Gothus, religione Paganus, ut Philoftorg. l. 11. c. 8., & Zofim. l. 5. 20. Suidas quoque in voce Φρίβιτος, cujus res E geftas hoc an. adverfus Gainem L. apud Zofim. l. c. fufe narrantem; Socrat. l. 6. 6. & Sozom. l. 7. 4.

(60) Οὔλδης, Uldes appell. à Zofim. l. c. 22., ubi prælium hoc recenfet. Sane præfenti ann. evenit, ut Gaines occifus fuerit, nam Auct. Chron. Alex. fub Cofs. anni infequentis ait: *His Coff. tranfmiffa eft cervix Gainæ Gothi, menfe Audynæo, III. Non. Januar.* Hinc corrigendus Marcellinus fub anni 400. Cofs., dum interfectum Gainam fcribit *menfe Februario*, legendumque *Decembri*; hoc anno vivebat namque, die 23. Decembris, cum Gothi quamplurimi fluctibus haufti; etenim Auct. Chron. Alex. fub hujus an. Cofs. habet: *Haufti item fluctibus in mari angufto, quod Stenon in Cherroneso appellatur, Gothi, menfe Apellæo X. Kal. Januarias.* Quare Gainæ interitus inter diem 23. Decembr., & diem 3. menfis Januarii contigit.

(61) Præfenti anno defunctum S. Simplicianum Mediolanenfem Epifcopum, liquet ex eo, quod Concil. Carthaginenfe, vulgo *Quintum* appellatum, habitum *poft Confulatum Fl. Stilichonis XIV. Kal. Jul.*, an. fc. fequ., dicit: *Anaftafium Sedis Apoftolicæ Epifcopum, & Venerium Sacerdotem Mediolanenfis Ecclefiæ conveniendos effe.* Simplicianus autem mortuus dicitur *XVIII. Kal. Sept.* in Catalogo Epifcoporum Ecclefiæ Mediolanenf. à Mabillonio T. 1. Mufæi Italici ex MS. Biblioth. Ambrofian. deferipto. De Venerio fcribit S. Paulinus, ab A. N. relatus, epift. 20. ad Delphinum, alias 16.

(62) Hic Advocatus forenfis antea fuerat, & catholicus Cathecumenus, fed Cirtæ in Numidia, raptus à Donatiftis, invitus baptizatur, & ordinatur, tefte Auguft. l. 2. *contra litter. Petiliani* c. 104., unde Donatiftarum evafit defenfor acerrimus, fuitque unus ex feptem Epifcopis, qui in Carthagin. Collation. an. 411. habita, adverfus totidem Catholicos Epifcopos difputarunt, & tres illas, quas Auguftinus refellit, epiftolas contra Catholicos fcripfit Presbyteris, & Diaconibus Donatianis. In libro autem 2. c. 51. Auguft. hæc habet ab A. N. laudata; fed ubi habetur *Joannes*, legendum: *in qua hodie Anaftafius fedet.* Fuit autem Petilianus Epifcopus Cirtæ, quæ & Cirta Conftantina quoque dicitur; unde l. c. Auguft., modo Cirtenfem, modo Conftantinenfem Epifcopum nominat.

(63) Gazenfis nempe, qui an. D. 398. Marcum Diaconum miferat adverfus Gentiles Gazenfes, ut Marcus ipfe teftatur in Vita S. Porphyr., quam Henfchenius latine recitat ad diem 26. Februar., cum Græcum autographum nullum ad nos pervenerit.

Cæsareæ Episcopo Comite ascito, Constantinopolim ad eas injurias conquerendas perrexit, atque urbem ingressus, Joannis Episcopi apud Imperatorem auxilium imploravit. Ille Arcadium sibi esse iratum causatus, (64) negotium eorum Amantio eunucho, viro apud Eudoxiam Augustam gratiosissimo, se commendaturum promisit. Eudoxia, ubi Episcopos ab Amantio introductos aspexit, salute ultro dicta, veniam, quod eis non assurgeret, petiit, causa in uterum, quem ferret, conjecta, ac postulatis eorum cognitis, se cum marito colloquuturam, asseruit. Arcadius se, quod illi poscebant, Templa Gentilium Gazæ diruturum, abnuit, quod magnis ab ea civitate vectigalibus juvaretur; verum ea clausurum ostendit, ut eis spoliati ad veritatem recipiendam impellerentur. Eudoxia inde in spem ab Episcopis excitata, fore, ut virilem prolem pareret, eamque diu prospere imperantem videret, omnino sui eos voti compotes facturam promisit, ac paulo post
401 filium peperit, IV. Idus Aprilis, (65) cum jam Consulatum inissent Vincentius, & Fravitta, is, quem ducem Arcadii diximus, ac post septem dies, accersitis Episcopis, ac filium Cruce signare, & sancta benedictione afficere jussis, quid eos facere vellet, edocuit. Ubi vera dies Baptismatis venit, cum tota civitas coronis, atque aulæis ornata esset, puer, Magistratibus, & cuncta nobilitate prosequente, ad Ecclesiam latus, & sacro fonte infectus, Theodosii nomen, atque Augusti dignitatem accepit, cum & ipse pater adesset Arcadius. Quo facto, Episcopi, prout ab Eudoxia fuerant jussi, diploma Augusto puero porrexerunt: qui vero infantem ferebat, eo lecto, caput ipsius, perinde ac si ille annueret, inclinavit, ac palam dixit, placere Augusto, ea expleri, quæ petita fuissent. Ob id Arcadius (quoniam ea prima filii Augusti jussio fuerat) adversari Episcoporum voluntati nesciens, rescriptum Episcopis suo, & filii nomine reddidit. Ita, reverso Gazam Porphyrio, Templa, atque Imagines omnes Deorum eversæ sunt. (66) Aurelius Episcopus Concilium alterum Carthagine habuit, (67) ac XIV. Kal. Julias decrevit, ut legati ad Anastasium Pontificem, & Venerium Mediolani Episcopum mitterentur, qui necessitates Ecclesiarum Africæ demonstrarent, (68) eosque præter cetera de pueris apud hæreticos baptizatis consulerent; (69) ab Imperatoribus vero postularent, ut reliquias simulachrorum in Africa abolerent. Inde Idibus Septembris, recitatis litteris Anastasii Pontificis, quibus monebat, ut obviam hæresi Donatistarum iretur, statuit, ut legati ad singulas Africæ Ecclesias mitterentur, qui Catholicos à Donatistis removerent, & cum Imperatoribus de tollendis Idolorum reliquiis agerent. Eodem anno Anastasius ipse Romæ mortuus est V. Kal. Maji, (70) de quo sic D. Hieronymus: *Succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali Episcopo truncaretur*. In ejus locum Innocentius Diaconus est suffectus. (71) Interim, vexata, populataque Pannonia, Alaricum dira libido incessit Italiæ

(64) Irarum hanc causam Chrysostomus ipse apud Marcum laudat, affert: *Ego non possum loqui* (inquit) *cum Imperatore, eum enim in me irritavit Imperatrix, quoniam eam reprehendi propter possessionem, quam cum concupiisset, eripuit*.

(65) Nascitur Theodosius junior *IV. Id. April*, ut Socrat. l. 6. 6, & Auctor Chron Alex. *III. Id. April.*, Marcellin. in Chron, Vincentio, & Fravita Coss. an. 401. Augusti dignitate, statim post baptismum, fuisse ornatum Marcus cit. affirmare videtur, ex quo hanc narrationem A. N. hausit. Sed ex Marci verbis, quæ Græca non habemus, *renunciatus*, dicitur, fortasse intelligitur *designatus*; nam Auct. Chron. Alexandr. tradit: *Hi Coss.*, (sc. Arcadio A. V., & Honorio A. V.) *Theodosius junior C. P. ad Hebdomum in Tribunali ab Arcadio Patre, mense Audynæo, IV. Id. Januar creatus est Augustus*.

(66) Vide hæc fuse descripta a Marco Diacono, & Discipulo S. Porphyrii in ejus Vita apud superius laudatum Henschen.

(67) Concilium hoc est quintum Carthaginense in Veteri Collectione, quod habitum fuit *post Consulat.* Fl. Stilich., XIV. Kal. Jul. an. 401., cui adjuncti sunt quoque Canones Synodi habitæ, Vincentio, & Flavito Coss. Id. Septemb. ejusdem anni. Cum itaque eod. anno fuerint celebrata, sub unius Concilii *quinti* nomine exhibentur in V. Collection. L. Marca in Dissert. de Veter. Collect. Can. cap 8., & sequ., Schelestratium in Dissert. III. de Ecclesia Africana c. 10.

(68) Indigebant Africanæ Ecclesiæ sacris ministris: *multæ Ecclesiæ ita desertæ sint, ut ne unum quidem Diaconum habere reperiantur*, & cet., inquit Aurel. Episc. Carthagin., Patres Concilii alloquens. Extat T. 1. Concil. Tum Venerius Mediolanensis, tum Anastasius Summus Pont. prospexere opera, atque consiliis indigentiæ Ecclesiæ Africanæ; nam S. Paulinum Africam adiisse patet, eum apud Fortunatum Diacon. Carthagine se consedisse testetur, & *in V. S. Ambrosii*, se illam, Augustino petente, conscripsisse affirmet.

(69) Cum enim Donatistæ, Catholicos à se deceptos, suoque schismati implicitos denuo baptizarent, teste August. l. de Hæresib. c. 69., l. 2. contra epist. Parmeniani, & alibi passim, multo magis dubitabant Catholici, an à Donatistis baptizati, essent denuò sacro fonte abluendi.

(70) Recte h. anno, & non 402., ut censuit Baron. ad an. Chr. prædictum pag. 118. n. 42. Chronic. Prosperi, & Marcellini secutus, qui primum Innocentii successoris annum anno Chr. 402. assignant. Sedit quippe annos tres, dies decem, ut habetur in Orderico l. 2. pag. 443. in auctiori Chron. Veter. Pontificum, in variis exemplaribus MSS. Anastasii in fin. Editionis Regiæ memoratis: in Chronico item MS. Prosperi in Biblioth. Colbertina asservato, num. 1268. notato, ubi Anastasii initium consignatur anno Consulatus Honor. A IV., & Eutychiani, an. 398. gesto, & sedisse dicitur annos tres dies 22., cum tamen legendum sit dies decem, ut ex Catalogis supra dictis liquet. Cum itaque die quinta Decembris anni 398. Pontificatum inierit, die decima quarta Decembris anni 401. vivere desiit, cum sedisset annos tres dies decem, emortuali incluso. Nec officit, in libro Pontificali Anastasium dici mortuum *V. Kal. Maji*, unde & A. N. desumpsit; ibi namque dies Translationis, non emortualis indicatur; hunc autem notat Martyrolog. Hieronymianum die decima quarta Decemb., proindeque h. an. mortuus Anastasius, de quo Hierony. loquitur epist. 16. quam A. N. hic memorat.

(71) Cum Sedes Romana vacasset dies septem. V. Pag. in Ann. Baron. ad an. Chr. 402. num. XIX. pag. 52., & fusius ad an. Chr. 417. num. IV., & V. cum sequ., ubi de annis Pontificatus Innocentii agit, pag. 133.

hæ invadendæ, (72) atque adeo etiam (quod nefas auditu videretur) urbis Romæ diripiendæ; quam ob rem advocatos Gotthos sic alloqui cœpit: debere eos nova potius regna labore suo quærere, quam alienis per otium inservire, vicinam superesse Italiam regionem non tam ad prædam contrahendam opulentissimam, quam ad firmas sedes, si Deus cœptis aspiraret, collocandas omnium honestissimam: eam se invadere militaribus præsidiis haudquaquam satis adversus se communitam, in animo habere, neque inde, nisi Roma capta, atque direpta, recedere, quam satis constaret, propter innumerabiles collectas per tot secula ex toto terrarum orbe divitias, omnium, quæ fama celebrarentur, urbium esse copiosissimam. Quem, cum perorasset, magno omnes clamore subito exceperunt, eumque, ut iret, hortati, non modo sibi ducem, sed Regem etiam asciverunt, ac se statim ad expeditionem Italicam accinxerunt. Alaricus autem, exeunte æstate, irruptionem sibi censuit ineundam, ut bellum per hyemem in Italia gereret, cujus etiam sævientis Gotthi gens frigidissimis in locis nata patientissima esset; (73) sic enim Italos & minime tum à periculis hostilibus cautos, & parum ad rem gerendam idoneos propter asperitatem temporis esse futuros. Hujus autem apparatus fama in Italiam perlata vehementius cunctorum populorum animos metu malorum omnium consternavit. Auxere etiam pavorem prodigia multa, quæ paulo ante minime, ut fit, animadversa, nunc in omnem tristiorem partem à solicitis rerum futurarum mentibus trahebantur. (74) Nam & insignes Solis, Lunæque defectiones inciderant, & stella crinita conspecta fuerat, quæ ab ortu Solis versus Aquilonem profecta evanuerat, & grandines inusitatæ magnitudinis è cœlo ceciderant, & loca multa tacta fulminibus fuerant, & multis in partibus fœda ædificiorum incendia casu evenerant, &, quod vehementius terrebat animos, lupi duo in campum, dum Honorius equestrem decursionem conficeret, ventitarant, atque occisi, & exsecti manus duas humanas ex ventre emiserant, unus dextram, alter sinistram. Rhæti etiam sive à Gotthis solicitati, sive eorum motu præcepto, ultro in spem rerum novarum erecti magnum, cum defecissent, terrorem incusserunt. Ea de causa Stilicho & Romæ, & ceteris in urbibus, quæ nobilitate præstabant, muros, qua infirmiores erant, refecit, (75) præsidiaque in finibus ingenti cura, quam maxima potuit, imposuit, & ad Rhætos continendos lectissimum militum numerum misit. Hunc in modum, quæ omnibus ante esse formidini solita fuerat, ipsa immanem ex ultima barbarie gentem horrere demum Italia cœpit, ita ut ab hoc tempore usque ad Caroli Magni Imperium omnium calamitatum aut præsentium sensu, aut impendentium metu perculsa, nunquam quieverit, verum humanorum malorum extrema omnia passa sit, atque Ecclesia Dei, quæ paulo ante constituta per Constantinum, inde per annos centum in aliqua esse dignitate, ac potentia cœperat, maximam ex omni parte jacturam, labemque contraxerit. Ceterum Alaricus, Gotthis, Alanis, Hunnisque aliquot subsequentibus, ex inferiore Pannonia digressus, recto itinere in superiorem usque ad Alpes Noricas venit, quibus, pulso Honorii præsidio, superatis, Noricum ipsum Aëtio duce invito, irrupit, & quod audiret Honorium in Liguria esse, per Tridentinum saltum in Venetiam XIV. Kal. Septembris descendit, obvia quæque Alpina oppida primo impetu capiens. Etenim Claudianus fortunatos admodum ejus fuisse scribit (*)

*Ingressus, solo peragens cum murmure bellum*
*Protento leviter frangebat mœnia conto,*
*Irridens scopulos.*

Inde, itinere Abduam versus suscepto, occurrentes Venetiæ urbes omnes brevi oppugnatione redegit in potestatem, ita ut, teste eodem Poëta, viderentur:

*quamvis adamante rigentes*
*Turribus invalidis fragiles procumbere muri,*
*Ferratæque Getis ultro se pandere portæ.*

Itaque ab omnibus prope jam capta Roma, subactaque uno impetu belli Italia credebatur, multique de illa deserenda, & adeundis insulis Corsica, Sardinia, & Sicilia cogitabant, præcipue qui ulteriorem partem Italiæ habitabant; nam citeriores, ac præsertim Venetiæ populi, qui maris Adriatici æstuaria accolebant, Aquilejenses, Concordienses, Altinates, Opitergini, & Patavini, si in se moles illa belli conversa esset, parvis, quæ in æstuario erant, insulis imminebant. Trajecto inde Abdua, firmo militum præsidio ad tuendum, quem in amnem construxerat, pontem relicto, in Liguriam transiit, atque ire ad Padum recto cursu contendit, ut Hastam demum, ubi erat Honorius, perveniret. Qua re provisa, tantus tumultus in ea urbe factus est, ut non solum cives, sed etiam aula regia consilium capessendæ in Galliam fugæ inierint. Quos Stilicho accommodata ad tempus oratione securo animo esse, ac bene sperare jussit,

(72) Jam ab an. 400., *Stilichone sc., & Aureliano Coss.* Alaricus Italiam ingressus dicitur à Jornande (cujus verba superius sunt relata) l. de Rebus Gethicis, quod constat item ex Prospero, & Cassiodoro in Chronicis ad Consular. Stilichon., & Aurelian. Et ad Consulat. Arcadii V, & Honorii V., ad an nempe 402. Prosper scribit: *Adversus Gothos vehementer utriusque partis clade pugnatum est.* Idemque ad eum annum referunt Cassiodorus, & Jornandes, quos A. N. sequitur in consignanda, anno sequenti, pugna ad Pollentiam commissa.

(73) Hinc Claud. de VI. Consulat. Honor. v. 467. de Alarico ait:
*Et ruptas animis spirans immanibus Alpes,*
*Jam Ligurum trepidis admoverat agmina muris,*
*Tutus auxilio brumæ, quod gentibus illis*
*Frigore consuetis favet inclementia cœli.*

(74) Narrat hæc Philostorgius l. 11. c. 7. Claudian. *De Bello Get.* v. 251., plures memorat Lunæ Eclypses an. praeced. fortasse pugnam Pollentino in agro commissam indicantes. Nullam vero Calvisius, & Grandam solis notant Eclypsim ad an. Chr. 402, & 403. Cetera portenta L. apud Claudian. l. c., à quo A. N., quæ deinceps narrat, hausit.

(75) Extat Romæ vetus inscriptio, in qua dicitur eam murorum restaurationem factam curante Fl. Macrobio Longiniano V. C. Præf. Urbis. V. apud Gruter. 165. 1. Sed Longinianus nonnisi an. 406. P. F., ad quem data lex *de navib. non excus.* L. 10. *de confitoribus*; & lex 15. *de desertoribus* Cod. Theod.

(*) *In VI. Consulatu Honorii*; & *Bell. Get.*

A jussit, quippe Gotthos, occasione exercitus Romani in Rhætis illigati, non virtute propria nixos, tantum facinus esse ausos. Inde hortatus, ut muros, si obsidio inferretur, fortissimo animo tuerentur, relicto ibi cum familia sua Honorio, (76) occulto, ac properato itinere in Rhætiam abiit, ut, rebus Rhætorum compositis, exercitum, qui ibi erat, citra Alpes adduceret, ac Lacum Larium (77) navicula emensus, sæviente hyeme, in Rhætiam per Alpes nive, glacieque rigentes omnia perpessus incommoda penetravit. Interim Alaricus, trajecto per otium Pado, castra Hastæ admovit, eamque obsidione circumdedit, atque

B interim cædes hominum, incensiones tectorum, prædasque agrestium, ac pecorum, quam latissime potuit, fecit, Honorio facile omnem tempestatem obsidionis Gotthicæ pro
402 insita virtute animi sustinente. Arcadio inde, atque Honorio utroque Consulatum quintum gerentibus, Rhæti, ceterique Alpini populi, ubi Stilichonem nec opinato viderunt, repentino metu perculsi omnem armorum cogitationem abjecerunt, quos Stilicho alloquutus cum partim increpuisset, quod levi Gotthicæ impressionis fama impulsi arma cepissent, partim etiam blandis verbis ad retinendam pristinam erga Imperatorem fidem, ac benevolentiam, excitasset, omnes ad arma pro Italia, atque adeo

C pro ipso, qui obsidebatur, Honorio capienda incendit, acceptoque Romano, qui ibi versabatur, exercitu, & legionibus, quæ Gallicos, & Britannicos limites tuebantur, accitis, maximum exercitum, ac prope Gothico parem confecit, & cum eo in Liguriam, quam maximis potuit itineribus, rediit. Eodem die, quo ille citra Alpes salvus pervenit, Romam ejus rei nuncius incerto auctore perlatus est. Ibi vero, atque in singulis Italiæ urbibus, collectis ex magna desperatione animis, ingens gratulatio facta, censentibus singulis Stilichonis virtute, ac diligentia effectum, ne uno ictu Roma, Imperiumque corrueret. Ille autem,

D quod de Honorii salute erat solicitus, majore parte exercitus se subsequi justis itineribus jussa, cum expeditis equitum turmis præcessit, atque ad hostem improviso pervenit, qui, ut inquit Claudianus, pontem, viamque tenebat

*Abdua quo scissas spumosior incitat undas.*

Abdua inde, ac demum etiam Pado trajectis, cum late campos omnes ab hoste infessos videret, facto ferro impetu, per Gotthorum castra pervasit, atque ad Honorium denique præter spem omnium cum suis salvus accessit, lætissimis animis ab effusa portis civitate exceptus. Alaricus autem, ut se novo adventante circumveniri exercitu sensit, æstuare animo, & de se ipso laborare instituit, atque consilii sui, quod res tentasset Italiæ, prorsus pœnituit, motisque ab Hasta castris, ad Pollentiam oppidum septem millibus passuum longe ab Hasta situm consedit, (78) quem Stilicho cum universo, postquam confirmatus fuit, exercitu, raptim est insequutus, in celeritate positam esse victoriam putans, ac castra castris ejus opposuit, seque universi prœlii fortunam non recusare, ostendit. Nec mora, uterque exercitus constitit, paratus in eam pugnam, in qua victori Roma orbis terrarum domina præmium erat futura. Cum autem Saul quidam, (79) (ut inquit Orosius, ) (neque enim Claudianus nomen edit, ) dux equitibus Alanis præesset, ac rei gerendæ à Stilichone arbitrium accepisset, consilium cepit, quod, ut impium fuit, sic tristem eventum habuit, quippe cum, instante die Paschatis, Gotthos religionis causa ab armis cessaturos, tanquam Christianos, existimaret, sacratissimo illo die, (ipse enim erat Paganus, ) eos sibi adoriendos constituit. Quo facto, Gotthi capere arma compulsi, eo majore animorum ardore pugnarunt, tantoque impetu illius impetum exceperunt, ut non solum impium ducem interfecerint, sed copias etiam ejus in fugam averterint, unde queritur Orosius, inquiens: *Taceo de infelicibus illis ad Pollentiam gestis, cum barbaro, & Pagano duci, hoc est, Sauli, summa belli commissa est, cujus improbitate reverendissimi dies, & sanctum Pascha violatum est, cedentique hosti propter religionem, ut pugnaret, extortum est.* Cum autem equestrem aciem amisso duce turbatam in fugam verti Stilicho, atque Honorius cernerent, continuo legiones in prœlium induxerunt, atque equites converso impetu redire in aciem coëgerunt. Pugnatum est inde magno utrinque studio, æquo Marte, per multas horas. Tandem Gotthi pulsi campo cesserunt, (80) palatique passim varia strage concisi sunt, nec prœlium atrocius aliud per

(76) Honorius h. an. usque ad mensem Julium Mediolani substitit, ut variæ LL. Cod. Theod. evincunt. III. Kal. Octob. erat Altini, ut constat ex L. unica, *de Offic. Vicarii*. V. Chron. ejusdem Cod. p. 144

(77) Ibi natus Plinius junior, qui l. 9. epist. 7. *plures villas in ejus littore* se habuisse ait. Hujus meminit quoque Virgil. l. 2. Georg. v. 159.

(78) Jornandes c. 30. *de reb. Get.* refert, petiisse Alarichum ab Honorio, liceret sibi, Gothisque suis Italiam incolere simul cum Romanis, secus bellum se illaturum. Subdit Imperatorem, quo hostem pelleret Italia, Gallias, Hispaniasque concessisse Alaricho, *si valeret* sibi illas vendicare, à *Gizerico* Vvandalorum Rege vastatas, *donatione hac sacro oraculo* confirmata: arrisisse id Gothis. Sed iis *ad traditam sibi patriam* proficiscentibus, *Stilicho ad Polentiam civitatem in Alpibus Cottiis locatam dolose accedens, nihilque mali suspicantibus Gothis, ad necem totius Italiæ, suamque deformitatem ruit in bellum*. Sed posterioribus annis Gothi Gallias ingressi, & serius Hispanias.

E

(79) Duci nomen id fuisse Oros. tradit l. 7. c. 25. cujus verba ab A. N. laudantur: Sed Claudian. *de Bell. Get.* Cassiodor. in Chr Prudent. in Sym l. 2. p. 241. Stilichonem imperasse exercitui affirmant prœlium hoc, Paschatis die, qui fuit hoc an. 402 VI. Aprilis, gestum. Alia deinde prœlia habita Hastæ, & Veronæ, ut Claudian testatur in sexto Consul. Honorii: imò & in aliis oppidis, ut Jornandes refert l *de Reb. Get.*

(80) Claudian., & Prudentius integram, absolutamque victoriam Romanis adjudicant ll. cc. Cassiodor. è contra in Chron. prodidit Romanas copias a Gothis fusas, fugatasque. Jornandes, primo Romanorum impetu territos fuisse Gothos, sed deinde redintegratis viribus fortiter adeo pugnasse, ut universum fere R. exercitum trucidaverint, *De Rebus Get.* c. 30 pag. 653. Orosius inquit l. 7. c. 37. init. post verba ab A. N. hic relata: *Taceo de infelicibus illis*, & cet, subdens, *pugnantes vicimus, victores victi sumus* S. Prosper in Chron. ad an 402. *Adversus Gothos*, inquit, *vehementer utrinsque clade pugnatum est*. Sed quæ A. N. narrat, à Claudiano

per multos ante annos est editum. Captivi Italici omnes recepti, & castra Gotthorum opulentissima capta, tantaque præda parta, ut damna farcire à Gotthis per multos ante annos illata potuerit. Inter ceteros nurus etiam Alarici venerunt in potestatem. Stilicho, cum Alaricum, ac reliquum ejus exercitum fuga intercludere posset, consulto dimisit, (81) ne hostem usque ad Apenninum progressum, ac citra Padum Romanis jam prope mœnibus imminentem, in novi prœlii faciendi, & virtutis, ut in extremis rebus, experiendæ necessitatem adduceret, neve, incommodo aliquo accepto, viam petendæ Romæ subito patefaceret; verum fœdus cum eo postulante percussit, ac, redditis captivis, trans Padum pacate se referre, permisit. Ita Alaricus cum dimidio copiarum, earumque inermium, ac paventium se recepit. Quoniam autem Stilicho primum male, deinde bene pugnavit, propterea Prosper scripsit, Arcadio, & Honorio quintum Consulibus, adversus Gotthos Pollentiæ magna utriusque partis clade pugnatum esse; & Cassiodorus, Stilichonem ad Pollentiam cum exercitu Romano victum à Gothis fuisse. Ceterum eo modo, quo scripsi, rem ad Pollentiam gestam prodidit Claudianus, ita eam complectens: (82)

*unoque die Romana rependit*
*Quidquid terdenis acies amisimus annis.*
*O celebranda mihi cunctis Pollentia rebus.*

Quod idem prodidit etiam æqualis ejus Prudentius, quorum uterque his interesse rebus potuit, his versibus:

*Tentavit Geticus nuper delere tyrannus*
*Italiam, patrio veniens iratus ab Istro,*
*Has arces æquare solo, tecta aurea flammis*
*Solvere, mastrucis* (83) *proceres vestire togatos.*
*Jamque ruens Venetos turmis protriverat agros,*
*Et Ligurum vastarat opes, & amœna profundi*
*Rura Padi, Tuscumq; solum victo amne premebat.*
*Depulit hos nimbos equitum non pervigil anser,*
*Sed vis cruda virûm.*

*dux agminis, imperiique*
*Christipotens nobis juvenis fuit, & comes ejus,*
*Atq; parens Stilicho. Deus unus Christus utrique.*
*Hujus adoratis altaribus, & cruce fronti*
*Inscripta cecinere tubæ, prima hasta draconis*
*Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.*
*Illic terdenis gens exitiabilis annis*
*Pannoniæ pœnas tandem deleta rependit,*
*Corpora famosis olim ditata rapinis*
*In cumulos congesta jacent, mirabere seris*
*Posteritas secelis inhumata cadavera late,*
*Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.*

Interim Alaricus languenti, atque infirmo agmine in Veronensium campos regressus, refectis viribus, suorum instinctu iterum fortunam prœlii voluit experiri. Non longe aberat cum exercitu Stilicho, is, quod & hostis ab Roma longius aberat, &, Pado interjecto, pugnandum erat, proclivior ad novum conserendum prœlium fuit, quod in iis locis minore se cum periculo rerum Romanarum dimicaturum existimaret. Itaque, instructa utrinque acie, signo dato, iterum acerrime est concursum, pulsique iterum, ac profligati Gothi, Dux Alaricus vix pernicis equi beneficio evasit. Itaque Claudianus tria hæc prælia ad Hastam, Pollentiam, Veronamque comprehendens, dixit:

*Tu quoq; nõ parvum Getico Verona triumpho* (84)
*Adjungis cumulum, nec plus Pollentia rebus*
*Contulit Ausoniis, aut mœnia vindicis Hastæ.*

Collectas inde, quæ reliquæ erant, copias cum adducere ad Rhætos vellet, Stilicho sese objiciens vetuit. Qua re conspecta, Alaricus, ut tutior ab incursu hostium esset, in collem excelsum, in quo premi non poterat, se recepit. Ubi per aliquot dies ab exercitu Romano obsessus, probris, ac contumeliis omnibus est affectus. Cum autem exercitus ejus morbis tentari, & fame affictari gravius incœpisset, plerique salutis desperatione, aut fuga sibi consuluerunt, aut ad Romanos transiverunt, aut cum suis fœdissime contracto certamine conflixerunt. Unde

---

diano descripta, palam faciunt victoriam adjudicatam esse Romanis. Nec alius suppetit, ex quo discere liceat integram rerum tunc gestarum seriem.

(81) Ne Italiam scil., & Romam in aliud discrimen adduceret, auctore Claud. in VI. Consul. Honorii. Sed, detectis dolosis artibus Stilichonis processu temporis, patefactum est, ejusdem proditione, permissum Alaricum liberum abire; hinc Oros. l. c. superius inquit: *Taceo de Alarico Rege cum Gothis suis sæpe victo, sæpeque concluso, semperque dimisso.* Et inferius de Stilichone: *Alaricum, cunctamque Gothorum gentem pro pace optima, & quibuscumque sedibus suppliciter, & simpliciter orantem, occulto fœdere fovens, publice autem, & belli, & pacis copia negata ad terendam, terrendamque Rempublicam reservavit.*

(82) *De Bello Get.* v. 606., quibus significat hoc prælium Pollentiacum trigesimo anno, postquam Gothi transiere Istrum, evenisse, qui annorum numerus revera intercessit, si anni numerentur ab anno 373, quo, Valentiniano, & Valente AA., ambobus IV. Coss. Gothi Thracias irruperunt, teste Ammiano l. 30. 2., ubi proxime ante Gratiani III., & Equitii Consulatum anno 374 gestum, inquit: *Rem Romanam alius circumsteterat metus totius Gothiæ Thracias licentius perrumpentis*, & cet., unde confirmari videtur quod Prosper, & Cassiodor. in Chronicis, pugnam scil. ad Pollentiam hoc an. 402. commissam; triginta enim anni sunt à 373. usque ad præsentem, utroque extremo incluso; proindeque non triginta integri, quod Claudianus ipse testatur apertius, cum antea l. cit. v. 553. dicat:

*Si numero non fallor, ait, trigesima currit*
*Brunca fere, rapidum postquam transnavimus Istrũ,*
*Romanamque manum tantis eludimus annis.*

Talem annorum numerum à Gothorum transitu ad prælium usque Pollentiae. memorat quoque Prudent. l. 2. adversus Symm. canens:

*Illic terdenis gens exitiabilis annis*
*Pannoniæ pœnas tandem delata rependit*, & cet.

(83) Vestis genus, qua Sardi utebantur; ejusque meminit Cic pro Scauro, *quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum mastruca mutavit.* Vile quidem vestimenti genus. Idem enim Cic de Provinciis consularibus ait: *Res in Sardinia cum mastrucatis latrunculis à Proprætore una cohorte auxiliaria gesta.* Execratur hic igitur Prudentius Alarici desiderium Romam invadendi, Senatumque Romanum toga spoliandi, proceresque Urbis, quam Gothi ipsi deridebant; hinc Synæsius in orat. *de Regno* ad Arcadium Imp. ait: *Atque illos eosdem*, (Gothos nempe) *ubi paululum è curia egressi fuerint, pelles suas rursum induere, togamque Romanam apud suos deridere, quod impediat ensis deductionem.*

(84) Ita Claudian. in VI. Consular. Honor. v 226. ex quo rei gestæ ordinem repetit A. N.

Unde scripsit Orosius. (85) *Taceo de ipsorum inter se barbarorum crebris dilacerationibus, cum se invicem Gotthorum cunei duo, deinde Alani, atque Hunni variis cædibus populabantur.* Alaricus autem, antequam ab omnibus destitueretur, ex colle erupit, atque, instante in terga Stilichone, trans Alpes, unde venerat, inglorius abiit, atque ut inquit Claudianus:

*desolatus, & expers* (86)
*Debita pulsato reddit spectacula monti.*

Hæc una hieme, atque æstate gesta idem scribit, de Stilichone loquens:

*Hæc celer effecit,* (87) *bruma ne longius una*
*Esset biems rerum, primis sed messibus æstas*
*Temperiem cœli pariter, belloque referret.*

Alarico elapso, Stilichoni crimini versum est, quod ipsum, cum posset, perdere noluerit, & quidem pravo consilio, ut Honorium in difficultatem adduceret, quod Orosius innuit, (88) cum Alaricum cum suis sæpe victum, sæpe conclusum, semperque dimissum, scripsit. Ac prima quidem barbarorum in Italiam irruptio talem exitum habuit, de qua Zosimus ne verbum quidem ullum fecit; Paulus Diaconus, (89) & qui eum sequuti sunt, præpostere omnia tradiderunt. Per hos dies Epiphanius Salaminis Episcopus Constantinopolim adiit, atque ab inimicis Episcopi Joannis impulsus, ab ipso, ut libros Origenis, tanquam hæreticos, condemnaret, poposcit, mox, cum responsum ab eo tulisset, se sine majoris alicujus auctoritate Concilii nihil ejusmodi patraturum, in synaxi apud ædem Apostolorum, eos palam, præsente populo, condemnavit, & Joannem, qui id facere cunctaretur, acri oratione perstrinxit. (90) Cui contra Joannes admonito, quam multa ille in aliena diœcesi contra leges egisset, (91) non leve periculum, si quis ob id tumultus in urbe accenderetur, intendit. Quo ille metu correptus, statim in Cyprum decessit, atque in itinere, ingentis sanctitatis opinione relicta, vitam amisit. (92) Eo profecto Joannes persuasus, quæ ab Epiphanio tentata fuissent, ea Eudoxiæ Augustæ instinctu patrata fuisse, (93) ira permotus, in concionem ascendit, atque, ut erat in dicendo promptus, orationem adversus mulieres, quæ adhuc extat, acerbissimam habuit. Qua unà cum Eudoxia exasperatus Arcadius, statim convocari Concilium jussit. (94) Ita cum Episcopi Chalcedonem convenissent, qui gravissima adversus eum simultate flagrabant, confestim adesse jusserunt, atque Origenis mentione suppressa, calumnias alias intulerunt, (95) &, cum accedere noluisset, (96) absentem eo nomine condemnarunt, atque Ecclesia spoliarunt. Joannes autem licet à populo sui admodum cupido exire urbe prohibitus, tamen ubi mandatum Imperatoris accepit, sese abducendum adversariis præbuit: eo vero egresso, usqueadeo universi illius desiderio exarserunt, ut etiam ab iniquis injuste damnatus diceretur; quamobrem ab Arcadio, quod imminentem seditionem timeret, è vestigio revocatus revertit, (97) &, cum ur-

(85) L. 7. 37. init., antequam de irruptione Rhadagasi verba faciat. His autem conflictationibus Alanos inter, atque Hunnos nulla ex Historia lux affulget.

(86) Claudian. l. c. v. 297.

(87) Ver. 469. de Bello Get.

(88) L. 7. 37., cujus verba fuere superius relata.

(89) L. 13. *de Gestis Romanor.*, qui tamen paucis, atque confuse Alarici motus describit, quos prælat discere à Claudiano ll. cc.

(90) Graves concertationes ortæ Constantinopoli inter S. Epiphanium, & Chrysostomum, quorum hic pro Origenistis stabat, ille eisdem adversabatur. L. Sozomen. l. 8. 14.

(91) Socrat. l. 6. 12. narrat, ab Epiphanio Diaconum fuisse ordinatum, celebratumque *Collectam* in Basilica S Joannis, quæ septem passuum millibus ab urbe distabat.

(92) Sozomen. l. 8. 15., Socrat. l. 6. 13. in itinere mortuum scribunt: Vagus rumor invexit, Chrysostomum Epiphanio prædixisse, illum in navigando moriturum: neque Cyprum ingressurum fuisse: Epiphanium verò prænunciasse Chrysostomo Episcopatus abdicationem. V. laudatos Script., & Leonem Aug. *in Orat. de Jo. Chrysost.* Sed illæ prædictiones merito rejiciuntur, utpote Sanctissimis Episcopis indignæ.

(93) *Eudoxia Epiphanium celerrime trahit ad suas partes, ea docens, & suggerens, quæ ejus iniquam explebant libidinem, & quæ Sanctum* (Chrysostomum nempe) *deponebant, adjiciens etiam arcanum* (*ò hominum audaciam! ò divinam lenitatem!*) *hæreticum esse Dei servum*, ait Leo Imper. l. c. superius. De Eudoxiæ indignatione ob orationem à Chrysostomo ad Populum habitam L. Socrat. l. 6. 15. Sozomen. l. 8. 16.

(94) Fuit hoc *ad Quercum* dictum; celebratum enim in suburbio Chalcedonis ita appellato, teste Sozom. l. 8. 17., *in quo & regia est, & ampla Ecclesia, quam Rufinus* (Consularis) *in honorem Apostolor. Petri, & Pauli extruxit, & Apostoleum ex his appellavit.* De eod. Conc. L. Palladium Episcopum Helenopolitanum, cujus dialogum de Vita Chrysost. integrum habemus opera Emerici Bigotii.

(95) Joannes porro C. Politanæ Archidiac. Ecclesiæ in S. Episcopum 29. accusationis protulit capita, æque falsa, ac audacia, à Photio recensita in Biblioth. Cod 59. Isaac quoque Monachus vagus, quem hujus Synodi Acta apud eumdem Phot. falso Episcopum vocant, & quem Baron. ad an Chr. 403. in Acacium transformat, num. 21., Libellum 17. capita complectentem Pseudosynodo obtulit adversus Chrysost., quæ Palladius in Dialog. de ejus Vita diluere instituit.

(96) Quater evocatus ad Synodum, ut Socrat. l. 6. 14., & Sozom. l. 8. 17. Postulabat enim Chrysostomus, ut pellerentur à Concilio Theophilus, Acacius, Severianus, & Antiochus hostes infensissimi. Provocavit deinde ad Oecumenicam Synodum, iisdem testibus Socrate, & Sozomen. l. c Et ipsemet Chrysostomus affirmat epist. ad Innocentium Papam, an. sequenti scriptam, dicens: *Et profundo jam vespere, cum plebs omnis nos lamentatione miserabili prosequeretur, tractus in medio civitatis, & violenter abductus, injectusque in navim, noctu navigabam, quia Synodum ad istud judicium vocare volueram.*

(97) Theodoret. l. 5. 33. nocte terræmotu Constantinopolim concussam, & Imperatricem metu territam fuisse ait, & ideo *prima luce legatis ad Joannem exulem, oratum, ut quamprimum ad urbem redeat*, & cet. Constitit autem in suburbio S. Episcopus, quod Marianæ dicitur (referente Socrate l. 6. 14.) ingredi renuens, quoadusque *coram majoribus judicibus innocens probatus esset*, fortasse quia Antiocheni Concilii an 341. celebrati Canone IV. cautum erat: *Episcopus de Synodo depositus, si sacra celebrare ausus fuerit, redeundi potestatem non habeat.* Quare nolebat C. P. Sedi restitui sine majoris Synodi judicio, ut Antiochenum Canonem, quocumque modo intelligendus esset, servare videretur. Sed urgente populo, *qui protinus eos, penes quos imperium erat, maledictis vexavit*, ingredi est coactus, ut inquit idem Socrat.



Digitized by Google

urbem ingredi, nisi judicio de se legitime facto, nollet, à populo introductus, ac solio restitutus est. In Africa Concilio Milevitano (98) nova Britannici Pelagii hæresis refutata est, (99) qui Cælestio, (100) & Juliano (101) adjutoribus prædicabat, unumquenque ad justitiam voluntate propria regi, (102) tantumque accipere gratiæ, quantum meruit, quia Adæ peccatum ipsum solum læserit, (103) nec posteros ejus obstrinxerit, volentes omni posse vacare peccato, (104) omnesque parvulos tam insontes nasci, quam primus homo ante prævaricationem fuit, eos baptizandos esse, non ut peccato exuantur, sed sacramento adoptionis honorentur. Et his decretis S. etiam Augustinus Episcopus Hipponensis subscripsit. (105) Theodo- 403
sio inde Augusto (106) primum, & Rumorido Consulibus. Honorius magno casu, periculoque perfunctus, ex Liguria Ravennam se contulit, siquidem inde III. Kal. Julias ad Strategium vicarium Africæ scripsit. (107) Ibi legati eum Romani convenerunt, ac victoriam Gothicam gratulati, Senatus nomine petiverunt, ut Romam post multos annos revisere, & triumpho nobilissimo acto, civi-

(98) Celebratum quidem h. an. Milevi in Numidia Concilium, *Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio, & Honorio Augg. V. Coss. sext. Kal. Septemb.*, ejusdem Præfatio in Collect. Dionysii demonstrat. Atque hoc est Milevitanum primum, longe tamen diversum ab eo, quod an. 416. Pelagii hæresim damnavit. Primi Milevitani tempore nondum Pelagiana hæresis innotuerat, utpote quæ non ante annum 404., vel sequ. emergere potuit; ipse enim Pelagius in epist., qua se apud Innocent. I. purgat, quæque, eo vita functo, Zosimo successori tradita fuit, tempus nascentis hæresis suæ designat. Quippe cum ea scripta sit imminente obitu Innocentii, anno sc. 417., ibique commemoret Pelagius alteram epistolam ad Paulinum datam *ante duodecim fere annos*, anno nempe 404., aut 405., quæ, teste S. August. l. 2. de Gratia Christi, c. 34., & 35. Pelagianismi fermento erat corrupta, sequitur ann. 402. damnari non potuisse in I. Milevitano Concil. A. autem N. deceptus fuit inde, quod in Veteri Collectione Canones quidam desumpti ex I. Milevit. fuerint in unum corpus compacti cum aliis canonibus duorum Carthaginensium Conciliorum, quorum unum anno 407., alterum habitum an. 417. cui Compilationi sequens titulus præfigitur in veteri: *Concilium sextum Carthaginis Africæ, & in Milevitana civitate habitum*. Item in Tom. 2. Concilior. vet. edit. pag. 481. habetur, Milevitan. Concil. contra Pelagium, atque Cœlestium celebratum esse *Arcadio, & Honorio Aug. Coss.* an. Chr. 402., unde plerique decipi potuere.

(99) Ut Orosius in Apologet., August. epist. 186. postr. edit. ad Paulinum, ubi eum Britonem cognominatum fuisse ait, quo a Pelagio Tarenti distingueretur. Prosper item *Britannum Colubrum* vocat, init. Carminis *de Ingratis*. A S. Hieronymo Scotus dicitur, & *Scotorum pultibus prægravatus*; ob gentis fortasse viciniam utriusque, Britanni etiam Scoti appellati. Perperam autem Lambertus Danæus Genevensis Minister in Schol. ad l. S. Aug. *de Hæresibus*, Aremoricum putavit; nondum enim Pelagii temporibus Maritima Aremoricorum in Galliis provincia, Britannia nominabatur. Fuit is professione Monachus, ex Aug. l. *de Gestis Pelagii* c. 35., & l. *de Hæresib.* 88., ex iis tamen qui Religiosam vitam suis in ædibus agebant; unde Aug. ipsum *veluti Monachum* vocat.

(100) Hujus incerta patria, Eunuchus à natura, teste Mario Mercatore *in Præfatione Subnotationum*; Monachus fuit ex Gennadio c. 44., cum antea inter auditoriales Scholasticos, idest causarum publicarum Patronos, meruisset, ut ipse Marius Mercat. habet. Pelagianæ hæresis propugnator acerrimus ita, ut hujus sectæ homines Cœlestiani quoque dicerentur, auctore Aug. l. *de Hæresib.* Eoque nomine damnati in Ephesina Synod. De Pelagii, & Cœlestii ingenio & peritia opposita sentiunt Hieronymus, Præfat. in l. 1. in Jeremiam, & l. 3. Dialogi, in epist. ad Ctesiphontem: Et August. l. *de Natura, & Gratia*, l. 2. contra duas epist. Pelagianor. 3. epist. 188. postr. edit. ad Julianam Demetriadis Matrem. De his L. Dissertat. 6. Cl. V. P. Garnerii in Marium Mercator., de Scriptis pro Hæresi Pelagiana.

(101) Illustri genere in Apulia natus, qui Iam Consularem Virginem Æmilii viri illustris filiam, (qui postea Benevent. Episc.) duxit uxorem. Vide Aug. epist. 101. postr. edit., ad Memorium ejus patrem, Marium Mercator. L. Subnotation 4., Paulin. in Epithalamio Juliani, & Iæ. Soluto matrimonio (communi ne voto, an morte uxoris, incertum) Diaconus creatus est: deinde Episcopus Eclanensis, teste eodem Mario Mercat. *in Præfat. ad Symbolum Theodori*. Scripsit adversus libros Augustini *de Nuptiis, & Concupiscentia*, duodecim libros pro sua hæresi. Vide Mar. Mercat. in Præfat. ad Refutationem Symboli à Theodoro conscripti, & l. Subnotation. c. ult.

(102) Dum primo Pelagius suam Hæresim promulgavit, omnem laudabat prorsus divinam gratiam: at naturam solam, ingenitasque liberi arbitrii vires ad omne opus bonum, & meritorium sufficere defendit; hinc in naturæ laudem libr. conscripsit, quem ad Aug. misere Timasius, & Jacobus an. 414., cui S. D. opposuit librum *de Natura, & Gratia*. Vide Synod Concil. Carthag. ad Innocent. I., ejusdemque Pontif. epist. ad Concil. Carthag. Deinde eam tantum Gratiam concessit, quæ humana merita sequeretur, eorumque esset merces, teste Aug. l. *de Gratia Christi*, 31., & l. *de Peccato Orig.*

(103) Vide Marium Mercat. in Commonit., Aug. l. *de Gestis Pelagian.* 11., & ult., l. *de Peccato Originali*, 3. 4. 13. 15., & alibi passim in libris contra Julian.

(104) Ἀπάθειαν, seu passionum impassibilitatem Pelagius admittebat, in hominis potestate fore autumans, ne perturbationum motus pateretur, nec esse cur ad hoc Dei posceretur auxilium. Vide August. l. 2. contra Julian 8., & l. 2. *de Peccator. meritis*, nec non Hieronym. *in Dialog. adversus Pelagian.*

(105) Nulla decreta in Concil. Milevit. II., quamvis Pelagianorum causa fuerit discussa, ut verba Patrum in epist. Synod. demonstrant, quibus causæ totius judicium Innocentio R. P. deferunt. Id confirmat silentium PP. Africanorum, qui cum utriusque Synodi Gesta ad Innocent. referant, nullos in iis memorant Canones, quorum nec meminit Augustinus ad Valentinum, & Paulinum de Gratia divina scribens, & relationes ab utraque Synodo Carthag., & Milevitana II. memorans, ad Sedem Apostolicam transmissas, cujus supremum judicium, & auctoritatem *de Sacrarum Scripturarum auctoritate depromptam* Milevitani PP. in l. epist. Synod. professi sunt. Hæc autem omnia ad an. 416. sunt referenda, ut superius observatum.

(106) Junior quidem, collega Rumorido, quem D. Ambros. epist. ad Eugenium tyrannum affirmat, Magistrum militum sub Valentiniano II. fuisse, & Religione Paganum.

(107) Extat L. 3. Cod. Theod. *ad L. Juliam de ambitu*, quo cautum est, ut ad eadem Officia subrepticiis nemo supplicationibus admittatur. Alia etiam Rescripta h. ann. data Ravennæ. Vide Gothofred. in Chronolog. Cod. Theod. ad h. ann.

civitati antiquam formam, & meritum honorem restituere, (108) atque ibi felicissima sua decennalia solvere vellet. (109) Justis Senatus precibus Honorius nihil abnuit; Itaque Ravenna digressus, per Umbriam iter suscepit, ac demum ab omnibus civitatibus præ rei actæ lætitia gestientibus incredibili gratulatione receptus, ad Urbem venit. Assiduus anta constitutum triumpho diem per noctem imber effusus vehementer animos Romanorum in spem splendidissimæ spectandæ pompæ erectos aliqua ex parte turbavit, verum mox subsequuta matutina serenitas pristinam urbi hilaritatem, civibusque præceptæ fructum lætitiæ retulit. Ingressus est porta Flaminia, eodem curru Stilichonem vehens, (110) populo viam Sacram, (111) per quam pompa ducebatur, innumerabili omnis sexus, ætatisque multitudine obsidente, atque ex ædificiis altioribus avide prospectante: in eo novi illud, quod Senatum de more præcedere vetuit. Eucherius Stilichonis filius egregiæ indolis adolescens militis officium & maximo populi plausu, & secundo rumore civitatis exhibuit, neque per multos ante annos in urbe aut gratulatio major, aut triumphus, or justior, sic magnificentior fuit. Insequentibus diebus ludi victoriæ, & votorum decennalium causa amplissimi editi, inprimisque decursiones equitum celebratæ. Stilicho interim sive Alaricum metuens, sive aliò animum, ut illum postea insimularunt, intendens, pacem cum Alarico constituit, (112) Aetio ipso duce inter ceteros obside dato, ac militarem ei præfecturam palam ab Honorio impetravit; occulte autem ei præcepit, ut se ad invadeodum Illyricum Arcadii Orientale pararet, nam se Jovium Illyrici Occidentalis præfectum cum exercitu in eas partes missurum, ac mox se ipsum cum aliis affuturum. Itaque Alaricus hoc consilio ex Pannonia Honorii provincia cessit, atque in Epirum Arcadii rediit, ibique expectare promissa, ac jussa Stilichonis incœpit: Ho- 404
norius inde Romæ sextum cum Aristæneto init consulatum, atque ibi VIII. Idus Julias auctoritate sua leges confirmavit, à patre suo, & superioribus principibus conditas. Eo anno memorabilis altera barbarorum in Italiam irruptio est instructa: Radagaisus, homo Scytha, illius expeditionis dux, auctorque consilii fuit. (113) Is, cum Alaricum victum fœdere se cum Romanis junxisse, ac propterea ab inferendis armis abhorrere, tanquam summe ab eis honorarum, videret, populos, ut inquit Zosimus, Transistrianos, & Transrhenanos veteres Romanorum hostes ad arma adversus eos capienda concivit, cum diceret, agi non solum commodum eorum, sed etiam gentis existimationem, si Italiam, quam semel invasissent, intactam cum clade, atque ignominia reliquissent, ac majore parte suorum amissa, reliqui prope inermes vitam victoris misericordia conservassent. Itaque ad novam irruptionem faciendam eos hortatur, &, si se ducem sequantur, Romam captam, ac prædæ propositam pollicetur; atque ita una cum Gothis Sarmatas, & Germanos sic evocat, ut ducenta millia armatorum conficiat. Zosimus duplicato numero quadringenta millia ea fuisse affirmat. Hunc autem motum ubi Honorius vel tenui, atque incerto rumore perlatum accepit, continuo Roma in Flaminiam (114) se recepit, & Ravennæ in urbe consedit, (115) ut inde commodius infestum Radagaisi ad Romanam urbem aditum intercluderet, atque ibi imminentem belli procellam consilio Stilichonis exciperet: atque ita ingentem Alanorum, & Hunnorum manum, quæ barbaris objiceretur, stipendio militari conduxit. Per eosdem dies Joannes Episcopus Constantinopolis in exilium ab Arcadio iterum pulsus est. (116) Is cum alios, tum Eudoxiam Augustam liberis ad popu-

(108) Vide Prudent in Symmach. l. u. pag. 243. Symmach. l 6. epist. 53. Mediolanenses, teste Symmach. ibid., eum quoque honorem optabant, destinata in id Legatione, quam Manlius Theodorus susceperat.

(109) Decennalia nempe Imperii post Theodosii Patris mortem suscepti, quæ in annum sequentem incidebant. Ravenna itaque digressus Honorius Romam venit, ibique sequenti anno, Kal. Januar. Consulatum iniit, ut docet Claudian. in Panegyr de VI. Consulat. Honor., ubi v. 495 ejus iter describit.

(110) Vide Claudian. in VI. Consulat. Honorii v. 644., ubi triumphi pompam narrat, & editos deinde ludos.

(111) Cicer. pro Plancio illam memorat, sic dictam ob fœdus ibi ictum Romulum inter, & Tatium. Extendebatur autem à domo Regis sacrificuli usque ad sacellum Strenim, & rursus a regia usque in arcem. V. Rosin. *Antiqu. Rom.*

(112) Data opera Stilicho pacem cum Alaricho pepigit, si Zosimum præter attendere, qui l. 5. 26. init. hæc habet: *Quum Stilicho videret eos, qui Arcadianum Imperium administrabant, animis erga se infestis esse; adjuncto sibi Alaricho socio, cunctas in Illyrio nationes Honorii regno cogitabat adjicere. Qua de re cum Alaricho pactus, occasionem expectabat, ut reapse quamprimum hunc conatum exequeretur.* Hanc fuisse Stilichonis mentem tradit & Sozomen. l. 8. 25., ut nempe Illyricum Orientale subjiceret Occidentali Imperio.

(113) Hæc à Zosimo l. 5. 26. desumpta. Non est autem putandum, Radagaisum quidquam in hac irruptione commune habuisse cum Alaricho, præter eumdem animum Italiam invadendi: ceterum ab se invicem utrinque divisi; sicque facile intelligi possunt Prosperi verba in Chron. ad ann. 400. *Gothi Italiam Alaricho, & Radagaiso ducibus ingressi*. Diversis namque temporibus in Italiam irrupere; hinc Zosim. l. c., Jornandes de Reg. success. c. 95, & Orosius l. 7. 26 Radagaisi in Italiam ingressum, ejusque memorant cædem, altum servantes de Alaricho silentium.

(114) A Paulo Diacono memorata, cujus Metropolis Ravenna, & recens Bononia; constituebat enim Ravennæ Exarchatum, *Romandiolam* deinde dictum, vulgo *Romagna*, quod Pipinus Pontifici Romano tradidit. Non autem hic confundenda Romania cum Romandiola; illa enim longe aliud significat apud Ath. epist. ad Solit., Epiph. hær. 46, & 49 Possid. in V. August. c. 30., Idac. in Fast., qui Romaniæ nomen variis sensibus usurpant.

(115) Indeque cœpit ibidem stabiliri Impp., Regumque sedes, à qua Honorius semel, & iterum nonnisi egressus, (quantum præteritorum temporum spatium respicere possumus) an. sc. 407., & 417., quibus Romam venit. Urbem illam *antiquam* vocat Zos. l. 5. 27., & *Thessalorum Coloniam*.

(116) Et quidem hoc an., *Festo Pascha die appropinquante*, inquit Socrat. l. 6. 18., subjungens, Joannem *bimestri spatio in publicum non prodiisse*, donec Imperatoris jussu exul actus fuit, Honorio VI. & Aristæneto Coss. Id & testatur Auct. Chron. Alexandr. sub eorumdem Consulatu.

populum concionibus perstringere solitus demum statuam ei non longe ab æde Sapientiæ positam, ludosque ad eam celebrari cœptos, tanquam rem ad dedecus Ecclesiæ pertinentem, reprehendit. (117) Quod in sui contumeliam Eudoxia accipiens Concilium Episcoporum adversus eum vocavit. Qua re accepta Joannes celebrem illam concionem habuit, cujus initium est: *Herodias iterum insanire, iterum commoveri, iterum saltare pergit, iterum caput Joannis in disco accipere studet*; quæ Eudoxiæ animum multo acrius inflammavit. Convocatis Episcopis accusatores, qui alias quoque Joannem insimulaverant, iterum prodierunt: die Paschatis appetentis judicium actum, præcipue crimini versum est, quod post priorem abdicationem sine Concilii auctoritate semet in sede Episcopali locaverat, (118) eaque de re condemnatus est. Imperator primum, ne Ecclesiam ingrederetur, edixit, deinde post duos menses in exilium pepulit. Arsacius Nectarii quondam Episcopi frater ei suffectus est. (119) Pridie Kalend. Octobris, cum sævissima grando suburbia Constantinopolis lacerasset, sermo in populo percrebuit, malum istud propter injustam Joannis calamitatem à Deo irato esse immissum, quem sermonem mors Eudoxiæ, quæ quarto post mense contigit, confirmavit. (120) Postero anno Stilichone iterum, 405
Anthemioque (121) Consulibus, Innocentius Pontifex ab Exuperio Episcopo Tolosano de incontinentia Clericorum consultus, respondit, omnino Presbyteros, & Diaconos, qui ejusmodi se crimine obstrinxissent, ex auctoritate Syricii Pontificis officio privandus videri. (122) Fuit autem Exuperius sanctitate in Gallia per hæc tempora insignis, quales multos tum Gallia tulit, de quibus sic Paulinus Presbyter scripsit: *Si videos hos dignos* (123) *Domino Sacerdotes vel Exuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ*, (124) *vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Engolismæ*, (125) *vel Venerandum Arvernis, vel Alithium Cadurcis*, (126) *vel nunc Pegasium Petrogoriis, utcunque se habent seculi mala, videbis profecto dignissimos totius fidei, religionisque custodes*. Honorios XII. Kal. Maji Ra-

(117) L. Theophanem in Chron. hæc narrantem. Porro per eam ætatem, præsertim in Oriente, ingenti sumptu, & adulatione statuæ erigebantur, observante Gothofredo in Commentar. Leg. 1. *de Imaginibus Imperialib.* Cod. Theod.

(118) Refert hæc Palladius in Dialogo, eoque nomine damnatum Chrysostomum refert, qui tamdem duplici responso objectum diluit crimen; reposuit enim primo Chrysostomus, teste Georgio Alexandr. in ejus Vita, *se minime judicio contendisse, non item exaudisse tabellas adversum se scriptas; non etiam sibi factam potestatem pro se respondendi: nec præsens quidem, inquit, condemnatus sum*, & cet., unde S. Episcopus censuit se Canoni Antioch. no secus contravenisse, si Canon quartus ejusdem Concilii proferretur, qui admissus fuit a Chalcedonensi Synodo, vel Canon duodecimus cum ceteris Antiochenis ab universa Ecclesia receptus. At Canoni transmisso à Theophilo Alexandrino ad hoc Concilium (in quo damnatus Chrysostomus) respondit S. Episcopus, fœtum illum fuisse Eusebianorum, proindeque nullius prorsus auctoritatis. L. Pallad. l. c., & Georgium Alex. mox laudatum; qui Canonem Chrysostomo objectum ejusmodi verbis conceptum produnt: *Si quod Episcopus aut Presbyter sive juste depositus, sive injuste, ex se ipso absque Synodo in Ecclesiam redierit: hic jam excusationis non habeat locum, sed omnino expellatur*.

(119) Auct. Chron. Alex. sub h. anni Coss. habet: *Creatusque est Ursacius* (lege Arsacius) *Episcopus in æde Apostolorum*, mense Dæsio, VI. Kal. Julias, feria secunda: sed fortasse legendum ἡμέρᾳ πρώτῃ, nempe feria prima, quæ h. an. cum die 26. Junii concurrit, qua *ordinari* potuit Arsacius, loco ἡμέρᾳ δευτέρᾳ, feria secunda.

(120) H. an. Eudoxiam quidem vita excessisse tradit Eunapius, qui continuationem Annal. Dexippi anno, quo S. Episcopus in Exilium missus, & Eudoxia est mortua, absolvit, apud Phot. in Biblioth. Cod. 77., ubi Photius ait: *Historiæ suæ terminum ponit, quando Arsacius, Joanne Chrysost. exterminato, solium Episcopi occupavit, Arcadiique Imper. uxor gravida, & mox abortione vita decessit*. Et Auct. Chron. Alex. sub h. an. Coss. *Mortua est Eudoxia Aug. mense Hyperberetæo, Prid. Non. Octob., feria V., & humata est in Ecclesia SS. Apostolor.: Hyperberetæo mense IV. Id. Octob. feria IV.* Nec audiendi, qui Chrysostomo supervixisse Eudoxiam tradunt, secuti Georgium Patriarcham Alex., futilissimum Scriptorem, qualem Phot. in Biblioth. depingit. V. Petavii de eodem judicium l. 11. de Doctr. Tempor. 47. Audi Socratem l. 6. 17. *Porro cum grando magnitudine insitata in suburbiis Constantinopolis forte decideret (accidit hoc quidem prid. Kal. Octobr., eisdem Coss. paulo ante citatis) percrebuit sermo, illud, Deo irato, propter Joannem in dicta causa abdicatum contigisse. Hunc sermonem Imperatricis mors, quæ illico insecuta est, vehementer auxit: nam quatriduo post delapsam grandinem à vita decessit*. Unde corrigend. A. N. dicens, *quarto post mense*, nisi ly *post* respiciat exilium Chrysostomi.

(121) Cujus egregia pietas commendatur præsertim à D. Chrysost. epist. 147, quam è Cucuso (ubi exul erat) ad eumdem dedit, simulac Consulem processisse cognovit. L. Theodor. Hist. SS. Patr. c. 8. Socrat. l. 7. 1.

(122) Ante Innocentium I. Siricius quoque de hac re epistolam dederat ad Himerium Tarraconen. Extat Canon Illiberitanus, integro sæculo ante Siricium editus in hæc verba: *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore Clericatus exterminetur*. De hac disciplina ab Apostolicis servata temporibus V. laudatos PP. Epist. Cyrill. Hieros. Catechesi 12. Epiph. Hær. 59., & in Exposit. Fidei Cath. 21. Orig. Hom. 83., ac Hieron. ep. 50., & adversus Jovinian. 19.

(123) Numeratur Exuperius inter illustres Præsules, qui hac ætate in Galliis floruere, à Gregor. Turonensi l. 2. 13. ex fragmento hoc epistolæ S. Paulini Nolani, quod A. N. laudat. Non est autem hic Exuperius Burdigalensis, de quo Ausonius loquitur, & inter claros ejus temporis oratores numerat, *in Professoribus* Carm. 18., ut Baronio placuit, ad an. 405. n. 60.

(124) Hujus industria, Paulini epistolæ posteris servatæ sunt, ut Paulinus ipse testatur epist. ad Amandum data, quæ in Vaticano, & Nolano Codice habetur, teste Baronio ad an. 431. n. 195., quem v.

(125) Ita Gregorio Turon., *Iculisma* Ausonio, aliis *Egolisma*, caput regionis adjacentis, quæ vulgo *Engolismensis tractus*. Urbs juxta Carentonium fluvium sub Archiepisc. Burdigalensi, inter Burdigalam, & Pictavos ad Boream 22. leuc., ac inter Santonas, & Lemovicos ad ortum II.

(126) Cadurci ap. Cæsar., & Strabon. memorantur, in Gallia Aquitan., nunc *Cahors*, sub Archiepisc. Bituricensi, inter Tarnem, & Duranium flum., indeque dictus Cadurcensis ager.

Ravennæ decrevit, ut possessiones, (127) quæ ex bonis Gildonis, aut satellitum ejus in jus suæ, ut inquit, serenitatis retentæ essent, ab occupatoribus suo patrimonio adgregarentur. Hoc anno Radagaisus (128) ferox in Italiam, eo, quo diximus, apparatu se intulit. Quippe, rebus omnibus, quæ opportunæ videbantur, expeditis, primo vere ex Pannonia ad limitem Italiæ, nempe ad Alpes Julias venit, quibus dejecto præsidio superatis, in Venetiam regionem irrupit, atque Aquilejam, Concordiam, Altinum, & Patavium prætergressus, Romam versus, quam unam incenso ad prædam animo appetebat, qua brevissima est via, contendere maturavit. Itaque, transmisso Pado, in Æmiliam, ac continuo per Bononiensem agrum in Etruriam transiit. Tanta vero ille felicitate usus videtur, & quia Stilicho armatus nusquam occurrit, neque institutum iter obsepsit, ingenti, credo, multitudine territus, qua jacentes ille Venetiæ, atque Æmiliæ campos latissime progrediens, occupabat, & quia ipse occurrentia oppida aut propter obsequii promptitudinem, aut propter expugnationis difficultatem sibi attingenda non duxit. Erat Radagaisus exoleto Idolorum cultui deditus, itaque sacra Deis quotidie faciebat, & ritu Gentilium immolabat: cum autem secundissimo cursu Romam sine ullo impedimento procederet, atque urbs novo tumultu, ac trepidatione repleta esset, & quod raro ante accidisset, de sua salute laborare inciperet, Pagani, qui adhuc multi in urbe, atque in Italia, sacris Christianis nondum acceptis, erant, erecti animo palam in sermone jactare, merito hæc ei secunda evenire, quod Deos propitios haberet, quos ritu Gentilicio coleret. Christianam vero pietatem, quæ Deum suum haberet infestum, maledictis incessere, ac civitatem Romanam idcirco destitutam asserere, quia Deos & sacra deseruisset; profecto si priscæ cæremoniæ repetantur, finem his malis, ac periculis fore. (129) Quod inter ceteros D. Augustinus libro de Civitate Dei quinto scriptum reliquit: *Propinquante*, inquit, *Radagaiso iis locis, ubi nunc summæ majestatis extinctus est, nobis apud Carthaginem dicebatur, hoc credere, spargere, jactare Paganos, quod ille, Diis amicis protegentibus, & opitulantibus, quibus immolare quotidie ferebatur, vinci omnino non posset ab eis, qui talia* *Diis Romanis sacra non facerent, nec fieri à quoquam permitterent*. Ceterum Stilichonis in hoc quoque gerendo bello egregium, felixque consilium fuit. Etenim, cum videret, se Radagaiso ducenta amplius millia hominum (130) secum trahenti impune, ac sine ingentis cladis periculo obviam ire in campis Venetiæ, Æmiliæve non posse, nullo loco se eis objecit; ubi vero ipsum Etruriam, quæ montibus altissimis, & vallibus angustissimis impedita est, ingressum conspexit, cum civitatem Florentiæ ei opposuit, tum ipse cum suis à tergo incubuit, ac loci iniquitate paucitatem eorum adjuvit. Radagasius autem, cum se, resistente Florentia, tuto ultra penetrare non posse videret, arcta eam obsidione circumdedit. Fatigati per aliquot dies in urbe defendenda cives, nullo opportuno suppetente subsidio, jam prope de salute desperaverant, cum Sanctus Ambrosius civi cuidam in ea domo, in qua nuper Eugenium declinans manserat, sese in somnis obtulit, ac postero die salvos eos fore denunciavit. (131) Qua voce Florentini tanquam certa fide Oraculi, excitati, animos sustulerunt, ac tempestivum auxilium expectare læti cœperunt. Habebat Stilicho præter Italos firmam Alanorum, & Hunnorum manum mercede militari ascitam, quorum duces erant Sarus, & Hudin. (132) Quare cum Radagaisum Florentiæ obsidione implicitum, ac montibus undique septum in saltibus Apennini teneri audiret, neque copiam habere aciei explicandæ, & dilatandi ad pugnam exercitus cerneret, continuo ad eum cum suis, licet longe numero inferioribus, advolavit, qui dies fuit postridie, quam civis Florentinus fuerat à S. Ambrosio de proxima incolumitate admonitus, ac statim tanta felicitate, atque adeo certa divini Numinis præsentia dimicavit, (133) ut salvis omnibus suis barbarorum amplius centum millia straverit. Id, quod superiore loco D. Augustinus narravit: *Cum Radagaisus*, inquit, *agmine ingenti, & immani jam in urbis vicinia constitutus Romanis cervicibus immineret, uno die tanta celeritate sic victus est, ut ne uno quidem non dicam extincto, sed nec vulnerato Romanorum, multo amplius, quàm centum millium prosternerentur ejus exercitus, atque ipse cum filiis mox captus pœna debita necaretur*. Radagaisus inde tanta clade accepta pavidus sese cum reliquiis exercitus in

(127) Est hæc L. 19. *de bonis proscriptorum*, Cod. Theod., qua possessiones ex *bonis Gildonis* cum fructibus quoque restituendas præcipit.

(128) De quo Orosius hæc habet l. 7. 37. init. *Radagaisus omnium antiquorum, præsentiumque hostium longe immanissimus, repentino impetu totam inundavit Italiam . . . . . . . . . Hic supra hanc incredibilem multitudinem, indomitamque virtutem paganus, & Scytha erat: qui ut mos est barbaris hujusmodi gentibus, omnem Romani generis sanguinem Diis suis propinare devoverat*.

(129) Hæ calumniæ in Christianam Religionem passim a Gentilibus struebantur, teste non solum Aug. ab A. N. laudato, sed universa Zosimi Historia, qui & ipse, a Constantini Max. temporibus ad hæc usque, malorum in Imperio causam rejicit in Christianum nomen.

(130) Ita Oros. l. c., Zosim. autem l. V. 26. quadringenta millia fuisse affirmat.

(131) Refert Paulin. in Vit. S. Ambros. in fin., se id a nobili muliere Florentina accepisse.

(132) Ille Gothus, qui deinde Justinianum Constantini Ducem vicit ab Honorio in Gallias missus, teste Zosimo l. 6. c. 2. in med. Hudin vero antea pro Romanis pugnavit, ut superius dictum est, adversus Gainem.

(133) Ita sentire videtur Orosius dicens l. 7. 37. *Aderant Uldin, & Sarus Hunnorum, & Gothorum Duces præsidio Romanorum: sed non sinit Deus vim potentiæ suæ, virtutem hominum, & maxime hostium videri. Conterritum divinitus Radagaisum, in Fesulanos montes cogit: ejusque (secundum eos qui parcissime referunt) ducenta millia hominum inopum consilii, & cibi in arido, & aspero montis jugo urgente undique timore concludit*. Zosim. autem l. 5. 26. postquam Stilichonem Ticino profectum cum triginta militum numeris, sociorumque auxiliis narrat, subdit: *Barbaros nec opinantes adgressus* (Stilicho) *universas hostium copias ad internecionem cecidit: adeo quidem ut horum prope nullus incolumis evaderet*.

in collem Fæsularum recepit, quem cum incultum, & aridum, neque ad tantam recipiendam multitudinem aptum reperisset, statim in magnas rerum angustias lapsus est. Nam Stilicho ad obsidionem conversus neque hominem quenquam inde evadere, neque aliquid eò importari commeatus est passus. Itaque ubi se neque prœlio confligere, neque diu ibi propter penuriam sustinere, neque aliunde venire subsidium posse cognovit, desperata, ut in summa rerum omnium inopia, militum suorum salute clam fugam arripuit, & cum in manus militum Stilichonis cum filiis incidisset, captus statim, atque in vincula traditus est, neque ita multo post cum filiis obtruncatus. Barbari autem ferme omnes, cum famem diutius tolerare non possent, in deditionem se tradiderunt, &, cum passim à Dominis, tanquam pecudes, venderentur, singuli greges pro multitudine capitum singulis aureis venierunt. Verum & hi, morbo ex inediæ diuturnitate, ciborumque vitiositate contracto, paucis post diebus omnes extincti sunt. Hæc ferme Orosius. Idem sentit Prosper, scribens, Stilichone iterum, Anthemioque Consulibus Radagaisum in Tuscia multis Gotthorum millibus cæsis, ducente exercitum Stilichone, superatum, & captum. Zosimus omnium ineptissime rem trans Danubium gestam. (134) Marcellinus Comes cæsum quidem Radagaisum ad Fæsulas, verum in annum sequentem refert. (135) Liberatæ iterum Italiæ, ac Romæ prope ex faucibus barbarorum ereptæ decus omnium confessione Stilicho tulit, ingentem supra mortales omnes gloriam apud posteros pariturus, (136) si usque ad extremum in recta manere sententia didicisset. Ob hæc populus Romanus sequenti an-
406 no, Arcadio VI. & Probo Consulibus, (137) curante Pisidio Præfecto urbis, statuam illi ex ære, & argento in Rostris posuit, cum hac inscriptione: *Fl. Stilichoni inlustrissimo viro, bis Consuli ordinario, Magistro utriusque militiæ, Comiti domesticorum, & Stabuli sacri, atque ab ineunte ætate per gradus clarissimæ militiæ ad culmen regiæ affinitatis evecto, socio bellorum omnium, & victoriarum, affini etiam Divi Theodosii Augusti, itemque socero Domini nostri Honorii Augusti populus Rom. pro singulari ejus circa se amore, atque providentia statuam ære, argentoque in Rostris ad memoriam gloriæ sempiternæ conlocandam curavit, exequente Fl. Pisidio Romulo V. C. Præfecto Urbis*. Eodem anno tertia barbarorum in Occidentem est facta impressio, (138) qua Gallia primum, deinde Hispania, postremo Africa occupatæ, atque omni genere calamitatis afflictæ sunt. Ejus vero rei series fuit hujusmodi. Godigisilus Rex Vandalorum, (139) qui in Scythia ad Mæotidem erant, exemplo Radagaisi adductus, ubi Italiam hostium plenam, atque Honorium in Radagaisum aversum sensit, & ipse sibi Galliam invadendam constituit, ratus, haudquaquam eandem in provinciis fortunam fore, quæ longe à regio abessent auxilio, atque in Italia, deducente Alarico, fuisset, quæ propter Imperatoris præsentiam vinci non potuisset. Itaque ex Scythia cum Vandalis, & Alanis egressus, simul Quados ex Sarmatia, Vandalos ex Pannonia olim ibi à Constantio locatos assumpsit, inde trans Danubium sese continens, ex Sarmatia in Germaniam iniit, eamque peragrans, populos ejus sive metu direptionis perculsos, sive prædæ illectos secum adduxit, Marcomannos, Herulos, Turcilingos, (140) Suevos, Alemanos, Saxones, & Burgundiones, ac citato agmine, nemine resistente, recto itinere usque ad Rhenum processit. Ibi vero Franci denique occurrerunt, ac transitum impedire conati sunt, sive, ut fœdus proxime cum Stilichone ictum servarent, sive ne tantum hostium in provinciam eam

(134) Non carpendus hic Zosimus l. 5. 26., in cujus textum error irrepsit, ubi loco Ἴστρον, *Istrum*, Ἄρνον, *Arnum*, legendum esse narratio ipsa suadet; prius enim Zos. ait: *Stelico sumptis secum universis copiis, Ticino Liguriæ impositis . . . . . hostium adventu non expectato, cum omni exercitu Istrum*, ( *Arnum* certè melius ) *ipse transjecit*; & cet. Unde Oros. l. 7. 37. in *Fæsulanis montibus* hostem debellatum scripsit.

(135) Errat sine Marcellinus in Chron., nam præter Prosperum in Chron., ab A. N. laudatum, Isidorus etiam in Chron. Gothorum: *Æra 443., anno Imperii Honorii, & Arcadii X.* superatum Radagaisum prodidit. Atqui Æra 443. cum præsenti anno 405. concurrit; quamvis Isidorus peccet in conjungendis annis Imperatorum cum annis Æræ. Hinc S. Paulinus Carmen Natalitium 13 de S Felice scripsit die 14. mensis Januarii anni sequ. cujus hæc epigraphe apud Dungalum, ( qui ejusdem nobis fragmentum servavit ) *de Gothorum exercitus cum suo Rege interitu*. Erat jam igitur Januario mense 406. extinctus Radagaisus.

(136) *Stilicho non abs re magnos animos gerens, cum exercitu ab omnibus propemodum coronatus redibat; quum præter omnem spem formidatis periculis Italiam liberasset*. Zosim. l. c. 21. in fin.

(137) Sextus Anicius Petronius Probus, qui Consul fuit ordinarius an. Chr. 371. pater extitit trium Consulum ordinariorum, Anicii sc. Probini, Anicii Hermogeniani Olybrii, qui an. 395. Consules processere; & Anicii Probi, qui h. an. nomen Fastis dedit.

(138) Ita prosper sub hujus an. Coss., & Cassiodor. in Chron. Zosimus vero l. 5. Vandalis, & Alanis Suevos addit. Procopius l. 1. de bello Vandalico c. 3. de hac eadem barbarorum impressione in Occidentem loquitur.

(139) Hæc ex Procopio l. c. hausit A. N. Ille autem sic habet: *Vandali Mæotidis Paludis accolæ, fame pressi, ad Germanos, quos hodie Francos nominant, & fluvium Rhenum se receperunt, tractis in societatem Alanis, natione Gothica. Inde Godigisili ductu in ea parte Hispaniæ, quæ oram habet Imperii Romani primam ab Oceano, sedes fixerunt, ea conditione, de qua tunc inter Honorium, & Godigisilum convenit, ut illis partibus nihil nocerent*. Sed perperam Procopius Vandalos à palude Mæotide deducit; Jornandes namque de Reb. Getic. c. 22. Dexippum veterem Scriptorem secutus ait, Vandalos ab Oceano circa Scanziam insulam suso profectos, *ad nostrum limitem* ( ad Danubium nempe ) *vix in anni spatio pervenisse*; consedisse in Veteri Dacia, tractuque temporis in agris Pannoniæ à Constantino M. locatos, atque inde à Stilicone invitatos occupasse Gallias. Errat quoque Procopius, dum Vandalos Godigisili Regis ductu in Hispanias ingressos tradit. Is enim prælio cum Francis ( qui se Vandalis opposuerant ) commisso, interfectus est, eique Gundericus suffectus, filius Godigisili, ut Renatus Profuturus Frigeridus apud Gregor. Turonens. l. 2. c. 9. narrat, quem V.

(140) Quos inter feroces, & barbaras Nationes cum Gothis, Vvandalis, Rugis, & Herulis recenset Paul. Vvarnefr. de Gest. Langobar. l. 1. 1.

eam admitterent. Verum à Vandalis multitudine superantibus pulsi, haud magno momento cesserunt. (141) Ira Vandali sine 407 impedimento pridie Kal. Januarias, teste Prospero, trajecto Rheno, in Galliam penetrarunt, atque Honorio septimum, & Theodosio iterum Consulibus, proximas Rheno provincias, Germaniam primam, & Belgicam secundam ingressi, late victoriam, frustra repugnantibus Honorii Præfectis, exercuerunt. Nam Maguntiacum, multis hominum millibus in Ecclesia trucidatis, eversum est. (142) Vangiones diu obsessi in ditionem adducti. Rhemi, Ambiani, Attrebates, Morini, Tornacum, Nemetes, Argentoratumque direpta sunt. Rhemis autem illud memorabile contigit, quod Nicasio Episcopo post peracta Missarum solemnia interempto, caput à cervice defectum divina eloquia prodidit. (143) Hæc porro clades repente novam aliam secum Reipublicæ labem adduxit, etenim Britannici milites Vandalorum in se impetum veriti, defectione inita, alium Imperatorem sibi per tumultum delegerunt; (144) nam primo Marcum clamore militari levarunt, mox, eo occiso, Gratianum substituerunt, quo, continuata post quatuor menses cæde, sublato, insignia ad quendam Constantinum transtulerunt, nullo virtutis ejus merito allecti, sed tantum ominatione nominis apud eos populos gratiosi.

## CONSTANTINUS IMPERATOR.

Ille vero, postquam Justinianum, & Nevigastum Celticis militibus præfecit, universo robore Britannicæ juventutis assumpto, hostilem in Galliam impetum fecit, ac, Bononia urbe maritima capta, milites, qui apud Celtas, & Aquitanos erant, ad se traduxit, populosque earum provinciarum deinceps ad suum obsequium redigere instituit, dum Vandali longe positi finitimas Rheno regiones vastabant, cujus vim cum sustinere Limenius Præfectus prætorio, & Cariobaudes Magister militum, (145) se posse diffiderent, in Italiam refugerunt. Honorius Ravennæ degens, VII. Idus Aprilis (*) vetera decuriæ urbis Romæ privilegia confirmavit; ubi vero Gallicos tumultus cognovit, nova re perturbatus Stilichonem Alarici auxilio Illyricum Arcadio eripere molientem deterruit, litteras se accepisse significans, Constantinum ex Britannia in Galliam transmisisse, & se pro Imperatore in civitatibus gerere, quo nuncio accepto, Stilicho Romam, (nam eò se receperat Honorius,) ad consilia capienda progressus, Sarum cum firmo exercitu in Galliam ad hæc propulsanda incommoda destinavit. In Oriente Joannes Chrysostomus Septembri mense in exilio vitam amisit. (146) Basso 408 inde, & Philippo Consulatum, Hilario Præfecturam urbis, administrantibus, Vandali ex Belgica in Aquitaniam cum transissent, ipsam una cum Novempopulana, (147) Lugdunensi, & Narbonensi provincia, ut reliqua cœperant, misere pervastarunt. Unde dixit Salvianus Massiliensis Episcopus in libris de providentia Dei: *Excogitata est in perniciem nostram, ac dedecus gens ignavissima, quæ de loco in locum pergens, & de orbe in orbem transiens, universa vastaret, ac primo de solo patrio effusa in Germaniam primam, nomine barbaram,* (148) *natione Romanam, post cujus exitium primum arsit regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum.* Sarus autem Honorii Præfectus cum Justiniano Constantini duce congressus, tanta virtute pugnavit, ut ipsum cum exercitus parte conciderit,

(141) Primo quidem restitere Franci, edita Vandalorum strage; ita namque rem evenisse prodit Profuturus Frigerid. mox laudatus: *Respendial Rex Alanorum, Goare ad Romanos transgresso, à Rheno agmen suum convertit, Vandalis Francorum bello laborantibus; Godegisilo Rege absumpto acie, viginti ferme millibus ferro peremptis, cunctis Vandalis ad internecionem delendis, ni Alanorum vis in tempore subvenisset.*

(142) Narrat hæc S. Hieronym. in epist. ad Agerichiam. 11., non h. ann. scripta, ut conjicit Baron. ad an. 407. n. XLI., sed ann. 409., ibi namque dicitur, Romam auro vitam redemisse, & *proditorem* memorat Stilichonem, quæ ad præsent. an. referri nequeunt.

(143) A. N. Flodoardum legens dicentem l. 1. 6., Nicasii enarrato Martyrio: *Meminit hujus barbaricæ persecutionis beatus Hieronymus scribens ad quamdam adolescentulam viduam Ageruchiam nobilem*; putavit h. an., eoque ipso Vandalico bello necatum Sanctum Episcopum. Sed quamvis erraverit Flodoardus affirmando, S. Doctorem meminisse illius cladis, in qua Nicasius occisus; attamen non h. an., neque in hac barbaricæ irruptione S. Martyrem obiisse tradit; sed an. 451. in persecutione Hunnica sub Attila martyrio coronatum Flodoardus scribit. Siquidem l. c. *Sub hujus tempestatis turbinem*, inquit, *gloriosi renitebant in Galliis inter Episcopos viri, Sanctissimus Rhemorum præsul Nicasius, & Beatissimus Aurelianensium Pontifex Anianus; Sanctus quoque Lupus Trecassinus, & Beatus Servatius Tungrensis Antistes*, & cet., *qui hanc indignationis Dei suis meritis ac precibus iram Dei differre certaverunt.* Anianum autem urbem Aurelianens. ab Attilæ direptione liberasse, occurrisse Lupum Attilæ, ac pro Patria intercessisse, demonstrat Baron. ad an. 451. n. XLI., & sequ. Iis itaque coævus Nicasius, proindeque an. 407. occidi non potuit.

(144) Tradit hæc Beda l. 1. c. 9. accidisse *Anno ab Incarnatione Domini CCCCVII*, & *ante biennium Romanæ irruptionis, quæ per Alaricum Regem Gothorum facta est*. Eligitur *Constantinus ex infima militia, propter solam spem nominis*. L. Zos. l. 6. Sozom. l. 9. 11. de hoc Constantino.

(145) Qui Ticini seditione militari ambo interfecti fuere. L. Zosim. l. 5. 32.

(*) Est L. 5. Cod. Theod. *de decuriis*. V. quæ in Comm. Gothofred. At ea lex *reddita Ravennæ*; Honorius enim Romæ potius eo tempore fuisse videtur, ex Zosimo l. 5. p. 803.

(146) Hoc quidem anno; ait quippe Socrat. l. 6. 21. *Joannes in exilio abductus Comanis in Euxino Ponto extremum diem obiit, XVIII. Kal. Octob. Honorio Septies, & Theodosio iterum Coss.*, hinc male in Latina Versione Christophorsoni legitur, *XVIII. Kal. Decemb.*

(147) Regio hæc Aquitaniæ inter Garumnam fluvium, & Pirenæos, Oceanumque comprehensa, sic dicta à novem populis, qui nempe Cœnali fuot, Vasates-Meduli, Bojates, Ausci, Convenæ, Consoranni, Bigerrones, Tarbelli, & Elusates. Hodie *Guascogna*; Vasconum enim pars, transcensis Pirenæis in Aquitaniam commigravit, teste Venantio Fortun. l. 10. carm. ult.

(148) Quam Cæsar *Transrhenanam* Germaniam l. 5. 11. & alibi vocat, *Magna* est Ptolomæo l. 2. 11. eaque, vel potior pars *Barbara* quoque appellata, ex Eutrop. l. 7. 5.

rit, atque ingentem prædam retulerit. (149) Quo facto, protinus Valentiam, quò se Constantinus, tanquam in urbem munitam, receperat, exercitum duxit, ac statim corona circundedit. Neviogastem autem ducem alterum ad pacem secum faciendam adductum, contra interpositam fidei datæ religionem occidit. Postquam autem Edobechum, hominem Francum, & Gerontium Britannum cum suis utrumque copiis adversus se contendere sensit, eorum tum solertiam, tum fortitudinem veritus, septimo, quam obsidebat, à Valentia die discessit, & cum ducum eorum in se ruentium manus vix evasisset, universam prædam Bacaudis ad Alpes se objicientibus tradidit, ut ab eis facultatem repetendæ Italiæ obtineret. Hac victoria parta, Constantinus inde Arelate progressus, copias suas in unum collegit, atque Alpes, Rhenumque adversus Romanos, barbarosque præsidiis occupavit, inde Constantem filium, qui Monachus erat, Cæsarem esse jussit, (150) eumque cum militibus Honoriacis in Hispaniam misit, tum ut Imperii sui limites prolataret, tum ut propinquorum Honorii magnas in ea provincia opes infringeret; scilicet veritus, ne aliquando ab ipsis, atque ab Honorio circumventus, de capite dimicaret. Constans autem proficiscens, Terentium ducem, & Apollinarem Præfectum prætorio, aliosque tam civiles, quàm militares Præfectos ascivit, atque exercitum protinus in propinquos Honorii duxit. Quorum duo fratres Verenianus, & Didymus, Lusitanis adversus eum militibus concitatis, impetum ejus fortissime exceperunt: demum servis, atque agrestibus excitis, ipsum in gravissimum prope periculum adduxerunt; ad extremum tamen, adversante cœptis fortuna, capti una cum uxoribus à Constante in custodiam dati sunt. Qua re fratres eorum andita, Theodosius ad Honorium, & Lagodius ad Theodosium incolumitatis caussa persugit. Constans autem revocatus à patre ad consilia de occupanda Italia ineunda, Honoriacorum præsidia in Pyrenæis imposuit, & instrumento aulæ, & conjuge Cæsareæ Augustæ relictis, provinciam Gerontio duci commisit, & in Galliam ad patrem recurrit, Vereniano, & Didymo secum adductis, quos Constantinus, ut vidit, subito obtruncari præcepit. Hæc autem mala sive à Vandalis, sive à Constantino illata D. Hieronymus epistola XI. (151) partim expressit, partim significavit his verbis: *Innumerabiles, & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt, quidquid inter Alpes, & Pyrenæum est, quod Oceano, & Rhodano includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, & hostes Pannonii vastarunt. Maguntiacum capta, atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata, Vangiones longa obsidione deleti. Rhemorum urbs præpotens, Ambiani, Attrebates, Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus translati in Germaniam. Aquitania, Novemque populorum, Lugdunensis, & Narbonensis provinciæ præter paucas urbes populata sunt cuncta. Non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ ut hucusque non rueret, Sancti Episcopi Exuperii merita præstiterunt, ipsæ Hispaniæ jam, jamque perituræ contremiscunt. Roma vitam auro redimit.* Dum hæc autem in Gallia, Hispaniaque geruntur, Honorius Thermantiam (152) Mariæ defunctæ sororem Romæ sibi despondit uxorem, eas nuptias Serena Stilichonis uxor conciliarat, ut pristinam apud Imperatorem gratiam, ac potentiam retineret. Interim Alaricus, ubi diu tempus irruptionis in Illyricum, quæ ostentata fuerat, expectavit, litteris Honorii ab ea expeditione deterritus, ex Epiro in Pannoniam, & Noricum cum Gotthorum multitudine rediit, atque inde legatos Ravennam misit ad Stilichonem, pecuniam poscens pro mora, quam rogatu ejus in Epiro traxisset; ni daret, se in Italiam descensurum, ac damna sua prædandis agris sarciturum, ostendit. Hac re cognita, Stilicho, legatis Ravennæ relictis, propere Romam repetiit, ac cum Honorio, & Senatu de re proposita consultavit, ac ceteris bellum cum Alarico gerendum esse censentibus ipse pacem decrevit, percontantibus autem, cur pacem redimere pecunia vellet? *Quia ob commodum Principis*, inquit, *Alaricus in Epiro moratus est, ut mecum Illyricum invaderet, idque Honorii Imperio adderet, quod futurum erat, nisi me Honorius ab illa expeditione deterruisset*, ac simul literas ejus protulit, & culpam in Serenam conjecit, quæ utriusque Principis conservare gratiam voluisset. Quare æqua dicere Stilichonem Senatus censuit, atque Alarico nomine pacis quadraginta librarum millia solvenda decrevit. (153) Ceterum, majore parte Stilichonis sententiam approbante, Lampadius Senator clamavit: Non est ista pax, sed pactio servitutis; ac veritus ne quid propter hanc libertatem mali pate-

(149) Quæ de Saro hic refert A. N., à Zosimo exscribit eadem narrante l. 6. 2. in med., ubi & de præda à Saro Bacaudis tradita agit. Erant autem *Bacaudæ* tales, quos describit Salvianus l. 5. Gubern. Dei, dicens: *Vocamus rebelles, vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos; quibus enim aliis rebus, Bagaudæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus judicum*, & cet.

(150) *Adversus hos* (Vareniannum nemp., & Didymum) *Constantinus Constantem filium suum, proh dolor! ex Monacho Cæsarem factum cum barbaris quibusdam, qui quondam in fœdus recepti, atque in militiam allecti Honoriaci vocabantur, in Hispaniam misit*. Oros. l. 7. 39. propè fin. Sed Barbaros an. 409. Hispanias occupasse, Honorio Aug. VIII., & Theod. Jun. A. III. Idac. tradit in Fastis: *His Coss. Barbari Hispanias ingressi*. Item Cassiodor., & Prosper in Chron. Immo alter Idac. in Fast., habet, id evenisse *Æra quadringentesima quadragesima septima* iisdem Coss. Hæc autem Æra præsenti anno non respondet, sed an. 409. Memorat quoque diem *IV. Kal. Octobr.* L. Zosim. l. 6. 3. hæc referentem, ex quo A. N.

(151) Quam vero his temporibus nondum scripserat, sed post initium an. 409., proditorem namque vocat Stiliconem, narrat Romam ab Alarico captam, soluta pecunia, obsidione liberatam; non itaque præsentis anni epistola esse potest, & a Hieronymo in oriente h. an. scripta. V. quæ & Salvianus ab A. N. c. l. 7., iis consentanea, quæ Hieron. describit.

(152) Filia hæc Stiliconis. L. quæ Zosimus narrat utrique sorori accidisse, l. 5. 28.

(153) Χρυσίου τετρακισχιλίας λίτρας, inquit Zosim. l. 5. 29. prop. fin. quem hæc narrantem V.

patteretur, dimisso Senatu, sese in Ecclesiam contulit. Alaricus, pecunia accepta, pacem confirmavit, (unde paulo ante a D. Hieronymo, Romam auro vitam redimere, dictum est,) neque tamen ex Norico cessit. Eam vero rem suspectam habuit Honorius, ac propterea Ravennam se adire dixit velle, ut exercitum recenseret, eumque sibi conciliaret, cum tantus exercitus Italiæ cervicibus immineret, ad id consilium inprimis à Serena impulsus, quæ ipsum, si Alaricus violata pace in Italiam descendisset, tutiore, ac munitiore in urbe esse cupiebat. Quam rem cum Stilicho improbaret, Sarum Alanorum ducem impulit, ut tumultum in exercitu concitaret, (154) neque tamen ea re iter retardare Honorii potuit. Cum autem Honorius Bononiæ, Stilicho Ravennæ esset, nuncius de morte Arcadii Augusti affertur, (155) qui novis Stilichonis consiliis occasionem aperuit, quæ prorsus & ipsum, & cum eo Occidentale Imperium perdiderunt. Ille vero Kal. Maji vita cesserat, ac Theodosio filio prope infanti relicto Isdigerdem Persarum Regem, olim hostem, testamento tutorem dederat, (156) hostium fide potius, quàm suorum aut voluntate, aut opibus fretus. Hoc nuncio accepto, Honorius Stilichonem ad se vocavit, ac de rebus Orientis agitare ingressus, se cupere Constantinopolim ire dixit ad res ejus Imperii, & Theodosii pupilli perspiciendas, atque ad remp., si opus esset, constituendam. Quod consilium Stilicho etiam reprehendit, dicens, interesse Reipublicæ ipsum in Italia manere, ne Constantinus, qui jam totam Galliam percurrisset, atque Arelate regnaret, aut Alaricus, qui in Norico infirma pace, ac lubrica fide sederet, ubi Italiam armis destitutam, & Imperatore vacuam reperissent, impetu repentino invaderent: præstare autem, ut Alaricus in Constantinum cum barbarorum parte contenderet, ipse vero cum Romanis legionibus, ac litteris Principis Constantinopolim pergeret, ibique quæ egere correctione viderentur, emendaret, vero consilio occultato, quo se, perempto Theodosio, Orientale Imperium Eucherio filio conciliaturum putavit. (157) Quæ cum Honorius ut prudenter, & cum fide dicta probasset, datis ad Theodosium, & Alaricum litteris, Ticinum discessit. In itinere autem Olympius, vir splendida in prætorio militia præditus, (158) cum vacuas Principis aures esset adeptus, Honorio persuasit, Stilichonem nulla alia de caussa iter in Orientem optare, quam ut, Theodosio sublato, Imperium Eucherio filio suo tribueret, ac Ticinum progressus, ad seditionem milites incitavit. Itaque, cum Honorius post diem quartum, quam Ticinum inierat, in conspectum exercitus se dedisset, eumque hortari ad bellum adversus tyrannum Constantinum instituisset, milites, signo ab Olympio accepto, tumultuari cœperunt, ac Magistratus omnes aggressi, cædem ingentem fecerunt, qua in primis necati sunt Limenius Præfectus prætorio Galliarum, & Cariobaudes in iis locis Prætor, qui Constantini manus elapsi, eò confugerant, Vincentius magister equ., & Salvius Comes scholæ domesticorum, (159) atque Honorio se se metu in Prætorium referente urbs ipsa fœde direpta est, neque is tumultus ante comprimi potuit, quam Honorius in publicum se se sine diademate reddidit, quo sedato Longinianus Præfectus Prætorio Italiæ, & maxima occurrentium multitudo vita privata est, cum ex fuga se jam quasi in tuto positi recepissent. Cum hoc Stilicho Bononiæ cognovisset, atque Honorium, qui occisus dicebatur, vivere comperisset, Ticinum adire ad puniendos pro auctoritate milites, quod à multis suadebatur, abnuit, quod & eos timeret, neque constantem Honorii erga se animum cerneret, sed Ravennam sibi redeundum putavit: militibus autem monentibus, ut tutis in locis consisteret, donec Honorii animum erga se exploratum haberet, Sarus, qui dignitate inter ceteros eminebat, interemptis per quietem opera militum suorum Hunnis omnibus, qui assidui latera stipabant Stilichonis, ad tentorium ejus accessit. Stilicho autem, ut vidit, barbaros, quos secum habebat, inter se dissidentes, Ravennam petens, civitates, in quibus barbarorum liberi, & conjuges considebant, admonuit, ne quem barbarum ad se advenientem admitterent. Ubi Ravennam Sti-

(154) *Non quod reapse de turbandis rebus quidquam haberet in animo, sed ut Imperatori metum incuteret.* Zosim. l. 5. 30., qui simul causam tradit, cur molestum adeo Stiliconi foret, Honorii iter ad exercitum; verebatur quippe, ne quis Principem *ad molendum aliquid adversus Stiliconem impelleret*. l. 5. 31. in fin.

(155) Qui h. an. *Kal. Maji* obiit, ut Socrat. in fin. l. 6., & init. 7., Theodorus Lector, & Auct. Miscellæ. Hinc quando Socrates l. 6. 23. refert Arcadium post Patris obitum regnasse an. XIV., ultimum an. incompletum pro completo numeravit.

(156) De hoc Rege sic Procopius l. 1. Bell. Pers. c. 2. *Rex autem Persarum Isdigerdes magnitudine animi jam ante clarissimus, cum oblatas sibi tabulas legisset, virtutis exemplum edidit mirum valde, ac memorandum. Mandata enim Arcadii minimè aspernatus, Romanos, quamdiu vixit, pace beavit altissima, & Imperium Theodosio conservavit.* Idem Agathias l. 4., & Theophanes tradunt: hic autem addit ab Isdegerde Antiochum designatum puero erudiendo, virum moribus, & doctrina egregium.

(157) Id tradit Oros. l. 7. 38. in fin., ubi de Stilicone loquens ait: *Ut unum puerum purpuram indueret, totius generis humani sanguinem dedit.* Zosimus vero l. 5. 32. init. inquit, Stiliconem hæc egisse *nullius indigni adversus Imperatorem consilii sibi conscium*. In Olympium autem universam conjicit culpam occisi Stiliconis, quem tamen omnes carpsere tamquam Imperii Proditorem, ut alias observatum est. V. Philostorg. l. 12. 2. apud Photium in Excerptis ejusdem; ubi habetur, Stiliconem *omne insidiarum genus adversus Imperatorem struxisse*.

(158) Ad quem Honorius legem dedit 42. *de Hæret.* Cod. Theod., Magistrum Officior., & ad Valentem Domesticorum Comitem inscriptam. Erat is Ponto Euxino oriundus, teste Zosimo, & Olympiodoro, qui eumdem conviciis proscindunt: at D. Aug. commendat summopere illius zelum erga Cath. Religionem, & epistolas dedit 96., alias 124., & 97., alias 129.

(159) Qui, *ne Principis quidem ipsius pedes amplexus impetrare potuit, ut mortem effugeret*. Zosim. l. 5. 32. Zosimus hanc militum seditionem amplificat l. c. Sozomen. autem l. 9. 4., in eo tumultu occisos tradit complices conjurationis Stiliconis. Et Oros. l. 7. 38. inquit, *Romanum exercitum justissime commotum*, ubi Stiliconis *scelera* cognovit.

Stilicho adiit, litteræ subito Honorii ab Olympio ad Ravennatem exercitum missæ venerunt, ut Stilichonem comprehenderent, atque in custodiam darent. Qua re præcepta Stilicho perturbatus per noctem in templum salutis caussa confugit; ubi vero illuxit, milites ædem ingressi, cum jurejurando præsente Episcopo affirmarent, sibi non esse à principe imperatum, ut eum perimerent, sed tantum, ut custodirent, ipsum hac fide egressum sub custodia habuerunt, tum vero alteræ litteræ ab eo, qui priores attulerat, redditæ, quibus præcipiebatur, ut Stilichoni propter delicta adversus Remp. vita eriperetur. Ita Eucherio filio fugam arripiente (160) Stilicho ad capitale supplicium est abstractus, qui, cum servis, & familiaribus eum eximere cupientibus tegeretur, eos ab ejusmodi proposito evocavit, & semet ultro occidendum exhibuit. (*) Interfectus est Kal. Septembris, vir domi, militiæque insignis, acer consilio, manu promptus, principibus carus, sed militibus carior, & qui ad ceteros titulos præturam in exercitu per annos viginti tres gesserat, & cum potestate prope Augustali post Theodosii mortem in Occidente versatus erat. Hæc ita cum Sozomeno Zosimus. Alii aliis de caussis necem Stilichoni allatam scribunt. Jornandes, & Marcellinus, quod Vandalos in Galliam (161) immisisset. Numatianus autem, quod Gothis Italiam prodidisset. Stilichone sublato, Olympius, magisterio Officiorum sibi vindicato, aulam, Imperiumque pro arbitrio administrare perrexit. Honorius Thermantiam sponsam dignitate Augustæ spoliatam (162) ad Serenam matrem Romam remisit, & filium ejus Eucherium vestigari; ac repertum jugulari præcepit, qui, cum inventus Romæ ad Ecclesiam confugisset, dimissus in Picenum se retulit (163) inde quæstiones de familiaribus Stilichonis severissimas habuit, ut de se, ac de Stilichone aliquid proderent, qui cum nihil enunciassent, tandiu fustibus cæsi sunt, quousque spiritum ediderunt, ac reliquum anni in proscribendis, & persequendis iis, qui Stilichoni, Eucherioque adhæserant, posuit; nam X. Kal. Octobris ad Theodorum Præfectum Prætorio scripsit, ut si quis ex proscriptorum numero comitatum suæ serenitatis, sive mœnia æternæ urbis intrasset, deportaretur, & VIII. Kal. Octobris edixit, ut proscriptorum, satellitumque fortunæ ærario suo accederent, (164) & VIII. Kalen. Novembris, ut qui in facultates Stilichonis, & actus viderentur esse versati, vel ex iisdem facultatibus aliquid subtraxisse, vel aliquid rapuisse, omnifariam redderent, & X. Kalen. Decembris, ut qui opes prædoni publico, vel ejus filio, ceterisque satellitibus dedissent, vel jure, vel corpore, quibus ille usus esset ad omnem ditandam, inquietandamque barbariem, his omnibus repetendi via esset præclusa. Inde Ravennam profectus, IV. Idus Decembris sic sanxit: *Cum per Illyrici partes barbaricus speraretur incursus, numerosa incolarum manus sedes quæsivit externas, in cujus ingenuitatem assidua petitorum solet libido grassari, eique inlicite jugum servitutis imponere. Itaque præscriptum tua sublimitas recognoscat, ut Illyricianos omnes, quos patria complectitur vel alia qualibet terra susceperit, petere non liceat.* Item eodem die: *Hostis publicus Stilicho novum, atque insolitum repererat, ut littora, & portus crebris vallaret excubiis, ne cuiquam ex Oriente ad hanc Imperii partem pateret accessus. Hujus iniquitate rei moti, & ne rarior sit diversarum mercium commeatus, præcipimus hac sanctione, ut littorum desistat, ac portuum perniciosa custodia, & eundi, ac redeundi libera sit facultas.* Interim milites, qui per oppida distributi erant, Stilichonis morte comperta, barbarorum uxores, ac liberos in singulis civitatibus invaserunt, & bona eorum diripuerunt. Quam rem occisorum propinqui iniquo adeo tulere animo, ut Romanis relictis ad Alaricum se receperint, cumque ad bellum Romanis faciendum hortati sint, fueruntque ea ad hominum triginta amplius millia. Ille vero inducias cum Stilichone pactas sibi servandas putavit, ac legatos de pace ad Honorium misit, pecuniæ summam quandam, ac pacis obsides postulans, Ætium, & Jasonem, Gaudentii, & Jovii filios; (165) promittensque, se contra nobiles quoque ex suis quosdam daturum, atque ex Norico exercitum in Pannoniam reducturum. Quam conditionem Honorius stolide à suis inflatus repudiavit, ita ut neque pacis, neque belli studiis, prout oportuit, inservierit. Nam vulgo ita constitit, si paci studeret, eam modica mercede redimere, ac bellum in aliud tempus avertere potuisse; si bellum præoptaret, omnes, qui ubi-

(160) Romam is fugit, teste Zosimo l. 5. 35., & c. praeced.

(*) Ita Zosimus l. c., ubi interfectum scribit *a. d. X. Kal. Septemb., Bassi, Philippique Consulatu.* Ideo h. an data 20. lex VIII. Kal. Octob., & VIII Kal. Novemb L. 21., & X. Kal. Decemb. L. 22., omnes *de bonis proscriptorum* Cod. Theod, quibus non modo Stiliconis, sed & aliorum, qui Stiliconi adhæsere, filiique Eucherii bona proscribuntur.

(161) *Nulla tamen idcirco suspicione gravatam:* inquit Zos. l. 5. 35.

(162) Qui in Chron. habet: *Stilicho Comes (cujus duæ filiæ Maria, & Thermantia singulæ uxores Honorii Principis fuere, utraque tamen virgo defuncta) spreto Honorii regno, regnum inhians, Alanorum, Suevorum, Vvandalorumque gentes donis, pecuniisque illectas contra Honorii Imperium excitavit. Eucherium filium suum Paganum, & adversus Christianos insidias molientem cupiens Cæsarem ordinare, cum Eucherio, dolo suo detecto, occisus est.*

(163) Primo quidem dimissus, jure Asyli, ut Zosim. narrat l. 5. 35. in med. Sed deinde Romam mittitur, ut ibi capite pœnas lueret: Arsacii autem, & Terentii Eunuchorum industria factum, ne in Alarici manus incideret Eucherius, & salvus evaderet, narrante eodem Zos. c. 37., qui Romæ interfectum scribit Honorii jussu.

(164) VIII. Kal. Oct. data L. 20. *de bonis proscriptor.* Cod. Th., ubi & L. 21. eod. t. L. 22. IV. Id. Decemb. datæ LL. 1. de litorum, & itin. Custod. *L. ult. de postliminio* C. Theod. quarum meminit A. N.

(165) Ætius nempe erat Jovii filius, Jaso Gaudentii, teste Zosimo l. 5. 36, quem hic A. N. exscribit, ejusdemque Scriptoris judicium secutus carpit Honorium, quod Sarum belli Ducem non elegerit: sed homini barbaro rem fortasse noluit committere Honorius. Ad Gaudentium Africæ Comitem data Lex 1. Cod. Theod. *de terris Limitaneis* an. sequ

Jovius autem is est, qui Olympio in Occidentalis Imperii administratione successit, & an. 409. Præfectus P. fuit, ad quem Lex extat ult. eod. Cod. Theod. *de denunciat.*, notumque fuisse Alarico in Epiro, ejusdemque familiarem Zosimus ipse testatur l. 5. 48.

ubique essent, exercitus in unum cogere, ac Satum ducem belli deligere debuisse, qui & rei militaris summe petitus erat, & numerum ingentem barbarorum habebat. Quibus rebus omissis, equitatui Turpilionem, peditatui Varanem, Scholæ domesticorum Vigilantium, homines artis bellicæ rudes præposuit, atque hoc demum apparatu Alaricum, si irruptionem fecisset, se excepturum constituit. Constantinopoli Imperium puero Theodosio relictum singulari unius virginis Pulcheriæ, sororis ejus, sapientia gubernari cœptum est, (166) Anthemio Præfecto Prætorio primas sibi vindicante administrationis, & curæ militaris. Ita egregia otriusque diligentia puer Augustus insigniter ad omnem virtutis, & pietatis laudem est educatus. Ita-
409 que, cum Alarici, & barbarorum motus, atque apparatus non mediocrem utrique Imperio timorem incuterent, Honorius octavum, & Theodosius tertium Consules nunciis inter se missis composuerunt, (167) ut omnes aditus barbaris concursantibus clauderentur. Quippe Theodosius VIII. Kal. Maji ad Anthemium Præfectum Prætorio ita scripsit: (168) *Omnes stationes navium, portus, littora, omnes abscessus provinciarum, abdita quin etiam loca, & insulæ tuæ magnificentiæ dispositione solerti custodiantur indagine, ut nullus vel vi, vel clam, vel aperte, vel etiam occulte nostri possit Imperii regiones irrepere, qui non aut interjectis prohibeatur obicibus, aut, cum accesserit, illico teneatur, nisi sacros apices à domino patruo meo Honorio ad me perferre apertissima ratione monstraverit, cum eadem diligentia observando, ut si ad alium quenquam à memorato principe dixerit habere affatus, petitore detento, sacræ litteris cum omnibus chartis signatæ ad meam clementiam transmittantur, hoc enim & tyrannici furoris, & barbaricæ feritatis occasio persuadet, & inter me, dominumque & patruum meum Honorium vicissim recurrente admonitione convenit.* Sub idem tempus terra per septem dies mugitum ingentem dedit, ut Marcellinus memoriæ prodidit, quæ res nihil aliud prænonciasse mortalibus, nisi novam Gotthorum in Italiam irruptionem est visa; qua populata, vastataque Italia, Roma direpta, atque incensa est. Quod factum omnibus celsissimum urbis fastigium contemplantibus novitate, ac magnitudine sua pro memorando esse prodigio debuit. Etenim quid mirabilius esse, ac prope portentosius potuit, quam urbem eam, quæ annos amplius octingentos post cladem a Gallis acceptam non solum ab omni hostili intacta calamitate fuisset, sed etiam omnium gentium victrix, dominaque stetisset, repente à barbaris longo à se terrarum, cœlique spacio disjunctissimis in eam necessitatem adductam esse, ut non solum ipsa de suo capite dimicarit, sed universas etiam provincias sibi timere, ac de propria incolumitate cogitare coëgerit? Siquidem, ut præclare D. Hieronymus dixit, quid salvi esse potest, si Roma perit? Hujus porro calamitatis auctor Alaricus fuit. Ille verò ad repetendam cum suis Italiam ea maxime ratione accensus est, ut Honorium, à quo primum victus, deinde contemptus esset, & quem, Stilichone summo duce mortuo, infirmum & ducum, & armorum apparatum in Italia fecisse, animadverteret, ad aliquam honorati obsequii necessitatem adduceret. Itaque ad cetera præsidia, quæ sibi paravit, Ataulfum conjugis suæ fratrem ex superiore Pannonia evocavit, ut gerendæ rei socium sibi asciscerent, qui Gotthorum Hunnorumque copias non despiciendas haberet: deinde, cum is sibi lentius agere videretur, iter, illo non expectato, ingressus est, (169) ac claustris alpium Noricarum refractis irrupit, atque, Aquileja, Concordia, Altino, Patavioque à læva dimissis, nemine, tanquam in die festo, occurrente, ad Padum amnem pervenit, quo trajecto, ad castellum Bononiæ, nomine, ut inquit Zosimus, Oecubariam adiit, (170) inde Ravennam versus progressus, ad pontem Canditianum (171) non longe ab urbe consedit, ac statim legato ad Honorium misso pacem, sedesque sibi, ac suis in Italia postulavit, promptum fidei, atque operæ militaris obsequium offerens, si ejus sibi uti beneficio licuisset. Honorius, quanquam se infirmioribus esse viribus sentiebat, quam ut æquo Marte cum eo posset confligere, tamen Ravennæ urbis munitione, & Orientalium copiarum, quas, Stilichone vivente, acciverat, expectatione, ceterisque Italiæ præsidiis, in primisque urbis Romanæ confisus, magnifice respondit, nihil eorum se, quæ postulabat, dare posse, ipsumque, ut prioris meminisse expeditionis vellet, & quem exitum habuisset, monere. Quo responso audito Alaricus incensus, subito, castris motis, Ariminum, atque inde in

(166) De cujus supra ætatem sapientia Sozomen. l. 9. 1., & Socrat. l. 7. 22. At non h. an. adscita in Imperii consortium, quod evenit an. 414., quo Augusta fuit declarata, ut A. N. inferius. Idem Sozomen. tradit l. c., non solum ipsam Virginem se Deo devovisse, sed & sorores suas ita quoque instituisse, *ne forte virum quemquam alium Imperio subinduceret, sed potius omnem invidiæ, & insidiarum occasionem præcideret.*

(167) In Galliis vero, ubi Constantinus imperabat, is seipsum Consulem, & Honorii Collegam designavit; hinc Scaliger l. 5. de emendat Tempor. p. 516. refert Græcam Inscription., quæ Treviris extat: ΥΠΑΤΕΙΑ. ΟΝΩΡΙΟΥ. ΤΟ. Η. ΚΑΙ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ. ΤΟ. Α. Consulatu Honorii VIII., & Constantini I.

(168) V. Gothofred. in Chron. Cod. Theod., & Comment. in hanc L.

(169) Mirum sane, quod A. N. Zosimum secutus sit res præsentium temporum enarrantem, & tamen Alaricum h. an. ad Urbem obsidendam venisse referat; cum ex Zosimo ipso certo constet, anno superiori (408.) evenisse. Is porro l. 5. 28. Bassi, & Philippi Consulatu, eo anno gesto, morte Stilichonis, ejusque filii narrata, Urbis obsidionem referre incipit dicens, Alaricum Romam versus promotis castris occurrentia quæque Castella cum oppidis diripuisse, eamque obsidione cinxisse, & Tiberi occupato commeatum è portu interclusisse Romanis. Pergit deinde sancitæ pacis conditiones exponere, numeratam Barbaris pecuniam, solutamque obsidionem. His descriptis subdit Zosimus: *Mediocre jam laxamentum hoc malorum esse videbatur, quo tempore Honorius Imperator Ravennæ Consulatum inibat, octies honorem hunc consecutus, in Oriente Theodosius Aug. jam tertium Consul*, Anno sc. 409. Jam itaque anno elapso sub finem vergente Urbs ab Alarico fuerat obsessa, & tandem liberata, ut Zosimus narrat ibid.

(170) Cujus meminit Zosimus l. 5. 27.

(171) *Pons Candidi* etiam dictus, & Condinianus Jornandi, ad 3. mill. passuum distans ab urbe Ravenn.

in Picenum, & ex Piceno in Umbriam transiit, oblata omnia oppida populans, ac miserabili strage vastans, & ad Romam oppugnandam se ire ostendens, ut terrore illo Honorium ad aliquam pactorum æquitatem adduceret. Cum autem ne ita quidem Honorius cederet, Narniæ, quam in speciem instituerat, obsidione relicta, Romam ire perrexit. Parum autem abfuit, quin Eucherium in iis locis offenderit, ac conservarit; nam eum paulo ante inventum Arsacius, & Terentius eunuchi Romam abduxerant, ac jussu Honorii jugularant, & Thermantia Serenæ reddita, maritimo itinere, ne in Alarici manus inciderent, ad Honorium se receperant, quorum Terentium Honorius cubiculo sacro præfecit, Arsacio proximum ab eo locum concessit, & Africam Heracliano Comiti, Stilichonis interfectori, attribuit. Romam progressus, statim Urbem ex omni parte circumfuso exercitu cinxit, quo facto, sævo subito tumultu misceri omnia cœpta sunt, nam & servi, & barbari, multi ad eum, ut præsenti se periculo eriperent, transiverunt, & Senatores pagani ad veterem suam fabulam redierunt, ut immolationes revocandas, & sacrorum Christianorum cultum deserendum esse contenderent, unde tanta, & tam crebra mala fluxissent. Senatus autem una cum Placidia Honorii sorore cum Serenam suspectam haberet, ut quæ Gotthos ad urbem accivisset, eam necare constituit, haud dubia spe ductus, fore, ut Alaricus ab urbe, illius morte comperta, recederet, ut qui ab illa urbem sibi proditum iri, speraret; itaque Serenæ correptæ laqueo fauces elisæ. (172) Quod ubi Alaricus cognovit, obsidioni acrius institit, nam & portas omnes obstruxit, ne cuiquam ingressus, exitusque pateret, & occupato Tiberi, commeatus subvectionem è portu prohibuit. Ac Romani quidem per aliquot dies magna animi constantia omnia belli incommoda pertulerunt, haud ambigue subsidium Ravenna ab Honorio venturum in diem opperientes; post autem, cum nemine succurrente, spes eos destituisset, ut imminentis famis periculum propulsarent, frumenti modium minuerunt, ac partem ejus tantum dimidiam excoxerunt, quod in singulos dies erogabatur; atque inde, gliscente penuria, tertiam, ad extremum autem, cum omnia jam alimenta deficerent, ingens fames civitatem oppressit, (173) ac mox famem sæva pestilentia excepit, &, cum passim omnia cadaveribus complerentur, quod extra urbem sepeliri de more non poterant, lues ipsa dira odoris fœditate vulgata est. Hæc autem pestilentia non Romam solum, sed totam etiam videtur afflictasse Italiam, nimirum ab hac colluvie barbarorum invecta, siquidem scribit Rufinus ad Chromatium tum Aquilejensem Episcopum, perruptis ab Alarico duce Gotthorum Italiæ claustris, morbum se pestiferum infudisse, & agros, armenta, viros longe lateque vastasse. Quanquam autem Romæ multis cibum benigne suppeditavit Gratiani quondam Augusti uxor, ut inquit Zosimus, Læta, ejusque mater Pissamena, (174) quibus ex regio fisco Theodosii instituto sumptus mensæ regiæ præbebatur, id tamen exiguum affulsit, ut in tanta necessitate subsidium. Itaque, cum Romani ad humanorum malorum prope ultima devenissent, ita ut in semetipsos etiam stimulante fame sævirent, senatus tentatis rebus omnibus, quæ in mentem venire possent, legationem ad Alaricum denique destinavit, docens, & senatores paratos esse ad pacem accipiendam, si tolerabilia imperaret, & populum ad pugnam faciendam, si illius copiam faceret. Legati missi Basilius Præfectus, (175) & Joannes tribunorum Præpositus, qui idem hospitii necessitudine cum Alarico erat conjunctus: cum Alaricum in castris convenissent, errore populi agnito, (neque enim pro explorato adhuc habebant, an Alaricus in castris esset, atque urbem ultro obsideret, an, ut fama manaverat, alius, qui partibus Stilichonis faveret, atque ipsum ad urbem adduxisset) Senatus mandata ediderunt. Quibus Alaricus auditis, atque in primis, quod populus paratus ad conferendum prœlium esset, ingenti effuso risu respondit, se nihil ea re commoveri, nam spissius fœnum rariore facilius desecari, pacem autem se aliter dare non posse, nisi omne aurum, atque argentum, quod in urbe foret, atque omnem supellectilem, & mancipia barbara universa ad se deferrent, quem cum alter legatorum rogasset, si hæc Romanis abstulisset, quid tandem relicturus esset? Animas, inquit. Hoc tam atroci responso accepto petierunt, ut eum obsessis sibi colloqui de eo, quod agendum esset, liceret, atque induciis impetratis in urbem reversi legationem renunciarunt. Tum vero audientes Romani, Alaricum esse, qui urbi assideret, omni humana deplorata ope ad vetera deorum auxilia, à quibus sæpe se conservatos ferebant, imploranda se converterunt. (176) Auxit vero eorum fiduciam Pompejanus urbis Præfectus, qui se Tuscos quosdam (177) audivisse dixit asserentes, se nuper Narniam (178) sacrificiis factis è maximis periculis exemisse, atque hostes longe à mœnibus propulisse, quam rem cum ad

Inoo-

(172) Suspicionem Senatus de Serena conceptam falsam omnino fuisse Zosimus tradit l. 5. 38. init., subdens: *Verum meritas violatarum rerum divinarum pœnas luebat*, quod aliquando è Rheæ simulacri collo mundum pretiosum abstraxisset, suæque cervici colligasset. Ita Ethnicus Scriptor Serenam excusat. Sed A. N. ex Photio contrarium refert.

(173) L. Zosim. l. 5. 39., Philostorgium l. 12. 3., Sozomen. l. 9. 8.

(174) Non dubium, quin Læta Gratiani Principis quondam conjux, & Pissamenæ filia h. an. viveret, cum manifeste Zosim. l. 5. 39. illam memoret, commendans ejusdem in pauperibus alendis humanitatem. Fuit autem Læta secunda uxor Gratiani; prima namque Fl. Maxima Constantia Constantii Imperatoris ex Faustina filia posthuma, teste Ammiano l. 21. 15.

(175) Basilium genere Hispanum, præsidisque Provinciæ dignitate ornatum Zosimus l. 5. 40. scribit. Is Præfectus Urb. fuit an. 395.

(176) Hinc Zosimus l. 5. 40 in fin. more suo, inquit: *Desperatis omnibus, quæ vires humanas spectarent, ad animos revocant eam opem, quam in seditionibus olim urbs fuisset experta, quoque patriis ritibus violatis hanc amisissent.*

(177) Aruspices hi erant, teste Zosimo l. c. 41. init., qui è Tuscia Romam advenerant.

(178) Νεβηίαν, *Neveiam* Zosim. vocat ibid. Sozomen. vero l. 9. 6. Λαρ ίαν πόλιν τῆς Θουσκίας, Larniam civitatem Thusciæ, Λ pro Ν mendosè conscripto.

Innocentium Pontificem retulisset; ille, si Zosimo, pagano homini habenda fides est, (179) respondit: Agerent quod reip. conducturum putarent. Ceterum Senatum in Capitolio sacrificiis incumbentem populus aversatus est, sacrilegium illud verius, quam sacrum, arbitratus. Itaque dimissis malis suasoribus rursus se ad permulcendum Alarici animum contulerunt, ac legatos decreverunt, qui offerrent quinque millia pondo auri, triginta argenti, tunicarum sericarum quattuor millia, pellium coccinearum tria millia, &, quod in ærario pecuniæ nihil esset, ut senatores ex propriis hæc conferrent censibus, adjecerunt: cum autem Palladius, cui exigendi negotium fuerat datum, hanc conficere summam non posset, quod possessores partem bonorum aliquam abscondissent, ac principes civitatem assiduis tributorum exactionibus exhausissent, templis deorum spoliatis, atque aliquot signis aureis, argenteisque conflatis, quod deerat, ex Senatus auctoritate supplevit, inter quæ cum Virtutis simulachrum esset conflatum, rursus Gentiles insurrexerunt, ac quodcunque Romanis relictum fortitudinis esset, id demum exemptum esse dixerunt. His igitur contractis legati ad Honorium contendère, demonstratum, Alaricum pacis dandæ caussa non pecunias solum, sed etiam obsides postulare. Quæ si conditio placuisset, ipsum non solum pacem, sed etiam societatem cum eo facturum, atque arma adversus hostes ejus quoscunque versurum. Quæ cum Honorius approbasset, ad Alaricum munera, quæ diximus, attulerunt. Qua re audita D. Hieronymus scripsit: *Quis hoc credet, Romam in gremio suo non pro gloria, sed pro salute pugnare, immo vero ne pugnare quidem, sed auro, & cuncta supellectile vitam redimere, quod non vitio principum, qui religiosissimi sunt, sed scelere semibarbari accidit proditoris, qui nostris contra nos opibus armavit inimicos.* Ceterum donis acceptis Alaricus triduo forum permisit iis, qui intus erant, exeundi ex urbe, atque annonæ è portu subvehendæ potestate concessa, atque ex agro Romano in Tusciam retrocessit. Romani vero, rebus, quibus abundabant, divenditis, necessarias aut coëmptione, aut commutatione pararunt, servi ex urbe ad hostes circiter XL. millia transfugerunt. Romanos quosdam à barbaris ad Portum captos ubi Alaricus cognovit, omnes extemplo liberari jussit, &, se insciente, id commissum esse purgavit. Sub eosdem dies Constantinus, qui se in Gallia pro Imperatore gerebat, legatos ad Honorium misit, veniam poscens, quo Augustalia insignia suscepisset, nam se coactum à militibus eorum resistere voluntati non potuisse. Quod ubi Honorius audiit, ne duo eodem tempore bella difficillima sustineret, &, ut propinquis suis Vereniano, & Didymo, quos nondum occisos norat, pro sua in eos pietate consuleret, ita probavit, ut trabeam etiam ad illum Imperatoriam miserit. (180) Itaque ea re elatus, pacem conficere cum Alarico neglexit, ac neque obsides dedit, neque reliqua, quæ pacta erant, explevit. Qua re animadversa, Senatus imminentem sibi ex ea re calamitatem prospiciens, iterum legavit ad eum Cæcilianum, (*) Attalum, & Maximianum, qui perditum civitatis statum, ni à bello isto cessaretur, exponerent. Quos Honorius ab Olympio inductus irritos dimisit, & Cæcilianum Præfectum urbis, Attalum fisci creavit, (181) ac sex millia Dalmatarum, Romanarum tum virium robur, ad orbis custodiam misit, quorum dux Valens indignum ratus itinera ea cavere, quæ hostis obsideret, temere in Alarici manus omnes conjecit, ita ut vix pauci fuga evaserint: ex quibus ipse una cum Attalo Legato incolumis pervenit Romam. Maximianus (182) vero captus, à Marniano patre triginta aureorum millibus est redemptus. Attalus amicorum Stilichonis, qui proscripti fuerunt, bona perscrutari, eaque in Fiscum redigere jussus, cum rem agere languidius videretur, ad pœnam conquisitus in Ecclesiam salutis caussa profugit. Inanem hanc legationem postquam Senatus cognovit, tertiam destinavit, cujus Princeps erat Innocentius Pontifex, (183) quibus Alaricus quosdam è suis adjunxit, ut eos à Gotthis infesta itinera habentibus tutarentur. His Ravennam progressus, Ataulfus demum Juliis Alpibus superatis, & ipse sese in Venetiam intulit. Qua re comperta, Honorius, universis peditum, atque equitum copiis ex oppidis cum ducibus suis excitis, atque Hunnis trecentis, Olympio Magistro officiorum tributis, omnes propere occurrere, &, quoad possent, ne se cum Alarico conjungeret, prohibere mandavit. Qui profecti, certamine commisso, mille & quingentos Gothorum occiderunt, septemdecim tantum ex suis amissis. Interim Honorius Olympium

(179) Recte A. N. adversus Zosimum excipit. Sozomen. porro, (erat is Novatianus, & adversus Innocentium, qui Novatianos urbe ejecit, ut Socrates l. 7. 9., nonnihil commotus) eamdem obsidionem narrans, Innocentiumque commemorans, nullus hujusmodi facti meminit, quod Zosimus refert. Præstat itaque id apud Sozomenum videre l. c. Quid si Innocentius auctor fuit Honorio, ut legem 12. Cod. Theod. *de Maleficiis* promulgaret, qua exilium Mathematicis indicitur, qui urbium sua se nosse jactabant, ut suspicatur Gothofredus in Commentar. ejusdem Legis.

(180) Βασιλικὴν ἐσθῆτα, vestem Imperatoriam, Zosim. l. 5. 41. vocat. Et quidem Vereniani, & Didymii de vita sollicitus Honorius id fecit, qui tamen jam jugulati fuerant, teste eod. Zosim. ibid.

(*) Hic obtinuit Præfecturam Prætorii, *Theodoro dejecto*, ut inquit Zosimus l. 5. 44., non Præfecturam urbanam; hinc Lex ult. Cod. Theod. *de fide testium*; & Lex ult. *de exhibendis reis*. Item Lex ult. *ut intra annum*, *XII. Kal. Febr. Ravennæ* datæ, *Cæciliano* P. P. directæ sunt.

(181) Flavius Priscus Attalus dicitur in Numism. apud Mediobarb. edit. Mediolan. p. 530. Ex Jonia, Religione antea Paganus, teste Philostorg. l. 12. 3. sed deinde baptizatus fuit ab Ariano Episcopo, ut Sozom. l. 9. 9., & Alarici opera postea Imperator, ut infra, creatus.

(182) Maximillianum Zosim. vocat l. 5. 45.

(183) Meminit hujus Legationis Zosimus l. 5. 45. dicens: *Cum quibus* (legatis nempe) *& Romanus Episcopus proficiscitur.* Sozomen. l. 9. 7. & Oros. l. 7. 39. inquit: *Accidit quoque quo magna illa Urbis irruptio indignatione Dei acta*, & cet. *ut B. Innocentius Romanæ Ecclesiæ Episcopus, tamquam justus Loth subtractus è Sodomis, occulta providentia Dei, apud Ravennam tunc positus, peccatoris populi non videret excidium.*

A pium Præfectum ab eunuchis accusatum, quod auctor omnium malorum fuisset, (184) quæ proxime Resp. passa esset, Magistratu privavit, qui in Dalmatiam abiit. Attalo vero Præfecturam urbis, Demetrio fisci attribuit, ac novis aliis creatis Magistratibus, ac Præfectis, Generidum quoque Dalmaticis copiis, & ceteris, quæ apud Pannoniam superiorem, Noricos, & Rhætos in præsidiis erant, præfecit, lege lata, ne quis in aula cingulum militare induceret, qui Christianus non esset. Qua lecta, Generidus, qui tum Romæ militibus præerat, & Gentilitati studebat, cingulum posuit; cum autem Honorius mandaret, ut, quoniam B in Magistratu esset, ad aulam in ordine suo veniret, lege se cingulo prohiberi respondit, quia Christum non coleret. Honorio vero subjiciente, ipsum, qui de Rep. bene meritus esset, ea lege non teneri, se eum honorem respuere dixit, qui ad ceterorum injuriam pertineret, itaque legem tollere in omnibus Honorius est coactus, & permittere, ut in sua quisque religione Magistratum, ac militiam gereret. (185) Inde Generidus assiduis laboribus milites exercere, annonas integras dare, & ex suo stipendio iis, qui majores subirent labores, præmia constituere, atque ita barbaris terrori, regionibus, quas tuebatur, præsidio C firmissimo esse. Inter hæc milites Ravennæ seditionem gravissimam concitarunt, ac, portu occupato, ad se adire Honorium postularunt: illo vero proficisci recusante, Jovius Præfectus Prætorio, idemque Patricius, socio Ellobicho Comite Domesticorum assumpto, progressus, caussam tantæ consternationis est percontatus, illi Turpilionem, & Vigilantium militum Præfectos cum Terentio, & Arsacio Præpositis sacri cubiculi sibi tradi deposcerunt. Quod ubi Honorius audiit, atrocioris alicujus defectionis timore perculsus, eos in exilium egit, ex quibus Turpilio, & Vigilantius in navim impositi, ab iis, qui avehebant, Jovii mandaD to necati sunt. (186) Terentius in Orientem, Arsacius Mediolanum est relegatus. In Terentii locum Eusebius cubili Præpositus sufficitur. Turpilionis præfectura Valenti, Vigilantii Ellobicho (187) mandatur. Jovius autem, cum omnem ad se Imperatoris potentiam transtulisset, legatos ad Alaricum misit hortatum, ut componendæ pacis caussa Ravennam accederet, cui Alaricus ita paruit, ut Ariminum usque processerit. Ibi Jovius, ut qui cum eo in Epiro hospitii necessitudine fuerat junctus, de fœdere agere instituit: postulavit Alaricus, ut in annos singulos certa pecuniæ, atque annonæ summa sibi erogaretur, & suis ad habitandum Venetia, Noricum, & Dalmatia traderentur. Quæ postulata Jovius ad Honorium misit, separatim hortans illum per litteras, ut Alaricum Magistrum militiæ constitueret, ut ille hoc honore lenitus aliquid de conditionum asperitate remitteret, & pacem legibus æquioribus faceret. Quibus acceptis, Honorius vehementer Jovii temeritate damnata, respondit, auri, & annonæ modum eum statuere pro Magistratu posse, ut qui Præfectus Prætorio esset, & publicorum tributorum potestatem haberet; illud vero nunquam à se impetraturum, ut dignitatem, aut Præfecturam Alarico, aut genti ejus impertiat. Hæc epistola à Jovio audienti Alarico (188) temere recitata iram ejus accendit. Nam cum cetera moderate tulisset, sibi, gentique suæ negatam Præfecturam iniquo adeo animo accepit, ut statim milites suos Romam iter expedire ad insignem ulciscendam injuriam jusserit. Jovius autem ejus colloquii exitu perturbatus, Ravennam regressus, ut se omni suspicione criminis liberaret, Honorium sacramento adegit, se nunquam pacem cum Alarico facturum, atque ipso tacto ejus capite (189) eodem se jurejurando devinxit, atque ab omnibus, qui cum potestate erant, idem exegit. Honorius autem belli caussa decem millia Hunorum accivit, ac frumentum, & pecora ex Dalmatia ad se adduci jussit, & missis, qui Alarici vires explorarent, copias suas ex locis omnibus evocavit. Quibus rebus cognitis Alaricus Romanæ tandem expeditionis pœnitentia ductus, Episcopos ad eum legavit, hortatum, ne culpa sua sineret, eam urbem, quæ mille annorum spatio magnæ parti orbis terrarum jura cum imperio præscripsisset, vastandam, ac diripiendam barbaris tradi, neque tantas operum, & tam magnificas moles hostili flamma deleri, sed æquis conditionibus pacem componeret, ac sibi, & urbi omnium præstantissimæ parceret, neque enim se Præfecturæ honorem cupere, neque Venetiam amplius ad constituendas sedes exigere, sed certo pecuniæ numero, & duobus contentum Noricis

(184) Zosimus Olympio infensissimus ubique in illum malorum conjicit culpam; ille autem veritus, ne quid aliud sibi gravius accideret, fuga se in Dalmatiam contulit. Addit Olympiodorus, eumdem postea iterum Ma- E gistratu potitum, rursum privatum fuisse, & tandem fustibus cæsum, Constantio jubente, Placidiæ marito, occubuisse.

(185) Legem 42. Cod. Theod. *de hæreticis* dederat an. præced. Honorius (cujus legis meminit Zosim. l. 5.) vetans, ne Pagani, & Hæretici in Palatio militarent, itemque plures alias adversus eosdem, ut ex eod tit. patet. At quia Aulicorum impetu ferebatur, plura deinde abrogavit, quæ sapienter antea constituerat. Cujus rei caussa fortasse fuit Heraclianus Africæ Comes, cujus ingenium, atque consilia Christianæ Religioni infensa Hieronymus describit, epist. 8.

(186) Ita Zosim. refert l. 5. 47., dicens: *Hoc enim Jovius eis imperaverat, quippe metuebat, ne forte reversi, cognitis iis insidiis, quæ adversus ipsos structæ fuissent, principem* (id. Honorium) *ad sumendum de se supplicium concitarent*.

(187) Ellebichum Zosim. vocat l. c., eumdem Allobichum c. sequ dicit. Extat ad Ellebichum Com., & Magistrum utriusque militiæ L. 1. Cod. Theod *de Calumniator.*, Merobaude II., & Saturnino Coss., nempe an. Chr. 383., qui hujus fortasse pater.

(188) In cujus tentorio Jovius erat, cum hæ litteræ allatæ, teste Sozom. l. 9. 7.

(189) Gravissimum jusjurandum fuisse idem Zosim. declarat l. 5. 51., quod in caussa fuit, cur Jovius æquas pacis conditiones ab Alarico postulatas, respuendas censuerit. *Quippe si Deo præstitum fuisset jusjurandum, fortasse negligi posse, permittendo benignitati divinæ facinoris impii condonationem: sed quando per caput Imperatoris jurassent, non jam eis fas esse contra tam grave jusjurandum delinquere*. Zosim. habet ibid.

eis fore, (190) quæ assiduis barbarorum incursionibus obnoxia sint, ac Fiscum tributo tenuissimo juvent, & arma adversus omnes hostes ejus laturum esse. Ceteris moderationem ejus admirantibus, Jovius, & alii regiæ potentiæ participes, hæc confici posse negarunt, quod omnes Magistratus jurejurando se obstrinxissent, se cum eo pacem nullam agitaturos. Alaricus autem, postquam suas respui conditiones vidit, universum prorsus exercitum Romam ire præcepit, eo animo, ut constanter in urbis obsidione maneret, donec fame perdomuisset; cum autem Monachus quidam eum obsecrasset, (*) ut urbi nobilissimæ parceret, respondit, se omnino ab urbe diruenda animo abhorrere, verum quendam sibi ad illam evertendam dies, noctesque urgentem assistere. Per eosdem dies Jovius alter legatus (191) à Constantino tyranno venit, excusatum, quod Verenianus & Didymus non ejus voluntate necati fuissent, qui postquam Honorium eo nuncio gravius commotum atrocia minantem vidit, sibi timens egregie facturum illum subjecit, si curis Italicis occupatus iram adversus Constantinum remitteret, nimirum se, si Galliam repetere, & casus demonstrare Italiæ licuisset, non ita mulro post cum omnibus Gallicis, Hispanicis, Britannicis copiis reversurum, atque opportunum Italiæ, Romæque subsidium allaturum, atque ira dimissus est. Alaricus, ubi Romam pervenit, civibus evocatis, Honorii iniquitatem exposuit, simulque, se urbem per vim expugnaturum, nisi ipsi conjunctis se cum viribus arma adversus eum caperent, addidit: illis vero consilium non expedientibus, iterum mœnia armatorum corona circundedit, & Portum aliquot dies oppugnavit: post autem cum eum vi adhibita cepisset, atque ibi infinitam rei frumentariæ vim congestam reperisset, eam se in exercitus sui commoda consumpturum, nisi primo quoque tempore dicto se audientes exhibuissent, ostendit. Quod tempus item D. Hieronymus expressit, his verbis: (192) *Dum hæc aguntur, terribilis de Occidente rumor affertur, obsideri Romam, & auro salutem civium redimi, spoliatosque rursum circundari, ut post substantiam vitam quoque perderent*. His de rebus Senatus habito consilio, quod nullum superesse perfugium, annonæ subvectione ex portu in quotidianos usus subtracta, videret, demum Alarici se potestati permisit, ac receptis ejus legatis ipsum ad urbem vocavit, & Placidiam Honorii sororem, tanquam fidei obsidem, ab eo petitam, concessit. Quo facto ille jussit, ut Attalum Præfectum urbis (193) insignibus Imperatoris ornatum in Augustali folio collocarent, quod illi obedienter egerunt. His rebus ita constitutis; Attalus inde se totum formando Imperio tradidit, ac primum Lampadium Præfectum prætorio, (194) & Marcianum Præfectum urbis dixit, ex Præfecturis autem militaribus pedestrem Alarico, equestrem Valenti attribuit, ei, qui legiones Dalmaticas reserat, Ataulfum vero Comitem domesticorum, & Tertullum (195) in insequentem annum Consulem designavit: inde, infaustis licet ominibus, ad Palatium eum regio comitatu processit; postridie autem Senatum ingressus, orationem habuit in primis arrogantiæ plenam, qua se Romanis universum terrarum Orbem acquisiturum, atque alia specie magnificentiora jactavit. Quibus de rebus Romani inani gaudio exultare cœperunt, quod bello gravissimo liberati & Magistratus rei gerendæ gnaros, & præcipue Tertullum Consulem nacti essent, solis Aniciis, ut omnium opulentissimis, eum civitatis statum ægre ferentibus. Cum autem Alaricus ei suaderet, ut firmas copias in Africam mitteret, atque Heracliano Comiti imperium, (196) & provinciam extorqueret, ne quid inde Romanis rebus impedimenti suppeteret, id ille consilii respuit, inanes spes amplexus, quibus eum fatidici vates inflaverant: verum persuasus, se Carthagine, & tota Africa sine certamine potiturum, non Drumam, qui cum barbarorum copiis Heraclianum haud ægre potuisset ex provincia deturbare, sed Constantinum quendam cum modica militum manu imperio in Africanos milites dato misit: postremo urbe egressus una cum Alarico Ravennam ad expugnandum Honorium prodiit. His rebus, ut erant acerbæ, & graves, Honorius territus, ubi eum Ariminum accessisse accepit, legatos ei misit obviam, per quos si insanire desineret, promisit se illum in societatem Imperii accepturum, quibus respondit Attalus, socium se Imperii neminem velle, ipsi ut insulam, aut aliò quò velit privarus secedat, permittere. Cum propterea æstuaret Honorius, atque incertus consilii fugam arripere, navibus ad id in portu Ravennæ paratis, cogitaret, op-

(190) Noverat fortasse Alarichus, Noricum proprios habuisse Reges; mentio enim regni Norici habetur ap. Vellej. l. 2. 109, & Sveton. *in Tiber.* 16., Cæsarem quoque l. 1. Bell. Gall. in fin., & Bell. Civ. l. 1. 18. In duas deinde Provincias scissum Noricum, tempore Sexti Rufi, qui c. 7. ait: *Sub Julio, & Octaviano Cæsaribus per Alpes Julias iter factum est: Alpinis omnibus victis, Noricorum Provinciæ accesserunt*.

(*) L. Sozomen. l. 9. c. 6., & Socrat. l. 7. 10. id narrantes.

(191) Hunc virum *eruditione doctrinæ, ceterisque virtutibus* excellentem prædicat Zos. l. 6. init., unde Paganum Religione fuisse credibile est. Hujus legationis Olympiodorus meminit apud Phot. Biblioth. c. 80.

(192) Epist. 16. ad Principiam.

(193) Secta Arianum ex Sozomeno l. 9. 8., proindeque Gothis acceptum eadem lue infectis. Ibidem Priscus Attalus appellatur, ut & plura Numismata exhibent apud Mediobarb. p. 530., & sequ. Illius variam fortunam paucis, sed recte describit Oros. l. 7. 42. *Quid de infelicissimo Attalo loquar, cui occidi inter tyrannos honor, & mors lucrum fuit? In hoc Alaricus Imperatore facto, infecto, refecto, ac defecto, citius his omnibus actis pene quam dictis, mimum risit, & ludum spectavit Imperii*. Sed hæc inferius patebunt.

(194) Ethnicæ superstitioni addictissimum, ad quem extat de Fato, atque Fortuna S. August. epistola 243., qua e Mathematicorum ineptiis studuit eumdem dimovere.

(195) Si hoc anno designatus is fuit Consul ab Attalo, proindeque anno sequ. Consul processit, Cassiodorus in Chr. Urbis direptionem an. sequenti inconsulto consignat; nequeunt enim Consulatus iste, & secunda Urbis obsidio simul consistere.

(196) Oros. l. 7. 29. inquit: *Heraclianus Africæ Comes missus, cum Attalus umbram gestaret Imperii*. Is accisas Honorii res restituere visus est, teste eodem Orosio l. 7. 42. med., quem V. de Heracliano plura ibid. narrantem.

A opportune sex militum legiones, hominum quadraginta millia, (197) diu expectatæ, ex Oriente venere, quare, custodia urbis eis commissa, Ravennæ sibi subsistendum putavit, dum certus de rebus Africæ nuncius esset allatus, &, si Heraclianus provinciam in potestate tenuisset, Alaricum, atque Attalum viribus universis invadere; si quid durius accidisset, in Orientem abeundo Imperium Occidentale relinquere. Interim Attalus Constantinum ducem suum in Africa ab Heracliano necatum cum audisset, quosdam cum pecunia in Africam misit, qui labentem rem pro viribus sustinerent. Quod graviter ferens Alaricus, de rebus desperare Attali cœpit, ut qui stoliditate animi parum rebus tantis regendis B esset idoneus, ac Ravennæ obsidionem, quam obstinato ad expugnationem animo instituerat, reliquit, summopere, ut id faceret, à Jovio incitatus, (198) identidem id agi ab Attalo admonentis, ut Imperio potitus nefarias ipsi, & propinquis ejus insidias compararet. Ut tamen Attalo fidem præstaret, Valente equitum Magistro nomine proditionis occiso, cunctas Æmiliæ urbes, quæ Attali Imperium recusarant, cum exercitu adiit, ac, Bononia nequicquam per multos dies oppugnata, reliquas cepit, atque inde, trajecto Pado, bellum in Liguriam C transtulit. Ob id Honorius cum esset in his angustiis positus, litteris ad civitates Britanniæ postulantes auxilium missis, hortatus est, ut sibi consulerent, (199) ac muneribus ex ea pecunia, quam Heraclianus miserat, militibus distributis, eorum sibi amorem conciliare contendit. Per eosdem dies Constans Cæsar rursus à patre in Hispaniam missus Justum quendam sibi ducem ascivit, qua re offensus Gerontius, (200) ut qui Justo esset posthabitus, adjunctis sibi eorum locorum militibus, Imperii insignia Maximo cuidam clienti (201) suo detulit, eumque Augustum Tarracone constituit, & Vandalos, qui erant in Gallia, adversus Constantinum solicitavit. Ex altera parte, Franci, Frigerido teste, (202) Constantini rerum in Gallia potientis socordia invitati, in Galliam, quam toties vario incursionum eventu tentarant, neque firma tenere possessione potuerant, magna mole superato Rheno, irruperunt, ac cum alia oppida, tum præcipue urbem Trevirorum (203), ipsius tum Imperii caput, captam diripuerunt. Quod ubi Vandali, sociique senserunt, sibi, rebusque suis timentes ad Rhenum ilico recurrerunt, ac conatibus eorum se venisse adversarios ostenderunt. Franci vero, postquam Respendialem Regem Alemanorum, Goare ad Romanos transgresso, agmen suum à Rheno retulisse videre, sese in Vandalos intulere, ac, Godigisilo Rege eorum extincto, viginti ferme millia cæcidere, universos deleturi, ni periculo cognito Alanorum exercitus in tempore succurrisset. Hac clade fracti Vandali, Alani, & Suevi, ne iterum cum Francis sibi decertandum esset, Gunderico Godigisili filio Rege substituto, consilium Gallia abeundi ceperunt, atque ad Pirenæum profecti, & præsidio Honoriacorum, quos Constans imposuerat, sibi adjuncto, in Hispanias trajecerunt, atque in ulteriorem progressi provinciam, duces inde Romanos nec opinantes aggressi, ipsum in potestatem adduxerunt. Hanc trajectionem hoc anno factam Kal. Octobris, (204) Prosper, Cassiodorus, & Jornandes in Annalibus scriptum reliquere. Salvianus censet, Vandalos Dei judicio ad Hispanias transivisse; neque enim in Gallia Romanos timuisse, quod ad eam usque diem illæsi ab eis cuncta vastassent. Eorundem Francorum metu Britanni, acceptis Honorii litteris, excitati sumpsere arma, ut civitates suas ab eorum impetu conservarent. Quos imitatæ Armoricæ civitates (205) eodem modo se in libertatem vindicarunt, Magistratibus Romanis expulsis, &

D serius quam ad an. 402. differenda videtur; Honorius enim Imper. in Constitutione ad Agricolam Præf. Galliarum data, *Arelate X. Kal. Jun. Domino Honorio XII.*, *&* *Theodosio VIII. Coss.* an. sc. Chr. 418 jubebat, ut in posterum in *Metropolitana, idest in Arelatensi urbe* Septem Galliarum Provinciæ Conventum habeant: *Siquidem*, subdit Imp., *hoc rationabili plane probatoque Concilio, jam & vir illustris Præfectus Petronius observari debere præceperit, quod interpolatum, vel incuria temporum, vel desidia tyrannorum, reparari solita prudentiæ nostræ auctoritate decernimus*. Constantinus autem tyrannus, an. 407. in Gallias venit, & sedem apud Arelatem statuit, ideoque jam antea hæc urbs sedes Præfecti P. Galliarum fuerat, jamque Conventus illi Septem Provinciarum neglecti, aut interrupti. Quare an. 402. circiter Conventus hujusmodi institutus, & Præfectura P. Galliar. Urbi Arelatensi attributa.

(197) [illegible] fuisse, sex nempe legiones ab Oriente venisse Zosim. tradit, *cohortes* vertit Leunclavius in l. 6. 8., & ubi habetur apud Zosim. [illegible], & cet., [illegible] mavult legendum, id ibid.

(198) An hic temporibus serviens modo Attalo, modo Honorio adhærebat, consilia mutans? Suadere id videtur Zosim. l. 6. 9. dicens: *Qui* (Jovius) *cum intellexisset, missi ab Attalo ducis irritos in Africa conatus fuisse; prorsus ad favendum Honorii causæ se convertit, & Attalum maledictis incessere non desiit*, & cet.

(199) Quo anno Roma ab Alarico expugnata, an. sc. 409., cum Britanni Provincias vicinas cernerent a Romanis paulatim deficere, earum exemplo se se in libertatem asseruere, præsertim cum Constantinus vacua fere præsidia reliquisset. V. Bedam l. 1. 11., qui & in Epitome scribit: *Anno CCCCIX. Roma à Gothis fracta est; ex quo tempore Romani in Britannia regnare cessarunt*. L. Zos. l. 6. 5.

E (200) Hanc causam affert Zosimus l. c., at Sid. l. 5. ep. 9. Gerontium perfidiæ postulat, & Oros. l. 7. 42., ait: *Constantem filium Constantini, Gerontius Comes suus, vir nequam, ac improbus apud Viennam interfecit, atque in ejus locum Maximum quemdam substituit*.

(201) Gerontii hunc filium fuisse Olympiodorus apud Phot. c. 80. dicit. Orosius autem l. c. de eodem tamquam vix noto loquitur.

(202) Apud Gregor. Turonensem p. 61.

(203) *Treverorum civitas à Francis direpta, incensaque est, secunda irruptione*: inquit Gregor. Turonens. l. 2. 4. secunda hæc irruptio præfato anno consignanda; prima vero non

(204) Hoc quidem an., His Coss. *Vandali Hispanias occupaverunt*, Prosp. in Chron., sed diei non meminit. Alter verò Idacius anno Abhrahami 2425., qui Kal. Octob. superioris Christi anni inchoatur, *quarto Kalendas Octobris*, Alanos, & Vandalos, & Suevos Hispanias ingressos ait, *die tertia feria, Honorio VIII., & Theodosio Arcbadii filio III. Coss.* Vandalos è Galliis fugisse, & in Hispania se reclusisse Jornandes de R. Get. 55. his temporibus indicat.

(205) *Universis Civitatibus, quæ Oceanum attingunt, quæque eorum consuetudine Armoricæ appellantur, quo sunt in numero*, & cet. inquit Cæs. l. 7. 75. recenseat maritimos populos inter

Li-

& Republica pro arbitrio constituta. Franci vero, (credo, quod in societate Romanorum essent) pulsis Vandalis inde se trans Rhenum receperunt. Ex quo factum est, ut soli Burgundiones cum parte Alanorum remanserint. Extremo jam anno Honorius decrevit, ut diversarum homines provinciarum cujuslibet sexus, conditionis, ætatis, quos barbarica feritas captiva necessitate transvexisset, invitos nemo retineret, sed ad propria redire cupientibus libera facul-
410 tas esset. Postero vero, qui fuit a Christo quadringentesimus decimus, Varane, & Tertullo Consulibus, (206) Heraclianus Africæ Comes, (207) rebus quæ ad Romã acciderant, cognitis, & statu Honorii Imperatoris perspecto, postquam judicem ab Attalo missum extinxit, portus Africæ tanta diligentia custodivit, ut universam mercatorum navigationem ademerit, neque frumentum, neque oleum, neque res alias ad victum necessarias in portum Romanum invehi passus sit. Qua de re rursus tanta urbem invasit inopia, ut populus castaneis pro frumento se sustentarit. Auxerunt autem penuriæ magnitudinem agri bello superiore inculti, & Dardanarii (208) ea spe quidquid frumenti habebant supprimentes, ut omnium pecunias ad se transferrent, eo pretio vendituri, quod ipsi statuissent. Quare cum timeret populus, ne in corpora humana rabies famis adigeretur, ludis Circensibus exclamavit: Pretium pone carni humanæ; inde penuria adeo crevit, ut memoriæ proditum sit, matres aliquot in parvos infantes famis impotentia desævisse. (209) Hanc ob causam Attalus Romam sine Alarico reversus Senatum convocavit, atque ad eum de Republica retulit; cum autem plerique censerent, barbaros cum Romanis militibus ad patefaciendam navigationem in Africam esse mittendos, eamque Præfecturam Drumæ viro fidei spectatæ mandandam, ejusmodi ille sententiam respuit, veritus ne ea ratione viam Gotthis ad invadendam Africam aperiret, quo tempore Tertullus Consul stolida & ipse quadam arrogantia elatus ausus est dicere: Loquar vobis Patres conscripti, ut Consul, & Pontifex, quorum alterum teneo, alterum spero. Alaricus inde subsequutus, cum se ab Attalo propter infirmitatem promissa obtinere posse diffideret, iterum se ad Honorium contulit, ac se Imperium Attalo abrogaturum, promisit. Ita haud ægre, quæ postulabat, omnia impetravit: primum autem Attalum suis inspectantibus, extra urbem Augustalibus insignibus spoliavit, (210) eaque ad Honorium misit, cujus ducibus militiæ cingula deponentibus, Honorius veniam impertivit, passus in eo, quem ante habuerant, honore persistere, ac pridie Idus Februarias ita decrevit: (211) *De iis, qui tyrannicæ præsumptionis sacramenta sectati ad nostrum Imperium redierunt, hanc volumus esse sententiam, ut quos inter incendia tyrannidis assumptæ fidelis pœnitudo revocavit, ordinem, & fructum militiæ non admittant. Eos vero, quibus lentum regressum necessitas desperationis indixit, soluto cingulo matriculæ convenit aboleri, ita ut illud quoque par reverentiæ forma custodiat, ne redire ei ad pristinam militiam liceat, qui aliud militandi genus elegerit*; deinde autem Attalo cum filio ejus Ampelio apud se, donec, pace cum Honorio constituta, securitatem eis impetrasset, retento, atque exercitu ad urbem relicto, cum paucis Ravennam pacem compositurus se retulit, atque ad Alpes, (212) locum, ut inquit Sozomenus, stadiis sexaginta longe ab urbe illa distantem accessit. Ibi demum res transacta, fœdusque his conditionibus est percussum, ut Alaricus socius Honorii esset, atque in Gallia sedes sibi, suisque locaret, ibique bellum cum hostibus Honorii faceret. Hanc pacem Pagani omnes, & Arriani indigne admodum acceperunt, quod sibi persuaserant, facile se omnia, quæ cuperent, adversus Catholicos ab Attalo, utpote Arriano, consequuturos. Eo tempore Sarus cum barbaris trecentis in Piceno versatus erat, neque Alarico, neque Honorio favens: accedente autem in ea loca Ataulfo, qui capitali à se odio diffidebat, quod se

Ligerim, & Sequanam; inde dictus *tractus Armoricus* qui peninsulam Britannicam cum reliquo litore usque ad Sequanæ ostium occupat; de quo sæpe mentio in Not Imp. Occ. *Aremoricas oras* memorat Rutil. Numat. l. 1. v. 213.

(206) Varanes in Oriente creatus, cujus mentio in Chron. Alex. sub Coss. anni 407., ubi Magister militum fuisse dicitur. Tertullus vero in Occidente, cujus nulla memoria in subscriptionibus legum tam ab Honorio, quam à Theodosio latarum, sed solius Varanis, quem Prosper in Chron. *Flavium, & Consulem Orientalem* dicit. Tertullum ideo *Umbratilem* Consulem dicit Orosius l. 7. 42., quod à tyranno designatus, locum non habuerit in Fastis.

(207) De quo superius dictum est, missum in Africam fuisse ab Honorio. L. Sozomenum l. 9. c. 8. de ingenti fame, quæ Romanos h. a. vexavit Heracliani causa, & D. Hieronym. epist. 16. ad Principiam.

(208) Propolæ nempe, qui coëmptas merces supprimebant, ut carius venderent, de quibus Ulpian. l. 6. *de extraordinar. crim.* An ita dicti ex opinione, qua magiæ vi messes aliò traduci posse credebatur? *Dardanus* certe magus fuit, teste Tertull. de anim. 57., Apul. Apol. p. 544., à cujus nomine in probrum, & contumeliam dici potuere. Hi plerumque à negotiatione arcebantur in pœnam: aliquando relegabantur, & qui humilioris generis erant, ad opus publicum dabantur.

(209) Tradit id Hieronymus, l. c. Zosim. l. 5., & Sozom. l. c. ajunt expresse, nonnullos carnes humanas gustasse.

(210) Attalum extra urbem Ariminum deductum purpura exutum Zosim narrat l. 6 12. Erat tunc enim Arimini Alaricus, eodem Zosim. teste ibid. Et sanè h. a. exauctoratum fuisse Attalum Tertulli Consulatus evincit. Non itaque ann. præced., ut vult Pag. ad ann. Chr. 410 n. X.

(211) Est L. 11. *de Indulgent. Crimin.* Cod. Theod., in qua agitur de Tyrannide, & Tyrannica præsumptione, deque iis, qui ad obsequium rediere. De liberata quoque Republica à Tyrannidis injuria data mense Augusto L. ult. eod. tit.

(212) Ita habet Sozomeni textus, εἰς Ἄλπεις, *Alpes*, εἰς Κλάσσεις reponendum censuit Cluverius *Classes*. Portus porrò Ravennæ olim ab Augusto constructus fuit, tertio ab eadem Urbe milliario, Ariminum versùs, qui *Portus novus* dictus, & *Classis*, cujus mentio apud Sidonium Apollin. l. 1. ep. 5. Locus certè Sozomeni l. 9. c. 9., quem exscripsit A. N., corruptissimus.

se non satis adversus eum paratum videret, Honorio se adjunxerat. (213) Itaque Alarico propter Ataulfum infensus, & pacem cum Gotthis rebus suis parum aptam fore arbitratus, repente turbare pacta omnia instituit; nam cum trecentis militibus suis sic in Gotthos nec opinantes, ac pacato animo omnia agitantes invectus est, ut quosdam etiam eorum percusserit. Ea re Alaricus accensus, dolorem tamen, acerbitatemque ferocioribus verbis ullis non edidit, sed suppressa altius ira ad exercitum, quem ad urbem reliquerat, ut cum Honorio convenerat, se recepit, atque ibi, ut inquit Sozomenus, urbem pro ditione recepit, quippe, ut quidam ex Procopio, (214) (neque enim locum ipsi hunc vidimus,) tradiderunt, dissimulata iracundia Romam eadem via regressus, se in Galliam ex fœdere proficisci velle ostendit, ac tanquam amicus trecentos robustissimos Gotthicos juvenes Romanis Principibus dono dedit, diligenter, quid ipsos agere in tempore vellet, edoctos. Hi in urbem accepti humile omne, ac promptum Dominis obsequium obtulerunt: inde certa, quæ constituta fuit, nocte, dum Romani somno mersi languerent, ad portam Asinariam (215) alacres provolarunt, oppressisque repentino impetu stationibus, portam Alarico patefecerunt, qui ad urbem alia, atque alia sibi ad iter deesse quotidie caussans, prædictam occasionem attento animo expectabat. Ita Kal. Aprilis (216) cum toto exercitu urbem ingressus est. Quare scripsit D. Hieronymus: (217) *Capitur urbs, quæ totum cepit Orbem, immo fame perit antequam gladio, & vix pauci, qui caperentur, inventi sunt, ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua invicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti filio, & suo recipit utero, quem male ante effuderat. Nocte Moab capta est, nocte cecidit murus ejus. Quis cladem illius noctis, quis funera fando explicet?* Ubi vero se urbe potitum vidit Alaricus, publice per Præconem edixit, ut pro se quisque bona, fortunasque civium raperent, verum à cæde hominum, & direptione sacrorum se continerent, atque omnibus parcerent, qui ad Basilicam S. Petri omnium in terris augustissimam confugissent. (218) Ita, signo buccina accepto, Gotthi horrendo clamore sublato in diversas urbis partes inhianti ad prædandum animo discurrerunt, ac promiscue omnia captivitate, ac direptione turbarunt. Romani inopinata hostium irruptione perculsi, & tenebris, ac cœcitate noctis exterriti, neque ad resistendum, neque ad fugiendum satis animi, aut consilii habuerunt. Itaque omnium æque domos summorum, & infimorum dira pavoris, servitutis, expilationis, desperationis, & mortis species occupavit, siquidem, ut scripsit D. Augustinus ad Demetriadem: *Ad stridulæ buccinæ sonum, Gotthorumque clamorem lugubri oppressa metu Domina urbis Roma contremuit, ubi tunc nobilitatis ordo? ubi certi, & distincti nobilitatis gradus? permixta omnia, & timore confusa, omni domui planctus, & æqualis fuit per cunctos pavor, unum erat servus, & nobilis, eadem omnibus imago mortis, nisi quia magis eam timebant illi, quibus fuerat vita jucundior.* Edicto audito, cives, quicunque potuerunt, cum rebus suis pretiosissimis ad Basilicam confugerunt. Innocentio Pontifice adhuc Ravennæ apud Honorium subsidente, unde etiam epistolæ extant datæ. Gotthi vero domos passim pretiosa supellectile exuerunt, tot opibus in unam urbem ex diutina pace, Imperioque contractis, quot humana avaritia, universo terrarum Orbe spoliato, potuerat cumulare, manus vero paucissimis hominibus intulerunt, adeo ut idem Augustinus scribat, Gotthos tam multis Senatoribus pepercisse, ut mirandum magis esset, quod aliquot peremissent. Syllanam vero tabulam (219) plures jugulasse Senatores, quàm Gotthi spoliarint. Præcipue pretiosa Salomonis supellex à Tito Hierosolymis quondam allata surrepta est. Cum præda egereretur, Gotthus quidam sacram virginem, sed jam ætate provectam in ædibus sacris offendit, atque ab illa aurum, argentumque, quod habebat, poposcit. Illa quod habebat, protulit: erant autem vasa aurea, & argentea ingentis ponderis, & magnitudinis, atque eximii admodum operis, quæ cum Gotthus nobilitate, ac specie captus avide miraretur; hæc, S. Petri instrumenta sunt, inquit, aude attingere, de eventu tu videris. Gotthus religione vasorum, & virginis reverentia tactus, rem ad Alaricum detulit, atque ille statim omnia ad S. Petri Basilicam deportari, ac virginem, omnesque, qui se illi adjunxissent, Christianos, eò deduci incolumes jussit. Ea domus in media urbe sita longe à Basilica aberat. Signo tuba dato, omnes

(213) Sozomen. l. c. narrat Sarum ea molitum, quòd considerasset, *fœdus inter Romanos, & Gothos haudquaquam è re sua fore*. Certè Sarum in causa fuisse, cur pax Honorium inter, & Alaricum non stabiliretur præter Sozomen., Philost. quoque l. 12. 3. refert.

(214) Baptist. Egnat. Rom. Princ. l. 1., astu barbarico Urbem captam (sicuti A. N. refert) affirmat, & rei gestæ seriem ex Procopio narrare se dicit, miratus, Interpretem vel rem totam dissimulasse, vel in mutilum textum Græcum incidisse; fragmentum deinde Procopii recitat. Sit penes ipsum Egnatium hujus rei fides; nec præstat tot commenta ibidem narrata diluere, ut legenti ejusdem verba patebit.

(215) Anastas. in Silverio ait: *Veni ad portam Asinariam, juxta Lateranos, & civitatem tibi trado*. Per hanc Belisarium Neapoli venientem, Romam ingressum fuisse, testis est Procop. de Bell. Goth. 1. Ita fortasse dicta ab hortis Asinianis, qui erant in Regione Publicæ Piscinæ, ut refert P. Vict., aut ab aliquo Romano Asinio, vel Pollione, vel Gallo, qui Augusti temporibus Consules fuere, eamdemque Portam extruere, vel restaurare potuerunt.

(216) Suadet id tempus occupatæ ab Alarico Urbis L. 12. *de Indulg. Crimin.* Cod. Theod., data octavo Id. Aug., qua ob extinctam tyrannidem, liberatamque penitus Rempublicam, omnes criminum reos à meritis pœnis absolvit. Quod respicit eos, qui Attalo adhæserant. Hinc falso Auctor Miscellæ posuit *IX. Kal. Septemb.*

(217) Epist. 16. ad Principiam.

(218) Narrat id Oros. l. 7. 39., ubi Innocentium Romanum Pontificem Ravennæ tunc fuisse tradit. Hunc V., Alarici obsequium in S. Petrum, enarrantem. S. Pauli Ecclesiam pari honore habitam ab Alarico, addit Aug. de Civit. Dei l. 1. 1.

(219) Sylla porro ita Rempublicam Dictator oppressit, ut, testante Tullio in Verrem, *nemo, illo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere posset*.

omnes ad visendam rem insignem vocantur, singula vasa singulorum humeris imposita cum longo ordine, ac speciosa pompa ferrentur, atque, exertis ad defensionem gladiis, quàcunque incederent, munirentur, mirificum sui spectaculum præbuerunt. Alius, cum mulierem forma excellentem vidisset, amore perciius ad sui obsequium invitavit, ubi vero studio pudicitiæ libidini reluctari suæ conspexit, strictum gladium jugulo intentavit, ac demum etiam feriit. Cum virgo tota perfusa cruore ne ita quidem de sententia cederet, tum constantiam admiratus, ad Basilicam S. Petri adduxit, ac, datis sex alimoniæ caussa nummis aureis, eam Templi custodibus commendavit. Alii, ut scribit D. Hieronymus, (220) Marcellæ matronæ domum ingressi, quacum erat virgo Principia, aurum, & defossas opes poposcerunt, negantemque se habere, cæsam fustibus, & flagellis dixerunt tormenta non percepisse, sed lacrymis ad pedes provolutam petiisse, ne Principiam à suo consortio segregarent. Multi interim captivi promiscue capti. Proba matrona Probini, & Olybrii virorum Consularium mater, (221) eodem teste, vix barbarorum manus effugerat, & avulsas à complexu suo virgines fleverat, cum subito amantissimi filii orbitate percussa est: alii ad naves fuga delati, (222) in provincias, relicta, quam nunquam revisuri essent, patria, concesserunt. Quin etiam ædificia quædam incensa, aliaque opera temere furore barbarico deturbata sunt. Honorius, cum Ravennæ trepido nuncio accepisset, Romam à Gotthis esse captam, quod Alaricum ad accipiendum exercitum, ut ex fœdere in Galliam se referret, contendisse sibi persuaderet, alia omnia suspicans, respondit: Quî fieri potest, cum paulo ante hic esset? gallinam captam nunciari interpretans, quam in deliciis babebat, ac Romæ nomine insigniverat. Quod dictum adhuc temere omnes non ad errorem animi, sad ad stuporem cordis retulerunt, vitium ne in pecude quidem, nedum in tanto Imperatore, & tam periculosis temporibus agnoscendum, quem ab omni suspicione torpedinis egregis Stilichonis soceri punita tyrannis facile potuit vindicare. Alaricus victor Attalum, quem secum habebat, iterum primo die, tanquam Imperatorem, Augustalibus insignibus decoratum incedere jussit, (223) altero vero privatum populo contumeliæ caussa ostendit; tertio autem præda opulenta onustus urbe cum exercitu cessit, (224) secum Placidiam ducens, quam honestissime habuit. Quo facto, Romani, qui in Basilicam Vaticanam confugerant, aut vicina urbi loca petiverant, in urbem se ilico retulerunt, ac cum ceteris, quos urbis fortuna servaverat, statim pristinam urbi faciem reddiderunt, nulla ferme nisi rei familiaris, & pretiosæ supellectilis, quam plerique etiam conservarunt, jactura facta, siquidem scribit Orosius: *Irruptionis per Alaricum factæ quamvis recens memoria sit, si quis ipsius populi Romani & multitudinem videat, & vocem audiat, nibil factum esse, sicut etiam ipsi fatentur, arbitrabitur, nisi aliquot adhuc existentibus incendiis forte doceatur.* Insignis tamen fuit calamitas, & rerum humanarum contemplatione memorabilis, quod urbs, quæ de omnibus gentibus triumphaverat, tam facile à barbara, & adventitia gente capta, spoliata, atque combusta sit, ut quam Galli quondam infirmam, & parvam longa obsidione capere, (225) gens nobilissima, atque in propinquo sita, nequiverant, tum demum viris, armis, opibus, dignitate, gloriaque florentem Tervingi, ac Grutungi Vittungorum ne, an Visigothorum populi ex remotissimis intimæ Scythiæ latebris non egressi, sed pulsi, in potestatem adductam affixerint. Hanc vero cladem cum Pagani falsis, multisque Deis addicti in Christianam religionem referrent, ac verbis solito ferocioribus increparent, D. Augustinus eximio veri Dei studio inflammatus occasionem adversus eos scribendi arripuit, ac præclaros libros de Civitate Dei confecit, (226) in quibus multorum, falsorumque Deorum cultum, atque auxilium inane, atque supervacaneum esse ostendit.

(220) Epist. 16. ad Principiam. Marcella hæc est, quam Hieronym. Proemio in epist. ad Ephesios *unicum viduitatis, & Romanæ sanctitatis exemplar* appellat, cujus & Epitaphium continet cit. epistola 16. Egregium hujus Marcellæ facinus, quod Origenitarum errores Urbe expulerit, & Hierosolymam religionis gratia adierit. Vide Bollandum, Epitaphium Marcellæ illustrantem in Vit. Sanctæ Marcellæ ad diem 31 Januar.

(221) De qua alibi dictum est, esse Aniciam Falconiam Probam, non confundendam cum Proba avia Demetriadis, & matre Anicii Probi, qui an. 406. Consul Ordinarius processit.

(222) Vide Hieronymum hæc fusius prosequentem præfat. in Ezech. l. 3., inter plura ait S. D. *Quis crederet, ut totius Orbis extructa victoriis Roma corrueret, ut ipsa suis populis, & mater fieret, & sepulcrum? ut tota Orientis, Ægypti, Africæ littora olim dominatricis Urbis, servorum, & ancillarum numero complerentur? ut quotidie Sancta Bethleem nobiles quondam utriusque sexus, atque omnibus divitiis affluentes, susciperet mendicantes?*

(223) Narrat id Olympiodorus ap. Phot. p. 181., Socrat. l. 7. 10., eoque referri possunt Orosii verba l. 7. 42. *In hoc, Alaricus Imperator, facto, infecto, refecto, ac defecto, citius his omnibus actis pene quam dictis mimum risit, & ludum spectavit Imperii.* De Attalo accipienda, cui semel, iterumque collatum, & ademptum fuit Imperium.

(224) Tres dies durasse Urbis direptionem, Oros. l. 7. 39., & Paul. Diac. p. 10. Hist. Miscell. l. 13. testantur. Solus discrepat Marcell. in Chron. h. anni Coss., dum ait, *sexto die*, ex quo Urbem Alaricus est ingressus, protinus discessisse.

(225) L. Tit. Liv. Decad. I.

(226) Sunt libri viginti duo, quorum priores tres an. 413. prodierunt: his addidit August. quartum, & quintum an. 415., ut docet epist. 169., alias 102. ad Evodium scripta, post absolutum librum *de Natura, & Gratia*. Hoc opus absolutum an. 428. ante libros Retractation., secus ac sentit Baron. ad an. 426. n. XVIII., S. enim Doctor l. 2. Retract. 41. scribit: *utrum, vel quomodo Deus, qui spiritus est, etiam per corpus videatur; sed eam postea quæstionem sane difficillimam in novissimo, idest vicesimo & secundo libro de Civit. Dei satis, quantum arbitror, explicavi.* Explicatur autem ea quæstio c. 29., quod est totius hujus voluminis penultimum.



Digitized by Google

# LIBER UNDECIMUS.

A Romanam cladem miserabilis Italiæ vastitas, continua Galliæ, atque Hispaniæ bella, ac nova demum barbarorum in utraque provincia regum imperia exceperunt. Quibus de rebus, licet memorabilibus, deinceps aliquanto, quàm adhuc fecimus, scribemus exilius, nimirum opportuno Zosimi, qui historiam suam in proxima Urbis obsidione finivit, auxilio destituti, neque interim idoneis ullis rerum gestarum annalibus, sed nudis plerunque Chronicorum indicibus sublevati. Quod prædictum volui, ne quis posthac in hos incidens libros me justo negligentiorem in colligendis, B atque enarrandis reliquis Honorii rebus argueret, & inertiæ, quod fuit necessitatis, adscriberet. Itaque si minus illam assequi laudem poterimus, ut pleniore oratione acta singula exponamus, at hanc saltem parere contendemus, ut collatis diligenter temporibus, suis quæque annis summa cum fide reddamus.

Alaricus Urbe capta, & spoliata egressus, animum inde ad ulteriorem populandam, vastandamque Italiam contulit: itaque Latium, Campaniam, Apuliam, Lucaniam, & Calabriam ita cum toto exercitu peragravit, C ut locum nullum intactum à vexatione, ac direptione reliquerit, atque in primis, quasi Romana victoria efferatus, in Ecclesias, Sacerdotes, Episcoposque extorquendi auri gratia debacchatus simul omnia humana, divinaque jura polluerit. Non nominabo singula oppida, quæ propterea ille subvertit, quod eorum cum annalibus memoria prorsus exciderit. Nolam tantum in Campania deletam, & Episcopum ejus Paulinum, cujus supra mentio facta est, captum non silebo; de quo sic in primo de civitate Dei S. Augustinus: *Paulinus noster, Nolanus Episcopus, quando & ipsam Nolam barbari vastaverunt, cum ab eis teneretur, sic in corde suo,* D *ut ab eo postea cognovimus, precabatur; Domine non excrucior propter aurum, & argentum, ubi enim sint omnia mea, tu scis.* Honorius reliquum anni Ravennæ confecit, suspenso animo, quònam Alarici furor esset evasurus, expectans: atque inde ad Palla-A dium Præfectum Prætorio VIII. Idus Augusti (1) de Attalo tyranno sublato sic scripsit: *Republ. tyrannidis injuria liberata criminum reos relaxari præcipimus*, & VIII. Kalend. Septembris ad Heraclium Comitem Africæ de puniendis hæreticis. Constantinus in Gallia, cum Constantem filium diademate decorasset, pro Cæsare Augustum appellavit, ac Præfecturam Prætorianam Apollinari ereptam ad alterum transtulit, mox spe inani elatus, se posse Italiam occupare, ab Ellobicho Honorii Præfecto tacite accersitus Alpes superavit; verum ad urbem Veronam progressus, cum Padum transmissurus esset, B inopinata morte Ellobichi audita, (2) statim converso agmine retrocessit. Honorius, cum ex solemni itinere quodam se reciperet, ea re comperta, lætus repente ex equo se dejecit, gratias Deo agens, quod se occulto insidiatore domestico liberasset. Postero anno, 411
quo Theodosius Augustus quartum Consul sine collega fuit, (3) Alaricus, direpta per multos menses Italia, Siciliam, (4) quæ Italiæ adhæret, petere statuit. Ob id progressus Rhegium, exercitu in naves imposito, cursum eò intendit: verum adversa tempestate rejectus, propositum tenere non potuit, itaque fœdo naufragio conflictatus se C retulit in Calabriam. Eò vero ubi venit, Consentiam validam urbem imperata facere detrectantem nactus, admoto exercitu circumsedit, ac demum etiam expugnatam diripuit. Dum autem ibi moratur, de rerum gerendarum ratione consultans, ecce repentino morbo opprimitur, atque in summo blandientis fortunæ articulo parvo horæ momento extinguitur. Quo casu Gotthi exanimati, primùm tantum amissum Regem misere defleverunt; deinde justa more suo cadaveri, quam amplissima persolverunt; ac demum sepulturæ occultandæ caussa justam Italorum, quos is læserat, iracundiam veriti, D opus insigne moliti sunt, quippe Busentium (5) amnem oppidum ipsum præterfluentem magno militum labore aliò averterunt, ac locum sepulchro in medio alveo suffoderunt, atque ibi cadavere cum multis opibus condito, (6) deinde amnem suo ire flumine permiserunt, &, ne locum quis scrutari

(1) Extat in Cod. Theod. L. ult. *de indulg. crim.* *VIII.* autem *Kal. Sept.*, Hæreticorum per Africam conventus, rescissa prius edita sanctione, quam per obreptionem impetraverant, & qua libertas Religionis concessa fuerat, inhibuit Honorius resumptis viribus, data L. 51. *de Hæretic.* C. E. Idque factum esse petentibus Afris Episcopis, ostendit Codex Africanus p. 289.

(2) Sozom. p. 814, & Phot. p. 281. narrant, Ellobicum ab Imp. Honorio in itinere jussum occidi, in suimet ipsius adspectu, quo facto, Honorium ex equo prosiluisse gratias Deo acturum.

(3) Nullo in Occidente Consule designato, unde Prosper. in Chron., & Tabulæ Capitolinæ habent: *Post Consulatum Varanæ*, seu *Theodosio IV.* Male itaque Marcellinus h. an. ponit nonum Honorii Consulatum.

(4) Jornand. Rer. Get. c. 30. animum Alarico fuisse scribit non modo Siciliam occupandi, sed & *exinde ad Africæ terram* eundi: pergit deinceps narrare quomodo divino nutu cor- E ruerint meditata consilia, morte Alarici, quæ, eod. Jornande auctore, cum acciderit paulo post egressum illius ab Urbe expugnata an. 409., ut alibi observatum, ideo ad an præcedent. videtur retrahenda: præsertim quia Isidor. in Chron. prodit, obiisse Alaricum vicesimo octavo anno Regni, æra quadringentesima quadragesima octava, *anno Imperii Honorii, & Arcadii sextodecimo*; ubi tamen male ponitur Arcadii nomen jam antea defuncti. Alaricus vero an. 382. Regnum Gothorum administrandum susceperat.

(5) Cujus meminit Paul. Diac. l. 13., qui *Basentum* vocat. V. Anonym. Mediol. in Diss. Med. Ævi, col. 130. m.

(6) Auri, argentique divitias in sepulcris collocatas legimus: Sic Hircanus, testibus Josepho Ant. 13. 15., & Hegesippo *de Exc. Urb. Hier.* l. 1. 1., reserato Davidis sepulcro, tria millia auri talenta eruit. Ad hunc morem respexit Vetus Poëta canens:

*Plutoni sacrum munus ne attingite fures.*

Ul-

tari sepulturæ posset, captivos, qui notasse illum oculis poterant, occiderunt. Inde comitiis sufficiendo Regi habitis, omnium suffragiis Ataulfus uxoris Alarici frater ad id fastigium est elatus. Is Regiis insignibus exornatus primum omnium uxorem sibi despondit Placidiam, (7) Honorii Augusti sororem, mulierem forma, moribus, prudentiaque insignem, tum conversis signis è Calabria Romam versus redire contendit, eo animo, ut ipsam vix à clade pristina resurgentem rursus invaderet, neque Alarici exemplo direptam relinqueret, sed occupatam sibi asciscеret, ac pro Roma Gotthiam appellaret, dira quadam libidine delendi Romani nominis inflammatus: verum mox precibus, & voluntate Placidiæ sponsæ id ipsum penitus aversantis, ac prope, tanquam ominosum aliquid, detestantis, commotus, cui omnia, quæ postulabat, summo animi studio indulgebat, statim eo consilio destitit, ac proximo Alarici fœdere stare, idest, Italia relicta, Galliam adire constituit. Quæ dum aguntur, Honorius, Urbe cum Pontifice Innocentio repetita, Vicennalia uno anno anticipata peregit, credo, ut mœstam ex accepta calamitate civitatem sacro aspectu suo, atque Augustalis aulæ præsentia, & hilari solemnis ludicri lætitia recrearet, atque in spem fortunæ melioris erigeret; mox, curis omnibus ad Constantinum Gallia exturbandum, hominem, ut res declaraverat, inquietum conversis, Constantium Comitem, (8) virum summo loco Romæ natum, ac manu, consilioque præstantem, Magistrum utriusque militiæ fecit, & cum firmissimo militum robore in Galliam destinavit. Sub Ataulfi vero reditum, lubricam barbari hominis, licet affinis, fidem veritus, Ravennam, ut tutiorem in locum, repetiit; &, cum Romani interim urbi instaurandæ, Innocentius ornamentis Ecclesiarum restituendis, omnes dignitati pristinæ revocandæ se tradidissent, inde III. Kal. Decembris (9) ad Bonosianum Præfectum urbis scripsit, ne quid ex iis, quæ instaurationi, ornatibusque singulis deputasset antiquitas, ullius colore occasionis pateretur auferri. Ataulfus autem, pacato agmine per Picenum, & Flaminiam repetens, demum ad Forum-Cornelium in Æmilia substitit, atque ibi demum nuptias cum Placidia celebravit, ad quas honestandas Honorium quoque invitatum Ravenna, propinqua inde urbe, accessisse, videtur vero simile. Per eosdem dies Gerontius ex Hispania cum firmissimo exercitu adversus Constantinum in Galliam movit. Qua re accepta, Constantinus Constantem filium Viennam tenere, atque ibi se confirmare præcepit. Edobeccum autem ad accersenda Francorum, & Alemanorum auxilia misit. Gerontius Pirenæum transgressus, primum castra Viennæ admovit, atque oppidum acri urgere oppugnatione contendit, quo haud magno momento potitus, Constantem in potestatem adductum vita exuit. Inde, cum ad Arelate duxisset, Constantinum exercitu circumfuso obsedit. Neque ita multo post Constantius cum delectu valido ex Italia ab Honorio missus advenit, ac castra item Arelate locavit. Quod ubi Gerontii milites cognovere, protinus ad eum plerique accessere, usque adeo ut Gerontius de se solicitus cum paucis fugam in Hispaniam arripere sit coactus. Ita Constantius cœptam Arelatis è Gerontio obsidionem continuavit. Ibi, cum Edobeccum magna cum Francorum, & Alemanorum caterva advenientem audiret, haudquaquam, quin ei occurreret, sibi dubitandum putavit. Itaque statim Ulphilam Præfectum suum cum firma militum manu præmisit, atque ipse subsequi cum altera cœpit. Ulphilas, insidiis in itinere positis, Edobeccum cum omnibus copiis præterire permisit, inde, ut compositum fuerat, ipse à tergo, Constantius à fronte se obtulit. Ita omnes in medio cæsi. Edobecco fugienti caput ab hospite, (10) cujus opem imploraverat, est abscissum, ad Constantiumque delatum. Qua re accepta Constantinus jam per quatuor menses obsessus Imperio se abdicavit, (11) ac templum ingressus muniendi capitis sui caussa Presbyteri gradum accepit. Quibus rebus adducti Arelatenses, jurejurando de incolumitate accepto, patefactis portis Constantium receperunt. Ille urbem ingressus Constantinum cum altero filio Juliano redegit in potestatem, atque in Italiam ad Honorium jussit deduci. Quod ubi Honorius didicit, satellites obviam misit, qui ad amnem Mincium nacti caput ei à cervicibus reciderunt. Britannica juventus, quæ cum Constantino ex insula excesserat, variis casibus afflictata domum non rediit. Imperium Romanorum posthac in Britannia nullum fuit. Ceterum maturandæ Arelatensium deditioni caussam attulit Jovinus vir nobilitatis, ac potentiæ singularis, (12) qui coacta insigni popularium manu Augustalia inter Arvernos insignia cepit, ac Francis, Burgundionibus, Alemanisque ascitis Constantio se adversarium tulit. In Hispania milites postquam Gerontium rebus abscissis rediisse viderunt, concursu facto domi circumsederunt,

Ulpianus quoque l. 14. *de relig.*, *& sumpt.*, inquit: Non autem oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud hujusmodi, & cet.

(7) Jornandes de Reb. Get. l. 30. narrat Ataulphum iterum Romam venisse, indeque abduxisse Placidiam, statimque hanc conjugem adsciviffe: at Olympiodorus ap. Phot. c. 80. p. 185. conjugium illud refert ad an. 414., initumque prodit in civitate Narbonensi: & nonnisi semel tantummodo Ataulphus Romam advenit, à quo tunc obsidis loco abducta Placidia. V. Oros. l. 7. 40. Zos. l. 6 A. vero N. Jornandem secutus, ad Forum Cornelii celebratas nuptias, ait.

(8) Qui Valentiniani III. pater extitit. V. quæ de hoc Constantio tradunt Oros. l. 7. 42., Olymp. ap. Phot. c. 80. p. 193. Sozom. l. 9. 10. qui sub Theodosio M. illum militasse testantur, & in Illyrico natum (Valesius conjicit natum Naïssi) refert Olympiodorus l. c.

(9) Est Lex Ravennæ data, 48. *de operib. public.* De simili L. aliàs data ab aliis Impp. jam dictum.

(10) Erat is nobilis Gallus, *Ecdicius* nuncupatus, qui plurimum Edobeco debebat, fuse narrante Sozomeno, l. 9. 14., quem vide.

(11) Nuncius enim pervenit, Jovinum *assumpsisse ornatus regios, apud Mundiacum*, ait Olymp. apud Phot. c. 80. p. 184. (lege Moguntiacum) *Ita acceleratis moris, reserata urbe Arelatensi, Constantinus deditur*, ut inquit Profuturus Friger. apud Gregor. Tur. l. 2. 9.

(12) Qui sub Attalo tyranno Præfectus P. fuerat. Jovianum appellant Sozom. l. c. 15., & Philostorg. l. 12. 6.

runt, ac strenue se cum paucis servis defen-
dere moltentem igne tectis injecto eò despe-
rationis adegerunt, ut post familiarem suum
Alanum, & Nonnichiam nxorem occisam,
sibi manum intulerit, ac pectus gladiolo
hauserit. (13) Hæc in Gallia, & Hispaoia
gesta in hunc annum à Sozomeno, Prospe-
ro, & Marcellino produntur, dum Vanda-
li, Alani, & Suevi ulteriorem Hispaniam,
Maximo tyranno citeriorem obtinente, ve-
xabant. Interim Romani, qui infesta Alarici
in urbem irruptione salutem sibi enavigando
quæsiverant, per maritimas provincias dissi-
pati fœda omnia exilii incommoda pertule-
runt, inter quos Proba matrona, (14) de
qua diximus, extrema in Africa passa est.
Unde D. Hieronymus scripsit ad Gaudentium:
*Proh nefas! orbis terrarum ruit, in nobis pec-
cata non ruunt, urbs inclyta, & Romani Im-
perii caput, uno hausta est incendio, nulla est
Regio, quæ non exules Romanos habeat, in
cineres, ac favillas sacræ quondam Ecclesiæ con-
ciderunt, & tamen studemus avaritiæ*, item
in principio tertii in Ezechielem: *Quis cre-
deret, ut totius orbis extructa victoriis Roma
corrueret, ut ipsa suis populis & mater fieret,
& sepulchrum? ut tota Orientis, Ægypti,
Africæ littora dominatricis urbis servorum, &
ancillarum numero complerentur, ut quotidie
sancta Bethleem nobiles quondam utriusque
sexus, atque omnibus divitiis affluentes suscipe-
ret mendicantes, quibus quoniam opes ferre non
possumus, condolemus, & lacrymis lacrymas
jungimus.* Eodem anno Hunni ex Scythia
in Asiam erupere (15), atque inde pleni præ-
da sese in Thraciam retulere. Quam cladem
idem in epithaphio Fabiolæ sic expressit:
*Ecce subito post Romam à Gotthis captam di-
scurrentibus nunciis Oriens totus intremuit,
ab ultima Mæotide inter glacialem Tanaim,
& Massagetarum immanes populos, ubi Caucasi
rupibus immanes gentes Alexandri claustra
cohibent, erupere Hunnorum examina, quæ
pernicibus equis huc, illucque volitantia, cædis,
ac terroris cuncta complerunt: aberat tunc Ro-
manus exercitus, & bellis civilibus in Italia
tenebatur, insperati ubique aderant, & famam
celeritatis vincentes, non religioni, non digni-
tatibus, non ætati parcebant, non vagientis mi-
serebantur infantiæ, cogebantur mori, qui non-
dum vivere cœperant, & nescientes malum suum
inter hostium manus, ac tela ridebant, conso-
nus inter omnes rumor, petere eos Hierosolymam.*
Probabile autem conjectura est, eosdem,
cum ex Asia se in Thraciam recepissent,
mox sese in Pannoniam effudisse. Etenim,
quod constat, Gotthis ex Illyrico profectis
Hunni successerunt, atque in primis Panno-
niam tenuerunt; neque enim Honorius vi-
ribus ad resistendum in tantis difficultatibus
destitutus, prorsus eos prohibere potuit, sed
meliore consilio, animo ad pacem conver-
so, fœdus cum eis, datis, acceptisque obsi-
dibus, fecit, ex quibus, qui dati sunt,
Aetius, qui etiam Alarico tributus fuerat,
præcipue memoratur. In Oriente Theodosius
Augustus annum ætatis agens undecimum,
Imperii vero decimum Constantinopoli de-
cennia celebravit. Sequenti anno, Honorio 412
nonum, & Theodosio quintum Consulibus,
Ataulfus tandem cum omni Gotthorum exer-
citu Italia cessit, atque in Galliam transgres-
sus (16) sedem Narbone, atque in proxima
regione sibi, & Gotthis suis ex fœdere,
Constantio concedente, locavit. Quo facto,
Honorius Romam repetiit, (17) ac lætus,
tanquam exonerata aliquando tandem incum-
bentium Gotthorum mole Italia, secunda
vicennalia ludorum apparatu magnifico edi-
dit, populo Romano post diuturnas tenebras
lucem se tandem aliquam otii, ac libertatis
aspicere gratulante. Arelatenses Heroëm
(18) S. Martini discipulum singularis inno-
centiæ Episcopum urbe depulerunt, atque
ei Patroclum Constantii amicum ad prome-
rendam gratiam subrogarunt, quæ res ma-
ximas post excivit inter Episcopos turbas.
Is tyrannorum reliquias persequens, exerci-
tum adversus Jovinum adhuc sibi repugnan-
tem adduxit, ac prœlio valido victum tan-
dem ex Gallia abire coëgit. Inde Sebastia-
num fratrem ejus, (19) cum eadem molire-
tur,

(13) L. hæc apud Sozom. l. 9. 13. dicentem, Gerontium, cum semel, iterum, tertio se percussisset, nec tamen lethali vulnere conficeretur, tandem evaginato gladiolo, quem fœmori obligatum habebat, cor sibi ipsi transfixisse. Non est autem laudandus Sozomenus, dum ait de Nonnichia: *Atque hæc quidem mulier satis viriliter, & ut illius religione dignum fuit, (erat enim Christiana) mortua est, sui memoriam stabiliorem*, & cet. Vide Prosp., & Marcell in Chronicis.

(14) De qua Hieronym. epist. 8. *Proba illa omnium dignitatum, & cunctæ nobilitatis in orbe Ro. nibil illustrius: cujus sanctitas, & in universos effusa bonitas etiam apud barbaros venerabilis fuit.* Ex hac tres liberi Probinus, Olybrius, & Probus Consules Ordinarii. Ab Heracliano comite, ingenti persoluto pretio, Africam habitare obtinuit. Vide Hieronym. 96., Urbe egressa post illatam ab Alarico cladem. Quod & alii ferere Romani, quorum plerique in Insula Tyrrheni maris aufugerunt. Vide quæ Rutilius de hac re cecinit, Itinerar. 1., ubi Igilium insulam Romanorum fuisse perfugium narrat.

(15) De irruptione Hunnorum in Imperium Orientale meminere Socr. l. 6. 1., Sozomen. l. 8. 1., & Claudian. l. 2. adverf. Rufin. At hæc ad præsentem annum non pertinent, ut ex alibi observatis liquet. Vide etiam quæ superius de Hunnis dicta, de quibus fuse Ammian. l. 31. 2., & sequentib. De eorum sedibus L. apud Zosim. l. 4., Sozom. l. 6. 37., Agath. l. 5, Jornand. de Reb. Get.

(16) Ab hoc anno initium Regni Gothici in Galliis cœptum, ut Prosper, & Cassiodorus in Chronicis habent. Sed Gothorum iste ingressus in Gallias, multas attulit calamitates, quas L. apud Prosper. in Prologo Libri *de Provid. Dei*, & Paulin. in Carm. Euch. Jornandes, *rer. Goth.* 31., supponere videtur, aliquem inter Honorium, & Ataulphum initum tractatum, proindeque hunc abscessisse, ne regiones Honorio subjectas amplius infestaret.

(17) Anno 412. Honorius Ravennæ fuit, ut patet ex Legibus Cod. Theod. ibidem datis, a mense Januario incipientibus usque ad Decemb. integrum. Vide Chron. ejusd. Cod. p. 157., & sequ., quod & sequentibus annis observatur. Anno vero 411. Romæ Vicennalia dedisse prodit Marcellinus in Chronic., unde distulit Consulatum in an. præsentem.

(18) Ita Prosper in Chr. ad h. an., ubi *Herotem* appellat *Virum Sanctum*. Is Pelagium accusavit in Concilio Diospolitano, an. 415. habito, & in Synodo Carthag. 416. Ejus meminit Aug. l. *de Gest. Pelagii*. I, & 29. de Herote L. Card. Noris. l. 1. Hist. Pelag. 12., ubi quæ Zosimus R. P. gesserit, invenire.

(19) Idacius sub Lucii Consulatu an. sequ. gesto, habet: *His Coss. occisi sunt Jovius, Sebastianus, Salutius, & Heraclianus abolitus est.* At Gregor. Turon. l. 2. 9 ex Frigerido post enarratam Constantini tyranni mortem, ait, *Iisdem*

tur, aggressus vita exuit, atque una Decentium Rusticum Præfectum ex primicerio notariorum Jovini, multosque præterea nobiles apud Arvernos cepit, atque ultimum supplicium sumpsit, ut Frigeridus retulit, cui Marcellinus assensit; inde in Hispaniam transgressus, Maximum, qui se in citeriore provincia pro Imperatore gerebat, bello petitum expugnavit: (20) verum quia humilitas hominis nullam excitare invidiam poterat, captum dimisit, atque ita citeriore Hispania ad jus Honorii, obsequiumque redacta, in Galliam se recepit. In ulteriore autem barbari, ne armis inter se de partæ possessione terræ contenderent, subactas provincias in sortem conjecerunt, (21) Vandalis, & Suevis Callæcia evenit, Alanis Lusitania, Turcilingis Bætica, atque ita eas suis quisque subjecti regibus tenuerunt. In Africa ut pax Ecclesiæ Catholicæ restituta est, (22) jussu Honorii, & opera Marcellini Tribuni, hominis eximia prudentia præditi, sic Heracliani Comitis temeritate otium in provincia perturbatum; etenim propter defensam adversus Attalum provinciam Consulatus honorem in insequentem annum adeptus, adeo superbia est elatus, ut adversus Honorium cum Sabino genero conjurarit. Quare incensus Honorius, ipsum cum suis hostem pronunciavit, atque ita III. Nonas Julias ad provinciales Africæ scripsit: (23) *Heraclianum hostem publicum judicantes digna censuimus auctoritate puniri, ut ejus resecentur infaustæ cervices, ejus quoque satellites pari intentione persequimur.* Itaque proximo anno 413 Lucianus solus Consulatum administravit, quod Heraclianus propter conjurationem dignitate spoliatus non inivit. Ille vero postquam se damnatum audivit, dolore victus classem maximam, atque ornatissimam comparavit, (24) eamque infestam Latii littoribus intulit, ac Romæ maximum, si quando unquam aliàs, terrorem incussit. Verum simul atque in littus egressus cum agmine militum ad Urbem ire perrexit, occursu Marini Comitis (25) cum valido se Romanæ juventutis robore objicientis exterritus, repente in fugam se dedit, & arrepta navicula solus Carthaginem rediit, atque ibi mox militari manu, tanquam tyrannidem affectans, oppressus, interiit. Sabinum generum, cum Constantinopolim aufugisset, retractum inde Honorius in exilium egit, atque his rebus exacerbatus III. Nonas Decembris decrevit, ut Heracliani nomen ex omnibus publicis, & privatis monumentis aboleretur, delerenturque omnia, quæ sub eo gesta esse dicerentur. Marinum etiam in Africa profectum provinciam constituisse significavit Orosius, cum scripsit: *Marcellinum Tribunum*, (26) *qui Ecclesiæ Catholicæ pacem reddiderat, Marinus Comes, incertum zelo stimulatus, an auro corruptus, occidit,* (27) *qui continuo revocatus ex Africa, factusque*

*Iisdem diebus* Decimium Rusticum, multosque nobiles apud Arvernos captos à ducibus Honorii, & crudeliter interemptos. Idem refert Auct. *de Gest. Francor.* addens, id accidisse cum Lucius Senator esset, qui an. tantum sequ. Consul processit; unde recte A. N. Sebastianum, & Decentium (quem Decimium vocat Friger.) hoc an. occisos tradit. De Jovino autem alibi dicetur.

(20) Marcellinus in Chron., Honorio Aug. XIII., & Theodosio Aug. X. Coss. scribit: *In Tricennalia Honorii, Maximus Tyrannus, & Jovinus ferro vincti adducti de Hispaniis, atque interfecti sunt.* Idem refert Jornandes l. de Regn. success. 96. Conjiciunt plerique cum Valesio, hunc eumdem Maximum esse, quem Pseudo-Prosper in Chron. Imperiali ad an. 27. Honorii, affirmat Hispaniarum Dominatum obtinuisse: & ad an. 30. ejusdem Imper. de ipso habet: *Maximus tyrannus de Regno dejicitur, ac Ravennam perductus sublimem spectaculorum pompam Tricennalibus Honorii præbuit.* At quis crediderit in laudato Chronico annos recte consignari?

(21) Vandalorum tunc Rex Gundericus, Suevorum Hermericus, quorum meminere Idacius, & Isidorus in Chronicis. Respendial vero imperabat Alanis, cujus mentio apud Gregor. Turon. l. 2. 9. Hi provincias partiti h. an., ut docet Isidor. in Chron. *de Histor. Vandalor.* At plures civitates in Hispaniis sub Romanorum Imperio remansisse usque ad Heraclium Imper., subsequentium temporum Historia declarat. De variis Regnis in Hispania per Barbaros institutis V. Idac. in Chron., an. Abrahami 2427., ubi Turcilingos *Silingos* appellat, quorum meminit Paulus Vvarnefridius *de Gest. Langobard* l. 1. 1. eos cum Rugis, Herulisque conjungens.

(22) Ad Collationem Carthaginensem inter Catholicos, & Donatistas, quæ an. 411. habita, missus ab Honorio fuit Marcellinus Tribunus, & Notarius, de quo V. *Acta collat. Karthag.*, & L. 55. *de Heret.* in Cod. Theod, ubi ab eodem gesta narrantur. L. August. *in Breviculo Collationis*, qua Catholici insignem de Donatistis triumphum retulere.

(23) *III. Nonas Aug.* data L. hæc 13. *de infirmandis his, quæ* & cet., & L. 21. *de Pœnis*, Cod. Theod. quibus in Heracliani satellites animadversum, gestaque sub Heracliano infirmata, ambæ an. 413. latæ, quo anno Consul cœpit esse cum Lucio, ex Prosp. in Chron. at ejus nomen è Fastis erasum. Pravos illius mores describit Hieronym. epist 8., & Oros. l 7 42 dicens, tyrannidem iniisse, retenta Africæ annona.

(24) Marcellin. in Chron. h. an. juxta edit Sirmondi 1619 pag. 16. habet: *cum septingentis navibus, & tribus militum millibus.* Item in edit. Amstelod. 1658. p 38. At in editione Onuphrii 1588. pag. 62. *cum septingentis & tribus millibus navium.* Cui lectioni favet Oros. l. 7. 42., ubi numerat 3200.

(25) Qui ad Ocriculum Heraclianum profligavit, Hostium quinquaginta millibus cæsis, ex Idac. in Chron., & ad fugam compulit Carthaginem, ubi in Æde Memoriæ, jussu Honorii interfectus tyrannus, ex Oros. l. 7. 42., aliisque, qui paucis sane mensibus imperavit, unde facile explicatur Olympiodorus apud Phot. c. 80. pag 185. dicens, occisum Heraclianum, cum vix tyrannidem meditaretur, τυραννίδα μελετῶν.

(26) Qui Tribunus, & Notarius erat, cujus officium perferendi Principum mandata sæpe fuisse, compluribus exemplis ostenditur, in negotio præsertim Religionis, aliisque necessitatibus explicandis: Sic Marcellinus isto in Collat. Carthag. Et antea an. 386. Dalmatius Tribunus, & Notarius ad S. Ambrosium à Valentiniano Jun. legatus ad Collationem cum Auxentio Ariano instituendam, ex Ambr. epist. 32. Item Dulcitius Tribun., & Notar. ab Honorio missus ad Leges latas, pacis causa, exequendas, ex Aug. *contr. Gaudentium*, & l. 2. Retractat. 59 Aristolaus Tribun., & Notar. à Theodosio Jun. eadem causa destinatus, teste Cyrillo, epist. ad Acacium Melitenæ Episc. p. 110. Ad Reges quoque exteros Tribuni, & Notarii legati, ex Ammian. l. 17., Zos. l. 5., quos sequior ætas *Missos Dominicos* appellavit.

(27) Marinus Comes, Heracliano victo, & necato maximam adeptus potestatem, non modo in perduelles exarsit, sed faciles aures delatoribus præbens, sævit quoque in innoxios, in

*quæ privatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam conscientiæ suæ dimissus est*. Tyrannis profligatis, Vandalis pulsis, Gotthisque Imperio Romano pacatis, restabant Burgundiones, qui prioribus annis cum Vandalis in Galliam se contulerant, (28) neque cum eis in Hispaniam transmigrarant. Hos igitur ad integram laudem liberatæ Galliæ comparandam deinde sibi adoriendos Constantius arbitratus est. Burgundiones autem, cum se infirmis ad resistendum opibus intelligerent, bellum aversati pacem poposcerunt. Quos Constantius & ipse, ne in aliquam forte belli difficultatem incideret, qua gloriam rerum gestarum corrumperet, libenter in amicitiam recepit, atque, sedibus ad Rhodanum assignatis, fœdere illigatos dimisit. Quod ubi Franci cognoverunt, animo vehementissime perturbati sunt, atque ægre ferentes, Burgundiones non maximis opibus homines prope nullo negotio quietas in Gallia sedes adeptos, quas ipsi tam multis impressionibus factis obtinere non potuissent, repente collecto exercitu, Marcomere, ut opinor, Rege Duce, Rhenum transmiserunt, ac præter cetera oppida urbem Trevirorum, tum provinciæ caput, iterum ceperunt, (29) captamque cum diripuissent, subdito incendio combusserunt. Gravis vero præter ceteras hæc ei civitati incursio contigit, nam, ut scripsit Salvianus, quos hostis in excidio non peremit, eos post excidium calamitas obruit; siquidem alios impressa altius vulnera lentis mortibus enecarunt, alios ambustos hostium flammis gravis pœna cruciavit: quidam interierunt fame, quidam nuditate, alii tabescentes, alii rigentes, jacueruntque passim utriusque sexus cadavera nuda, lacera, civium oculos incestantia, ab avibus, canibusque dilaniata. Constantius autem in hoc rerum articulo codicillis Honorii Patriciatum, & Consulatum adeptus, Romam revertit. Locum ejus Castinus Domesticorum Comes obtinuit, qui expeditione in Francos suscepta, in Galliam citato itinere pro-
414 peravit; ac Constantio Constanteque Consulibus, (30) multis prœliis prospere factis, oppida occupata eos relinquere, atque trans Rhenum se conferre coëgit. Dum autem ille bello Francico fuit occupatus, Rex Gotthorum Ataulfus discordiæ semina cum Honorio quærens, (31) Attalum, quem secum ex Italia duxerat, ad resumenda Augustalia insignia incitavit. Qua re ille pro insita ingenii levitate perfecta, haud contemnendam hominum manum rebus novis studentium comparavit, atque adversus Honorium se de integro Imperatorem inferre non dubitavit. Quod ut Honorius audiit, Ataulfum ictum fœdus violasse interpretatus, bello persequendum, ut hostium suorum fautorem, decrevit, ac Constantium unicum tum rerum suarum præsidium iterum in Galliam destinavit, &, cum rursus hæretici Donatistæ Africam provinciam perturbarent, adversus eos sanxit: extant ejus decreta duo ad Julianum Proconsulem Africæ missa, quorum unum XV. Kal. Julias, Ravennæ datum est, (32) alterum III. Kal. Septembris, Romæ. Constantinopoli Theodosii soror Pulcheria, cujus potissimum prudentia Imperium regebatur, Augustæ dignitate ornata est. Honorio autem decimum, 415
& Theodosio sextum Consulibus, Constantius Arelate, ut bellum faceret Ataulfo, Gotthisque, progressus castra ad oppidum Narbonis admovit, seque urbem obsidione pressurum, nisi sibi Attalus dederetur, ostendit, atque Ataulfo id se facturum abnuente, acrem oppugnationem instituit. Quam vim ubi Ataulfus se sustinere non posse cognovit, Narbone constituit excedere, & cum suis in Africam transmigrare, ita eruptione ex oppido facta, ad littus conscendendi caussa procurrit; verum cum naves nullas, quod earum copiam Constantius præripuerat, invenisset, Africa in præsens omissa, in citeriorem Hispaniam, quæ ab Honorio tenebatur, invasit, atque Attalo secum incolumitatis caussa deducto, in Tarraconensi Barcinonis oppidum occupavit. Ibi Attalus neglectus à Gotthis, demum

per

---

in quibus erat Marcellinus, teste Augustin. epist. 151., alias 259. Cæcilianus Africæ Præses Augustini precibus permotus spoponderat Marcellino vitam à Marino impetraturum; at capitis sententia executioni, citius quam par erat, mandata, prævenit officia Præsidis, eod. Aug. narrante l. c., ubi Sanctus Doctor egregium Sanctissimi Viri subnectit elogium. Vide Henschenium ad diem VI. mens. April., quo de S. Marcellino agit. L. 55. *de Heret*. Cod. Theod. *spectabilis memoriæ virum* vocat Honorius Imp. L. Oros. l. 7. 42.

(28) Jam an. 406., ex Prosp. in Chron., Arcadio nempe VI., & Probo Coss. Gallias ingressi erant, cum prius in Germania essent ad Mænum fluvium. Obtinuere h. an. *partem Galliæ propinquantem Rheno*, seu, ut Cassiodor. in Chron. ait, *Rheno conjunctam*. Unde non illis concessa Æduorum, Sequanorumque regio, Arari, & Rhodano juncta, (deinde Burgundia nuncupata) sed regio in prima Germania sita, teste Olympiodoro apud Phot. c. 80. dicente: *Jovinus apud Mundacium* (*Moguntiacum* legendum) *Germaniæ alterius Urbem, studio Goaris Alani, & Guntiarii Burgundionum Præfecti, tyrannus creatus est*.

(29) Primam Trevirorum cladem an. 402. (quam plerique minus recte ad an. 406., vel 407. referunt), hæc secunda excepit, de qua Friger. apud Gregor. Tur. l. 2. 9., & clarius apud Auct. *de Gest. Francor.* c. 6., & sequ. Vide Salvianum ab A. N. cit. l. *de Providentia*, in quo Urbem illam quarto eversam scribit ante annum 440., circa quod tempus librum laudatum Salvianus elucubravit. At ex Frigerido l. c. ad annum 412. potius est Trevirorum eversio referenda, qui statim Decimii Rustici, aliorumque nobilium cæde narrata subdit: *Trevirorum civitas à Francis direpta, incensaque est secunda irruptione*. Idem indicat Auctor *de Gest. Francor.*

(30) Quem Theodosius Jun. Magistrum Militum per Thracias constituit, ex L. un. *de Lusoriis Danuvii*, eidem inscripta. Fuit autem Consul Orientalis, ex Olympiod. apud Phot. c. 80. p. 185.

(31) Olympiodorus apud Phot. l. c. narrat, Constantium postulasse ab Ataulfo, ut Placidiam restitueret (quam Constantius conjugem sibi copulare optabat), sed Ataulfum, ob non servatas ab Honorio conditiones, juste retinendam contendisse, conquestum etiam, minime suppeditatam Gothis annonam ab Honorio, citra fidem promissorum.

(32) Est L. 54. *de Heret*. Cod. Theod., qua decem pœnis coërcuit Donatistarum vesaniam, per Africam Proconsularem excitantium turbas. Legem quoque tulit 55. tit. eod., qua gesta à Marcellino (de quo supra) adversus Donatistas confirmat.

per dolum captus est à quibusdam, & ad Constantium ductus. (33) Quem ut ille vidit, gaudio elatus ad Honorium destinavit, à quo deinde in vincula traditus, ad triumphum post confectum bellum Gotthicum reservatus est. Gotthos autem postquam in Hispaniam transisse Vandali cognoverunt, adversarios sibi fore rati, omni ope, ne ibi essent, armis inferendis enixi sunt, ac statim ad Honorium legationem miserunt, qua sibi pro Romanis bellum illud depoposcerunt, verba legationis fuere: *Tu cum omnibus pacem habe, ab omnibus pacem accipe, nos nobis confligimus, nobis perimus, tibi vincimus, immortalis vero erit quæstus Reipublicæ tuæ, si utrique pereamus.* Procopius tradidit, Honorium cum Gunderico Rege pepigisse, ut Vandali in Hispania sedes haberent, sed à maleficio, & injuriis abstinerent, neque annorum triginta præscriptione adversus Romanos uti possent. Jam inde ab initio Placidia iniquo animo tulerat, Ataulfum maritum bellum cum fratre Honorio contraxisse, sæpiosque de reconcilianda concordia, Attalo ipso dedendo, contenderat, neque æqui aliquid obtinere potuerat; postquam autem Attalum in potestate esse Honorii audiit, rursus summis ab eo precibus petere instituit, ut pacem cum fratre redintegraret, quocum primum fœdere junctus, deinde affinitate fuisset, neque id uxori tam justa roganti homo in primis uxorius denegavit. (34) Gotthi vero, quibus bellum pace erat acceptius, postquam Ataulfum ad pacem eam animo propendere viderunt, quam non solum rebus suis inutilem, sed etiam nomini deformem existimarent, ipsum Barcinone per fraudem interemerunt, (35) atque ei, quod filios non haberet, (36) Sigericum Regem
416 substituerunt. Inde postero anno Theodosio Augusto sextum cum Palladio Consule. (37) Sigerico item, quod ad pacem inclinaret, extincto, (38) Valliam suffecerunt. Ille vero, Ataulfi consilio de trajectione Africana probato, armis, navigiisque instructis ad fretum Gaditanum perrexit, ut, brevi illo spatio maris transmisso, Mauritaniam oppositam obtineret, ac navibus conscensis, eò cursum direxit: verum sæva subito tempestate coorta, ac fœdo naufragio facto repulsus, incœptum, tanquam ominosum, omisit, adversa Alarici in Siciliam transmissione deterritus, ac de compositione & ipse cogitare instituit. Itaque Constantio exercitum in Hispaniam contra eum ducenti sese ad Piræneum obviam tulit, ac pacem per legatos suppliciter petiit, spondens, se Placidiam, quam honeste apud se habebat, redditurum, obsidesque in fidem daturum, si sibi contra quoque nobiles ex Gallia traderentur, &, si in Hispania se considere pateretur; pro Romanis assidue adversus Vandalos pugnaturum. Quas conditiones Constantius libenter accepit, ac Placidia, obsidibusque receptis, atque invicem datis, Avito Arverno, qui post imperavit, (39) sese interponente, fœdus cum Gotthis novum percussit. Atque hujus quidem rei præter Prosperum, & Jornandem Sidonius quoque his temporibus proximus meminit, ubi de Avito loquitur, qui cum Constantio militavit:

*variis incussa procellis*
*Bellorum, Regi Getico tua Gallia pacis*
*Pignora jussa dare est, inter quæ nobilis obses*
*Tu Theodore venis.*

Addit inde, Avitum ipsum adeo jucundum fuisse Valliæ Regi, ut eum ad se traducere tentarit non aliter, ac Pyrrhus quondam Fabricium, (40) idque beneficium ab Avito esse repudiatum. Atque hic quidem primi Gotthici in Gallia belli exitus fuit. Honorius Kal. Martiis Ravenna ad ipsum Constantium, quem Comitem, & Patricium vocat, sic scripsit: (41) *Sub clade barbaricæ depopulationis si qua aut per fugam, aut per congregationem infelicium populorum indigne, invidiosaeque commissa sunt, ad invidiam placatarum legum à callidis litigatorum objectionibus non vocentur.* Constituta inde provincia, Constantius Romam decessit, ac Placidiam

(33) Philostorg. l. 12. n. 4., narrata cæde Ataulfi, subdit Barbaros una cum Placidia Attalum Imperatori Honorio tradidisse, percusso jam fœdere. Oros. vero cap. ult. scribit: *In mari captus* (Attalus) *ad Constantium Comitem deductus, deinde Imp. Honorio exhibitus, truncata manu vitæ relictus est*. At hoc supplicium una cum exilio Attali in Insulam Liparam an. 417. consignandum, quo Honorius triumphum Romæ iniit, præeunte Attalo currum ejus, ex Prosp. in Chr., & Philost. l. 12. n. 5.

(34) Olympiodorus apud Phot. p. 188., & Orosius l. 7. 43. satis indicant, quæ tandem fuerint Ataulfo studia pacis cum Honorio ineundæ, quæ crevere, cum filium Placidia edidit, cui Theodosii inditum nomen, ex Olymp. l. c. At his conatibus successit mors Ataulfi.

(35) Occisus Ataulfus à quodam Gotho *ejus domestico, Dobbio nomine*, inquit Olympiod. apud Phot. l. c., L. quæ refert Philostorg. l. 12. 4.

(36) Obierat enim paulo ante, quem ex Placidia susceperat, ut Olympiodorus ait l. c. Philostorg. l. 12. 4. prodit, Ataulfum, ducta Placidia, jam repudiasse priorem uxorem, ex qua natos eidem filios evincit Olympiodorus dicens, Sigerichum, Sari fratrem, in Regno suffectum, *Adaulphi è priori conjuge liberos, vi è sinu Sigesari Episcopi abreptos, occidisse*. At singularia certe narrat Olympiodorus, ut legenti patebit.

(37) L. Theodosio Aug. VII. cum Palladio, qui Junius Quartus Palladius dictus, Africæ Proconsul an. 410., ex L. 7. *de princip. agentium*; & Præf. P. item h. an., & sequ. ex aliis Legib. pariter Cod. Theod., ut liquet ex ejusdem Chronol. p. 163, & sequentib.

(38) Hic *in Adaulphi contumeliam* Placidiam, *pedibus ante equum una cum ceteris captivis ambulare coëgit, idque toto illo spatio, quod est ab Urbe ad duodecimum usque lapidem*; ut Auctor est Olympiodor. apud Phot. pag. 182. Subdit autem: *Interemptus est, septem illæ dies cum imperasset*. Eique suffectus Vallias.

(39) Erat is civis Arvernus, ex Turon. l. 2. 11., an. 439. Præfectus P. fuit, anno vero 455. *in Galliis ab exercitu Gallicano, & ab Honoratis primum Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus appellatus*, Idac. in Chron. ad an. Abrahami 2471., qui Kal. Oct. anni 454. incipit. V. Jornand. Rer. Get. 32., Prosper. in Chr.

(40) Hic Romanus civis frugalissimus, qui oblata a Samnitibus munera contempsit: adversus Pyrrhum Epirotarum Regem gravissima quoque bella gessit, ejusdemque medicum, per venenum mortem Regis pollicitum, vinctum ad Pyrrhum remisit. Ejus filiæ ob paupertatem à publico dotatæ, ad viros suos gloriam domesticam, pecuniam verò publicam attulerunt.

(41) Hac Lege, quæ est ult. Cod. Theod. *de infirmandis his* & cet., infelicibus Gall. populis tribuit Honorius, Gothis inde exactis, indulgentiam.

diam ad Honorium, re bene gesta, reduxit. Eorum utrunque Honorius eximia animi alacritate recepit, præcipue vero Constantium, cujus virtute & dignitatem retinuerat, & Galliam liberaverat, duplici affecit honore; nam & Consulem iterum designavit, & sororis Placidiæ matrimonio decoravit. (42) Innocentius Pontifex post cladem Romanam Ecclesias urbis reparare conatus hoc anno Decentium Episcopum Eugubinum ab institutis Ecclesiæ Rom. se removentem epistola XIV. Kal. Aprilis scripta increpuit, in qua hæc verba posuit: *Quis nesciat, aut non advertat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum, præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, atque eius successores constituerunt Sacerdotes?* His actis Honorius lætus, quod Italiam, Galliam, Hispaniamque provincias, tyrannis deletis, barbarisque compressis, pacasset, undecimum cum Constantio iterum Consul inivit, ac Ro-
417 mam regressus, magno apparatu, atque in signi pompa urbem de Gotthis, & Attalo tyranno triumphans intravit, Attalum ipsum vinctis post terga manibus ante currum ducens, quem, peracta de more pompa, truncata in pœnam repetitæ perfidiæ dextera, Liparas relegavit. In Hispania Vallia Rex Gothorum non solum ut promissa Honorio præstaret, sed etiam ut præda populum suum augeret, latiusque ditionis suæ fines produceret, Vandalos, & Alanos, sociosque eorum armis adortus est. Res maximæ ad Tartessum, & Calpem (43) extrema Lusitaniæ oppida gestæ, quarum meminit Sidonius in Anthemio, loquens de Ricimere Valliæ nepote, & Genserico Gunderici Regis Vandalorum filio:

*simul & reminiscitur illud,*
*Quod Tortessiacis avus hujus Vallia terris*
*Vandalicas turmas, & vincti Martis Alanos*
*Stravit, & occiduum texere cadavera Calpen.*
*Quid veteres narrare fugas, quid damna priorũ?*
*Arganthonini (44) recolit dispendia campi.*
*Inde furit, quod se docuit satis esse nepotem*
*Illius esse viri, quo viso Vandale semper*
*Terga dabas.*

Ex quibus intelligitur, quàm formidabilis Vandalis Vallia fuerit, (45) & quàm non semel eos oppugnarit, atque in fugam compulerit. Huic bello Constantium etiam interfuisse Jornandes ostendit, qui in Annalibus scriptum reliquit, Constantium hoc anno Fredibaldum Vandalorum ducem in prœlio captivum fecisse, atque ad Honorium transmisisse. Cum quidam Italiæ Episcopi solemnem diem Paschatis integro mensis spatio anticipassent, divina virtute error eorum est patefactus. (46) In una enim Ecclesia, aqua, quæ quotannis pridie Paschatis solebat divinitus Baptismi gratia fluere, eos, qui maturiùs, quàm oportuit, (47) idest, VIII. Kal. Aprilis, Pascha egerunt, non emanans elusit, legitimo autem die, qui erat futurus X. Kalend. Maji ex more fluens, eo die Pascha celebrari debere ostendit. Innocentio Pontifice X. Kal. Augusti mortuo, (48) Zosimus ex Cappadocia Presbyter est suffectus, quem diu acriter quæstio suborta de Paschate fatigavit. Sequenti an- 418
no Honorio XII., & Theodosio VIII. Consulibus, V. Nonas Julias Placidia Ravennæ puerum Constantio peperit, (49) quem Valentinianum vocavit, eum, qui post Honorium Imperium in Occidente obtinuit. Constantius autem, & Vallia continuato in Lusitania bello Alanos, & Suevos apud Emeritam acie superarunt. Suevorum inde Regem

(42) Quod initum fuit an. 417., teste Olympiodoro ap. Phot. p. 192. dicente: *Honorius Aug. XI., & Constantius iterum Consules creati, & Placidiæ nuptias conciliant . . . ipso quo Consulatum init die, manu ipsam arreptam Honorius Imp. frater ejus invitam Constantio in manum tradit, nuptiaque splendide celebrantur.*

(43) Pompon. Mela Cartejam cum Calpe jungit, addens primam aliquando *Tartessum* dictam: l. 2. 6., (in his oris Melæ fuit patria) Plinius quoque, Ptolomæus, Antonius, Anonym. Raven. l. 4. eum monte Calpe Cartejam copulant. Livius autem l. 28. 30. Cartejam locat, ubi alii *Gades* tantummodo, nullamque aliam Urbem agnoverunt.

(44) Sidonius carm. 2. appellat hos campos ab Arganthonio Tartessiorum Rege, cujus meminit Silius l. 3. dicens:

*Arganthoniacos armat Carteja nepotes.*
*Rex proavus fuit humani ditissimus ævi,*
*Ter denos decies emensus belliger annos.*

Eumdem memorat Plinius annos vixisse centum viginti.

(45) Ex Idacio enim in Chr. Vallias in Bætica Vvandalos *Silingos* dictos extinxit: item Alanos, qui, amisso Ata eorum Rege, nonnisi pauci remanserunt, coactique Gunderici Vvandalorum Regis se patrocinio committere. L. Jorn. p. 658.

(46) L. epist. Paschasini Episc. Lilybetani ad S. Leon. M., quæ post priorem S. Doctoris epist. in Nova ejus Oper. edit. habetur. At in Oriente legitimo die Pascha celebratum fuit, X. Kal. Maji, ut patet ex Auct. Chr. Alex., dicente: *His Coss. terra vehementer movit, vesperi die Parasceves, mense Aprili XII. Kal. Majas. Accidit hoc ipso die, quo Dominus noster Jesus Christus passus est.* Hæc Controversia vero initium habuit sub Innocentio, sed sub Zosimo Pascha celebratum, ut Paschasinus diserte testatur.

(47) Hujusmodi miracula sacri baptismi tempore evenisse persæpe, Cassiod. Var. Lect. l. 8. 33., Gregor. Tur. de Glor. Marty. l. 1. 24. aliique referunt.

(48) A. N. ab Anastasio tempus mortis Innocentii hausit, qui tamen de aliqua ejusdem Translatione intelligendus; vita enim functum die XII. Martii varia evincunt Martyrologia, tum edita, tum MSS. à Bollando recitata ad diem XII. Martii, in Vita *SS. Innocentii, & Rufi Episcopor.* Et evincitur ex duratione Sedis ejusdem Innocentii per *annos quindecim, menses duos, dies viginti* circiter: atqui anno 402., mense Decembris Pontifex creatus, ut supra ostensum; non itaque mense Julii obiit. V. quæ mox de Paschate per errorem h. an. celebrato, sedente Zosimo R. P. sunt dicta, qui post sex circiter dierum Interpontificium electus fuit, nam VIII. Kal. Aprilis, quo Pascha per errorem in Occidente fuit celebratum, jam fuerat inauguratus, teste Paschas. supra laudato in ep. ad S. Leon. M.

(49) Ita Marcellinus in Chron., sed Prosper habet *VI. Non. Jul.*, cui suffragatur Laterculum Polemii Silvii ap. Bolland. in Præf. ad Vitas SS. mens. Jan. At Marcellinus ipse, & Idacius melius consignant ortum Valentiniani an. sequ. nec enim adeo verisimile, Placidiam octodecim mensium intervallo filiam, (ex Olymp. ap. Phot. c. 80. p. 192.) & Valentinianum peperisse. Nupta quippe Kal. Januar. an. 417.

gem Ermenericum Gundericus Rex Vandalorum orio inter populos dissidio prœlio in Gallæcia provocavit. (50) XV. Kal. Augusti Sol insigniter obscuratus apparuit. (51) Inde per Septembrem mensem Stella crinita ab Oriente refulsit, VII Kal. Januarii Romæ
419 Zosimus Pontifex mortuus. (52) Eo sepulto, Monaxio, & Plintha (53) Consulibus, Clerus comitiorum caussa convenit: verum dissentientibus animis alii in Basilica Constantini, alii in Basilica Julii, atque illi Eulalium Archidiaconum, hi Bonifacium Presbyterum sublegerunt. (54) Quod ubi Placidia Ravennæ agens comperit, Honorium statim, qui Mediolanum decesserat, certiorem fecit. Ille autem usque adeo ejusmodi dissidium improbavit, ut extemplo ambos urbe exire præceperit. Egressi Bonifacius habitavit in cœmiterio S. Felicitatis Martyris via Salaria, Eulalius vero in oppido Antii ad S. Hermum. Ubi vero dies Paschatis venit, Eulalius in Urbem injussu Imperatoris reversus Baptismum in Basilica Constantiniana confecit. Bonifacius vero, ut assolebat, in Basilica S. Agnetis. Quo facto indignatus Honorius Eulalium Urbe expulit, ac Bonifacium approbavit, convocatisque Romam Episcopis ducentis quinquaginta duobus Bonifacio Pontificatus adjudicatur, Eulalius vero Episcopus Nepesinus esse jubetur. Extant litteræ Bonifacii ad Honorium Kal. Juliis datæ, quibus rogat, ut operam det, ne posthac in legendo Episcopo aliquid per ambitum fiat, in quibus hæc etiam inquit: *Angeretur Ecclesia, nisi apud te suarum esset secura caussarum, & nisi in oppressionibus Idolorum, correctionibus hæreticorum fides tua, divino cultu pariter cum Imperio semper florente, vicisset. Habet refugium pium tuæ mansuetudinis animum, cum tuæ religionis veneratione conjunctum, cum quidquid huic proficiat, vos agatis, & conferatis Fratribus, & Consacerdotibus meis, à me legatis*, ad quas Honorius sic rescripsit: *Ad notitiam Clericorum omnium volumus pervenire, ut si quid forte, quod non optamus, religioni tuæ humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum, at si duo contra fas temeritate certantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus Sacerdotem, sed illum solum in Sede Apostolica permansurum, quem ex numero Clericorum nova ordinatione divinum judicium, & universitatis consensus elegerit*. Eodem anno Concilium novum Carthagine, (55) ad quod Zosimus vivens legatos miserat Faustinum Episcopum Potentinum, & Philippum, atque Asellum Presbyteros, Kal. Junii est convocatum, ubi decreta de moribus Ecclesiæ formandis facta sunt, simulque à Bonifacio novo Pontifice postulatum, ut tabulas Concilii Nicæni ad se mittetet, quod in suis caput de provocatione Episcoporum ad Romanum Pontificem non extaret. Vallia Rex, ut notat Prosper, crebris Vandalorum nobilitatus victoriis, laborum quasi suorum mercedem à Constantio postulavit: ut sibi in Gallia sedes restitueret, ac fœdus confirmaret. Cui Constantius ex Honorii auctoritate assensit, & sancito fœdere Aquitaniam ei secundam concessit, (56) exceptis paucis urbibus, in primisque Biturica, & Arverna, atque extra Aquitaniam Tolosam, quam ille sibi regni sedem ascivit. Ea pars Aquitaniæ post Vasconiæ nomine insignita est. Ita Gallia à tribus precipue dominis hoc tempore est possessa, Romanis, Burgundionibus, & Gotthis. Romani omnia tenuere à Rheno ad Ligerim, exceptis Armoricis civitatibus, quæ usurpata libertate defecerant. Gotthi cis Ligerim, Burgundiones ultra Rhodanum habitarunt, sed non omnia in potestate habuerunt, plerisque civitatibus adhuc in ditione Romanorum manentibus. Hispaniam vero citeriorem partim Gotthi, partim Romani, (57) ulteriorem ferme Vandali cum sociis possederunt, ex quo assiduorum certaminum caussæ ad exercenda Romanorum arma non defuerunt. Quod præmonuisse placuit, ne quis error sequentia bella parum

(50) Idacius in Chron. rem gestam Vuandalos inter, & Suevos in Nervasiis montibus refert ad an seq.

(51) *XIV. Kal. Aug., die Veneris, hora VIII.*, non vero feria V., ut mendose Chron. Idac., cum præsenti an. dies decimanona Jul. incidat in Feriam VI., non V. Post mediam noctem in Galliis visa, docente Calvisio in opere Chronolog., & Romæ à media nocte, ex Petav. de Doctr. Temp. l. 11. Eclypsis hujus, quemadmodum & Cometæ, fuse meminit Philost. l. 11. 8.

(52) Ita in variis Codicib. MSS. in fine Edit. Regiæ citat., postquam sedisset, *annum unum, mensem novem, & dies novem*, ex Chr. Prosperi, curante Pontaco.

(53) Ad Monaxium, Orientalem certe Consulem, plures datæ Theodosii Jun. leges, quas V. in Chr. Cod. Theod. Idem Plinta Magister militiæ fuit an. 431. sub Theod. etiam Jun. ejusque meminit Priscus in Excerpt. Legat. p. 47. dicens, ex Scythia fuisse oriundum, legatumque à Theodosio ipso ad Ruam Hunnorum Regem, Attilæ decessorem.

(54) A majori Clericorum parte Bonifacius electus fuit; proindeque canonicè, Symmacho Urbis P. impense Eulalio ipsi favente, qui & falsis relationibus decepit Honorium. V. Symmachi Relationes, & Imperatoris rescripta. Quod autem hic refert A. N. de Concilio Romæ convocato, intellige de Synodo Plenaria apud Spoletum cogenda, ad quam Africanos Patres litteris evocavit Honorius, quæ tamen deinde celebrata non fuit; perspecta namque legitima Bonifacii electione, & Eulalii temeritate detecta Imperatori, lis adjudicata fuit priori, & Eulalius exul apud Antium non longe ab Urbe mansit; eum Nepesinæ Ecclesiæ Episcopum renunciatum Pontificale volumen tradit.

(55) Anno præterito in Carthag. Concilio de Appellationibus ad R. Sedem actum, occasione Apiarii, Siccensis Ecclesiæ Presbyteri, à suo Episcopo inde amoti, qui ad Zosimum P. appellaverat, quo defuncto Apiarii causa in Plenaria Synodo Africæ h. an. celebrata, fuit discussa; eaque Carthaginensis VI. dicenda est.

(56) Idacius in Chron., an. Abrahami 2434. id refert, subdens: *Sedes in Aquitania à Tolosa usque ad Oceanum acceperunt*, Gothi nempe. Vvallia igitur Galliæ tractu auctus, Garumna flumine, & Pirenæis montibus comprehenso, ubi Tolosa, & ad Oceanum Burdigala sitæ sunt. Quod accidit, ex Idac. an. 418., non autem 419., ut Prosper ab A. N. c., His siquidem in rebus potior Idacio fides. Alibi vero dictum de Vasconibus, qui hic memorantur.

(57) L. Jornandem rer. Get. 33. certe an. 420. erat Comes, & Hispan. Vicarius. Idacius autem, sub an. 456. Tarraconensem provinciam R. Imperio paruisse luculenter tradit.

rum attente legentem involveret. Constantius filia auctus est, quæ Honoria dicta. (58) Franci, ut notavit Sigebertus, Mareomeri Regi mortuo Faramundum substituerunt. A
420 (59) Theodosio inde IX., & Constantio III. Consulibus, quem annum Christiani numerabant quadringentesimum vicesimum, Honorius, sive quod filiis careret, quibus moriens Imperii relinquere curam posset; sive, quod præsentia Reipublicæ tempora duorum Augustorum præsidio egere censeret, consortem sibi Imperii censuit asciscendum, & cum oculos in omnes circumtulisset, quos propinquitate conjunctos haberet, neminem habuit, quem virtutis, & prudentiæ nomine Constantio Placidiæ sororis viro, præponeret. B

## CONSTANTIUS AUG.

HUnc igitur solemni pompa adhibita Augustum appellatum (60) socium sibi adesse Imperii, & curarum omnium jussit: inde Valentiniano puero ejus Nobilissimi dignitatem impertivit, &, ut moris erat, imaginem Constantii Augusti Constantinopolim ad collegam Theodosium misit. Vallia Rex, haud intermisso vexandi Vandali more, & hoc anno exercitum ex Aquitania adversus Alanos in Hispaniam duxit, (61) atque eos tanta armorum mole invasit, ut illi, fractis desperatione animis, regiam dignitatem dimiserint, ac se Gunderico Vandalorum Regi, ut ab eo regerentur, submiserint. Reversus inde victor Tolosam, fato cessit, ut scribit Jornandes in Annalibus, nam in historia regnum ejus usque ad duodecimum annum perduxit. Eo defuncto, Gotthi regnum ad Theodoricum detulerunt. Pridie Kal. Octobris Hieronymus Stridoniensis, Presbyter Romanus, vitam reliquit, (62) ac propter sanctitatis, & doctrinæ magnitudinem inter Confessores, & Magistros Ecclesiæ post S. Ambrosium est relatus. Quod Innocentius & Zosimus Pontifices instituerant, ut Pelagium hæreticum, & socios ejus insectarentur, idem etiam Bonifacius magna diligentia præstitit. De quibus sic scripsit S. Prosper contra Collatorem: *Tunc Pelagianorum machinæ fractæ sunt, quando Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit, quando Pelagium ad proferendam in se, suosque sententiam Palæstinorum Episcoporum Synodus coartavit, quando Africanorum Conciliorum (63) decretis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armavit Antistitum, quando Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non solum Apostolicis, sed etiam Regiis utebatur Edictis, & quando idem, cum esset doctissimus, adversus tamen libros Pelagianorum Beati Augustini responsa poscebat.* Theodosius autem, ubi Constantium ab Honorio Augustum appellatum accepit, omnino neque id factum probavit, neque imaginem ejus accipere voluit, cujus rei certior C
Constantius, Eustasio, Agricolaque Consulibus, factus, usque adeo dolorem non tulit, ut sexto post acceptum Imperium, mense mœroris atrocitate confectus obierit. (64) 421

Extat

(58) Quæ an. 434. ex Marcellini Chronic. C. P. missa fuit à Valentiniano fratre, quod in Occidentale Imperium machinaretur. *Clam misso clientulo Attilam Hunnorum Regem in Italiam* invitasse, auctor est Jornandes, *de success. Regn.* c. 97.

(59) Cum solus Pseudo-Prosper in Chron. Imperiali initium Franciæ Monarchiæ memoret, anni autem Honorii in eo Chron. varie à Librariis fuerint collocati, nullum validum inde momentum duci potest ad idem initium stabiliendum. In edit. Pithœana, annus 26 Hon. indicatur, & deinde dicitur: *Pharamund* regnat in *Francia*, post narratam Solis Eclypsim, de qua supra. In edit. vero Scalig, an. Honor. 25. dicitur, *Faramundus regnat* & cet. In edit. Labbei ad an. Honorii 26. refertur & Solis Eclypsis, & Faramundi initium. At in sua Chronologia 2. Petavius an. Hon. 28. consignat, Chr. 420. nescio an satis validis rationibus motus. Cæterum Faramundus præter antiquam Franciam, quæ veteris Germaniæ pars erat, inter Rhenum, Visurgim, Mœnum, & Oceanum, multosque populos, Attuarios, Bructeros, Chamavos, Salios, Frisios, Chaucos, Ansivarios, Cattos, & Sicambros amplectebatur, in Gallia Belgica, Tongriam quoque cis Rhenum obtinuisse videtur. L. Carolum le Cointe in Annal. Eccl. Francor. D E

(60) Hoc anno id factum prodit Prosper in Chr. In annum vero sequentem doctiores referunt Constantii nuncupationem; Leges enim an. præsenti latæ Honorii tantum, & Theodosii Impp. exhibent nomina; & in subscriptione habent: *Theodosio IX., & Constantio V. C. Coss.* Quæ vero emissæ an. sequ. trium Auggg. nomine sunt datæ. Theophanes insuper an. Incarn. 413. secundum Alex. qui incipit à Kal. Sept. an. 420. habet: *Hoc anno Constantius Valentiniani pater Imperium obtinuit Sexto Idus Febr. Quarto vero Nonas Septembries occisus est.* Huic Constantius an. sequ Augustus renunciatus, eodemque anno obiit, *septimo Imperii mense*, ut Olympiodor. in excerptis.

(61) Quæ hic A. N. refert, an. 418. sunt consignanda, sicut & Vvalliæ obitus; Idac. enim in Chr. ad an. Abrahami 2434., incipientem à Kal. Oct. præced. an. post obtentas à Gothis Sedes in Aquitania, subdit: *Vallia eorum Rege defuncto Theodores* (idest Theodoricus) *succedit in Regno*. Id & Prosper eidem an. 418. consignat in Chr. Juxta Isidorum tres tantum annos regnavit; numerat autem ab an 316. usque ad 319. Nulla autem Jornandi fides de Regno ejusd. ad duodecimum usque annum protrahendo, nisi in textum irrepserit menda.

(62) Recte ex Prospero in Chron., in cujus textum, Amanuensis certe vitio, error irrepsit circa annorum vitæ ejusdem numerum; non enim XCV., sed XC. legendum, utpote qui ex eod. Prosp. natus, Coss. Basso, & Ablavio an. 331. Idem habet Hieronymi elogium editum à P. Mabillonio T. 2. Vet. Annal. p. 42., ubi *Nonagenarius ferme* obiisse dicitur.

(63) Longa exacta disputatione, duo præclara gessit Innocentius in Pelagianos, nefarium eorum dogma proscripsit rescriptis datis ad Carthaginensem, & Milevitanam II. Synod. Auctoresque communione dejecit, donec resipuissent, nominatim Pelagium, Cœlestiumque perstringens. Idem deinde præstitit Zos. data ad universos Mundi Episcopos epistola illa, quam *Tractoriam* vocat Mercator in Commonitorio, quamque una cum Gestis Africanæ Synodi ad Honorium A. transmisit agentem Ravennæ, ut Cœlestius, omnesque Pelagiani Urbe expellerentur, & hæretici ubique gentium haberentur imperialibus quoque edictis.

(64) Ita Philostorgius; ἀρχομένου ἑβδόμου, *incipiente septimo*, Olymp. ap. Phot. p. 193, cui Theoph. accedit, tradens, obiisse Constantium secunda die Septemb. Mabillon. It. Ital. p. 39. sepultum conjicit in Mausoleo, à Placidia excitato, apud S. Vitalis Ecclesiam, Ravennæ, ubi mortuus ex Philost. l. 12. 10.

Extat rescriptum titulo de repulsis (65) cum præscriptione trium Augustorum, Honorii, Theodosii, & Constantii datum hoc anno Idibus Martiis Ravenna: item duo altera cum præscriptione tantum Honorii, & Theodosii data VIII. Idus Julias, ex quibus intelligitur, Constantium post mensem Martium decessisse. Eundem autem in Divos relatum Valentinianus filius indicavit, cum post sanxit, ut quæ à Divo parente suo Constantio decreta essent, inviolata manerent. Theodosius Athenaidem Leontii Philosophi Atheniensis filiam Pulcheriæ sororis commendatione sibi matrimonio junxit, (66) virginem cum forma, tum prudentia, virtuteque præstantem, eamque Eudociam appellavit. In Perside Isdigerdem Regem mortuum filius Barananes excepit, (67) qui contra patris instituta asperam Christianorum persequutionem instituit. Quam rem Theodosius sibi ferendam non arbitratus, arma paravit, atque, Ardabure duce, exercitum in Persidem misit, (68) qui, Nisibi urbe diu obsessa, simulatque Barananem cum ingenti copiarum numero adversus se contendere audiit, soluta obsidione, in fines Romanorum se retulit. (69) Honorius, cum bellum à Gotthis fortiter in Hispania cum Vandalis geri audiret, in spem ejus provinciæ recuperandæ adductus, Castinum Magistrum militum, ut Gotthis auxilio esset, in Hispaniam destinavit, Bonifacio Comite Africæ illi adjuncto, (70) ut cum classe ex Africa præsto esset, atque æquo cum Castino imperio bellum gereret: hos enim duces duos rei militaris peritissimos hoc tempore habuit. Hi 422 vero proximo anno Honorio XIII., ac Theodosio X. Consulibus in Hispaniam cum copiis terrestribus, maritimisque profecti, arma eximia concordia intulerunt, ac multa strenue, prospereque fecerunt. Nam & Maximum, ac Jovinum, qui tyrannidem quondam invaserant, & adhuc rebus novis operam dabant, in potestatem adduxerunt, & cum Vandalis bene uno, atque altero prœlio dimicarunt. Dissensio inde inter duces ex æmulatione gloriæ orta prorsus Rempublicam perdidit. Castinus enim, cum Bonifacium non ducis, sed legati loco habere cœpisset, id diutius Bonifacius ferre non potuit, indignum esse obedire ei, cui par erat imperio, arbitratus. Itaque cum classe inde profectus, ad Portum Romanum applicuit, (71) atque inde in Africam provinciam suam se retulit. Vandali inde, quos ducum Romanorum virtus, ac concordia prope ad ultimam desperationem adduxerat, redintegrato post Bonifacii profectionem bello, insignem Castini imprudentia victoriam, deletis Romanorum copiis, pepererunt. (72) Eodem anno Honorius Romæ Imperii sui tricennalia celebravit, (73) ludis omnis generis regia magnificentia editis, ac tristem superioris calamitatis memoriam prorsus oblitterare novæ hujus hilaritatis, ac pompæ lætitia studuit. Dum autem ludos, populo præsente, spectabat,

(65) Est *Lex 4. de repudiis*, Cod. Theod., qua Repudiorum levitas improbatur. Sunt & quatuor aliæ Leges nomine trium Augustorum datæ usque ad V. Kal. Aug. V. Chronolog C. Theod. p. 166.

(66) Virginem hanc à fratribus domo pulsam, quod inofficiosum Patris testamentum conquereretur, narrat fuse Auct. Chron. Alex. sub an. præc. Coss., tuncque sponsam destinatam Theodosio, educandam in aula. Hoc Anno nuptias celebratas idem Auct. prodit *mense Dæsio*, *III. Id. Jun.* L. quæ sub h. an. Coss. habet.

(67) Qui *cum unum & viginti annos regnasset*, inquit Agathias l. 4. p. 137. successorem habuit Barananem, rectius *Vararanem*, an. præced., cujus regni initio sæviit in Christianos persecutio, quæ ceteroquin jam inceperat Isdigerdis etiam tempore, teste Theodoreto l. 5. 39., ubi narrato bello, quod Ecclesiis gentis suæ intulerat Isdigerdes, subdit: *Sed & Gororanes, Isdigerdis filius, post Patris obitum, una cum ejus regno bellum quoque adversus pietatem, quasi hæreditario jure transmissum suscepit. Et ipse moriens, utrumque simul filio tradidit.*

(68) Hoc Persicum bellum inter Arcadium, & Isdigerdem gestum plerique putarunt, decepti à menda, quæ irrepsit in Auctorem Libri de *Prædictionibus* c. 34. l. 3., ubi cum legendum esset, *imperante Theodosio Arcadii filio*, per errorem scriptum reperitur, *imperante Arcadio*. Cœpit autem anno 420., ut conjicere præstat ex L. 10. C. Just. *de ædific.* privat., qua cautum, ut per limitaneas Provincias limiti Persico objectas, puta Mesopotamiam, Osdroënam, Eufratensem, aliasque, fas esset privatis murali ambitu fundos suos communire. Item ex L. ult. *de littorum, & itin. cust.*, qua constitutum, ne merces illicitæ deferrentur ad barbaras nationes; siquidem Socr l. 7. 18. præter Christianorum querelas, qui in Perside vexabantur, hanc alteram suscepti à Romanis belli causam profert, quod *Persæ auri fossores, quos mercede conductos à Romanis acceperant, restituere nollent: tum quod merces R. Mercatoribus abstulissent*. L. Niceph. l. 14. 21.

(69) Acriter certe hoc an. exarsit Persicum bellum, relatamque à Romanis victoriam Marcellinus in Chr. testatur, cui adhæret Auct. Chron. Alex. dicens: *Eodem hoc anno renunciata est Victoria de Persis relata mense Gorpiæo VIII. Id. Sept. die Martis*. Unde Ardaburis ducis in fines Romanorum receptus ad præcedentem potius an. referendus. Meminit & Theophanes an. XVII. Theodosii (falso tamen eo anno) alterius victoriæ belli initio relatæ adversus Persas. L. Socrat. l 7. 18.

(70) Quem Idac. in Fast. vocat, virum *bellicis artibus præclarum*. Fuit Augustino familiaris, ut ex ep. 220., aliàs 70. liquet, ad Bonifacium data. V. quod Olympiod. ap. Phot. texit elogium. Quæ autem sub ejus nomine, & Augustini *breviores epistolæ* circumferuntur, non recensitæ à Possidio, & ab Augustini stylo longe remotæ, veluti otiosæ mentis fœtus habendæ sunt.

(71) Ita Zos. vocat l. 6. 11. Portus Urbis æternæ L. un. C. Theod. *de Saccariis*: *portus venerabilis Urbis*, L. ult. *de navic.*, aliter etiam ap. alios. Is Augustorum studio munitus, & exornatus, ubi & Pharum extruxit Claudius Imp., ut Sveton. c. 20., unde *Portus Phari* etiam dictus ap. Paulinum Nolanum Carm. 21. ad Cytherium de Martiniani naufragio, v. 363.

(72) De hac Romani exercitus clade Salvianus loquitur l. 7. p. 165, & Tiro Prosper, qui tamen falso eamdem consignat anno 8. post Honorii mortem, 431., supponens Vvandalos eo anno adhuc in Hispan. fuisse, cum tamen an. 428., jam inde in Africam discessissent; viginti millia Romanorum in eo prœlio strata enarrat.

(73) Ita Marcell. in Chron, & Socr. l. 7. 20. Quæ in pace illa stabilienda evenere, narrat præter Socr. l. c., & Niceph. l. 14. 21. Theophanes quoque ad an. 21. Theodosii, (non quidem suo loco) & Sozom. l. 9. 4. ubi Persas prodit centum annorum inducias cum Romanis pepigisse: at ruptum fœdus an. 502. à Persis, Evagrius l. 1. 19. tradit cum ad an. usque 522. servari debuisset.

ctabat, Maximus, & Jovinus quondam tyranni conspectui ejus redditi ejus ludicri gaudium cumularunt, omnibus bonum omen animo concipientibus, finem adesse civilium seditionum, domesticarumque turbarum ex oblatis in tanta populi gratulatione tyrannis, ut enim maximo quisque prosperitatis desiderio flagrat, sic ejus sibi cogitationes ex quacunque occasione facillime fingit. Eodem anno Persæ, magna clade à Theodosio accepta, pacem petierunt, eamque impetraverunt, atque Hunni ex Scythia egressi, rursus Thraciam incursarunt. Eudocia puellam Theodosio peperit, quam Eudoxiam
423 appellavit. Asclepiodoto inde, & Mariniano Consulibus, Honorius Roma Ravennam profectus, in suspicionem venit, sororem Placidiam, Valentiniani Nobilissimi pueri matrem, secreta cum inimicis suis adversus se consilia coquere. Quod cum illa sensisset, sibi, ac Valentiniano consulere cupiens, ab illo discessit, & Constantinopolim ad Theodosium properavit, (74) eamque Theodosius pro dignitate suscepit, Honorius VIII. Idus Augusti ad Consules, Prætores, Tribunos pl. & Senatum Romanum de privatis faciendis judiciis scripsit; mox gravissimo aquæ inter cutem morbo tentatus, Romam se revehendum curavit, ibique XVIII. Kal. Septembris eo consumptus interiit: (75) ejus mortem crinita Stella per multos fulgens dies præcessit. Corpus juxta Basilicam S. Petri in Mausoleo repositum. Decessit, nullis liberis relictis, anno ætatis XLIIII., (76) Imperii vero post patris excessum XXIX., vir in magnis Reipublicæ tempestatibus versatus, atque ad extremum salvo Imperio ex omnibus naufragiis, bene juvante Deo, elapsus, ut D. Augustinus existimavit, quod Christum eximia pietate coluerit; memorabilis autem ob id, quod plurimis bellis civilibus circumventus omnia prope sine insigni cæde sedarit, non minus domesticis hostibus, quàm externis, qui uno tempore omnes ætatis imbecillitate allecti eruperunt, appetitus, atque vexatus: tantæ vero magnitudinis animi, ut corroborata ætate, cum se prodi videret, ne socero quidem, licet viro acerrimo, Reipublicæ caussa pepercerit. Hunc tamen non tam in adversis rebus constantia illustravit, quàm captæ primum sub eo Romæ infamia deformavit. Eo regnante in Pannoniam Hunni; in Hispaniam Vandali, Alani, Suevi, & Gotthi; in Galliam Alani, Burgundiones, & Gotthi certis sedibus permissis accepti.

## JOANNES IMPERATOR.

Ravennam postquam Honorium vita excessisse perlatum est, Joannes quidam, (77) qui commentarios Honorii scripserat, consilium invadendi per occasionem Imperii cœpit, reque cum duobus summæ solertiæ, magnæque virtutis viris communicata, illis adjuvantibus Augustalia insignia sumpsit, ac statim sive ad referendam, sive ad promerendam gratiam alteri magisterium militum, alteri curam Palatii tribuit. Hi fuere Castinus, & Aetius, Castinus in insequentem annum Consul designatus fuerat, ex Hispania, ut diximus, paulo ante reversus. Aetii pater Gaudentius primoris in minore Scythia loci, militiam à domesticatu exorsus usque ad magisterii equitum culmen ascenderat: mater Itala, nobilis, ac locuples fœmina. Aetius ipse à puero prætorianus, tribus annis Alarici obses, deinde Hunnorum, post Carpilionis gener, ex Comite domesticorum curam Palatii gerere cœpit. Horum igitur auxilio Joannes Imperator declaratus primum omnium, quos suspectos habuit, è Magistratibus depulit, atque alios sibi fidos, amicosque reposuit: mox, ne injuste dominari, aut temere quæ aliena essent, usurpare videretur, legatos Constantinopolim ad Theodosium misit, hoc sibi dari ab illo muneris petens, ut integra gratia sua Imperio Occidentali immatura Honorii morte vacanti preæesset; se devotum omne illi obsequium præstiturum, atque ex alia parte exercitum ad occupandam Africam destinavit. Theodosius Honorii mortem auditam per aliquot dies suppressit, ac militem Salonam in Dalmatiam, ut mature novas res in Italia molientibus occurrere posset, præmisit, ac demum Honorium diem suum obiisse vulgavit. Ubi vero de Joannis temeritate fama ipsa deferente audivit, leviter commotus hominem sibi contemnendum putavit, at, postquam venientium legatorum postulata cognovit, iracundia elatus illiberaliter habitos cum inclemente responso dimisit, qui ad Joannem reversi mandata Theodosii atrocia retulerunt. Quibus cognitis, Joannes bellum necessario sibi habendum esse perspiciens, extemplo Aetium in Pannoniam cum ingenti auri pondere ad opportuna accersenda Hunnorum auxilia misit, qui erant ei noti, & familiari amicitia juncti ab illo tempore, quo apud eos obses egerat, datis mandatis, ut, si Theodosii exercitus in Italiam contendisset, ipse à tergo instaret; nam se à fronte

(74) Refert Olympiodor. ap. Phot. c. 80. p. 196. perditum Honorii amorem erga Placidiam, quem & versum subdit in odium, adnitente Spadusa, atque Elpida, Placidiæ nutrice, & Leonteo ejusdem curatore, proindeque Constantinopolim ablegatam cum liberis; quod & Prosper tradit in Chr. sub h. an. Coss.

(75) De die mortis variant Scriptores; Socr. *XVIII. Kal. Sept.* Theoph. *XV. Aug.* Olymp *VI. Kal. Septemb.* His certe Coss., ex Prosp. Marcell. & Cassiodor. in Chr. & Socr. l. 7. 22., non autem superioribus, ut male Philostorg. l. 12. 13. Non autem Romæ obiit, ut Theophanes, & Auct. Miscellæ, sed Ravennæ, ut in Fast. Idacii, & in Chr. Idque suadent datæ Ravennæ Leges Cod. Theod., quas in Chron. e. C. U. per mentem Augustam; nullæ autem Romæ h. anno. Vide quæ Mabillon. Itinerar. Ital. p. 145., & 39., 40. de Honorii corpore Romæ invento circa an. 1543. A. vero N. hæc ex Paulo Diac. hausit.

(76) Annos natus triginta octo, menses undecim, & dies septem; natus quippe anno 384. die 9 Sept. ex Auct. Chr. Alex., Idac. in Fast. *Clearcho, & Richomere Coss.*, Socr. l. 5. 12.

(77) Erat hic Primicerius Notariorum, de quo L. Socr. l. 7. 22., Olympiodorus apud Phot. refert, eo inaugurato oraculum fuisse prolatum; *Cadit, non stat*: quod vulgus invertens exclamabat: *Stat, non cadit*. Ejus meminit Zos. l. 5. narrans, eumdem Legatum missum ad Alaricum quo tempore Roma obsidebatur. Tyranni Numismata V. ap. Mediobar.

fronte obviam occursurum. Aetius in Pannoniam profectus, ferocissimas Hunnorum catervas conduxit. Eodem anno obiit Bonifacius Pontifex, (78) cum Clerus Eulalium revocari, & Bonifacio substitui postulasset, Eulalius non sustinuit: ita Cœlestinus Diaconus, civis Romanus est subroga-
424 tus. Postero, quo Castinus, & Victor Consulatum gesserunt, Theodosius, ut Valentiniano sex annos nato, (79) & Placidiæ matri amitæ suæ Imperium Occidentale conciliaret, quod ad eos jure hæreditario pervenire censebat, ac simul stolidam Joannis audaciam frangeret, qui se non solum invito, sed etiam inscio insignia Augustalia contrectasset, expeditionem Italicam comparavit. Itaque Constantinopoli profectus, cum Placidia, & Valentiniano Thessalonicam accessit, ibique eorum alteram Augustam, alterum Cæsarem declaravit. Inde Ardaburi duci, & filio ejus Aspari dedit negotium, ut eos cum exercitu in Italiam reducerent, atque, Joanne Ravenna depulso, in Imperio collocarent. Ardabures cum Placidia, & Valentiniano digressus, Salonam in Dalmatiam venit, atque ibi omne militare consilium expedivit; nam ipse, conscensis cum magna copiarum parte navibus, Ravennam versus, ut Joannem ex improviso adoriretur, iter intendit: Asparem vero, Placidiam, & Valentinianum cum altera terrestri itinere Aquilejam jussit contendere. Ac felici quidem conatu primam aggredientem haud ita multo post fortuna destituit: nam prospera navigatione usus (Ardabures) ad Italiam quidem appulsus est, verum sub exscensionem sævo repente suborto vento repulsus, licet obluctans, in oram Ravennatem ejectus est, ubi à militibus Joannis accurrentibus captus ad illum continuo est deductus. Joannes tanto duce præter omnem expectationem potitus, ingentem lætitiæ fructum cepit, &, quoniam pacem optabat, eamque ipso sequestre facile se adepturum sperabat, ipsum humanissime habuit, ac liberæ custodiæ tradidit. Interim Aspar, & Placidia cum Valentiniano Aquilejam adierunt, eamque ex improviso captam muniverunt, felices Ardaburis successus, & salutaria mandata
425 opperientes. Theodosio inde undecimum, & Valentiniano Cæsare Consulibus, Ardabures alieni colloquii copiam in custodia nactus, cum omnes, qui à Joanne spoliati honoribus fuerant, tristes, ac male erga illum animatos animadverteret, in spem certam recuperandæ libertatis ingressus, per eos Asparem admoneri filium jussit, quem ipse casum subisset, & ut propius accederet, neque egregiam bene gerendæ rei occasionem omitteret, cum Joannes, quasi confecta victoria, omnia studia militaria remisisset. Aspar, acceptis à patre litteris, sine ulla cunctatione solus Aquileja cum equitatu expeditissimo movit, atque in agrum Ravennatem tacitus prodiit. Inde, pastore quodam duce, per paludem, quæ urbi adjacebat, antea quidem inviam, sed tum Dei beneficio perviam, magno silentio ad urbem processit, (80) ac, portis patentibus, ut in summa pace, inventis, nemine non solum repugnante, sed ne sentiente quidem, intravit. Tumultu inde ex necopinato armatorum introitu nato Joannes excitus, repente, captis armis, occurrit, ac leve certamen, ut in magna omnium trepidatione, commisit. Verum à suis proditus, ac comprehensus mox ad Asparem est adductus. Aspar, insigni parta victoria, statim Ardaburem patrem custodia liberavit, & Joannem ad Placidiam, & Valentinianum, quos Aquilejæ reliquerat, mari transmisit. Post tertium inde diem Aetius advenit cum paratis Hunnorum auxiliis, ac prœlium atrox cum occurrente Aspare edidit, sed mox de Joannis clade, quam ignorabat, edoctus, haud ultra sibi conandum putavit, pactisque cum Aspare initis, Hunnos promissa mercede affectos, ne cladi essent Italiæ, haud gravate remisit. Placidia, postquam Joannem captivum in conspectum adductum vidit, ira elata hominem manu dextera jussit multari, atque in circum devehi: ibi vero asino insidens cum omni contumelia circunductus, ac denique obtruncatus est, postquam per menses octodecim Imperium obtinuerat. (81) Fuit autem vir hoc exitu indignissimus, siquidem, Procopio teste, ingenio miti, ac virtute singulari fuit, neque enim aut delatoribus aures adhibuit, aut cædem ullam injustam fecit, aut denique pecuniæ causa quidquam patravit. Theodosius, postquam litteris Asparis felicem rei Ravennatis exitum audiit, statim, Circensibus ludis, quos spectabat, omissis, in Templum ad gratias Deo agendas processit, atque eò quoque universum populum invitavit. Inde, ut Valentinianum Augustum designaret, Aquilejam iter instituit, verum Thessalonicam provectus, atque ibi morbo vexatus haud longius prodiit: verum mox per Helionem Patricium insignibus ad illum Imperii missis, Constantinopolim repetivit. Interim Valentinianus edicta multa ad novum constituendum Imperium pertinentia edidit; (82) nam ad Faustum Præfectum urbis XVI. Kal. Augusti scri-

(78) Prosper, & Marcellinus in Chron. sub his Coss. obiisse Bonifacium tradunt; at præstat ex Anastasio, & Vet. RR. PP. Catal. eorumdem Pontif. initium, finemque repetere, quæ in præfatis Chron. plerumque perperam consignantur. In melioris autem notæ Codicibus Anastasii habetur: *Post annos tres, & menses octo defunctus est Bonifacius*, quibus & aliquot dies addendi videntur. Unde Cœlestinus natione Campanus mense Sept. inauguratus non quidem h. an., sed 422.

(79) A. N. annos utrimque incompletos numerat; hinc intelliguntur Olympiod, & Frigeridus apud Turon. l. 2. 8., quinquennem Valentinianum Cæsarem nuncupatum, affirmantes, & per Helionem Mag. Officior à Theodosio missum, Cæsaris veste indutum. Repete quæ superius de die, & anno nati Valentiniani observata.

(80) Narrat hæc Socr. l. 7. 23. dicens, Angelum sub Pastoris phasi ducem itineris Aspari se præbuisse.

(81) Infartum certe in Procopii textum l. 1. *bell. Vandalor.* 3., Joannem *quinque per annos* Imperium tenuisse, quæ verba apud Suidam *in Joanne* non reperiuntur, quamvis hic eadem Procopii verba de Joanne prolata exscribat; neque credibile est, Procopium hujus tyrannidis durationem ignorasse, quam *per unum & dimidium annum* exercuisse Joannem Philostorg. auctor est l. 12. 11. Is Aquilejæ rectè ab A. N. dicitur cæsus, non autem Ravennæ, ut male Idac. in Chron.

(82) Quibus Ecclesiarum, Clericorumque Privilegia firmavit, & hæreticos insectatus, non per

fcripfit, ut omnem fectam Catholicis inimicam urbe depelleret, & Baffo Comiti rerum privatarum, ut idem in aliis civitatibus faceret, VIII. Idus Augufti, præcepit. Quin etiam VIII. Idus Octobris ad eundem fic fcripfit: *Privilegia Ecclefiarum omnium, quæ feculo noftro tyrannus inviderat, prona devotione revocamus, fcilicet, ut quidquid à divis principibus conftitutum eft, vel quæ finguli quique antiftites pro caufis Ecclefiafticis impetrarant, fub pœna facrilegii jugi folidata æternitate ferventur*. Ravennam inde (83) cum matre profectus Idibus Octobris decreto Theodofii infignibus Auguftalibus eft ornatus.

# LIBER DUODECIMUS.

## VALENTINIANUS PLACIDIÆ F. AUG.

Honorium igitur tertius Valentinianus eft confequutus. Ut autem Occidentale Imperium Honorio regnante domefticis feditionum motibus, & externis armorum incurfibus, tutoribus, & ducibus regiis in excidium Reipublicæ confpirantibus, & barbaris acriore, quam ante, impetu irrumpentibus, eft tentatum; fic Valentiniano, & Placidia matre rerum potientibus, quorum in altero ætas, & prava educatio, in altera fexus, & nimia in re adminiftranda remiffio improbata eft, eifdem turbantibus, ac fævientibus barbaris, magis, magifque concuffum eft. Quod deinceps oftendere, quam diligentiffime, diftinctiffimeque poterimus, in maxima veterum huc pertinentium commentariorum inopia contendemus.

Placidia Augufta Valentiniano filio ad Auguftalem dignitatem evecto, Imperii procurationem adepta, res omnes, dum vixit, pro arbitrio adminiftravit, itaque iræ indulgens ex fuperiore bello conceptæ Ravennam urbem diripiendam militibus dedit, ob id civibus vehementer infenfa, quod eos Joanni tyranno ftuduiffe comperiebat. Caftinum autem in exilium pepulit, quod ejus præcipue opibus Joannem ad dominatum animum intendiffe putabat. Aetio vero non folum veniam dedit, fed etiam Comitis dignitatem impertiit, quod Hunnos fine tumultu extra Italiam dimififfet; neque enim erat obfcurum, quantum ille alere incendium potuiffet, fi eorum uti opera perrexiffet. Ravennæ autem fedem ita conftituit, ut plurimum momenti ad augendam urbis ejus dignitatem attulerit, quæ ab hoc tempore poft per multos annos fedes Imperii fuit. Hos vero motus ubi in Gallia Rex Gotthorum Theodoricus audivit, rebus novandis opportunos ratus, rupto fœdere bellum Romanis movit, (1) quippe ex finibus egreffus cum propinqua loca omnia populatus eft, tum in primis Archillas oppidum oppugnavit. Ex altera parte Caftinus exul rabie efferatus animum ad perturbandam domefticis armis Rempublicam contulit; itaque Theodofio 426
XII. & Valentiniano iterum Confulibus magna collecta militum manu in Africam tranfiit, ac Bonifacium Africæ Comitem, virtute eo tempore, atque auctoritate florentem prœlio laceffivit, ipfum, fi conatus procederet, inde exigere, atque Africam fibi adiungere geftiens: verum collatis fignis, fortuna cœptis adverfante, victus ab eo receffit. Hanc rem Bonifacius ipfe ad S. Auguftinum Hipponenfem Epifcopum fcripfit, cum eo doloris acerbitatem fui communicans; extant utriufque nomine hac de re fcriptæ epiftolæ. Hac re nunciata, Aetius Bonifacii gloriæ invidens, ut ipfum aulica machinatione fubverteret, apud Placidiam accufavit, quod tyrannidem in Africa moliretur, eamque ad evocandum illum ex Africa incitavit, contra vero litteras ad Bonifacium, tanquam amici fungens officio, mifit, monens, ipfum apud Auguftam fuiffe perfidiæ poftulatum, atque, ut Romam eo nomine evocetur, futurum: proinde caveret, ne accederet, fi capiti fuo confulere vellet. Igitur Placidia fallacibus Aetii verbis inducta, Bonifacium accerfivit. Ille vero in timorem falutis adductus, licet omnino innocens, fideli, ut putabat, Aetii confilio parendum fibi effe duxit, neque Africa pedem extulit. Quamobrem Placidia eo magis fidem ejus fufpectam habuit, & dignum hominem, qui bello vindicaretur, exiftimavit. Aetium vero pro fyncero, ac fideli amico habens, Comitem deftinavit adverfus Theodoricum Regem Archillas in Gallia obfidentem. Ille vero in Galliam profectus, Avito Arverno, qui cum Conftantio fuerat, fibi afcito, Theodoricum invafit, ac, prœlio facto, difcedere ab oppidi obfidione coëgit. Sidonius cum Avitum laudaret, Aetium nihil fine Avito, Avitum multa fine Aetio geffiffe adverfus Vittungos, (fic enim Vifigotthos nominat,) fcribit. Eodem tempore in eadem Gallia Patroclus Arelatenfis Epifcopus à Tribuno quodam bar-

per Africam modo, quæ Bonifacii opera in fide permanferat, verum etiam Romæ, & per Italiam, ubi contraria à Joanne erant conftituta. Vide L. 46., & L. ult. *de Epifc*, quam hic refert A. N., & L. 62. 63. 64. *de Heret*. Cod. Theod. Cum autem L. 62. cit (qua Manichæi, aliique Hæretici Romæ exterminantur afpectu) lata fit XVI. Kalend. Aug., liquet, jam menfe Julio cæfum tyrannum, Romamque Valentiniano patuiffe, cui una cum Theodofio Lex eadem infcribitur.

(83) Romæ peracta inauguratio Valentiniani, ut teftantur Philoftorg. l. 12. 11., & Olympiod. Profp. in Chron. Imp. cum Idac. in Chron. A. vero N. fecutus eft Marcell. in Chr., & Jornand *de Regn. fucceff.* 97., quibus in hoc non deferendum. Diem autem edocent Auct. Chron. Alex., Laterculus Silvii apud Bolland. in Præf. ad Vitas SS. menfis Januar. Nec alius eft Socrates l. 7. 25. fcribens: *Nunciata eft nuncupatio Augufta Valentiniani junioris die X. Kal Novemb.*, intelligendus enim de nuncupatione eadem, Romæ acta X. Kal. Novemb., cujus nuncium Conftantinopolim deinde fuit allatum.

(1) Profper in Chron. fub h. an. Coff. ait: *Arelas nobile oppidum Galliarum à Gothis multa vi oppugnatum eft, donec imminente Aëtio non impuniti abfcederent*. Idem habet Pfeudo-Profper in Chron. Imper.

barbaro multis vulneribus est confectus occulto Felicis Magistri militum, ut creditum est vulgo, mandato; nam ejus impulsu Titus etiam Diaconus, vir sanctus, Romæ pecunias pauperibus distribuens interfectus
427 est. (2) Hierio inde, & Ardabure Consulibus, (3) Placidia ejusdem Felicis consilium, auctoritatemque sequuta, bellum in Africam adversus Bonifacium intulit, Mavortio, Galbione, & Sinoce ducibus declaratis. (4) Bonifacius, cum se Carthagine contineret, neque sui copiam faceret, ibi acriter est obsessus, in ea obsidione Sinocis dolo Mavortius, & Galbio ceciderunt: inde nudatis insidiis Sinox à Bonifacio est occisus. Eo bello barbari à Romanis auxilio advocati, rei navalis usum, cujus plane rudes erant, Romanorum periculo in eorum post exitium didicerunt. Duces suos cæsos ubi Placidia comperit, confestim belli summam Comiti Sigevulti commisit, ac Bonifacium majore, quam ante, armorum mole invasit. Hæc res Bonifacium æquis se viribus cum Imperatore confligere posse diffisum coëgit, ut auxilia externa respiceret. Gunderico Vandalorum in Hispania Regi priore anno vita functo successerant filii Guntharius puer ex legitimo matrimonio natus, & Gensericus ex concubina susceptus (5); hos igitur à Gotthis, Romanisque crebris bellorum contentionibus fatigatos opportune Bonifacius cum adisset, pollicitus est, si trajicere in Africam, & pro se arma capere adversus Romanos vellent, se illis Mauritaniam permissurum. Qua conditione libenter accepta, Guntharius, & Gensericus cum Bonifacio Vandalos, & Alanos fretum Herculeum trajecerunt, ac nullo negotio Mauritaniam juris sui fecerunt, anno nonodecimo, postquam ex Scythia cesserant. (6) Salvianus eos non Romanorum timore, sed Dei voluntate Hispania decessisse significavit, cum scripsit: *Numquid Vandali abducti à solo patrio degere intra Gallias non potuerunt, aut ne degerent, quem timuerunt, cum illæsi à nobis usque ad tempus illud cuncta vastaverint? sed esto; intra Gallias formidabant, quid in Hispania, ubi exercitus nostros etiam bellando contriverant, numquid constare, aut permanere metuebant jam victores, jamque triumphantes, qui intelligerent, sibi Romanæ Reipublicæ vires etiam cum Gotthorum auxiliis pares esse non posse?* Gensericus autem, ut scribit Victor, in Africam, Gunthario interim extincto, (7) egressus, ut famam gentis suæ augeret, omnis multitudinis numerum iniit, (8) inventaque sunt utriusque sexus, atque omnis ætatis hominum octuaginta millia: cum autem pacatam, speciosamque nactus esset provinciam, omnia populatione, incendio, cædibusque permiscuit; quod vero perfidia Arriana corruptus esset, ac proinde Catholicis Consubstantiale sentientibus infestissimus, in Ecclesias, Basilicas, cœmeteria, & Monasteria sævire avaritia pariter, ac crudelitate inflammatus incœpit. Etenim privatorum ædes, quorum januas clausas offendit, magno impetu deturbavit: Episcopos suppliciis exquisitis ad tradendum Ecclesiarum aurum adegit, & quo plus dabant, eo acerbioribus tormentis, ut plus dare cogerentur, affecit, aliis palorum vectibus ora aperientes, fœtidum cœnum ob confessionem pecuniæ ingesserunt, nonnullos in frontibus, & tibiis nervis remugientibus torquendo cruciarunt, plerisque aquam marinam, aliis acetum, liquamenque ori apposita

(2) Sum. Pont. Zosimus eidem Massiliensis Ecclesiæ administrationem demandarat, exauctorato Proculo ejusdem Urbis Episcopo, datis litteris ad Clerum, Populumque Massiliensem, an. 418. A. N. hæc desumpsit a Prosperi Chronico, qui unam, eamdemque honestam mortis conditionem Patrocli, & Tito videtur reputare. At Titus *vir sanctus*, ex Martyr. R. 15. Augusti; quinam vero Patroclus fuerit facile noscitur ex iis, quæ Heroti Arelat. Episc. evenere, cujus Sedem (quibus artibus nescio) obtinuit Patroclus. At Felix patrati facinoris meritas luit pœnas, ab Aetio paucos post annos occisus, eodem Prospero teste.

(3) Qui & h. an. Præfectus P. fuit, ut ostendunt plures Leges Cod. Theod., & testatus Auct. Chron. Alex. dicens, ab eodem h. an. instauratas Thermas *Constantinianas*, primo dictas, deinde *Theodosianas*, quia sub Theodosio Jun. perfectæ, & h. an. consecratæ. De quibus V. Ducang. *in Constant. Christ.* l. 1 § 27. n. 5.

(4) Hujus belli seriem non ex brevioribus epistolis Augustini, & Bonifacii, (quas ut spurias rejiciunt docti viri) sed ex Procopio l. 1. 3. *de Bell. Vandalor.* discere licet, qui tamen in eo falsus, quod Godigisclum (de quo superiùs) in Hispania mortuū dicat, cum ante Vandalorum in Hispaniam ingressum obierit, a Francis, commisso prœlio, interfectus, ut Feigeridus ap. Greg. Tur. l. 2. 9.

(5) Illum ætate, & ingenio socordem appellat Procop. l. 1. Hist. Vand. 3., hunc vero ad bella plurimum exercitum, & solertia eximium describit, qui Vandalos in Africam duxit, non autem Guntharius, sive Gundericus, ut censuit Baron. ad an. Chr. 428., & 431.

(6) Cœpit quippe an. 406. Vandalorum irruptio, ex Prosp. in Chr., Arcadio nempe VI., & Probo Coss., de qua Procop. l. 1. bell. Vandal. 3, è cujus Historia repete quæ Bonifacius gesserit, adscitis in societatem Barbaris.

(7) Ibidem Procopius inquit, non defuisse, qui dicerent, Guntharium dolo fratris interemptum, subdens: *Aliter Vandali, qui eum in Hispania captum à Germanis, & in crucem sublatum memorant, compotemque totius rei Gisericum ducem fuisse.* Isidorus vero rem aliter narrat in Hist. Vandal, addens Gensericum ex Catholico Apostatam evasisse. L. Vict. de persecut. Vandal. l. 1., quem hic sequitur A. N. V. Aug. serm. de tempor. barbar., ubi illatas Africæ clades à Vandalis clariùs nosces.

(8) Plerique ad præsentem an. Vandalorum in Africam referunt irruptionem: alii ex Prospero in Chron. ad sequ. At Pagius, ad an. Chr. 428., ostendit ex Idacio, spectare ad an. 429, Idacius enim an. Abrahami 2445., qui à Kal. Octob. hujus anni incipit, hæc habet: *Gensericus Rex de Bætica Provinciæ littore cum Vandalis omnibus, eorumque familiis, mense Majo ad Mauritaniam, & Africam relictis transiit Hispaniis.* Nec Idacio in rebus Hispanicis Prosper, aut Chron. Alex. Auctor præferendi. De hac irruptione loquitur Jornand. de Reb. Get. 23, sed non indicat tempus. Idacio suffragatur & Isidorus ipse Hispanus, qui id consignat Æra 467., quæ sane concurrit cum Kalend. Jan. anni 429. Non itaque mirum, si quæ latæ Leges an. 429. à Valentiniano ante mensem Majum, nullum exhibeant tantæ calamitatis vestigium, quamvis ad Africam omnes illæ pertineant; ex quibus liquet Vandalicam Persecutionem non hoc an. cœpisse, sed 437., ex Prosp. in Chron., & ex epist. Antonini Episc. Constantinæ civitatis ad Arcadium quemdam à Genserico in exilium actum. Vide Baron. ad præd. an. fusè hæc tractantem.

A posita sine misericordia porrexerunt, onera ingentia tanquam camelis imposuerunt, & stimulis ferreis ad ambulandum adegerunt, quorum nonnulli sub fascibus misere expiravere: senio confectis, ac propter caniciem venerandis nulla misericordia impertita, pueri ab uberibus rapti ad terram elisi, aut medii secti, tecta incensa, aut solo æquata; quas vero urbes propter munitionum firmitatem adire non potuerunt, novo mali genere affixerunt, quippe, interfectis in circuitu innumerabilibus turbis, tetro putrefactorum cadaverum fœtore necarunt eos, qui intus erant. In Gallia Aetius cum Theodorico (9) Rege bellare perrexit, nam & Turones per Majoranum Præfectum defendit, ut Sidonius in Panegyrico scripsit, &, B commisso cum Theoderico prœlio, fortiter adeo, feliciterque pugnavit, ut eum pacem postulare coëgerit, atque ita secundo bello
428 Gotthico finem imposuit. Felice inde, & Tauro Consulibus, (10) Bonifacius assumptis ex Mauritania Vandalis Sigevulti summa vi in se ruenti occurrit, atque omni mole, ne Africa ejiceretur, contendit. Cum autem Bonifacii perniciosa Reipublicæ virtus assiduis hominum maledictis laceraretur, Bonifacii amici ipsum in Placidiæ gratiam restituere sunt annisi. Quippe mirantes, hominem alioqui officii, pietatisque plenissimum de fide tam temere decessisse, C voluntate Placidiæ Carthaginem adierunt, ac de re cum eo colloquuti sunt. Ille se excusare, & justi doloris sui testes ipsas Aetii litteras proferre. Quas ubi legerunt, rationem se reconciliandæ invenisse gratiæ rati, confestim cum illis Romam ad Placidiam redierunt, ac Bonifacium non sua, sed Aetii culpa lapsum esse docuerunt. Illa animo perturbata, dolore tamen suppresso, nihil cum Aetio expostulavit, ne summum ducem exercitum habentem, & rem præclare gerentem alieno tempore irritaret; verum cum Bonifacii amicis omnia contulit, atque Aetii fraudem detestata, juravit, se æquam Bonifacio futuram, si ille pro re D Romana stare in animum induxisset, & barbaros, quos acciverat, ex Africa dimisisset. Bonifacius ab amicis de fraude Aetii, & animo Placidiæ erga se certior factus, summa voluntate se facturum, quod illa postulabat, promisit, atque ita ab armis Reipublicæ inferendis discessit, animumque ad Vandalos ex Africa dimittendos convertit. Quietis in Gallia Gotthis, Franci novam irruptionem fecerunt. Clodio (11) namque Rex, qui trans Rhenum in Thuringia castrum Dispargum (12) tenebat, præmissis exploratoribus cum omnia tuta reperisset, in Belgicam secundam invasit, ac Camaracum urbem adortus, Romanis, qui urbem custodiebant, oppressis, urbe potitus est: inde, exigua ibi mora tracta, usque ad Suminam amnem omnia, in primisque oppidum Attrebatum occupavit, ut Gregorius scripsit. Clodionem vero una cum Majoriano occurrens Aetius repulit, quod ex Panegyrico post ipsi Majoriano Augusto à Sidonio dicto elicitur, in quo uxor Aetii ipsum his versibus Aetium alloquitur, (neque enim in tantis angustiis versus quoque ad reparandam vetustatem repudiandi sunt:)

*post tempore parvo*
*Pugnastis pariter Francis, qua Clojo patentes*
*Attrebatum terras pervaserat, hinc coëuntes*
*Claudebant angusta vias, arcuque subactum*
*Vicum Helenam, flumenq; simul sub tramite longo*
*Artus suppositis trabibus transmiserat agger.*
*Illic te posito pugnabat ponte sub ipso*
*Majoranus eques.*

Ex hoc factum est, ut Prosper, & Marcellinus notarint, Aetium his Consulibus, cæsis Francis, partem Galliæ Rheno proximam, quam illi occupaverant, recepisse. Eodem anno, ut scribit Socrates, Burgundiones, qui in Germania remanserant, quotidianis impressionibus ab Hunnis exagitati, post agros suos incensos, hominesque fœde occisos, ceteris desperatis auxiliis, ad Christum Deum opem implorantes confugerunt; atque Episcopo ex Gallia repetito, se sacro tingi lavacro postularunt. (13) Is, cum septem dies jejunii præscripsisset, atque in fide illos erudivisset, octavo demum eos abluit, & cum pace dimisit. Quo facto, ingenti inde fiducia in Hunnos reversi, cum Optarum Regem eorum cibo nimio sumpto se dirupisse, atque Hunnos sine duce esse comperissent, facto impetu tanta felicitate pugnarunt, ut Hunnorum decem millia à tri-

(9) Theodoricus, qui *pellitus* (quod Gothi pellibus vestirentur) dictus h. an adactus fœdus inire cum Romanis, Theodoro illustri juvene Arvernorum dato obside, Aviti deinde Augusti propinquo. De quo fœdere L. Sidon. in panegyr. Aviti v. 215., & seqq. Unde quæ Hierio, & Ardaburio Coss gesta narrat Jornandes, de Reb. Get. 33, non de *Vallia*, ut ipse vult, sed de Theodorico accipienda, qui Valliæ successit. Ceterum pax h. an. inita ad annum usque 436. firma permansit. Res præclarè gestas ab Aëtio notant Cassiod., ac Idac. in Chron.

(10) Ad hunc Taurum Patricium extant epistola à Theodoreto scripta 88., & epist. 194., ac 540. Isidori Pelusiotes. Felix autem Gallus natione fuit, cujus posteri Consules processere, in quibus Felix an. 511., teste Cassiod. l. 2. epist. 1. ad Anastas. Imp, & epist. 2, ubi sic Felicem alloquitur: *Redit per te Transalpinæ familiæ Consulatus*.

(11) Qui circa hæc tempora Regnum Francorum iniit Pseudo-Prosper in Chr. Imp ad an. V. Theodosii, post Honor. imperantis habet: *Clodius regnat in Francia*. At in eo tempora vitiata. Sigebertus in Chr. consignat initia Clodionis an 430. Verosimilius autem paulo ante regnare cœpisse. Is duorum filiorum Pater, in quibus erat Meroveus, Clodionis successor, ut ex Prisco in excerpt. de Legation. non obscurè colligitur. De rebus ab eo gestis L. Gregor. Tur. l. 2. 9., ex quo hæc A. N.

(12) Gregor. Tur. cit. de Clodione (quem Chlogionem dicit) ait: Qui apud Dispargum Castrum habitabat, quod est in termino *Thoringorum*. At editio Ascensiana, an. 1512. facta Parisiis, exhibet, *Tungrorum*. Neque rerum Francicarum Scriptores Dispargi situm certum assignant. Sunt, qui *Duisbourg* in Ducatu Cliviensi, Dispargum (quam urbem Disporum quoque dixerunt) esse volunt.

E

(13) Hæc Socr. l. 7. 30., Niceph. l. 14. 40. ubi & relatam à Burgundionibus adversus Hunnos victoriam refert, quæ tamen commentitia videtur; nonne enim Hunni rem adeo prospere gesserunt adversus Burgundiones, ut Gundicarium Burgundionum Regem *cum populo suo, atque stirpe* deleverint? L. Prosp. in Chr. hoc eod. sæculo viventem; & Cassiodor. in Chr. Præterea Burgundiones, teste Orosio l. 7. 19. (is Historiam suam an. 417. absolvit) *Christianos omnes* factos narrat. Falsus igitur & in hoc Socrates, eorumdem conversionem an. 430. consignans.

tribus sint Burgundionum millibus occi-
dione occisa. Ab illo tempore Burgundio-
nes Christum ardenti studio coluerunt. Opta-
ro Hunnorum Rege vita functo, regnum
ad filios Mundzucci fratris Attilam Bledam-
que delatum est, (14) quorum alter Attila
post potentia, atque immanitate sua supe-
riorum omnem memoriam temporum supe-
ravit, ac toti Occidenti formidabilis supra
omnes barbaros fuit. Quiescebat à pristinis
seditionum procellis Ecclesia, veteribus hæ-
resibus, qua Conciliorum, qua Principum
intercedente auctoritate magna ex parte so-
pitis, cum repente nova alia, & quidem
turpissima oborta Orientales Ecclesias pertur
bavit: ea vero à Nestorio adversus Christum
inducta eo, quo referemus, modo sublata est.
Constantinopoli Attico Episcopo quadriennio
ante, nunc vero, qui in ejus locum successe-
rat, Sisinio vita functo, (15) Nestorius Pre
sbyter Germanicia oriundus, (16) Antiochia
Monachus accersitur, homo voce canora,
& lingua diserta ad docendum populum in
primis accommodatus. Is IV. Idus Aprilis
Episcopus consecratus, cum orationem apud
Theodosium Augustum haberet, clarum
elatioris ingenii sui specimen dedit, cum
inter cetera dixit: *Mihi Imperator terram
purgatam hæreticis tribue, & ego tibi cœlum
retribuam: tu mihi in profligandis hæreticis
subveni, & ego tibi in profligandis Persis au-
xilium feram*. Quas voces, ut à levi animo,
& ventoso pectore profectas, boni omnes
merito horruerunt. Quinto inde post die
ædem Arrianorum, in qua illi furtim ora
bant, deturbari jussit, atque eo facto Arria
nos eò furoris, ac væcordiæ adduxit, ut
eam ipsi ultro subjectis facibus inflamma-
rent, quo incendio cum vicina ædificia es-
sent comprehensa, magnus in urbe tumul
tus est concitatus. Inde Novatianos aggres
sus, quod Paulus eorum Episcopus magnam
modo pietatis laudem esset adeptus, vix ab
Imperatore retentus est. Itaque, ut ipse
ejus voluntati serviret, edictum ad Floren
tium præfectum prætorio III. Kal. Junias
dedit, (17) in hæc verba: *Hæreticorum sta
est reprimenda insania, ut quas ab Orthodoxis*
A *tenent ubicunque Ecclesias, statim Catholicæ
Ecclesiæ reddendas intelligant, quia ferri non
potest, ut qui nec proprias habere debuerant,
ab Orthodoxis possessas, aut conditas, suaque
temeritate occupatas ultra detineant*; inde no-
minatim, quid adversus singulos hæreticos
statuendum sit, aperit. Post aliquot inde
dies, qui se veterum hæreticorum acerbum
adeo vindicem gesserat, idem novam hære-
sim, eamque, ut dixi, indignissimam intu-
lit: & quidem hoc modo; Anastasius Pres-
byter, qui cum ipso Antiochia venerat, &
summa cum eo familiaritate conjunctus erat,
jussu ejus quodam die agens ad populum
dixit: Nemo Mariam Matrem Dei appellet,
B quia Maria homo erat, neque Deus nasci
ex homine potest. Quæ verba cum clerus,
populusque iniquis auribus excepissent, ut
qui longe aliter à prioribus Episcopis didi-
cissent, valde animo conturbati sunt. Nesto-
rius autem, re cognita, non solum homi-
nem non increpuit, ut quidem oportuit,
nec sanam de Christo Deo doctrinam subje-
cit, sed illius quoque sententiam, ut piam,
sacris tueri auctoritatibus institit, ac sæpe
inde verbis hac de re ad populum factis,
semper Mariam Christi, non Dei genitri-
cem vocavit, (18) atque ita vocandam esse
contendit, nam Christum ex Maria homi-
nem tantum, non Deum esse natum, ipsum-
C que divinitatem meritis esse adeptum; Dei
verbum non sumpsisse carnem ex sanguine
Matris, sed alium esse Filium, & verbum
Dei, alium Christum, qui filius esset adop-
tivus. & Dei gratia factus. Florentio in- 429
de, & Dionysio consulibus (19) Placidia
Felicem Patricium, & Aetium Magistrum
militum fecit. Bonifacius autem recupera-
re Valentiniano Mauritaniam cupiens, Gen-
sericum primum, ingentis vi pecuniæ obla-
ta, emittere provincia voluit, deinde pe-
cuniam non accipientem bello se persequutu-
rum ostendit, atque acceptis copiis, quæ
sibi Roma, & Constantinopoli mitt bantur,
quarum Aspar erat magister, adversus eum
D processit. Hunc Gensericum, ut qui per
hæc tempora fuerit clarissimus, Jornandes
descripsit, virum statura mediocrem, equi
casu

(14) Hi successere Octari, & Roæ, sive Roilæ, ex Jornand. de Reb.Get.35. Atqui Pseudo-Prosp. in Chron. Imper. ad an. XI. Theod. post Honor. regnantis, ad an. sc. 434, eidem mortuo Bledam successisse cum fratre Attila prodit.

(15) Sisinnium sub præced an. Coss. vita functum, auctor est Socr. l. 7. 28., die *IX. Kal. Januar.* cui Nestorius an. 428. successit: & duo illi Sedis anni, in Chron. Niceph., & Tabulis Theophanis attributi Sisinnio, incompleti existimandi.

(16) Theodori Mopsuesteni Episcopi discipulus, Germanicia oriundus oppidulo Syriæ, ex Evagrio, vitam Monasticam professus in
E Laura S. Euprepii prope Antiochiam, unde, Anastasio Presbytero comite, consiliorumque suorum conscio, C. P. accersitus, Episcopus ordinatus fuit IV. Id. April. ex Socr. l. 7. 29., qui tamen potius electionis diem, quam Ordinationis expressit, quæ verius peracta Kal. April., ut Liberatus in Breviar. 4., in quem diem Dominica incidit h. an.

(17) Est L. 65. *de Hæret.* Cod. Theod., qua insectatur Theodosius ejus temporis hæreticos, eos plectens, tribus tamen gradibus constitutis; Arianos quippe Macedonianos, & Apollinaristas, intra civitates Ecclesias habere vetuit; Novatianos, & Sabbarianos, ne quid præter consuetum usurparent; Eunomianis vero, & Manichæis in Romano solo conveniendi, orandique penitus facultatem abstulit: immo & postremos Manichæos, procul à civitatibus abigi præcepit.

(18) Quam χριστοτόκον, ac ἀνθρωποτόκον, non θεοτόκον dicendam asserebat, ut ex sermonib. Nestorii, epistolis, & Anathematismis, quos S. Cyrilli Capitibus opposuit. Blasphemiæ hujus præcones Dorotheum Episcopum, Anastasiumque Presbyt. habuit. Illam adeo horruere Monachi, Senatus, Populique C. P. pleraque pars, ut à Synaxibus abstinuerint, teste Cyrillo epist. ad Cœlestin. I. Tom. I. Conc. Ephes. c. 14. Obstitit nefariis conatibus primo Eusebius causarum Patronus, Contestatione in Nestorium palam proposita, eumdem postulans, quod impia Pauli Samosateni dogmata jamdiu perculsa è tenebris erueret. Extat 1. p. Conc. Eph. c. 13.

(19) Florentius an. præced. Præf. P. fuit sub Theodosio, ex Legib. Cod. Theod., & ex Actis Conc. Chalc., ubi *Expræfectus, & Exconsul Patricius Florentius* dicitur. Dionysius vero, qui c. 176. Synodicl adversus Tragœdiam Irenæi appellatur *Præses utriusque militiæ, & Exconsul*, ex Scythia fuit oriundus, ac Legatus missus ad Rovam Hunnorum Regem, Attilæ decessorem, cum jam Consulatum gessisset, ex Prisco in Exc. Legat. p. 47.

casu claudicantem, animo profundum, sermone rarum, luxuriæ contemptorem, ira turbidum, habendi cupidum, ad solicitandas gentes providentissimum, semina contentionum jacere, odia concitare paratum. Cum hoc igitur tam strenuo duce Bonifacius, & Aspar prælium in Mauritania commiserunt, (20) sed acie victi, intra fines suos se referre coacti sunt, captivi multi ex Romanis facti; inter ceteros Marcianus is, qui post Theodosium Orientali Imperio præfuit, eum, Aspare duce, in Africam processisset; accidit autem, ut, prælio confecto, Gensericus captivos in unum locum compulerit, quo prædam ex specula prospicere posset: ceteris autem jussu ejus solutis, Marcianum animadvertit somnum aperto cælo capientem, atque aquilam aliunde advolantem expansis alis ipsum ab Solis ardore tegentem. Quod ut vidit, mirabundus continuo, quod futurum erat, conjecit, & accitum ad se hominem libertate donavit sacramento fidei obligatum, ut ad Imperium evectus, sibi, ac Vandalis esset amicus. Hac victoria parta, Gensericus è Mauritania in Numidiam, reliquamque Africam sese cum exercitu intulit, atque, Bonifacio resistere nequeunte, eam vastare instituit; siquidem oppida ipsa excidit, agrestes alios cæde stravit, alios fuga dispersit, qui vero in sylvas, aut speluncas, aut ad alias munitiones profugerant, partim ferro necavit, partim necessariis præsidiis, ut fame contabescerent, spoliavit. Ecclesiæ porro aut crematæ, aut Sacerdotibus, & ministris exhaustæ, sacræ Virgines, & continentes viri aut dissipati, aut tormentis cruciati, aut nece, aut servitute affecti, usque adeo ut non essent, qui hymnos, laudesque Dei in Ecclesiis solitas canerent: demum res divina ita extincta est, ut frustra quærerentur, qui sacramenta aut poscerent, aut traderent, superstitibus Sacerdotibus ad eam inopiam rerum necessariarum adductis, ut cibum quotidianum corrogarent. Quæ mala cum S. Augustinus videret, vehementer animo cruciatus est, quod quæ necessaria erant, omnia suppeditare non poterat, ac simul multarum animarum perniciem lamentatus est. Itaque scribendi munus, in quo assidue desudabat, intermisit. Id quod Victor bis verbis prodidit: *Genserico Hipponem obsidente, Augustini flumen illud eloquentiæ, quod ubertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est*. Cum autem tres essent Ecclesiæ, ac civitates adhuc ab hostili furore intactæ; Carthaginiensis, Hipponensis, & Cirthensis, quod ad mare locatæ operosiorem expugnationem haberent, ecce de repente Gensericus Augusto mense exercitum ad oppidum Hipponis adduxit, atque arcta obsidione admota, statim usum maritimi auxilii dempsit; atque, Bonifacio acriter urbem tuente, eam obsidionem in multos menses extraxit. Cum autem Augustinus, adhibitis familiaribus suis, interim Deum assidue oraret, ut aut urbem periculis obsidionis eximeret, aut servis suis ad suam perferendam voluntatem animos adderet, aut certe ipsum ad semet de hoc seculo evocaret; factum est, ut tertio illius obsidionis mense gravi febre tentatus sit, ex qua eum diutius in lecto decumbere cogeretur, aliquot immundis spiritibus, & morbis aliis affectos, cum ad se opem imploratum venissent, sanavit: consultus est etiam ab Honorato Thabennensi Episcopo, num Episcopi tantis se subducere calamitatibus deberent (21) cum scriberet: *Si in Ecclesiis persistendum est, quid simus nobis, vel populo profuturi, non video, nisi ut ante oculos nostros viri cadant, fæminæ constuprentur, incendantur Ecclesiæ, nos sub tormentis deficiamus, cum de nobis quæritur, quod non habemus*; cui ita ille respondit, ut rationem fugæ universam in tantis malis, patefacta doctrina Evangelica, demonstrarit. In Oriente vero Nestorio hæresim tueri suam non desinente, ac commentarios suæ opinionis in vulgus edente, Cyrillus Alexandriæ Episcopus, vir eruditionis, atque innocentiæ singularis, magno dolore, perinde ac debuit, tulit, Christi divinitatem Concilio Nicæno defensam novis opinionibus in controversiam revocari, atque ipsi, synodo habita, communione interdicere voluit; deinde hominem sublevandum potius, quam affligendum existimans, litteras ad eum misit; hortans, ut errorem illum abjiceret, & saniora consilia sequeretur, neque quidquam profecit. Interim vero Dorotheus Episcopus, cum forte Constantinopoli versaretur, in synaxi Ecclesiæ, præsente Nestorio, clara voce ex solio dixit: Si quis Mariam Deiparam appellarit, anathema sit. Quem populus ingenti clamore excepit, significans, se verba ejus horrere, neque cum eo, qui hujus sententiæ esset, inire communionem velle. Itaque maxima pars Populi, Monachi, & eorum Archimandritæ, & plerique Senatorum ab illius congressu se removerunt. Cum autem, Nestorianis concionibus in Ægyptum perlatis, (22) res turbari, atque homines fidei caussa inter se tumultus ciere, Cyrillus comperisset, metuens, ne ea labes contempta latius serperet, epistolam ad omnia Ægypti Monasteria scripsit, nutantesque in fide confirmare contendit, quæ mox Constantinopolim delata, multis saluti fuit; ex quo Nestorius multo magis Cyrillo succensuit.

Qua

(20) L. Procop. Histor. Vandal. l. 1. 3., qui prius obsessam Hipponensem urbem, solutamque obsidionem narrat, quam prœlium a Bonifacio, & Aspare Inclienet commissum, post quæ subdit: *Et Aspar quidem ad sua redit: Bonifacius vero ad Placidiam profectus purgavit se*, & cet. Rectius videtur, victoriam hanc à Vandalis relatam an. 431. adversus eosdem.

(21) Honoratus consultus à Quodvultdeo Episc., an, Vandalis adventantibus, Episcopis, vel Clericis fas esset ab Ecclesiis necne recedere, ad August. scripsit, cujus ad Honorat. epistola 228, alias 180. data est an. 430. paulo ante mortem Augustini; Possidius namque in ejus Vita 30, narrata Hipponensis urbis obsidione, prodit, S. Doctorem litteras accepisse ab Honorato, quas Possidius recitat, subnectens Augustini mortem.

(22) Per fidos homines miserat Nestorius primum suum tractatum de Incarnatione, cum aliis Homiliis in Provincias, ut latius effunderet virus, cui malo prospexit Cyrillus, Monachis Ægyptiis scribens, ut se se Nestorio opponerent. Narrat Cyrill. ipse Cælestino Papæ par. 1. Conc. Eph. c. 14. ubi epistolæ suæ exemplaria Constantinopolim quoque pervenisse refert, qua de re adeo deinde in Cyrillum Nestorius excanduit.

Digitized by Google

Qua re cognita, Cyrillus iterum ad eum scripsit, præter cetera inquiens, se Cœlestino Pontifice Rom. jubente, ceterisque Episcopis, qui ei in Concilio affuissent, postulantibus cogi investigare, num commentarii illi, qui ad se perlati essent, ab illo, an ab alio quopiam emanassent, cui Nestorius à Presbytero Lampone rogatus non sine aliqua animi acerbitate respondit. (23) Cum autem Orientales Episcopi, & præcipue Macedonici in Nestorii sententiam irent, ac Nestorius ea re inflatus Expositiones opinionis suæ ad Cœlestinum, eadem confirmans, misisset, tum Cyrillus quattuor Episcopos Alexandriam advocavit, atque ex eorum auctoritate de his rebus omnibus Cœlestinum admonuit, (24) &, quid sibi opus facto esset, consuluit; neque enim se Nestorium ferre posse, nec tamen illius injussu communione illi interdicere voluisse, quamobrem rogare eum, ut suam super hac re sententiam ad Orientales, & Macedonicos Episcopos scribat, simulque epistolas Nestorii ad se missas, & Expositiones ejus adjunxit, atque omnia per Posidonium Diaconum Romam perferenda, &, si Nestorium sua Pontifici tradidisse comperisset, offerenda curavit. Dum autem Oriens Nestoriana labe inficitur, infectusque in dies vehementius perturbatur, Agricola Severiani filius (25) Britanniam in alio prope terrarum orbe sitam Pelagiana hæresi maculavit. Britanni vero, cum neque perversam doctrinam, qua gratia Christi pervertebatur, suscipere vellent, neque fallacias contrariæ opinionis refutare verbis valerent, auxilium à Gallicanis Episcopis postularunt. Illi convocati ex Cœlestini Pontificis auctoritate, Germanum Antisiodorensem, & Lupum Tricassinum Episcopos sanctitate, atque eruditione præstantes ad id muneris delegerunt. Qui, teste Beda, jussis eorum obedientes continuo iter ingressi sunt, atque ad portum profecti trajiciendi caussa oram solverunt. Dum autem cursum prospere tenent, ecce de repente summam cœli, marisque tranquillitatem sæva adeo ventorum, undarumque tempestas involvit, ut parum abesset, quin navis obrueretur. Tum S. Germanus à ceteris metu trepidantibus excitatus, Christi nomen implorat, atque, aspergine aquæ accepto, in nomine S. Trinitatis ventos, fluctusque perfurentes compescit: quo facto, secundo rursus aspirante vento, reliquum navigationis confectum est. Sacerdotes benigno incolarum occursu excepti, statim populum illum opinione, prædicatione, ac virtutibus impleverunt, cum immundos spiritus ex obsessis corporibus pellerent, ipsos audierunt, aperte concitatam à se tempestatem, & illa conflata pericula confitentes. Cum autem plerique civium rectæ assensi doctrinæ fuissent, tandem qui in pertinacia manserant, bene culti, ac comitati processere in medium, &, cum ad insignis colloquii spectaculum omnis ætatis, sexus, gradusque homines confluxissent, à Sacerdotibus copiam disputandi obtinuerunt: demum autem, cum nuda, & inania verba loquuti, ac certis subinde divinæ scripturæ testimoniis convicti respondere non possent, se errasse confessi sunt. Ita Concilium ingenti populi clamore dimissum. Interim Germanus, admirandis multis operibus editis, sese populo Britanno venerabilem reddit; cum enim puella luminibus capta ipsi esset oblata, Pelagianis ejusmodi curationem à se molientibus, Germanus, invocata Trinitate, capsulam Sanctorum reliquiis refertam oculis puellæ admovit, ac statim, tenebris cæcitatis expulsis, illuminavit. Progressus inde ad S. Albani sepulchrum, illo aperiri jusso, Reliquias Sanctorum Apostolorum, & Martyrum secum allatas ibi reposuit, ac cruentum Albani Martyris pulverem inde abstulit, quo facto, ingens ad Deum conversa est multitudo, cum porro in hospitio, in quo ipse ægrotans jacebat, grave casu excitatum esset incendium, illud vehementius homines movit, quod quæ acris hominum sedulitas custodiverat, omnia vis ignis exhausit, quæ vero vir sanctus tetigit, ipsa omnino flamma non læsit. Eo primum tempore Britannia à Romanis, ut dixi, dimissa, à veteribus agitari hostibus est incœpta. Hi fuere Picti, (26) qui assumptis secum ex Hybernia Scotis, cum Britanniam Romano præsidio, & propria juventute spoliatam audirent, junctis viribus partem aquilonarem insulæ invaserunt. Quorum adventu oppressi Britanni reliquis abscissis auxiliis, legatos ad Aetium in Galliam opem implorantes miserunt, atque ab eo vetus legionis auxilium impetrarunt. Ceterum cum in castra compulsi vires suas hostibus impares judicarent, Sanctorum, qui tum in insula erant, præsidium invocarunt, qui advenientes tantum alacritatis omnibus injecerunt, ut maximi accessisse vires exercitus crederent. Hostes autem, cum per dies Quadragesimæ exercitum salutari lavacro à Sacerdotibus accipiendo intentum audissent, locum sibi eos aggrediendi tanquam inermes datum rati, post Pascha in aciem processerunt. Dux erat Britannis Germanus: is quosdam in insidiis collocatos monuit, ut vocem suam attenderent, atque editam ingenti clamore repeterent: ubi vero hostes adven-

(23) Epistolam hanc frigidam, atque jejunam Nestorii V. par. 1. Cone Eph. c. 7., quam misit per Lamponem Presbyterum, & Monachum, in ea conquestus, quod Cyrillus intemperantius ad se prior scripsisset.

(24) Molitus erat Nestorius data semel, & iterum ad Pontif. Sum. ep., ejusdem animum præoccupare; sed hos conatus elusit Cyrillus epistola sua ad Pontif. 1. c. c. 14., in qua causæ Fidei in Ecclesia Orientali emergentes, *veteri consuetudine* suadente R. Sedi referendæ dicuntur; & inexpectata Apostolicæ Sedis sententia se à Nestorii communione noluisse recedere Cyrillus profitetur.

(25) De quo Prosper in Chr. sub h. an. Coss., qui accurate Legationem Britannicam S. Germani Antisiodor. Ep., & Lupi Trecensis suo loco notavit. De Synodo h. anno habita loquitur Beda l. 1. 17. Horum Antistitum egregiam operam fuse narrat Constantius Presbyter in V. ejusd. S. Germani ap. Sur, die 30. Julii. Nec audiendus Sirmondus in Notis posthumis, quæ exhibentur in Append. ad To. 3. Concil. edit. Labb. putans, Synodum Gallicanam, & ab ea statutam legationem Britann. spectare ad an. 446.

(26) Ante annum D. 364. Saxones (qui certe Scoti, Hibernique erant, ex Claud. IV. Consul. Hon.) cum Pictis Septentrionalem partem M. Britanniæ incolebant, teste Amm. l. 26. 4., Coss. Joviano, & Varroniano, antequam Anglo-Saxones in eamdem Insulam appellerent.

Digitized by Google

adventare ab exploratoribus didicit, clara voce ter Alleluja inclamavit, (27) quam cum occulta cohors excepisset, tantum hostibus terroris incussit, ut abjectis armis in fugam se tradiderint. Hostibus profectis simul Romana legio, ac Sancti Antistites domos suas repetiverunt. Britanni muro ex cespite facto se adversus incursum hostium munivere: is murus in media insula duos inter se diversos maris sinus commisit.

430 Theodosio inde XIII. & Valentiniano III. Consulibus, qui fuit annus à Cristo nato supra tricesimum quadringentesimus, Picti, & Scoti, ubi legionem Romanam Britannia excessisse, insulamque à solis teneri Britannis cognovere, iterum ad eandem infesti se contulere, ac cæde, & populatione omnia miscuere. Qua re audita Aetius iterum summis Britannorum precibus ad tuendam insulam excitatus, legionem remisit, quæ prœlio facto hostes iterum expulit: monitosque, ut posthac suis se viribus tuerentur, quod difficultate tam longinquæ expeditionis eis adesse non posset, reliquit. Tum à Britannis murus firmior, quippe ex lapide eo, quo diximus, loco constructus est. Et hoc anno Gensericus in Africa Hipponis obsidionem magna animi pertinacia, atque armorum mole continuavit, cujus obsidionis mense tertiodecimo Augustinus sive morbi pertinacia, sive doloris acerbitate victus tandem V. Kal. Septembris migravit ad cœlos (28) libris Juliani hæretici Pelagiani respondens, & gloriose, ut inquit Prosper, in defensione Christianæ gratiæ perseverans. Eo mortuo sequenti mense Hippon in ditionem Vandalorum adducta ultima malorum omnium, quæ hostilis inferre rabies posset, est passa. Romæ Cœlestinus, Cyrilli, ac Nestorii litteris acceptis, actisque perspectis, Concilium Episcoporum e vestigio advocavit, atque ex eorum sententia IV. Idus Augusti ad Nestorium scripsit, (29) ut intra decem dies ad sanitatem rediret, alioqui se illi communione sciret interdicturum: postridie vero ad Cyrillum, ut partes suas susciperet, & Nestorium, nisi intra dies decem resipuisset, communione repelleret, inquiens: *Nostræ sedis auctoritate ascita, nostraque vice, & loco cum potestate usus acriter ejusmodi sententiam exequeris, ut nisi Nestorius decem dierum intervallo ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis detestetur, ilico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat*. Item ad clerum, & populum Constantinopolitanum: *Quia in re tam ardua nostra præsentia propemodum necessaria videbatur, neque tamen propter interjectum mare, longique itineris intervalla commode id satis fieri queat, fratri nostro Cyrillo nostrum munus, nostramque personam imposuimus, & sententiæ in ipsum latæ formulam ad vos misimus*. Scripsit etiam ad Joannem Episcopum Antiochenum, atque alios in eandem sententiam. His litteris acceptis, Cyrillus tertiam, ut ipse inquit, epistolam ex Synodi Alexandrinæ sententia ad Nestorium misit, mandans, nomine Cœlestini, ut intra decem dies abjuraret, sin minus, se communione spoliatum, sciret: præscripsit autem quæ illi confitenda, & quæ abjuranda essent: fuere autem duodecim capita Anathematismi vocata: (30) quin etiam Clerum Constantinopolis monuit, ut nisi Nestorius saniora sensisset, ab ejus se congressione secerneret, & eis uteretur, quos ille Anathemati subjecisset, ac loco movisset. Quibus mandatis neglectis, Nestorius ad Theodosium sese contulit, eumque, ut litteras ad Cyrillum mitteret, impulit, graves, ac minarum plenas, nisi secum consensisset. Quibus Cyrillus haudquaquam exterritus, libellos ad Theodosium, Eudociam, & Pulcheriam misit, quibus fidem suam rectam, Nestorii vero nefandam ostendit. Interim, cum Monachi Catholici fœde à Nestorio vexarentur, Basilius Archimandrita, vir sanctus, rem non ferendam ratus, ad Theodosium detulit, atque, ut Concilium hujus componendæ controversiæ caussa indiceret, postulavit. Cujus verbis permotus Theodosius, mense Novembri ex Cœlestini auctoritate litteras ad omnes Metropolitanos misit, (31) edicens,

(27) Unde Gregorius M. l. 27. Moral. c. 6. inquit: *Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud noverat, quam barbarum frendere, jamdudum in divinis laudibus Hebræum cœpit Alleluja resonare*; quæ tamen verba Beda l. 2. c. 1 ad prædicationem S. Augustini Benedict. O., Sociorumque referenda esse putavit. Quod verum esse posset, si S. Gregorius Moralium libros non absolvit ante missionem Anglicanam Aug.

(28) *Inter impetus obsidentium Vandalorum* testatur Prosper in Chr. sub h. an. Coss., tertio obsidionis mense, ut scribit Possidius in ejusdem Vita, docens, illum annos septuaginta sex vixisse, & per an. quadraginta Hipponensem Ecclesiam gubernasse. Cujus postrema opera fuere Liber de Hæresibus, & Liber Sextus Operis imperfecti adversus Julianum; quod utrumque morte præventus perficere non potuit. Ultima autem epistola ad Honoratum data, 228., alias 180., quæ est de fuga in persecutione h. an. scripta.

(29) Ita in antiquis Codicibus legi asseritur in Not. ad Acta Conc. Ephes. p. 437. præter autem hanc ad Nestorium epistolam, aliasque ab A N. memoratas, Rufo etiam Thessalonicensi, Juvenali Hierosolymitano, & Flavio Philippensi, majorum Sedium Orientis Episcopis Pontifex scripsit, illos hortatus, ut Fidei causam strenue propugnarent. Omnes septem hæ epistolæ recitantur par. 1. Conc. Ephes. c. 15. 18., & sequ. cum eadem temporis nota, quam exhibet A. N.

(30) Quibus perperam Apollinarismi notam inussere plerique Orientales Episcopi, præeunte Joanne Antiocheno, demandata Andreæ Samosateno, & Theodoreto capitula illa impugnandi provincia. At Cyrilli doctrinam ibidem expressam ab Ephesina, & Chalcedonensi Synod. probatam, Vigilius P. M. diserte affirmat in Decreto, quo Rusticum, & Sebastianum, R. E. Diaconos exauctoravit; & Epiph. E. Alex. Archidiac. & S. Cyrilli Syncellus, ep. ad Maximian. C. P. Episc, aliique quamplures. Immo vel ipse Theodoretus sub Conc. Chalced. tempus, iniquam, falsamque adversus eadem Capitula conceptam abdicavit opinionem, ut ex ipsius ep. 83. ad Dioscorum liquet. Quod & Joannes Antiochenus, aliique Orientales, veritate comperta, contentionumque æstu sedato, præstitere, ut ex datis ad Cyrillum honorificentissimis litteris constat.

(31) Is enim data ad Theodos. Imp. epist. certiorem facit, se suam præsentiam in Legatis, quos mittit, exhibere; hinc S. Cyrillus τοποτηρητὴν obtinuit, qui *Cœlestini quoque Sanctissimi Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat*, ut Act. I. Conc. Eph. dicitur. Idque initio antequam pervenirent Arcadius, & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter,

cens, ut ad proximam Pentecosten Ephesi omnes adessent, ut huic controversiæ modum imponerent; adjiciens, se excusatum neminem vel apud Deum, vel apud homines habiturum, qui ad tempus non affuisset, neque enim bonam conscientiam declarare, qui ad sacrum conventum vocati legitime non accurrant; ad Cyrillum autem scripsit partim increpans, (32) quod separatim ad se, & ad reginas de fide scripsisset; partim mandans, ut Ephesi ad diem Metropolita-
431 nis indictam adesset. Bassn inde, Antiochoque Consulibus, (33) Gensericus Hippone potitus, ad alias Africæ partes arma circumtulit, &, populatis late agris, rem varie cum Bonifacio gessit, ea in Catholicos supplicia exercere insistens, quæ ab initio significavimus. Constantinopoli annona, atque incendio laboratum est, ex utroque incommodo ingens tumultus exarsit. Barbari in urbe educati odio religionis hostiliter Ecclesiam invaserunt, dumque faces ad inflammandum Altare jaciunt, ipsi se inter se divino judicio confecerunt. Theodosius autem, cum ad horrea publica levandæ inopiæ causa procederet, à populo esuriente lapidibus appetitus est. Interim Cœlestinus Romæ negotium Ecclesiæ magna solertia administravit. Nam & Nestorii hæresim ex Concilii sententia condemnavit, (34) quique cum eo sentirent, communione removit, & Arcadium, ac Projectum Episcopos, ac Philippum Presbyterum ad Concilium Ephesinum legatos cum mandatis, atque hac sententia destinavit. Quin etiam Palladium Episcopum instituit, (35) eumque ad Scotos nuper Christianis sacris imbutos misit, ut merito Prosper in libro contra Collatorem sic scripserit: *Cœlestinus Pelagiano morbo Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes etiam ab illo secreto seclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam studet servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.* (36) Quæ dum ille agit, Episcopi Ephesum convenere, Nestorius, quod non longe Constantinopoli ab Epheso abesset, paulo post dies Resurrectionis cum Græciæ Episcopis primus advenit. Quem consequutus Cyrillus & ipse cum Episcopis Ægyptiis ante diem Pentecostes accessit. Quarto inde post Pentecostem die Juvenalis Hierosolymitanus cum Palæstinæ Episcopis præsto fuit. Capreolus Carthaginis Archiepiscopus, cum Episcopos mittere suos vellet, propter bellum, quo Africa urebatur, abstinuit, sed Besulam Diaconum cum litteris sese purgantibus misit. Joannem Antiochenum Cyrillus, qui partes Cœlestini agebat, per dies quindecim expectavit: (37) monitus inde ab Episcopis Apameno, & Hieropolitano, ne Joannem expectando Concilium traheret, postridie, qui fuit X. Kal. Julias, Episcopos in ædem, quæ S. Mariæ dicebatur, advocavit. Ibi cum omnes, excepto Nestorio, consedissent, Petrus Presbyter Alexandrinus, & Notariorum primicerius dixit: Cum Nestorius nonnullas Expositiones ediderit, quæ seditionem in Ecclesia concitarint, ac Cyrillus unam, atque alteram super ea re epistulam scripserit, quibus ille ita responderit, ut opinionem suam tutatus sit; cumque Cyrillus, cognito, Nestorium libellos, & Expositiones suas Romam misisse, & ipse Posidonium cum suis ad Cœlestinum destinarit, ac, quæ oportebat, Cœlestinus rescripserit, ac propterea jussu Theodosii Concilium

ter, qui deinde Apostolicæ Sedis Legatione functi sunt, ut patet etiam ex Interlocutionibus, Action. 3 eorumd. Legatorum, & ex Interlocutione S. Cyrilli. L. Relat. Concil. ad Imp. post Action. 3.

(32) Malis artibus Nestorii factum, ut Cyrillus apud Theodosium audiret tamquam in Pulcheriam Aug. propensior (quod non contentus librum ornasse de Recta in Christum Fide ad Theodos., de eod. argumento ad Pulcheriam scripsisset) quasi ejus gratiam aucupaturus. Quam calumniam facilibus auribus cum excepisset Imperator, cui sororis potentia invisa, acriores litteras ad Cyrillum dedit. L. Sacram ad eumdem missam, quæ extat I. par. Conc. Eph. c. 31., & Liberat. in Breviar. 4.

(33) Primus Anicius Bassus, Consul Occidentalis ex Anicia familia per eam ætatem in Urbe clarissima. Posterior Orientalis, qui Præf. P. fuit ann. superiori, & præsenti, ut ex Legib. Cod. Theod., quas vide in Chron. a. C. p. 175. Isque in Actis Eph. Conc. p. 706. edit. Labb. vocatur *Flavius*; & in Novell. Theod. prima *Theodosio Aug. XV.* (an. scil. 435.) emissa vocatur *Expræfectus*, *& Consul*, qui cum duobus aliis, eodem tempore florentibus, non confundendus.

(34) Id & alias quoque factum, superiorum temporum docet historia. Romana autem, sicuti & Ephesina Synodus celebrata, non ut causa jam Pontificis Romani oraculo definita, novo committeretur examini, sed ut facilior iniretur via judicium Apost. Sedis exequendi, ut patet ex Commonitorio *Cœlestini Episcopis, & Presbyteris euntibus ad Orientem*, quod L. apud Baluz. in N. Collect. Conc. p. 382.

(35) Ita Prosp. in Chron. sub h. an. Coss., & Beda l. 1 13., labitur itaque Baron. affirmans, an. 429. duas eod. anno Legationes Britannicas, alteram Palladii, Germani alteram à Cœlestino missas. Adverte tamen Bedam à Prospero differre, quod ille annum designat, quo Palladius in Britanniam legatus fuit, Prosper vero annum, quo illuc appulit, commemorat.

(36) Mos Romanis populos à suo Imperio, & cultu alienos, Barbaros appellare, ut omnibus satis constat. Sed lis est, Scotine, an Hiberni Palladium Episcopum, Apostolumque habuerint, cum & ipsi Hiberni Scotorum nomine dicti etiam fuerint. De qua re L. Usser. l. de Britann. Eccles. primordiis 16. Alfordum in Ann. Brit. h. anno, aliosque Script. Anglicos, & Hibernos, tamquam pro aris, & focis dimicantes, ut hunc Prosperi locum sibi quique vindicent. Sunt tamen qui præter Hibernos, nullos tunc temporis Scotos alios extitisse non præter rationem contendunt.

(37) Moræ causam novere Concilii Ephes. PP., legitur enim in Relatione ad Cœlestin. PP. *eum detrectare concessum, vel quod amicitiæ, quæ ipsi cum Nestorio intercedebat, indulgeret; vel quod is* (Joannes nempe) *Ecclesiæ suæ fuerit clericus; vel etiam quod quorumdam pro illo deprecationibus morem gereret*. Pluribus itaque diebus post Domin. Pentecostes, quæ eo an. die VII. Jun. fuit, exactis, tandem cœpta Synodus haberi die 22. mensis ejusdem, quæ fuit Feria II., haud enim mos erat judiciales actus in Conciliis fieri Dominicis diebus, ut observat Garnerius, Dissert. II. de Synodis in causa Nestorii p. 351. Expectandum Joannem Antiochen. frustra suadere conatus est Candidianus Comes, (cui tamen Cyrillus acriter obstitit) Nestorio favens impensius. L. Condidiani Relationem coram Joanne recitatam postquam hic advenit.



Digitized by Google

lium advocatum sit, significamus vobis, nos ejusmodi scripta in manibus habere, eaque vobis recitare paratos esse. Quem Juvenalis Hierosolymitanus excipiens: Legatur, inqnit, edictum Imperatorum ad omnes Metropolitanos de conveniendo missum. Immo vero, Firmus Cæsariensis subjecit, Memnon hujus urbis Episcopus exponat, quot elapsi sint dies, postquam nos in hanc urbem convenimus. Tnm Cyrillus: Sancta Synodus hucusque expectavit Episcoporum, qui venturi sperabantur, adventum, quia vero multi in adversam valetudinem inciderunt, videtur de iis, quæ ad fidem constituendam pertinent, esse agendum: proinde illa scripta, quæ præsentis negotii sunt, recitentur. Cum autem Nestorii præsentia desideraretur, Episcopi quidam retulere, se illum domi pridie convenisse, atque, ut hoc die adesset, monuisse; illum vero se consideraturum, &, si oportere judicasset, venturum, respondisse. Qua re audita, Episcopi alii ad eum citandum sunt missi, qui reversi renunciarunt, se post multam ad fores moram responsum a Clerico tetulisse, Nestorium, ubi Episcopi omnes convenissent, propius accessurum. Quin etiam alii, qui tertio evocarent, profecti renunciarunt, se insolentius ab armatis ejus satellitibus habitos nullum responsum elicere potuisse. Quibus auditis, Juvenalis: Quoniam, satellitibus, inquit, aditum prohibentibus, quarta evocari citatione non potest, jam quæ fidem attingunt, aggrediamur. Itaque res hoc ordine acta est: primum fidei Symbolum recitatum est à Nicæno Concilio constitutum, tum prima epistola Cyrilli ad Nestorium, eaque cum Nicæno Symbolo congruere judicata est: inde responsio Nestorii, quæ, ut ab eo dissentiens, digna anathemate visa est: tum Cœlestini una, & Cyrilli altera ad Nestorium litteræ lectæ, eæque ambæ recte, atque ex fide scriptæ sunt judicatæ. Acacius inde, & Theodotus Episcopi pro testimonio dixerunt, se ante triduum audisse, Nestorium in congressu Episcoporum dicentem, Deum bimestrem, aut trimestrem appellari non oportere. Proditæ inde sunt Patrum super hac quæstione sententiæ, tum Expositiones Nestorii longe ab his alienæ. Quibus rebus confectis, Episcoporum amplius ducentorum consensu decretum est adversus Nestorium, unam esse Christi, & Dei Personam, duas vero ejusdem Naturas sine ulla confusione, ac divisione inter se unitas; unum rursus, eundemque Deum simul esse, ac Sacram Virginem Mariam vere, proprieque Deiparam esse. Inde sententia in Nestorium hæc est pronunciata: *Cum præter alia Reverendissimus Nestorius neque vocationi nostræ paruerit, neque sanctissimos Episcopos à nobis missos admiserit, necessariò eo descendimus, ut de impietate ejus inquireremus. Et quoniam ex epistolis, & scriptis ejus, quæ lecta sunt, & ex verbis, quibus in hac urbe est usus, & testium dictis, quæ audivimus, impie eum & sentire, & docere deprehendimus, necessitate nobis à legibus, & Sanctissimi Patris Cœlestini Episcopi Rom. epistola imposita, cum multis lacrymis ad hanc sententiam venimus. Quem igitur ab eo maledictis appetitus est, Dominus noster Jesus Christus per præsentem Sanctam Synodum decrevit Nestorium à dignitate Episcopali, & omni Sacerdotali conventu esse remotum*. Dimisso inde sub noctem Concilio, Patres ad tecta sua se receperunt, prælucentibus funalibus, ac multis cum lætitia prosequentibus, postridie sententia per publicos Præcones enunciata, & foribus ædis affixa, atque ad ipsum, & ad Clerum Constantinopolitanum, & Imperatorem Theodosium missa. Vicesimo inde die post Pentecostem, qui fuit VI. Kal. Julias, Joannes Antiochenus advenit, ac, nondum pulvere pedum excusso, conventum Episcoporum suorum in diversorio habuit. Ibi Candidianus Comes à Theodosio, ut tumultum in Concilio coërceret, jampridem missus dixit, se optasse, coactæ Synodo litteras Imperatorum reddere; verum, cum ante quinque dies, se repugnante, Synodus haberetur, se Sacram Imperatorum recitandam præbuisse, atque eos, ne quid præcipitanter agerent, monuisse, atque illos, Episcopis Nestorianis exactis, festinanter omnia perfecisse, quibus dictis Sacram recitavit. Quibus de rebus, licet falsis, Joannes accensus, ex Synodi suæ sententia Cyrillo, & Memnoni dignitatem, Concilio universo communionem ademit. (38) Theodosius autem Cyri Episcopus duodecim capita à Cyrillo abjuranda proposita oppugnavit, atque hæc omnia acta Joannes ad Theodosium misit, petens, ut Concilium Chalcedonem, aut Nicomediam transferretur, & tres Episcopi ex quavis provincia eo tantum admitterentur. Interim legati Cœlestini adversa navigatione fatigati venerunt, VI. Idus Julias, Episcopis in Memnonis Basilica considentibus, inierunt, ac Cœlestini litteras reddiderunt, quas Siricius Romanæ Ecclesiæ Notarius primum latine scriptas, deinde græce conversas recitavit, in hanc sententiam: se illos legatos mittere, ut Concilio interessent, atque illius decreta sancirent: inde postularunt, ut quæ adversus Nestorium acta essent, exponerentur, eaque audita sine ulla hæsitatione firmarunt. Concilium inde Theodosium de legatorum adventu, actorum comprobatione, & Nestorii damnatione admonuit, ac simul, ut sibi abeundi, & Constantinopolitanis novi creandi Episcopi copia fieret, flagitavit. Cyrillus autem, & Memnon, quos Joannes exauctoraverat, libellis suis oblatis Concilium obsecrarunt, ut, antequam discederent, caussam suam cognoscerent, ac suæ innocentiæ adessent, quorum preces justas esse Concilium statuens, XVII. Kal. Augusti ter Joannem ad reddendam actorum suorum rationem citavit, atque, ubi non affuit, & ipsum, & qui cum eo conspiraverant, dignitate, & communione multavit. Cyrillum vero, & Memnonem vinculo, quo illigati videri poterant, solvit, legatis Cœlestini omnia suo suffragio confirmantibus, atque his de rebus omnibus Cœlestinum edocuit. Interim

(38) Hæc acta in privato quodam Conciliabulo quibuslibet legenda evulgavit, scripta *Theatri parietibus affigens, ut suæ impietatis spectaculum exhiberet*. Impium hoc facinus tribetur in Relat. V. Action. ad Cælest. P., immo ne Catholici Episc. *Missarum Collectam* celebrarent impedire, sed irrito molitus fuit, adnitente Candidiano Comite.

A rim Nestoriani, qui erant Constantinopoli, cum sententiam Concilii adversus Nestorium cognovissent, omnibus maris, terræque aditibus occupatis, dedere operam, ne litteræ Epheso perferri Constantinopolim possent: venere tamen à Concilio missæ, quibus in æde D. Mocii Martyris recitatis, populus anathema Nestorio ingeminatis vocibus affirmavit; venere etiam aliæ ad Clerum supplicationes pro boni Episcopi subrogatione indicentes, quibus Dalmatius Archimandrita (39) omnium nomine gratias egit. Theodosius autem actis utriusque partis acceptis, ad Joannis partes se contulit, (40) ac XIII. Kal. Augusti non minus
B Cyrillum, & Memnonem, quam Nestorium recte condemnatum judicavit, atque Episcopis, ut eandem quæstionem, antequam Epheso discederent, de integro tractarent, mandavit; iis litteris Ephesum perlatis Cyrillus, & Memnon in custodias dati sunt: nemo tamen cum Joanne communionem inivit. Ea de causa septem ab utraque parte Episcopi legati ad Theodosium missi sunt, ut ipsum de omni re acta docerent. Cum omnes coram causam suam orassent, Theodosius veritate perspecta Episcopos Orientales damnavit, ac Cyrillum, & Memnonem liberavit, atque Episcopis, qui Constantinopolim convenerant, ut alium
C Nestorio sufficerent, imperavit. VIII. Kal. Novembris Maximianus Presbyter substitutus est, (41) qui statim Cyrillo per litteras victoriam de Nestorio partam est gratulatus. Cui Cyrillus magnæ cum lætitiæ significatione respondit. Inde permissum est singulis,
432 ut ad suas se civitates referrent. Aetio inde, Valerioque Consulibus, (42) Bonifacius Comes ex Africa Romam Placidiæ vocatu decessit, & Magistri militum dignitatem obtinuit. Mox Aetium veterem suæ laudis obtrectatorem singulari certamine fidei suæ probandæ gratia provocavit, commissoque Placidiæ permissu prælio superavit, quam ob causam Aetius dignitate nudatus in agrum se contulit (43). Tertio inde post mense Bonifacius lethifero morbo tentatus, cum se morti proximum cerneret, Pelagiam uxorem, mulierem locupletem, ut Aetio nuberet, obsecravit. Trigetius inde, qui Bonifacio successor in Africa erat datus, Genserico omnia percursanti pro viribus restitit; res tamen ejus, ut multæ aliæ, memoratu dignissimæ, perierunt. Eodem anno Cœlestinus Pontifex Ecclesia teterrimo dissidio liberata, ac dignitate Pontificia egregie conservata decessit. (44) Locum ejus Xystus III. Presbyter, civis item Romanus, obtinuit. Cujus, ut in pace, studium omne in ornandis urbis Ecclesiis præcipue enituit. Joannes Antiochenus Epheso Antiochiam repetens, Nestorium secum deduxit, (45) atque apud se in monasterio eodem, ex quo evocatus ad Episcopatum fuerat, habuit, ac simultatem cum Cyrillo exercens duas inter se Ecclesias Antiochenam, & Alexandrinam turpi admodum dissidio separavit, ac triennium inde variis cum eo certaminibus Anathematismos ejus oppugnans exegit. Cui Cyrillus haudquaquam sui oblitus acerrime se pro Catholica veritate
opposuit. Sequenti anno, quo Theodosius 433
XIV. cum Maximo postea Imperatore gessit Consulatum, novum in Gallia bellum est ortum. Gundicarius namque rex Burgundionum priore fœdere neglecto defecit; ac finibus suis egressus in Belgicam incursavit, atque omnia hostili tumultu replevit. Hac re accepta, Valentinianus jam annos XV. natus Aetium adversus eum destinavit ducem. Hic enim, cum in agro privatus versaretur, ab inimico suo insidiis appetitus Romam se contulerat, atque inde provectus in Dalmatiam, demum in Pannoniam, ad Hunnos confugerat, atque eorum opibus usus, pacem principum, & jus interpolatæ potestatis receperat. Ab illo igitur, homine rei

D
(39) Perlatis C. P. Synodi Eph. litteris, arundini inclusis, per mendicum quemdam, inque palam lectis, Archimandritæ certamen iniere pro Synodo tuenda, occupato jam per Nestorianos Theodosii animo: in iis autem enituit Dalmatius, omnium facile princeps sanctitate morum, qui integros 48. annos pedem è Monasterio non extulerat, quem & Theodosius ipse Imp. obsequebundus colebat. L. Act. Ephes. To. 6. c. 12. edit. Pelt. L. Cyrill. ep. 20.

(40) Candidiani artibus, & Irenæi Comitum deceptus Joannem Sacr. Largit. Comitem misit Ephesum, qui Nestorium Candidiano; Jacobo vero Comiti Cyrillum, & Memnonem tradidit custodiendos. Litteræ autem Theodosii alicubi datæ dicuntur *XIII. Kal. Julii*: alibi *III. Kal. August.* Imprudens autem Theodosius fuit fidem Nestorianis, aulicisque adhibens, quam joco emendare voluisse Pulcheria dicitur, libello porrecto,
E quo Eudociam Aug. se ipsam vendidisse Pulcheriæ fatebatur, quem Imperator minime inspiciens pro more subscripsit imprudens.

(41) Ita Socrates l. 7. c. 35. dicens: *Elapso quatuor mensium spatio à depositione Nestorii*, Maximian. eligitur Ep., & c. 37 ait, *die octavo Kal. Nov. Basso, & Antiocho Coss.*, hinc quando Niceph. annos tres, & menses duos Nestorio tribuit, tertium utpote incompletum neglexit; neque in cit. Socratis locum vitium ullum irrepsit, sicuti nec in Acta Eph. Conc. edit. Peltani Tom. 5. 11., ubi Nestorius exul amandari jussus ante Maximiani ordinationem; quidquid contra Baronius reponat.

(42) Ille Magister militum erat in Occidente. Valerius vero an. super. Magister officiorum fuit, Nestorianæ factionis fautor, ut patet ex Joannis Antioch. epist. ad eumdem data, qui alius fuit à Valerio Comite S. Augustini amico; Qui enim h. an. Consul, varias dignitates in Oriente gessit, quo tempore Valerius alter in aula Honorii versabatur; adeo ut mirum, quod Card. Noris. hist. Pelag. l. 2. 15. utrumque confundat.

(43) Ita Prosper sub h. an. Coss. subdens cujusdam inimici metu, profugum inde ad Dalmatiam, deinde Pannonias ad Hunnos pervenisse, *quorum amicitia pacem Principum, & jus interpellatæ potestatis* obtinuisse prodit; Addens Bonifacium *paucos post dies* a prœlio inito obiisse, *de vulnere, quo fuerat percussus*, ut inquit Idacius in Chron., an. Abrah. 2448.

(44) Sedit is annos novem, menses decem, & aliquot dies, ut plura Anastasii exemplaria exhibent, apud Pag. relata ad an. Chr. 432., eique suffectus Sixtus III. natione Romanus die vicesimaquarta Julii, si vera conjicit Pagius laudatus. Is ante annos 14. sub Zosimo primus anathema dixerat Pelagianis, ad quem Aug. epistolam dedit 105. adversus eorumdem errores.

(45) Exulem amandatum an. præcedenti in Monaster. S. Euprepii, ante portas Antiochiæ situm, ut Acta Ephes. Syn. habent. Hoc autem exilium non est confundendum cum eo, an. 436., quando in insulam Oasim fuit deportatus.

rei militaris eruditissimo, eodemque fortissimo Belgica Gundicarius est expulsus, (46) unde dixit Sidonius: Aetius

*post Vittungos, & Norica bella subacta*
*Victor Vindelico Belgam Burgundio, quem trux*
*Presserat, absolvit.*

Eadem ratione Trigetius quoque in Africa nefarios sævientis in dies magis Genserici
434 conatus coërcere contendit. Aspare inde, & Areobinda Consulibus, in Gallia, & in Africa prospere ab iisdem etiam ducibus est pugnatum; nam & Aetius Gundicarium, & Trigetius Gensericum variis prœliorum contentionibus ita fatigarunt, ut eorum uterque verba de pace instauranda, & fœdere componendo intulerit. Augustalis autem domus haud levi laboravit infamia. Honoria enim Valentiniani soror, cum ad aulæ decus virginitatem tueri cogeretur, ac libidine inflammata Attilam Hunnorum Regem in Italiam ad sui connubium invitasset, voti frustrata, libidinem cum Eugenio procuratore suo explevit, gravidaque facta a Valentiniano Constantinopolim ad Theodosium amandata est.
435 Theodosio inde XV., & Valentiniano IV. Consulibus, Valentinianus Augustus, annum Imperii sui decimum feliciter ingressus, Romam contendit, atque ibi decennalia vota solemni ludorum magnificentia celebravit, ac tertium Idus Februarias pacem per Trigetium cum Ganserico composuit, (47) Numidia Hipponense ad habitandum concessa; & Belgica bello Burgundionico liberata per Aetium fœdus cum Gundicario renovavit. Quæ res ingenti gratulatione ab omnibus Italiæ populis est excepta. Romæ vero cum esset, novo, ac memorabili Xysti Pontificis judicio interfuit, quod falso ab iniquis hominibus intentatum eum, quem decuit, exitum est adeptum. Bassus namque Exconsul, & Marinianus Patricius ob acceptam gratiæ postulatæ repulsam infestiores effecti, crimen perdendi hominis gratia confinxerunt, eumque apud præsentes Augustos de stupro sacratæ virgini illato insimularunt: quo crimine audito, Augusti, ac maxima pars populi ab ejus se communione removit. Quod ubi Xystus animadvertit, Deo, atque innocentia fretus, in basilicam S. Petri concessit, & astante populo, per Leonem diaconum adversarios ad probanda, quæ intulerant, crimina invitavit. Cui populus ejusmodi judicium Augusto, aut clero mandandum esse respondit. Itaque, cum Valentinianus Senatum, Xystus Clerum, ac Monachos advocassent, conventus in basilica Heleniana, quæ Sessorium dicebatur, est habitus, cui affuere Exconsules Paterius, Maximus, Anatolius, & Bassus; Patricii Marinianus, Albinus, Sigevultes, & Honoratus, præterea Præfectus urbis Euthymius; Expræfecti Valerius, Claudius, & Fontejus; Presbyteri XLVIII. & Diaconi quinque. Ibi sedentibus cum Augusto omnibus, Epiphanius Presbyter manantibus lacrymis adversarios monuit, ut accusationem persgerent, ne tam turpis infamiæ labes in Ecclesia resideret; cui Maximus Exconsul: immo vero quiescant, inquit, neque enim fas est, judicium de Pontifice Romano constitui, quibus auditis Xystus subjecit: Quanquam ego ejusmodi recusare judicium pro potestatis amplitudine possum, tamen subire placet, ut veritas ad liquidum exploretur. Tum Valentinianus ad Bassum: *Explica accusationem tuam, memor, te, nisi probaveris, Pontifici, atque Ecclesiæ pœnas daturum*; postquam autem ille peroravit, conversus ad Xystum, Maximi sententiam collaudavit, ita ut ei defensionis suæ aut suscipiendæ, aut prætermittendæ arbitrium se concedere dixerit. Tum Xystus, repugnante Clero, defensionem suam instituit, illud præcipue in dicendo denuncians, ne exemplo suo ad dicendam causam sui aliquando successores adigerentur, atque ita semet conflata suspicione, atque infamia liberavit. (48) VI. inde Kalend. Septembris, cum Valentinianus, & Xystus, cæterique iterum Concilium inissent, de Bassi, & Mariniani causa est disceptatum, atque ambo communi omnium consensu digni, qui communione excluderentur, existimati sunt, ita tamen ut viaticum morituris non negaretur. Valentinianus autem, & Placidia bona eorum Ecclesiæ addixerunt. Post tres inde menses Bassum mortuum Xystus omnibus pietatis officiis usque adeo prosequutus est, ut corpus etiam ejus in parentum sepulchrum inferri permiserit. Xysti inde rogatu Velentinianus Salvatoris, & Apostolorum imagines aureas supra Confessionem S. Petri locavit, & fastigium argenteum basilica Constantiniana, quod à barbaris fuerat ereptum, restituit, & Confessionem B. Pauli laminis argenteis incrustavit, & Basilicam S. Laurentii à Xysto conditam preciosa sacrorum vasorum

(46) Prosper in Chr. sub Cons. Theodosii XV., & Valentiniani Aug. IV. relatam ab Aetio adversus Burgundiones victoriam narrat, subdens, obtenta pace Gundicarium non diu potitum fuisse, sed cum populo suo, atque stirpe fuisse deletum; Idacius vero an. Abr. 2452., qui Kal. Octob. an. Chr. 435. incipit, ait, Burgundiones ab Aetio debellatos: anno item 2453. Abr. h. ponit: *Burgundionum cæsa viginti millia*; ab Hunnis quidem, ut Prosp. l. c. L. Sidon. in Paneg. Aviti v. 230. ab A. N. cit.

(47) Sub h. an. Coss. pacem initam cum Vandalis per Trigetium non modo Prosper in Chron. testatur, sed & Isidorus in Histor. Vandal. his conditionibus, ut Gensericus *partem Africæ*, quam Vandali *possederant*, obtineret pacifice. Secundo ut Gensericus Valentiniano Imp. tributum penderet, dato ei in obsidem Hunnerico filio, ex Procop. l. 2. Hist. Vandal. eaque sacramento firmata fuera, cujus religionem violavit post quadriennium Gensericus.

(48) Quæ hujus accusationis, purgationisque Sixti III., & Synodi hac in causa celebratæ Historia fertur, styli squallore, ac barbarie, falsa Consulum nota, aliisque immanibus anachronismis referta, nullam fidem promeretur. Probus, & Marinianus damnati in eadem Synodo dicuntur, Valentiniano, & Anatolio Coss. VI. Kal. Sept., idest an. Chr. 440., cum tamen Sixtus ante mensem Aprilem obiisset. Nec hujusmodi narrationi ullom accedit robur ex epist. Sixti ad Oriental. Episc., quæ mera farrago est ex sententiis Concil. Tolet. VIII., Felicis III., Gregor. M., Adriani I., Codicam Theodosiani, & Justinianæi, Aniani Interpretis, & Sixti Pythagoræi: immo pleraque pars ejusdem epist. ex III. Pseudo-Fabiani consuta videtur, nullam cum stylo Sixti epistolarum habens affinitatem. In solo libro Anastasii præfata historia proditur, contra quam tamen quum tot tantaque sint rationum momenta, ab Anastasii auctoritate, ceteroqui multi habenda in rebus ad Romanos Pontifices spectantibus, in hac narratione putamus recedendum.

Digitized by Google

ſorum ſupellectile inſtruxit. Dum autem Valentinianus his in Occidente rebus intentus ſtudet, Theodoſius Conſtantinopoli opus ut hominum rationibus admodum aptum, ſic gloriæ apud poſteros ingentis futurum effecit. Juris conſultis namque adhibitis (49) maximam eruditionis, fidei, ac prudentiæ opinionem habentibus, negotium dedit, ut omnes Principum à D. Conſtantini (50) uſque ad ſuum principatum conſtitutiones colligerent, atque, inutilibus prætermiſſis, in unum corpus redigerent, brevitate, ac claritate in primis forenſi ſtudio conſulentes, (51) eum vero codicem abſolutum hoc anno V. Kal. Martii Conſtantinopoli edidit, (52) præcipiens, ne qua poſt Kalendas Januarias controverſia ad forum deferretur, aut delata judicaretur, niſi ex his libris, qui ſuo nomine inſignirentur, (53) ſimulque ne qua in Occidente à Valentiniano Auguſto conſtitutio lata vim legis obtineret, niſi prius ad ſuam notitiam perveniſſet. Gliſcente inde inter Eccleſiam Alexandrinam, atque Antiochenam ſeditione, idem ejuſmodi diſſidium averſatus Joanni Antiocheno præcepit, ut Neſtorii damnationi ſubſcriberet, atque in gratiam cum Cyrillo rediret, atque edictum ad Leontium Præfectum urbis III. Nonas Auguſti miſit, (54) ut quemadmodum Ariani lege D. Conſtantini ob ſimilitudinem impietatis Porphyriani à Porphyrio nuncupati fuerant, ſic Neſtoriani Simoniaci vocarentur, ut cujus ſcelus in deſerendo Deo imitati fuiſſent, merito ejus nomine afficerentur, & ne libros Neſtorii adverſus decreta Epheſina conſcriptos haberi, legi, aut deſcribi liceret. Hoc imperio compulſus Joannes Paulum Epiſcopum Emiſenum Alexandriam miſit, ac, Catholico libello oblato, (55) Cyrillum ad redeundum ſecum in gratiam provocavit, cui quam mitiſſime Cyrillus reſpondit, &, redintegrata gratia, finem omni, quæ Eccleſiam agitabat, contentioni impoſuit. Ceterum, Neſtorio Mariam Dei genitricem ore confitente, ſed re vera adhuc furente, Theodoſius litteras ad Iſidorum Præfectum Prætorio, & ſequenti anno cum Senatore Conſulem mi- 436
ſit, ut Neſtorium propter conceptam in ſe pietatem in exilium Petras expelleret, (56) omniaque bona ejus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ addiceret, atque his litteris edictum adverſus Neſtorianos ſupraſcriptum adjunxit. Hæc ex Actis: in Annalibus vero ſcriptum eſt, Neſtorium Oaſim relegatum eſſe, atque inde variis jactatum caſibus loca alia tenuiſſe. Eodem anno Theodoricus rex Gotthorum in Gallia violato fœdere alterum Romanis bellum, vix priore confecto, commovit. (57) Quod Sidonius in Avito his verſibus edidit:

*Squammeus, & rutilis etiam num livida criſtis*
*Ora gerens vix arma domum ſordentia caſtris*
*Rettulerat, nova bella iterum, pugnamq; ſub ipſis*
*Jam patriæ muris periturus commovet hoſtis.*

Ita-

(49) Elegiſſe ſe ait Theodoſ., Novella de Theod. Cod. auctoritate, octo viros nobiles, exploratæ fidei, atque doctrinæ, tres videlicet Illuſtres, quinque Spectabiles, quorum dignitates exprimit ibid., quæque ſingularem Juris notitiam expoſcebant, ut Præfectura Prætoriana, Quæſtores Palatii, Comites Conſiſtoriani, Magiſter Memoriæ, Magiſter Libellorum. His dignitatibus qui fungebantur delecti ad Codicem exornandum.

(50) Is enim novis legibus rem Chriſtianam erexit, vetereſque mores vertere cœpit, priſco jure civili mutato; unde Nazar. Paneg. ad Conſtantinum M. dicto A. D. 321 inquit: *Novæ leges regendis moribus, & frangendis vitiis conſtitutæ, veterum calumnioſæ ambages reciſæ*, & cet.

(51) Conſtitutiones porro Divales ob ſuam molem erant hominum mentibus inacceſſæ; hinc verus Juriſprudentia in urbe Roma ferme decoxerat, ſive quia in paucos è plebe reciderat doctrina legum; ſive quia ſeveritate mentita Juriſconſulti reſponſa dabant velut ex adytis. Horum primum conqueritur Mamertinus in gratiar. act. pro Conſul. ad Julian. dicens: *Juris civilis ſcientia, quæ Manlios, Scævolas, Servios in ampliſſimum gradum dignitatis extulerat, libertorum artificium dicebatur.* Alterum vero diſerte exprimit Amm. l. 30. in hæc verba: *Secundum genus eſt eorum, qui Juris profeſſi ſcientiam, quam repugnantium ſibi Legum abolevere diſſidia, velut vinculis ori impoſitis, reticentes jugi ſilentio, umbrarum ſunt ſimiles propriarum; Hi velut fata Natalitia præmonſtrantes, aut Sybillæ Oraculorum interpretes, vultus gravitate ad habitum compoſita triſtiorem, ipſum quoque venditant, quod oſcitantur*, & cet.

(52) Auct. noſtrum decepit ſubſcriptio Novellæ de Th. C. auctor., ubi Amanuenſis errore legitur Theodoſio Aug. XV. Cos., proindeque h. anno: at legendum Theodoſ. Aug. XVI. Cos., anno nempe 438., quod comprobant quindecim Leges præſenti anno, & duobus ſequ. datæ, in eumdem relatæ Codicem, poſteriorum Conſulum notam præſeferentes. Immo Novella, qua Codex idem confirmatur, inſcribitur Florentio P. P. Orientis, qui an. 438. eam dignitatem obtinuit: præſenti autem anno P. P. erat Iſidorus, & item ſequ., quem Darius excepit, poſt quem Florentius, ut ex Legibus liquet ejuſd. C. Th.

(53) Hic Codex non ſolum per Orientem, ſed etiam per Occidentem receptus fuit: immo apud Oſtrogothos in Italia regnantes viguit, ejuſque Breviarium in Galliis, apud Viſigothos in Hiſpaniis, Burgundiones, Reges Francorum primæ ſtirpis, nec non apud Langobardos per Italiam. L. c. 3. Proleg. Cod. Th.

(54) Eſt L. ult. C. Th. *de heret.*, quæ integra recitatur in Act. Conc. Eph., ibique ſtatutum, ne Neſtoriani ullibi convenirent, ac nominatim ne in Urbe C. P.

(55) Joannes Antioch. vehementer ſuſpectus Neſtorianæ impietatis habitus præſertim à D. Cyrillo; unde coactus fuit Fidei libellum exhibere: attamen ab eo ſuſceptum dumtaxat Perſonæ, non hæreſis Neſtorii patrocinium certo conſtat ex litteris ad Hæreſiarcham datis poſtquam Cœleſtini, ac Cyrilli epiſtolam accepit; in iis enim totus eſt Joannes, ut Neſtorium ad palinodiam canendam hortetur, ut Virginem Deiparam appellet. Liquet etiam ex Cyrill. ep. ad Acacium Melitenum, & ad Valerian. Iconii Epiſc. Pax autem inita an. 432. ex Bar. ad eumd. an., & Pag., quod ex epiſtolis, & Relationib. colligunt Actis Eph. Conc. inſertis.

(56) Quod exilium in Oaſim commutatum poſtea, ſuadent verba Neſtorii ap. Evagr. l. 1. 7. dicentis, ſe poſt moram in Monaſterio ſuo (de quo ſupra) *in locum, qui dicitur Oaſis*, eſſe relegatum: Oaſis autem erat urbs Marmaricæ in confiniis Ægypti, ut alibi obſervatum. Loca ſubinde mutavit Neſtorius, Theodoſio permittente, circa fines Thebaidis, teſte cod. Evagr. l. c., qui addit, Neſtorium nunquam à ſua impietate deſtitiſſe, ipſoque vitæ exitu urgente alterum Arium declaratum.

(57) Romanos inter, & Viſigothos Septimaniæ incolas jam ab annis decem circiter pax vigebat, cum Theodoricum cupido invaſit dilatandi Regni h. an. ex Chr. Proſp. ſub h. an. Coſs., cui adhæret Idacius, qui an. Abrah. 2452. ſcribit: *Narbona obſideri cœpta*; an. aut ſeq. Abrah. liberatam prodit.

Itaque, finitimis locis occupatis, in Narbonensem invectus, oppidum ipsum Narbonis provinciæ caput acri obsidione circumdedit. Quod ubi Valentinianus accepit, confestim Littorium ducem in locum Aetii cum maximis Hunnorum copiis properare jussit in Galliam, cujus adventus maximam obsessis attulit opportunitatem; nam, cum eos rerum necessariarum angustiis premi propter summam invehendi difficultatem cognosceret, binos tritici modios singulis equitibus datos in urbem immisit, quo beneficio inediam levavit ex aliqua parte, non sustulit. Itaque cum Narbonenses mox ad extrema, quæ pati obsessi soleant, incommoda devenissent, Avitus Arvernus, qui maxima apud regem, Gotthosque auctoritate valebat, se interposuit, ac facile regi, ut exercitum à Narbone abduceret, persuasit. Ita Narbo summis obsidionis difficultatibus est exemptus. Quod scripsit quoque Sidonius, Avitum sic alloquentem Theodoricum hujus Theodorici filium faciens:

*periit quodcunque merebar*
*Cum genitore tuo. Narbonem tabe solutum*
*Ambierat, tu parvus eras, trepidantia cingens*
*Mœnia, in infames jam, jamq; coëgerat escas.*
*Jam tristis propriæ credebat desore prædæ,*
*Si clausus fortasse perit, cum nostra probavit*
*Consilia, & refugo laxavit mœnia bello.*

437 Aetio autem iterum, & Sigevulte Consulibus, Littorius à Gotthorum bello quietus, in Aremoricos, qui jam pridem defecerant, movit. Qua re cognita, Gotthi, contempta pace, in Arvernos se intulerunt, atque omnia incendiis, ac direptione vastarunt. Quæ res Littorium ex Aremoricis victorem cum auxiliis Hunnorum recurrere compulit. (58) Ita Gothica populatio, obsidioque compressa est. Unde idem eodem in loco dixit:

*Littorius Scythicos equites tum forte subacto*
*Celsus Aremorico, Geticum rapiebat in agmen*
*Per terras Arverne tuas, qui proxima quæque*
*Discursu, flammis, ferro, feritate, rapinis*
*Delebant, pacis fallentes nomen inane.*

Sidonio vero Prosper assentitur, qui, his Consulibus, adversus Gotthos rem Hunnorum auxilio gestam notavit. In Africa Gensericus ab armis ociosus Catholicæ fidei vestigium nullum in regno suo relinquere cupiens, Episcopos non solum Basilicis suis, sed etiam urbibus ipsis expellere nisus est: (59) tanta vero eorum constantia fuit, ut nemo terrificis ejus minis concesserit. Inde Arcadium, Probum, Paschasium, & Eutychium viros Hispanos sibi sapientiæ, ac fidelis obsequii nomine jucundissimos, quod perfidiam Arrianam respuerent, primum proscripsit, deinde in exilium egit, postremo exquisitissimis affectos suppliciis illustri martyrio coronavit, Paulillum vero puerum Paschasii, & Eutychii fratrem, cum ferocibus terrere verbis non potuisset, diu fustibus cæsum ad infamem servitutem damnavit, ne puer regiam se immanitatem superasse posset gloriari. In Hispania Ermenericus Rex Suevorum (60) moriens, Richilam filium successorem reliquit. Jam Valentinianus ætatis annum nonumdecimum erat natus, ut matrimonio videretur esse copulandus. Itaque cum Eudoxiam Theodosii filiam sibi dari uxorem postulasset, facile cedenda parte Illyrici impetravit, siquidem Cassiodorus scripsit: *Placidia nurum sibi amissione Illyrici comparavit, factaque est conjunctio regnantis divisio dolenda provinciis*, atque ea de caussa Constantinopolim properavit: sponsalia magna lætitia Thessalonicæ sunt celebrata. (61) Quibus perfectis sequenti anno Theodosio XVI., & Fausto 438
Consulibus in Italiam se recepit, ac licet adversa tempestate vexatus Ravennam incolumem sponsam perduxit. Hanc ille urbem, quoniam pro Imperii sede habuit, omni inde munimentorum, atque ornamentorum genere insignivit. Nam ædem D. Joanni Evangelistæ ex voto construxit, & ducta ex Pado fossa flumen ipsum derivavit, atque ad mœnia urbis deductum partem in urbem infudit, partem mœnibus circumfudit, ita ut non solum commercio serviret civium, sed etiam firmamento murorum. Quod Sidonius his verbis prodidit: *Ravennam venimus, quo loci veterem civitatem, novumque portum media via Cæsaris ambigas utrum connectat, an separet. Insuper oppidum duplex pars interluit Padi, cetera pars alluit, qui ab alveo principali molium publicarum discerptus objectu, & per easdem derivatis tramitibus exhaustus sic dividua fluenta partitur, ut præbeant mœnibus circumfusa præsidium, infusa commercium.* In Gallia Littorius cum Gotthis rem prospere sæpe gessit, ut Prosper notavit, sed qua in parte, Annalium memoria fugit. Gothi in Hispania adversus Suevos progressi Regem eorum Richilam prœlio superarunt, (62) ac thesaurum eripuerunt. Piratæ, qui superiore anno Vandalos in Africa deseruerant, ac passim infesta prædis habere maria cœperant, Siciliam repente adorti vastarunt: adversus eos Præfecti

(58) Est hæc quarta Hunnorum in Gallias irruptio, quæ non est confundenda cum Attiliana, ut Baronius vult, an. Chr. 451. Attiliana quippe fuit sexta.

(59) Sæviit h. an. prima Persecutio Vandalica ex Prosp. in Chr., & ex ep. Antonini Episc. Constantinæ civitatis ad Arcadium quemdam, a Genserico in exilium missum. L. Victor. Vit. l. 1. de Persec. Vand., ubi præter ab A. N. recensitos, invictos alios Fidei athletas invenies sub Genserico Ariano necatos.

(60) Qui Gallæciam præcedentibus annis vexaverat; quæ Romanorum clientela potita obtinuit, ut à Valentiniano Censorius mitteretur ad pacem inter Suevos, Gallæcosque conciliandam, quæ inita an. Abrah. 2449., qui incipit Kal Octob. an. D. 432.

(61) Auct. Chr. Alex. sub h. an. Coss. nuptias celebratas certo die, ac mense tradit dicens: *Valentinianus Junior mense Octobri, XII. Kal. Novemb. ingressus Constantinopolim nuptias celebravit, accepta in uxorem Eudoxia Theodosii, & Eudocia Augustæ filia, mense Octob. IV. Kal. Novemb.* Constantinopoli quoque celebratas nuptias, inquit Jornan. de success. Regn. 97., tuncque Illyricum ad pristinam formam redactum post annos quinquaginta octo; divisum namque in Orientale, & Occidentale à Gratiano, an. D. 379., fuerat, cum Theodosium M. in Imperii societatem adscivit.

(62) Idac. in Chr. an. Abrah. 2454. narrat à Rechila . . . (quem Reccilanem appellat Isidor. in Histor. Suevor.) *Andevotum cum sua, quam habebat, manu*, ad Singilonem Bætica fluvium aperto marte profligatum, *magnis ejus auri, argentique opibus occupatis.*

fecti Imperatoris provecti Conradim principem una cum sociis ejus ceperunt, captumque interemerunt. Constantinopolim corpus S. Joannis Chrysostomi post diuturnum exilium à Proculo Episcopo est relatum, atque ibi cum magna veneratione V. Kalendas Februarias conditum. Theodosio inde

439 XVII., & Festo Consulibus, Littorius in spem Gotthorum ex Gallia pellendorum erectus exercitum ad urbem eorum Tolosam adduxit, tantumque Theodorico metum expugnationis injecit, ut pacem supplex per Episcopos postularit. Qua præ fiducia virium denegata, summo illum prœlio provocavit, sperans, se pulsis eo certamine hostibus urbe nullo negotio potiturum: rapiebatur autem partim æmulatione gloriæ Aetii, (nam cum secundas ab illo partes teneret, rerum illum magnitudine vincere contendebat;) partim etiam insita quadam animi temeritate, quia aruspicum responsis, & dæmonum significationibus, non Dei ope fidebat. Itaque pugna cupide magis, quàm prudenter commissa infelicem exitum habuit: (63) siquidem, magna parte suorum amissa, ipse etiam in potestatem hostis concessit, ac captivus, & vinctus in eam urbem ductus est, in quam se victorem, & triumphantem initurum speravit; hostium tamen haud incruenta victoria fuit, ut nisi captus dux fuisset, dubitandum fuerit, ab utra parte statuta victoria fuerit. Hanc cladem ducis, ac Romanorum ob superbiam Deum immisisse contendit Salvianus Massiliensis per hoc tempus Episcopus, cujus verba libet adscribere: *Cum Gotthi metuerent, nos præsumpsimus: nos in viribus spem ponere, illi in Deo; cum pax ab illis postularetur, à nobis negaretur, illi Episcopos mitterent, nos repelleremus: illi etiam in alienis Sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in nostris contemneremus; ita illis data est in summo timore palma, nobis in summa elatione confusio: illis exaltatio data est pro humilitate, nobis pro elatione dejectio; namque agnovit hoc ille dux nostræ partis, qui eandem urbem hostium, quam eodem die victorem se intraturum esse præsumpsit, captivus intravit, qui prædatoris habuit fiduciam præda factus est, triumphum præsumens triumphus fuit, circumdatus, arreptus, alligatus, retorta brachia tergo gessit, manus, quas bellicosas putabat, vinctas inspexit, puerorum, ac mulierum spectaculum fuit, illudentes sibi barbaros vidit, irrisorium sexus promiscui sustinuit, & qui maximum habuerat supercilium fortis viri, mortem subiit ignavi: ipse Rex hostium usque ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit, ante bellum in orationem jacuit, ad bellum de oratione surrexit, priusquam pugnam manu capesseret, supplicatione pugnavit, & in Deo fidens processit ad pugnam, quia jam meruerat in oratione victoriam.* Hac re gesta Theodoricus elatus, proximam inde subigere provinciam, & ad Rhodanum regni fines producere destinavit. Quo metu subacti Romani, Hunnos oppidorum præsidio imposuerunt. Quod Sidonius his verbis edocuit:

*capto terrarum damna patebant*
*Littorio, in Rhodanum proprios producere fines*
*Theudoridæ fixum; nec erat pugnare necesse,*
*Sed migrare. Getis rapidam trux asperat iram*
*Victor, quod sentit Scythicum pro mœnibus hostem.*
*Imputat, (& nihil est gravius, si forsitan unquam*
*Vincere contingat,) trepido.*

His rebus, ut fœdæ, ac perditæ erant, in Italiam nunciatis, Valentinianus Aetium in Galliam iter accelerare præcepit. Eum vero ubi Gotthi accessisse senserunt, de pace instauranda agere instituerunt. (64) Prosper eam suppliciter petitam scribit. Avitus, qui superiorem transegerat, hanc quoque confecit, litteris ad Regem, cui junctus erat amicitia, missis, quod item Sidonius his verbis significavit:

*postquam undique nullum*
*Præsidium, ducibusque tuis nil Roma relictum est,*
*Fœdus Avite novas, sævum tua pagina regem*
*Lecta domat.*

Avitum autem ipsum tum Præfectum Prætorio Galliarum fuisse innuit, cum addit, eum intemerata jura rexisse. Hunc exitum Theodorici bella in Gallia habuerunt. In locum inde Littorii Albinus Præfectus Prætorio missus advenit; verum pro amplitudine dignitatis statim perniciosa Reip. contentione certare cum Aetio cœpit, cum uterque rem Gallicam tractare pro arbitrio vellet, quorum discordia ne Remp. in discrimen adduceret, Xystus Pontifex Leonem diaconum, eum, qui post Pontificatum accepit, virum summæ virtutis, atque auctoritatis, misit, ut eos inter se reconciliaret. Eodem anno in Africa novum bellum exarsit. Gensericus enim occupatis oppidis non contentus animum ad Carthaginem provinciæ caput adjecit, ac, necessariis rebus præparatis, occupatum aliis curis Imperatorem cernens, & Carthaginem infirmis, ut in pace, teneri præsidiis videns, ipsam statim sibi oppugnandam suscepit. Hæc urbs, ut inquit Salvianus, (65) Romanis artibus semper æmula, armis quondam, & fortitudine, post splendore & dignitate urbi Romæ maxime adversaria, & in Africa quasi Roma, universam penitus, qua totus mundus regebatur, in se complexa erat disciplinam; illic enim omnia publicorum officiorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic philosophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum gymnasia, vel morum, illic copiæ militares, & regentes militiam potentes, illic honor Proconsularis, illic quotidianus judex, & rector, nomine quidem Proconsul, sed opibus Consul, illic omnes rerum dispensatores, & differentes inter se tam gradu, quam vocabuli dignitate omnium platearum, & compitorum procuratores, cuncta ferme & loca urbis, & membra

(63) Ut A. N. narrat, cui Cassiodor. in Chr. h. an. Idac. ad an Abrah. 2455. suffragantur; hic autem addit Litorium *post dies paucos occisum*. L. Salvian. l. 7. de Providentia ab A. N. cit., cujus verba de Arelatensi urbe non sunt intelligenda, ut Baronio placuit, sed de Tolosa, ex Idac. l. c.

(64) Quæ h. an. sancita juxta Idac. l. c. & Sidonium in Panegyr. Avito dicto, cui pacis initæ laudem attribuit. Idem habet Jornand. de Reb. Get. 34. Immo Prosper ab A. N. laudatus diserte ait sub h. an. Coss. *Pax cum Gothis facta, cum eam post ancipitis pugnæ lacrimabile experimentum humilius, quam antea poposcissent.*

(65) De vero judicio, & Provid. Dei l. 7., & 8. ubi fuse magnificentissimam urbem describit; at fusius Carthaginensium pravos mores detegit.

A bra populi gubernantes. Hanc igitur omnibus viribus Gensericus tentavit, ratus, se, urbe ea, quæ princeps provinciæ esset, in ditionem adducta, facile inde tota Africa potiturum. Cum autem mœnia assidue à barbaris quaterentur; tamen, ut idem inquit, Ecclesia Carthaginis insaniebat in Circis, luxuriabat in theatris, alii foris jugulabantur, alii intus fornicabantur, pars plebis erat foris captiva, hominum pars intus captiva vitiorum. Satis constat, urbem Gensericum cepisse. Qua vero ratione capta sit, quæ ad nos pervenerunt, historiæ non loquuntur, quod in urbe tantæ amplitudinis, & quæ amissa secum totius Africæ amissionem adduxit, est deplorandum.
B Quod scribit Prosper, Gensericus XIII. Kal. Novembris (66) urbem dolo pacis inivit, ut Vandalus eadem arte cepisse Carthaginem videatur, qua Gotthus paucis ante annis Romam in ditionem adduxit. Ceterum urbe opulentissima, maximaque potitus, primum antiquam illam ingenuam, ac nobilem libertatem ad servitutem redegit, captivis plerisque Senatorum effectis, deinde edictum proposuit, ut omnes quicquid auri, argenti, gemmarum, vestiumque preciosarum haberent, expromerent, quo pacto paternas, avitasque omnium opes exhausit. Templa porro sacris vasis exinanita, & Sacerdotum administratione privata suis non ad divinum,
C sed ad humanum cultum indulsit, exactoque Catholico Episcopo (67), Ecclesiam Arriano attribuit, cum in universum populum sævus, tum maxime nobilitati, & religioni infensus: ut dijudicari non posset, hominibus ne, an Deo bellum acerbius intulisset: in provinciis porro suis Episcopos, ac Senatores exilio, aut servitute affecit, maximam clericorum turbam cum in naves veteres, ac fatiscentes imposuisset, certo periculo tempestatis objecit, qui tamen Dei ope incolumes in Campaniam pervenerunt. Hæc fere Prosper, & Victor. In Gallia vero cum Ebredunensem Episcopum duo tantum Episcopi sine Metropolitani auctoritate, legibus
D repugnantibus, consecrassent, (68) res animadversione digna est visa, ac, conventu Regii in Narbonensi provincia acto, aliquot super ea re canones constituti sunt, idque Regiense Concilium appellatum. Sequitur inde annus post Christum natum quadringentesimus quadragesimus, Valentiniano V. Anatolioque (69) Consulibus. Eo anno XV. Kal. Aprilis Xystus Romæ Episcopus naturæ concessit, (70) vacavit sedes dies amplius quadraginta. Nam clerus, populusque Leonem diaconum ex Gallia, unde legatione missa revocatus fuerat, sibi statuit expectandum, cumque, ut qui prudentia, & eruditione omnibus antecederet, ubi, reconciliata inter Aetium, atque Albinum gratia, rediit, magno consensu Pontificem declaravit. Cujus Pontificatus omnibus sanctitatis, ac sapientiæ florens exemplis, in maximis, quæ consequutæ sunt, Ecclesiæ, ac Reipub. calamitatibus, eximie utilis fuit. In Hispania Rex Suevorum Richila finibus suis egressus, invasit Bæticam, & ex Tarraconensi Gotthis ademit Carthaginem. Gensericus autem in Africa, Carthagine capta, superbus longius inde profundam habendi cupiditatem provexit, atque in Siciliam cum classe transgressus, omnia, in quæ incidit, vastare more Vandalico institit. Quare percepta, Valentinianus Sebastianum ex Hispania in Africam jussit trajicere, ut si nihil aliud, saltem Gensericum ex Sicilia ad Africæ defensionem retraheret: neque irritum ejus consilium fuit. Gensericus tamen in Africam regressus, cum Sebastianum amici magis, quàm hostis, partes agentem videret, ipsum per fraudem occidit. Etenim, præsentibus multis, ut inquit Victor, Episcopis, ac familiaribus suis: Sebastiane, inquit, scio te mihi fidelem esse, sed, ut perpetua hæc inter nos sit amicitia, ut eadem mecum religione te obliges, oro. Cui Sebastianus respondit, *Fac ut panis afferatur?* eo vero prolato: *Quemadmodum panis hic*, inquit, *ut ad tantum honorem ascenderet, aquæ, & ignis beneficio consequutus est, sic ego aqua sancti Baptismatis, & igne Spiritus Sancti ad decus hominis Christiani perveni. Quod si effeceris, ut panis hic contritus, iterumque mollitus, atque recoctus melior evadat, tum ipse faciam, quod hortaris.* Quo Gensericus re-

440 (margin, beside "idque Regiense Concilium appellatum")

(66) XIV. Kal. Novembris, seu die 19. Octob. ex emendatiori Prosp. Chr., Idac, & Auctore Fragmenti Augustani à Canisio evulgati, ubi tamen Librarii vitio notatur: *Post Consulatum Theodosii XVII., & Festi*; sicuti & in anno peccat Idacius, dum captam Carthaginem an. præc. consignat. Prosper ab A. N. relatus addit, hanc ejusdem Urbis calamitatem evenisse anno 585., *postquam Romana esse cœperat*: Capta autem à Romanis, Cornelio Lentulo, & L. Mummio Coss. ut auctor est Vellejus l. 1.

(67) Is erat Quodvultdeus, quem una cum Clericorum multitudine, navibus fractis impositum expelli jussit. De his L. Victor. Vit. de Persecut. Vand. l. 1., ubi Genserici barbariem descriptam invenies.

(68) Veteri namque Ecclesiæ consuetudine cautum, ut Consecratio à tribus fiat Episcopis. V. cap. Porrò, d. 66. A minori autem numero inauguratus Episcopus, dignitatis characterem recipit quidem; at contra Canones ordinatus Episcopalia munia obire nequit. Non unum autem hoc vitium fuit in Ordinatione Armentarii in Ebredunens. Episcopum; sed quia absque Comprovincialium literis, & absque Metropolitæ auctoritate, (de qua re alibi dictum) qui erat Hilarius Arelatensis Antistes. Coacta igitur Synodo, duobus illis Episcopis (qui Armentarium ordinarant) ne Ordines conferrent in posterum est vetitum, & ne *Ordinariis Conciliis* interessent; hæc siquidem pœna statuta fuerat in Taurinensi Synodo. Armentario è Sede Ebredun. depulso permissum, ut vel Chorepiscopum se gerat, vel peregrina communione fruatur, peregrinorum nempe Sacerdotum ritu, ac more communicet.

(69) Consul Orientalis, ad quem plures extant Theodoret. epp., quique Chalced. Synodo adfuit, atque ab Anatolio Magistro militiæ in Oriente diversus non est.

E (70) Die undecima mensis Augusti Sixtum obiisse inde patet, quod an. 432., die 24. Julii Pontifex fuerit ordinatus, (ut Pagius) cumque sederit *annos octo, & dies decem & novem* juxta omnia exemplaria Anastasii tam edita, quam MSS., Summorumque PP. Catalogos, prædicta die Augusti defunctus, eique post Interpontificium 40., & amplius dierum suffectus Leo Magnus, qui Cœlestino, & Sixto primarius fuit Administer, qui natione Tuscus verosimilius fuit, quam Romanus, si Auctoris Libri Pontificalis antiquissimi Codices MSS. attendantur, ab Holsten. ap. Schelestrat. in Antiquit. Eccl. p. 402., & seq. citati, quamvis Romanum fuisse Quesnellius ostendere conetur, Dissert. I. de Vita, & reb. Gestis S. Leon. M.

responso confusus, vocem nullam emisit, ac postea, excogitato alius generis argumento, hominem rei militaris peritissimum sustulit. His rebus cognitis, Theodosius haud sibi diutius cunctandum esse statuit, quin arma adversus Vandalos caperet, (71) sive ut Valentiniano genero laboranti succurreret, sive ut serpens incendium longe à finibus suis averteret. Itaque expedito belli consilio, classem navium sexaginta instruxit, ac rei summa tribus ducibus Areobindæ, Germa-
A no, & Anaxillæ commissa, eos omni ope Africam invadere, ac Gensericum petere imperavit. Hi, Cyro Consule, postero anno 441
in Siciliam provecti majorem ibi temporis partem ad rem gerendam idonei consumpserunt: in Africam inde delati plus terroris, quàm cladis, hostibus intulerunt, ita conatu irrito Sicilia repetita. Gensericus tamen arma Theodosii veritus, legatos ad eum de fœdere misit.

# LIBER DECIMUSTERTIUS.

HUnnica jam hinc bella scribere ordiemur, quæ post per quatuordecim annos sævissima Orientem, Occidentemque formidine concusserunt, atque utriusque Imperii provincias omni direptione, strage, atque incendio deformarunt. Quæ Hunnorum natio extiterit, & quibus moribus, ac studiis prædita ex Asia in Europam primum transierit, atque imperium habere in Scythia cœperit, supra commemoravimus. Ab his pulsi veteribus suis sedibus Visigotthi, Alani, & Vandali, Istro, Rhenoque trajecto, primum Orientem, deinde Occidentem, ut ostendimus, invaserunt: ab his reliqui ferme, qui in Scythia erant, barbari bello fracti, ut sedes suas, quarum tenebantur studio, conservarent, libenter eorum se imperio subjecerunt. Itaque bellis, victoriisque continuatis Hunni jam illud fuerunt assequuti, ut totam prope Scythiam sive in ditione, sive in fide, sive in auctoritate haberent. Quo facto, nihil aliud restabat, nisi ut arma cis Istrum, Rhenumque, superiorum barbarorum exemplo, producerent, ac Romanis una & virtutem ostenderent, & periculum intentarent.

Ceterum opportune ad res novandas regnum nuper ab Optaro ad fratres duos Mundzucci filios Attilam, Bledamque devenerat, homines non tam manu egregios, quàm naturæ immanitate acerbo quodam odio adversus humanum genus imbutos. Hi vero trans Istrum in Scythia, divisis inter se locis, ac populis, confidentes, cognito, utrumque Imperatorem bello Vandalico periculosissimo impeditum, oblata occasione sibi utendum existimarunt, (1) ac belli consiliis, facultatibusque communicatis, transmisso Istro, immensas Hunnorum, reliquorumque ea ipsa barbaria populorum
B copias in fines, ac provincias Imperii transduxerunt, ac castella in limitibus Istri ad tutelam Imperii posita deleverunt, qua de re sic Procopius: *Romani quondam Imperatores, ut barbaris ultra Istrum habitantibus transitum intercluderent, universas fluminis ripas propugnaculis obvallarunt, non ea ratione extructis, ut ab irruentibus expugnari, si quis adortus esset, non possent, sed ne ripæ fluminis incustoditæ manerent, quod tum satis erat ad deterrendos barbaros, ne in Romanos fines incurrerent: posteriore vero ætate Attila cum ingenti invectus exercitu, nullo ferme labore omnia sustulit.* Castellorum inde disturbatione aditu patefacto, Attila in Mœ-
C siam, Bleda in Thraciam productis copiis penetrarunt, ac passim populari, ac vastare agros, atque oppida instituerunt, ex quibus Marcellinus Naissum, & Singidunum ex prima Mœsia nominavit. (2) Hoc tumultu accepto, Theodosius sine mora obviam eundum tantæ barbariæ ratus, adversus eos Arnegislum, & Joannem, utrumque Magistrum militum, cum delecto copiarum robore destinavit. Ceterum Arnegislus contra Attilam in Mœsiam profectus, apud Marcianopolim acri prœlio decertavit. Joannes vero, cum pari virtute Bledæ impetum in Thracia excepisset, (3) tandem æmuli Arnegisli fraude peremptus, defensionem in-
D choatam reliquit. Ea caussa factum, ut Theodosius, ne duplici bello, & quidem utroque gravissimo, premeretur, pacem Genserico petenti haud gravate concesserit. Ita- 442
que postero anno, Dioscoro, (4) Eudoxioque Consulibus, exercitum, qui adversus Vandalos erat in Sicilia, revocavit, eumque, Aspare, & Areobinda ducibus, adversus Hunnos ire præcepit. Atque Hunni quidem sævire in provinciis Romanis pergentes, omnia oppida Thraciæ præter Hadria-

(71) S. Isidor. in Hist. Vandalor. de Genserico scribit, Siciliam illum deprædatum obsedisse Panormum, subdens post pauca: *Adversus quem Theodosius Minor Orientis Imperator bellum paravit, quod ad effectum non venit; Hunnis enim Thracias, Illyricumque vastantibus, exercitus ad Vandalos missus, ad defendendos Thraces, Illyricumque à Sicilia revocatur.* De hoc tamen bello loquitur Prosper sub Consulatu Cyri, qui in Oriente Consul fuit absque Collega, ut Fasti omnes testantur.

(1) Hunnici belli originem narrat Priscus (qui Legatus post aliquot annos missus a Theodosio ad Hunnos, teste Jornan. de Reb Get. 34.) in Excerptis Legat. dicens: *Scythæ quo tempore mercatus Scytharum, & Romanorum frequenti multitudine celebrabatur, Romanos cum exercitu sunt adorti, & multos occiderunt.* Conquesti Margi (urbs erat Mœsiæ primæ, seu superioris, ad fluvii cognominis confluentes in Danubium sita) Episcopum Regum suorum loculos, & reconditos thesauros expilasse. Id negantibus Romanis bellum ab Hunnis illatum.

E

(2) Præter Naissum, & Singidunum ap. Marcell. *Viminacium* memorat Priscus, de qua civitate alibi dictum.

(3) Priscus diserte memorat prælium commissum ad Chersonesum Thracicam (quæ est juxta Hellespontum, ubi nunc una ex arcibus vulgo *Dardanelli* appellatis sita, *Sextoque* dicta, quamque apte describit Agathias l. 5. p. 55.) dicens: *Post Chersonensem pugnam Romani cum Hunnis*, & cet.

(4) Qui Præf. P. fuit sub Theodosio Jun an. 427. ut ex L. un. Cod. Justin. *nemini lic.* & cet., & ex L. 2. *de Cupressis ex luco Daphnensi.*

drianopolim, Heracleamque vastarunt, & in Macedoniam, Græciamque transgressi utramque provinciam plus quàm barbara immanitate dilacerarunt: ut nihil aliud, quàm rabiei Gotthicæ, atque Vandalicæ famam feritatis suæ magnitudine velle obruere viderentur, veluti qui non solum à Christiano, sed etiam ab omui divino cultu alienos animos patriis institutis haberent. Itaque, ut Procopius auctor est, à sinu Ionico usque ad Constantinopolim omnia suburbana diripuerunt, ac duas munitissimas in Illyrico arces, urbemque Cassandream, (5) quam antiquitus Potidæam vocabant, exciderunt. Romani vero duces adversus eos profecti, variis prœliis editis hostem multitudine abundantem irritarunt magis, quàm represserunt. Interim Gensericus fœdere cum Theodosio icto lætatus, sese ad Valentinianum convertit, ac pacem ab illo quoque petiit: ea vero haud ægre à Valentiniano his conditionibus data est, ut posthac ipse certis se Africæ limitibus contineret, tributum Valentiniano per triennium solveret, & Honoricum filium ad servandam, quam bis fregisset, fidem, obsidem daret; idem sibi Byzacenam, (6) Abaritanam, (7) Gætuliam, & partem Numidiæ retineret, Zeugitanam, (8) vel Proconsularem exercitus, reliquas Valentinianus haberet. (9) Tranquillato inde regno, Gensericus, cum Optimates quosdam suos adversus se conjurasse compositis insidiis comperisset, non eos solum multis suppliciis excruciatos necavit, sed ceteros etiam, quos ejusmodi facinoris suspicio levis afflasset, tam multos afflixit, ut plus propriarum virium in otio perderet, quàm, si prœlio decertasset. Bel-
443 lum inde Hunnicum horrens Theodosius, Maximo iterum, Paternoque (10) Consulibus, Oratores de pace ad Attilam misit, ac sex millia pondo auri in præsens pro recessu, mille autem minas, (11) si suis finibus in posterum foret contentus, se quotannis præbiturum spopondit. Quibus conditionibus acceptis Hunni pacati, sese ultra Istrum cum sociis retulerunt: verum, ut inquit Procopius, multa gaza parta, ac centum viginti millibus hominum captis, ita ut satis constet, nullam unquam nationem majoribus Illyricum maleficiis affecisse. Huic vero malo insuper accessit tanta nivis altitudo, ut tristis cujusdam prodigii opinionem attulerit; nam vix sex mensium spatio liquefacta ingentem hominum, pecudumque multitudinem ipsa frigoris, atque rigoris asperitate necavit. Romæ Leo Pontifex, cum omnes curas ad purgandas hæreticorum labes, & sanandam Ecclesiam contulisset, eò usque indagando pervenit, ut Manichæos, qui latebant, in urbe deprehenderit: (12) itaque ex tenebris erutos, atque in conspectum Ecclesiæ datos omnes opinionum suarum nequitias prodere, &, libris incensis, damnare coëgit; quin etiam ex eorum confessionibus, quos Doctores, Episcopos, Presbyteros, quibusque in locis haberent, expressit, cujus exemplum multi in Oriente Episcopi imitati, eandem sibi piæ laudem industriæ pepererunt. In Italia terræmotu laboratum est ita, ut impetu ejus Romæ plurima ædificia procubuerint. Pro- 444
ximus annus, Theodosio XVIII, & Albino (13) Consulibus, pace utroque Imperio late parta fuit insignis. Attila vero à bello externo otiosus ferocitatem, quam exercere in alienos didicerat, in consanguineum suum convertit: siquidem Bledam fratrem, ut solus imperio potiretur, vita per insidias exuit, (sicut Prosper, & Cassiodorus notavit,) (nam Marcellinus in sequente anno (14) factum hoc prodidit,) fratre vero extincto ad se summam rei Hunnicæ transtulit, ac populos, qui ei parebant, imperio obedire suo coëgit. Itaque ut opes, ac potentiam auxit, sic adversus homines superbiam, immanitatem, ac diram quandam acerbitatem odii incitavit. Nam Senatum ad concussionem gentium prædicabat, & formidabilem populis omnibus præferebat, superbe admodum incedens, atque huc, & illuc oculos circunferens, quam morum tru-

(5) Plin. ait: *Potidæa nunc Cassandria Colonia*, urbs etiam celebris, antequam a Cassandro ornaretur, quæ ausa cum Atheniensibus congredi. Memorat Thucydides L. 1. 41. 77. & Liv. l. 44. 11. Cassandrienses Juris Italici fuisse ait Paul. L. ult. de Censib. Sita autem in Isthmo Peninsulæ Pallenes. Strabo excer. l. 7.

(6) Cujus Metropolis Adrumetum, & medio ævo erat Provincia separata, ex L. 12. de divers. off. Cod. Th., & L. 1 de collat. donat.

(7) Abaritani Episcopalis loci (unde forsan Abaritana Provincia nominata) meminit Vict. Uticen, hinc *Abaritanam arundinem* memorat Plin. 13. 36 Prosp. in Chr. sub h. an. Coss, Byzacenam, Tripolitanam, & Zeugitanam Proconsularem dictam Vandalis dimissas tradit.

(8) Quæ à Tusca fluvio, qui Numidiam terminat, usque ad Adrumetum patebat, ex Plinio in descriptione ejusdem. De eadem Æthicus in fin. Cosmograph., Solinus c 27. Isidor. Hisp. l. 14. Orig. G. & Victor Vit. l. 1. Persecut Afric. de Genserico ait: *Zeugitanam vel Proconsularem funiculo hæreditatis divisit*.

(9) Is sibi retinuit Mauritaniam utramque, sc. Cæsariensem, & Sitifensem, Numidiam, & quæ veteris Mauritaniæ pars postea Tingitana dicta, *ceteras Provincias licet exterminatas Valentiniano adhuc defendente*, ait Vict. Vit l. 1 4.

(10) Qui Præf. P. fuit Occ., ut ex Nov. 2. data à Valentiniano, L. 1. Novell. t 42. de Palatinis; ubi sicut & in aliis legibus h. an. editis, dicitur *Paterius*, ut Ennodius quoque habet, Dictione 13. Hinc male *Paternus* in Chr. Alex., Cassiod., Cuspinian., & Onuphr., quos A. N. secutus.

(11) *Duo mille, & centum libras auri in posterum singulis annis tributi nomine pendi*, inquit Priscus, inter ceteras conditiones Hunnos obtinuisse à Romanis; *superante enim metu, qui Romanorum Ducum mentes occupaverat, quantumvis duras, & iniquas conditiones sibi impositas (quo pacis consequendæ studio tenebantur) lubentibus animis susceperunt*. L. Excerpta.

(12) Quorum plures, Africa à Vandalis devastata, Romam venerant, quorum sacrilegis artibus detectis S. Pontifex epistolam etiam scripsit an. sequ. ad Episcopos Italiæ contra eosdem, 8. in edit. Quesnellii; quæ deinde per universas Provincias ad Episcopos missa.

(13) Is Consul Occid., ubi antea Præf. U., & Præf. P., ut ex Prosopograph. Cod Th. immo & sequent. annis bis adhuc eadem Præf. P. honestatus, ut Novell. per ea tempora datæ indicant.

(14) Recte A. N. Marcellinum emendat: sicuti emendandus Beda Hist l. 1. 13. eid. an. cum Marcell. consignans Bledæ necem; major siquidem fides Prospero tunc viventi L. quæ Jornan. de Reb Get. 35. de Attila ait, ingentes illius spiritus exponens, fratre occiso.

truculentiam species ipsa corporis quoque augebat: statura brevis, latum pectus, grande caput, parvi oculi, rara barba, nasus simus, color ita teter, ut originis ejus signa haud dubia proderet; natura confidens, sed post gladium Martis inventum, qui apud Scythicos Reges magno semper in honore fuisset, multo magis; nam cum pastor quidam, ut inquit Priscus, (15) buculam conspiceret claudicantem, ut caussam vulneris inveniret, solicitus cruoris vestigiis institit, tandemque ad gladium, quem depascens bucula incaute calcaverat, venit, effossumque protinus ad Attilam tulit. Quo ille agnito, ut erat alto animo præditus, arbitratus est, se totius Orbis terrarum Dominum constitutum, ac per Martis gladium potestatem omnium sibi permissam esse bello-

445 rum. Valentiniano inde VI., & Nonio (16) Consulatum gerentibus, cum eadem, qua ante, pace florerent omnia, Valentinianus lætus Romam ad vicennalia sua peragenda concessit, quam occasionem nactus Leo Pontifex, quod audivisset, Hilarium Arelatensem Archiepiscopum injussu suo in Gallia Episcopos ordinare, (17) mire offensus, ipsum, ut de ea re ad Aetium scriberet, impulit. (18) Earum litterarum adhuc extat exemplum: *Aetio, viro illustri, Magistro utriusque militiæ Valentinian. Aug. Hilarius Arelatensis Episcopus, sicut Venerabilis viri Leonis Romani Papæ fideli narratione comperimus, contumaci ausu inlicita quædam præsumenda tentavit: nam Ecclesia Rom. urbis inconsulto Pontifice, indebitas sib. ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasit. Huic, neque alii in posterum tale aliquid liceat, Apostolica, & nostra auctoritate provisum est, VIII. Idus Junias Romæ, Valentiniano Augusto sextum Consule.*

446 Aetius inde tertium, & Symmachus primum iniere Consulatum. Ab hoc anno summam Reipublicæ atque Ecclesiæ pacem, atque tranquillitatem gravis bellorum hæreseumque tempestas excepit, quæ totum Theodosii, Marciani, inprimisque subsequens Valentiniani Imperium misere, atque assidue adeo conflictavit, ut, excepto Genserici, qui in fœdere tertio mansit, ab Africa bello, nulla mali species ad Romanas contundendas opes absfuerit. In primis terror hominum Attila quiescere nesciens, atque unà gloriæ, prædæque appetens, violato fœdere novum Theodosio bellum indixit, caussa prætenta, quod ille annua tributa ex pacto non persolvisset: simul etiam Valentiniano, cujus caussa secerni à Theodosiana non poterat, gravissime comminatus est, cum nihil in ore nisi servitutem, cædem, direptionem, atque inflammationem haberet. Itaque Aetius, cum ad Consulatum ineundum Romam, ubi Valentinianus quoque erat, venisset, omni cura in id incubuit, ut quæcunque pollet, ad Hunnicum frangendum impetum necessaria compararet. Per eosdem dies Picti, Scotique certiores facti, Romanos aliis bellis implicitos Britannis subvenire non posse, atque Aetium Romam revocatum ex Gallia discessisse, erecti animo ad invadendam insulam redierunt, extremamque ejus partem ad murum usque ceperunt, (19) ibique præsidium in arce edita positum expugnarunt: Britanni tam repentina, ac valida eruptione perculsi, cum, muro, civitatibusque relictis, in fugam se conjecissent, passim ab insequentibus hostibus strati sunt, donec fame utrumque exercitum invadente, cum omnia alimenta, præterquam ex venatione, subtracta essent, res in mutui latrocinii formam concessit. Quos vero belli clades reliquos fecit, ii epistolam ad Aetium miserunt, in qua calamitates suas sic exposuerunt: *Aetio tertium Consuli gemitus Britannorum. Repellunt nos barbari ad mare, repellit mare ad barbaros, inter hæc oriuntur duo genera funerum, ut aut jugulemur, aut mergamur. Quamobrem oramus vos, ne nos tam perditis rebus deseratis, cum à vobis repulsis, nulli sint, ad quos confugiamus.* Neque tamen his litteris aliquid auxilii impetrarunt, quod Aetius, ut inquit Beda, bello Hunnico gravissimo erat occupatus; nam quamvis anno ante hunc proximo Bleda Attilæ fratris sui interemptus esset insidiis, Attila tamen ipse adeo intolerabilis remansit hostis, ut totam, (sic enim ille pergit,) pene Europam, excisis civitatibus, atque castellis, arroderet. Interim Britanni fame urgente coacti, alii sese hostibus dediderunt, alii postquam humanum subsidium deplorarunt, Deo confisi, ex montibus, & saltibus, quo se condiderant, erumpentes, atque in hostes invadentes magnas eorum strages dederunt. Ita Scotis in Hyberniam reversis, Picti in Aquilonari insulæ parte ultra murum domicilia posuerunt, ac subinde prædas de Britannis agere perrexerunt. Sub eosdem dies apud Ephesum res ingentis apud omnem posteritatem stuporis evenit, quæ resurrectionem corporum, quam multi revocabant in controversiam, confirmavit. Ante ducentos ferme annos, Imperatore Decio Christianos religionis gratia divexante,

(15) Cujus hæc verba: Neque vero illi parvæ potentiæ accessio contigerat ex eo, quod Martis ensis erat detectus. *Hic tamquam sacer, & Deo bellorum Præsidi dedicatus, à Scytharum regibus olim colebatur, & multis ante sæculis non visus, bovis ministerio fuerat tunc temporis erutus.*

(16) Nomus dicebatur, qui Magister erat Offic. an. 443., quo Theodosius ad eumdem dedit Novell. 31. de ambitu, & locis limitaneis; fuitque ex Judicibus ad Concil. Chalced. missis unus, ubi Anastasii S. Cyrilli nepotis querelas audiit. Extant ad ipsum tres Theodoreti epistolæ scriptæ.

(17) Res ita se habuit: Hilarius Arelatensis Celldonium (Vesontiensem potius Episc. cum Chiffletio, in Hist. ejusdem Urbis, & Ecclesiæ, quam Viennensem cum Baron.) injuste in Synodo deposuit, nec non Projecto Episc. ægrotanti, qui alienæ Provinciæ erat, alium suffecerat: hanc ordinationem contra Canones factam improbavit S. Leo in R. Synodo, & Hilarium Metropolitica exuit dignitate, quam in Viennens. Episc. transtulit. L. Leonis ep. 89., 10. vero Edit. Quesn. ubi utrumque Episcopum Celidonium, Projectumque suis sedibus restitutos invenies.

(18) Quæ extat ap. Bedam Hist. l. 1. 13. Erat autem tunc Aetius Magister militiæ in Galliis.

(19) Murus hic Picticus, *The Picts Vval*, primò ex cespitibus, postea munitior constructus, per continentem à mari Germanico ad mare Hibernicum, perfectus à Severo Imp. Sed Imperio jam devergente, è solido saxo prope Itunæ sinum in occidentem cœptus perpetuo tractu ad Tinæ ostium in Oriente ductus est. Cujus monumenta in Cumbria, & Nortumbria adhuc extare, testis est Joannes Speedus.

te, septem pueri Ephesi ex iisdem parentibus nati, cum palam Christum profiterentur, timore persequutionis exanimati urbe secesserant, ac sese in speluncam proximi montis abdiderant, cujus aditum industrii persequutores extrinsecus ita obsepserunt, ut evadendi etiam enixe molientibus facultatem eriperent. Pueri ut se clausos, vallatosque senserunt, in mœrorem conversi repente somno acriore oppressi sunt, atque ita usque ad hunc annum sopiti manserunt; (20) cum vero molibus speluncæ forte remotis experrecti, perinde quasi unam tantum noctem dormissent, unum ipsorum in urbem victus comparandi caussa miserunt, cum autem ille nummos Decii Imperatoris jampridem insuetos proferret, thesaurum invenisse existimatus ad Magistratum deducitur, ac summis, ut aurum proderet, tormentis afficitur. Tandem, cum Decium Imperatorem auxilii gratia invocasset, error agnitus est, historiamque à principio repetere jussus, & illos, quid actum esset, edocuit, & ab iis, qui status esset rerum præsentium, didicit. Qua re cognita, Theodosius pietatis studio inflammatus, Ephesum properavit, ac fratres alloquutus omni officio caritatis excoluit, post septem vero dies, cum eosdem vero mortis sopore mersos vidisset, in eodem sepeliri antro jussit, ac, summo eis honore adhibito, Constantinopolim se recepit. Ex ea re intellectum est, qui pueros illos post ducentos annos salvis corporibus excitasset, eundem pro magnitudine potentiæ suæ cunctos etiam homines suscitare in die novissimo posse.

447 Eodem anno Constantinopolim sæva fames, ac fœdior pestilentia fatigavit. Subsequente hyeme, quo Calypius, & Ardabures Consulatum inierunt; (21) Attila Istrum opportune conglaciatum nactus, exercitum suum in citeriorem Daciam populatùm immisit. Adversus quem Anthemius, & Arnegislus Magistri militum cum firmo copiarum delectu à Theodosio missi omnem imminentem impressionis procellam fortiter excepe- runt. Præcipue Anthemius vagum hostem non longe à Sardica adeptus, in unum locum compulsum, ac vallo circumseptum variis prœliis fatigavit: ac militem, licet rebus necessariis indigentem, mirifice in officio, fideque continuit: commissa inde summi certaminis pugna, ut cornua aciei defectione collegæ nudata vidit, haudquaquam animum demisit, sed acrius, ac vehementius instans, fugientes illius milites in prœlium revocavit, atque hostes in fugam conjectos, ac mox certamen instaurantes devicit, ac, pace illis promissa, si collegam desertorem intermissent, facile, quod expetiit, impetravit. Unde Sidonius ad Anthemium scribens, sic dixit, de Hunnis loquens:

*Gens ista repente*
*Venerat, & sectas inciderat orbita lymphas.*
*Hanc tu directus per Dacia rara vagantem*
*Contrahis, aggrederis, superas, includis, & ut te*
*Metato spatio castrorum Sardica vidit,*
*Obsidione premis, quæ te sic tempore multo*
*In vallo positum stupuit, quod miles in agros*
*Nec licitis, nec furtivis excursibus ibat.*
*Cui deesset cum sæpe Ceres, semperque Lyæus,*
*Disciplina tamen non defuit, inde propinquo*
*Hoste magis timuere ducem, sic denique factū est,*
*Ut socius tum forte tuus, mox proditor, illis*
*Frustra terga daret, flexo pede cornua nudans,*
*Tu stabas acie solus, te sparsa fugaci*
*Expetiit ductore manus, te Marte pedestri*
*Sudantem repetebat eques tua signa sequutus.*
*Dux fugit, insequeris, renovat certamina, vincis,*
*Clauditur, expugnas, elabitur, obruis, atque*
*Sarmaticæ paci precium sua funera ponis.*
*Partitur, jussum subiit jam transfuga lethum*
*Atque peregrino cecidit tua victima ferro.*

Marcellinus (22) Aragislum Magistrum militum in Ripensi Dacia juxta Utum amnem (23) ab Attila Rege viriliter pugnantem plurimis hostium interemptis occisum esse, Attilam populabundum usque ad Thermopolim pervenisse, scribit. Ex quo apparet, cum Anthemii acta suppresserit, ipsum omnino in hac historia vacillare. His actis Theodosius tantum bellum aversatus legatos ad Attilam de pace in Scythiam misit. In hanc legationem se missum esse Priscus historicus, ut exponit Jornandes, narravit: *Ingentia*, inquit, *flumina*, *id est*, *Tisiam*, *Driccamque* (24) *transeuntes venimus in eum locum, ubi dudum Vidicula Gotthorum fortissimus dolo Sarmatarum occubuit, indeque non longe ad vicum, in quo Rex Attila morabatur, accessimus, vicum inquam instar civitatis amplissimæ, in quo lignea mœnia* (25) *ex tabulis nitentibus fabricata reperimus, quarum compago ita solidum mentiebatur, ut vix ab intento posset junctura tabularum comprehendi. Videres triclinia ambitu prolixiore distenta, porticusque in omni decore dispositas, area vero curtis ingenti ambitu cingebantur, ut amplitudo ipsam regiam aulam ostenderet. Hæc sedes Attilæ Regis barbariam totam tenentis, hæc captis urbibus habitacula præponebat.* Ceterum pacem impetratam ex intermisso per sequentes annos

(20) Diuturnum hunc somnum ducentorum annorum referunt Gregor. Turon. l. de Gloria Martyrum 95., Phot. in Bibl. Cod. 253. Theophan., Cedren., Constant. Manass., Niceph. l. 14. Hist. Eccl. 45. Menæa Græcorum, Acta Metaphr. attributa ap. Sur. ad diem 27. Jul. At sicuti Martyrium eorumdem sub Decio, & Corporum Inventio non neganda, ita fabulis accensendum reliquum, quod sane S. Prosper, Marcellinus, & Evagrius non omisissent, ut tacitus præteream quæ Em. Baron. affert in Not. ad Martyr. Rom., die 27. Julii.

(21) Ille vocatur Alypius in Græcis Fast. Heraclii, & in Fast. Chr. Alex., A. vero N. Cassiodor., Prosp, & Marcellin. sequitur, quibus est Calypius. Ardaburis autem, seu Ardaburii in Histor. Byzantinis frequens mentio, de quo Priscus Rhet. ait, filium Asparis fuisse, qui ann. 434. Consul fuit, & Saracenos ad Damascum profligavit. Isque Consul Orientalis.

(22) Cui ceteroquin suffragatur Auct. Chr. Alex. At nullus crediderit Sidonium in tanta re fuisse mentitum in Panegy., quem Romæ recitavit Anthemio II. Cons., cujus carmina subjicit A. N.

(23) In Mysia ex Hæmo monte in Danubium influens, ad quem cæsum Aragislum Marcellin. prodit. Ejus mentio ap. Antonin., & in Notit. Imp. nec non in Plin.

(24) *Post Istrum*, inquit Prisc. in Excerpt. Legat. T. 1. Script. Byzan. post. Edit. 38. p. init., *maximi* sunt (fluvii sc. navigabiles) *Drecon, Tigas, & Tiphisas*.

(25) *Nec enim apud eos, qui in ea parte Scythiæ habitant, ullus est lapis*, inquit Priscus l. c. p. 39. & Onesegius, eodem teste, qui plurimum apud Scythas opibus, & auctoritate valebat, lapidibus ex Pæonia advectis, balneum construxerat.

nos bello colligitur. Hac re cognita Valentinianus, ne solus relinqueretur injuriæ, libidinique Attilanæ obnoxius, & ipse oratores ad pacem petendam misit, Cassiodorum Cassiodori Senatoris avum, & Carpilionem Aetii Patricii filium, de qua legatione sic scriptum est in epistola Theodorici Regis apud Senatorem: *Cassiodorus Aetio Patricio in defendenda Rep. fuit socius, cujus auctoritatem Valentinianus Imperator in omni capiendo consilio sequebatur, legatus autem ad Attilam unà cum Aetii filio Carpilione missus vidit eum intrepidus, quem timebat, Imperium, ac facies illas terribiles, ac minaces fretus veritate despexit, nec dubitavit altercationibus adversari, qui furore nescio quo raptus mundi dominatum videbatur expetere, invenit Regem superbum, sed reliquit placatum, & calumniosas ejus allegationes tanta veritate refellit, ut is gratiam quæreret, cui pacem cum regno ditissimo non habere utile esset, erexit constantia sua partes timentes, nec imbelles sunt crediti, qui legatis talibus erant armati, pacem retulit desperatam, cujus legatio quid profecerit, datur intelligi, quæ tantum est gratanter excepta, quantum & videbatur optata*. Leo Pontifex pridie Kal Julii ad litteras Januarii Aquilejensis Episcopi rescripsit, (26) ut omnes clerici, qui hæreticorum communionem iniissent, atque ad Ecclesiam rediissent, modo ne iterata maculati tinctione fuissent, eum gradum, in quo erant, obtinerent, neque ad altiorem provehi possent. In Hispania Richila Rex Suevorum obiit, Riciario filio successore relicto. Eodem anno Ecclesiam vix dum à Nestoriana hæresi respirantem novus alius perfidiæ veternus invasit, qui in multos post annos magnos tumultus, ac graves in populis seditiones excivit. Hæc autem Eutychiana hæresis appellata est, (27) quæ ut orta, atque extincta sit, actionibus suo quibusque anno reddendis, deinceps, ut instituimus, exponemus. Constantinopoli Eutyches Archimandrita, vir eruditionis, atque auctoritatis inter monachos singularis, palam dicere, atque oratione tueri non dubitavit, Corpus Christi diversæ à nostro esse substantiæ, & Christum totum unius esse naturæ, ex quo aperte ut Arrius Christi divinitati, sic hic, alter Apollinaris, detrahebat humanitati: ceteris vero omnibus opinionem ejus ut non solum falsam, sed etiam ridiculam aspernantibus, unus extitit Dioscorus Alexandrinus Episcopus, (28) qui avide illam arripuit, &, si quis oppugnare vellet, defendit. Kal. Octobris Theodosius Augustus Novarum volumen Constitutionum (29) ad Valentinianum Romam misit, quas ad suum Codicem adjici, & Novellas appellari voluit, eas Valentinianus, Postumiano, & Zenone Consulibus, Ravennam Roma reversus Nonis 448
Maii Albino Præfecto Prætorio, Patricioque observandas mandavit. In Gallia, cum Armoricanos adhuc defectionis in pertinacia permanentes Aetius aliis curis implicitus Eocharico Alemanorum Regi (30) subigendos tradidisset, is, validissimo comparato exercitu, castra in eos promovit. Armoricani, ubi tantam in se ruentem molem viderunt, in timorem de sua salute adducti, ad Germanum Antisiodorensem Episcopum confugerunt, eumque, ut incolumitatem sibi procuraret, orarunt. Paruit eorum voluntati Germanus, ac Regem, progressus obviam, cum exercitu consistere, manu freno equi injecta, coëgit, eumque, ut pacem populis daret, admonuit. Ille rem ad Aetium, Aetius ad Valentinianum rejecit. Quare Germanus ad Valentinianum Ravennam iter ingressus est; in itinere autem multa signa & in Gallia, & in Italia edidit, præcipue autem Mediolani, cum urbem, templumque incognitus introiisset, atque in populi turba lateret, mirandum in modum in ipsa Sanctorum solemnitate est agnitus. Ravennam inde progressus, summo studio à Petro Episcopo, & tota civitate excipitur. Cum Placidia vas argenteum cibis refertum ad eum misisset, ille, cibis ministris suis distributis, argentum sibi in necessitates pauperum conferendum retinuit, & patinam cum hordeaceo pane remisit. Quem Placidia libens accepit, atque ad salutaria ægritudinum remedia conservavit. Dum autem ille Ravennæ mansit, multos ægros ad pristinam valetudinem revocavit, insignia vero illa, quòd Acholium eunuchum, præpositum sacri cubiculi, maligni vexatione spiritus liberavit, & Volusiani filium, qui Sigevultis Patricii cancellis præerat, ad depellendam febrim accitus, cum mortuum invenisset, vitæ restituit, pacem etiam Armoricanis impetravisset, nisi nova eorum rebellio justam, quo minus

(26) Epistolam nempe sextam, quæ tamen data *III. Kal. Januar.*, Alypio, & Ardabure VV. CC. Coss., quamque, nescio an satis validis conjecturis innixus, Antelmius Dissert. 4. de Operib. SS. Leonis, & Prosperi Spuriam esse, contendere velit.

(27) S. Anastasius Synaita scribit: *Annis circiter post* ( Ephesin. nempe Concil. ) *decem Eutyches quidam Archim. Constantinopoli exortus, qui diceret totum Christum esse naturam unicam*. Hæresim hanc inter familiares Monachos, aliosque sibi necessitudine junctos cum docere cœpisset, & ab Eusebio Dorylæi in Phrygia Episc. admonitus non desisteret, res delata fuit ad Flavianum C. P. Antistitem. L. Liberat c. 11. Breviar., & Brevicul. Hist. Eutychian. à Sirm. edit. post Append. Cod. Theod. Eutychetis errorem adamussim exprimit A. N., ut constat ex ep. S. Flaviani ad S. Leon., p. 1. Conc. Chalc 4., ex ep. 45. ejusd. Pont., edit. Quesn. 64.

(28) Assertor is hæreseos Eutych. reus multorum criminum fuit, ut constat ex Libello Eusebii Dorylæi, lecto in Chalced. Conc., in quo tamen primo Orthodoxiæ induit larvam, quam tamen statim deposuit; unde & ipsi cum Eutychete ibidem dictum anathema.

(29) Theodosius an. 348. Leges Novellas confirmavit, ut ex l. 1. Novell. t. 2. liquet, ut in Occiduis partibus servarentur. Valentinianus vero Nov. 1. l. 2. 13. sub Coss. an. 449. data, easdem in omnium perferri notitiam jussit, *ut sicut uterque Orbis individuis ordinationibus regitur, iisdem quoque legibus temperetur*, inquit l. c.

(30) Cujus sedem fuisse ad Ligerim, fluvium Aremoricanis proximum, verisimile videtur; Constantius enim Presbyter Lugdun. à Sidon. Appoll. sæpe laudatus, de eodem Rege tradit, *loca illa* ( Aremoricos intelligit ) *inclinanda pro rebellionis præsumptione permiserat, quæ ille pro aviditate barbaricæ cupiditatis inhiaverat*. l. 2. c. 5. Recte autem A. N. Regem Alemanorum dixit, non *Alanorum* quod legi vult Sirmond. in Not. ad Paneg. Aviti n. 246., corrigendum Constantii locum censens in Vita S. Germani. At non advertit Sirmondus an. 448., quo Aetius Eocharicum in Armoricos egit, Sangibanum Regem Alanorum fuisse, qui & Attiliano prælio adfuit, eidemque supervixit.

minus daretur, principis iracundiam excitasset. Lapsus inde in morbum à Placidia se visitante poposcit, ut corpus suum, postquam anima excessisset, in patriam deferendum curaret, ac septimo post die pridie Kal. Augusti expiravit. (31) Eo mortuo supellex ejus ita divisa est. Placidia capsulam cum sanctis reliquiis sibi ascivit, Petrus urbis Archiepiscopus cucullum cum interiore cilicio; sex Antistites, qui aderant, unus pallium, alter cingulum, duo tunicam, duo sagulum assumpserunt. Acholius præterea aromatibus corpus condivit, Placidia vestivit, Valentinianus comites, qui prosequerentur, attribuit. Ita multis effulgens miraculis perlatum in Galliam Kalen. Octobris Antissiodorum, magna effusi populi celebritate, susceptum est. Ceterum hic fuit Petrus, ab eloquentiæ præstantia Chrysologus appellatus, cujus egregii multi extant sermones, post Fori Cornelii, unde originem trahebat, & mortuus, & sepultus, atque in numerum Sanctorum ascriptus. Flavianus autem Constantinopolis Episcopus, cum Eutychetis hæresi late serpente multos misere implicari videret, mature occurrendum arbitratus, Episcopos suos ad urbem advocavit. In eo conventu (32) Eutyches ab Eusebio Dorylæensi Episcopo accusatus, & à Patribus adesse, ac fidem suam exprimere jussus, respondit, Dominum nostrum, antequam divinitas cum humanitate conjungeretur, ex duabus naturis constitisse, at post earum conjunctionem unam in eo naturam tantummodo extitisse, corpusque ejus non ex eadem esse substantia cum nostro. Quod cum Episcopi audissent, ipsum repente magno consensu communione privarunt. Ea sententia consternatus Eutyches confugit ad Theodosium, ac se falsis ab Eusebio criminibus expostulavit oppressum. Quamobrem Theodosius, ut eadem caussa de integro cognosceretur, edixit, quæ cognita cum paribus esset sententiis condemnata, Theodosius Leonem Pontificem de tumultu, quo premeretur Ecclesia, docuit, (33) eademque ratione Eutyches, (34) se immerito damnatum, expostulavit. Itaque sequenti anno, Protogene, 449
Asterioque Consulibus, (35) Leo XII. Kal. Martias scriptis litteris Flaviano mandavit, ut se de actis omnibus per idoneum nuncium edoceret, quo mature de ea re judicare, & seditionem sedare Ecclesiæ posset. Theodosio vero Kal. Martii rescripsit, sibi adhuc compertum non esse, quamobrem Eutyches damnatus esset, quòd is ad se scripsisset, se Nicæna decreta servantem in fidei diversitate culpatum esse. Interim Theodosius tantæ seditionis impatiens, ad hanc rem judicandam Concilium Ephesum ad Kalendas Augusti Episcopis Orientis indixit, deque ea re certiorem Leonem fecit. (36) Leo vero jam de omni Eutychetis impietate, & justa illius damnatione commonefactus, Idibus Junii litteras ad Theodosium, Pulcheriam, & Flavianum dedit: quarum hæc erat summa: se ad Concilium accedere nolle, tum quia res exemplo careret, tum quia incertæ præsentis temporis rationes se ab Ecclesia discedere, atque ab Urbe non paterentur, & quòd caussa fidei, quæ tractabatur, adeo explorata esset, ut etiam sine Concilio transigi posset: tamen, ut Theodosii voluntati pareret, legatos mittere, qui vice sua caussam pie, ac fideliter expedirent, dolere etiam, quod nimis angustum tempus ad conveniendum sit præstitutum; cum à tertio Kal. Majas, quo litteras ejus acceperit, major pars temporis fuerit in instruendo legatorum itinere consumenda. Legati fuere Julianus Episcopus, (37) Renatus Presbyter tituli S. Clementis, Hilarius Diaconus, & Dulcitius Notarius. Kalendis Augusti (38) Ephesi Concilium convocatum est, cui Dioscorus Episcopus Alexandrinus, (39) Domnus Antiochenus, Juvenalis Hierosolymitanus, & Flavianus

(31) Constantius cit., qui circa h. sæculi fin scripsit, in S. Germani Vit. l. 2. c. ult. habet, S. Germanum *sedisse annos* 30. *dies* 25. & cet. Amatorem autem illius decessorem migrasse *Kalendar. Majar. quarta feria*; proindeque quo anno littera F. Dominicalis, sicuti est an. 418., quo inauguratus Germanus, cujus obitus, supputatione facta, an. præs. evenit. Certe is interfuit Synodo Galliar. an. 444 circiter ab Hilario celebratæ, adeo ut mirari subeat, quomodo Cambdenus p. 94. alliget Germani mortem an. 435.

(32) Ad quem convenere Episcopi, qui reperti sunt in Comitatu, ut indicant Acta ejusd. Concilii, numero 32., cujus convocationis causa fuit orta quæstio inter Florentium Sardium Antistitem, & duos Provinciæ suæ Episcopos, qua definita, actum de Eutychete, qui scriptis suis convictus, damnationis sententiam subiit, frustra obnitente Chrisaphio Eunucho, cujus ingens in Flavianum erat odium. Actorum seriem L. in Act. 1. Conc. Chal.

(33) In Conventu C. P. habito, Præside Thalassio Cæsareæ in Cappad. Episc., & Florentio Patricio præsente. L. ep. Flaviani ad S. Leon. 1. pt. Conc. Chalc. c. 4., Liberat. c. 11. Breviat. ex quibus intelliges aulicorum artes, quæ Theodosii animum egere sæpe transversum.

(34) Is & R. P. circumvenire necquicquam conatus fuit, datis ad eumdem literis, quæ extant in Synodico adversus Tragædiam Irenæi a Christiano Lupo evulgato.

(35) Prior inter illustres viros qui comitati sunt Marcianum Augustum ingressum ad Synodum Chalcedon., memoratur *gloriosissimus Expræfectus, & Exconsul, ac Patricius*. p. 575. ejusd. Synodi. Posterior vero, qui alibi Astyrius, & Asturius, y pro u, veterum more usurpato, dicitur, non confundendus cum Turcio Rufio Asterio an 494. Consule Ordin., ut facit Vvilthemius in Append. ad Diptycon Leodiense.

(36) Missa per Epiphanium Tribunum epistola. L. epist. 13 5. Leonis ad Pulcheriam Aug. & ep. 9. ad Theodosium Imp. Indicta autem Synodus ad Kal. Aug., sed litteræ evocatoriæ datæ *III. Kal. April.*

(37) Non Julianus Coënsis, ut Quesnell. vult in Notis ad ep. 24. Leonis ad Flavian., & Vales. in Not. ad Evagr. l. 1. 10., sed Julius Episc. Puteolanus, unus ex Legat. Pontificiis fuit cum Hilario Archidiacono, & Renato Presbyt. qui in Delo insula morte præventus fuit, ut Auct. Brev. Eutychian. Certe Julii nomen legitur in Codicibus Mariani Scoti. MSS. Codices, epistolæ ad Flavian., Evagr. l. 1. 10., Niceph. l. 14. 47., Prosp. in Chr., Anastasius, aliique Julium exhibent; quæque supersunt Juliani Coënsis ad Leon epistolæ, hujusque plures ad Coënsem datæ, nullum de præsidentia vestigium præseferunt.

(38) Ad Kal. indictum, cœpit autem Pseudo-Synodus illa die VIII. ejusd. mensis, cui centum triginta Episcopi adfuere. V. Act. 1. Conc. Chal.

(39) Duo commisit Theodosius gravissima quidem in Ecclesiam, quod Edicto suo Primatum Dioscoro detulit, (extat Act. 1. Conc. Chal.) præsertim cum adventuros sciret Pontificios Le-

vianus Constantinopolitanus cum suis quisque Episcopis, atque ipsi præterea legati Leonis affuere. (40) Ibi Theodosii jussu sententiæ dictione privati sunt, qui conventum Constantinopolitanum inierant, quod eorum tum decreta disquirerentur. Dioscorus autem ex Chrysaphii Præfecti Palatii auctoritate, cum summum sibi in Concilio auctoritatis jus asciviffet, rem totam pro sua libidine administravit, nam Episcoporum alios non admisit, alios per vim sibi assentiri coëgit. Ita non solum Eutychetem absolvendum, sed Flavianum etiam, (41) & Eusebium, Theodorum Mopsuestenum, Theodoritum Cyrensem, & Ibam Edessenum, aliosque mul os abdicandos curavit. Hilarius autem Leonis legatus, ubi contra leges omnia administrata persensit, ne vim aliquam pateretur, Concilio se subduxit, ac maturato itinere Romam profectus, Leonem de ratione Ephesini conventus edocuit. Quibus rebus Leo permotus, Episcopos ex Italia Romam primo quoque tempore advocavit, (42) atque ex eorum sententia III. Idus Octobris ad Theodosium, & postridie ad Pulcheriam litteras eodem argumento misit: quoniam quæ acta erant Ephesi, sibi narrante Hilario, cognita, non solum fidem non sublevarent, sed omnes etiam Ecclesias vulnerarent, rogare illos, ut caussam in integrum redigerent, donec major Sacerdotum numerus conveniret, & ut Apostolorum, ac Martyrum coronas ante oculos haberent, quibus nulla alia fuisset caussa patiendi, quàm confessio veræ divinitatis, & veræ humanitatis in Christo, sinerentque de ea re Concilium generale in Italia celebrari, quod omnes offensiones sic aut tolleret, aut leniret, ut nihil ultra relinqueretur aut in fide dubium, aut in caritate divisum. Idibus vero scripsit ad clerum, & populum Constantinopolitanum, se vehementem ex actis Ephesinis traxisse dolorem; jubere a tem, eos bono animo esse, nam se neminem unquam in communionem admissurum, qui viventis Flaviani sedem invasisset, atque jam nunc anathema eis indicere, qui veritatem carnis nostræ in Christo diffiteantur. Per eosdem dies Valentinianus cum Placidia matre, & Eudoxia conjuge Romam, relicta Ravenna, migravit: postridie vero, quàm urbem iniit, insigni pompa ad venerandam Beati Petri Basilicam una cum eisdem processit. Quibus Leo, & Episcopi, qui Romæ convenerant, statim hilares occurrerunt, atque ab eis summis precibus, lacrymisque petere instituerunt, cum Theodosio agerent, ut fides à majoribus tradita, ac paulò ante Ephesino conventu labefactata, conservaretur, & ut Flavianus, ac ceteri Episcopi injuste damnati restituerentur, atque ad eam rem Concilium in Italia cogeretur. Quorum auctoritati Valentinianus, atque Augustæ se obsequuturos alacri animo responderunt: extant adhuc singulorum epistolæ ad Theodosium hac de re scriptæ, quas hic intexere non videtur operæ pretium. Ad eos vero rescripsit Theodosius, gratias se Deo agere, quod Romam se incolumes contulissent. De iis, quæ Leo petiisset, se nulla in parte à paterna religione, & majorum disciplina descivisse, ad quam conservandam conventum Ephesi convocasse, in quo magna libertate, & integra veritate indignos Sacerdotes remotos, dignosque susceptos esse, inter quos Flavianum perniciosæ rerum novitati studentem merito esse damnatum, quo summoto, pacem esse Ecclesiis restitutam, sed his de rebus pluribus ad Leonem scripsisse. Hoc est Concilium Ephesinum secundum, propter pravitatem suam à Græcis prædatorium appellatum, non sine magno Theodosii probro peractum. In Gallia Apollinaris Sidonii pater Præfecturam Prætorianam exercuit, de qua sic ipse Sidonius scripsit: *Audivi adolescens, atque adhuc nuper ex puero, cum pater meus Præfectus Prætorio Gallicanis tribunalibus præsideret, sub cujus Magistratu Consul Asterius anni sui fores votivum trabeatus aperuerat; adhærebam sellæ curuli, & si non latens generositatis per ordinem, certe non sedens per ætatem, mixtusque turmæ censualium penulatorum Consuli proximus eram.* (43) Meroveus etiam Rex Francorum (44) patri Clodioni successit, ac paratis copiis, quod majores sui tentarant, neque assequi à Romanis semper repulsi potuerant, Rhenum sine certamine ullo trajecit, ac demum sedes Francorum ad

Legatos: alterum vero, quod Barsumam è Syria Archimandritam, sceleribus, & perfidia satis notum acciverit, jussum vices agere omnium Monachorum, Orientis Episcopos accusantium. L. Liberat. c. 12. Extat ad hunc data Theodosii ep. Act. 1. Chalc. Conc.

(40) Intromissi primo quidem Legati S. Leonis, at non consedere Dioscoro; inquit enim Liberat. in Breviar c. 12. *Sedentibus in Basilica Dei Genitricis Mariæ illis Episcopis, Ecclesiæ Rom. Legati, vices habentes Papæ Leonis, assidere non passi sunt, eo quod non fuerit data præsessio Sanctæ Sedi eorum. Insuper etiam, quod non lecta fuerat ad Flavianum epistola in Eutychetis damnatione à Papa Leone scripta, & occultata fuerat epistola ejus, per supra memoratos Legatos ad ipsam Synodum directa.*

(41) Lata sententia fuit (restituto Eutychete in Sacerdotii gradum, & Monasterii regimen) in Flavianum, & Eusebium Dorylæi, cui ceteri Episcopi, alias Orthodoxi, minis adacti subscripsere, ut ipsimet contestati sunt Act. 1. Conc. Chalc. Damnatus Ibas Edessen. absens, & Theodoretus, ille ob epist. ad Marim Persam; hic autem ob scripta contra S. Cyrilli Anathematismos.

(42) Baron. h. an. convocatam R. Synodum putat, à qua gesta in Prædatoria Synodo Ephesina improbata fuere. At verosimilius existimandum, celebratam à S. Leone Synodum initio an. sequ. nam, ut narrat A. N. tunc Idem P. obviam occurrit Valentiniano, Placidiæ, Eudoxiæque cum cœtu Episcoporum, simul obtestatus, ut literis apud Theodosium agerent pro Fide tuenda. Valentinianus autem, Augustæque an. sequ. Romam venere; & quidem III. Non. Mart. Romæ emissa Lex de Indulgent. debitor. Novell. l. 2. tit. 7., ubi & an. 451. maximam Theodosius partem egit, ut indicant Leges

(43) Commendat hic Apollinaris Sidonius sanguinis claritatem, unde deinde Papianillam Aviti Imperatoris filiam uxorem sibi adscivit. Ab Anthimio autem Imp. Urbis Præf., ac Patricius renunciatus. Cathedram postea Arvernensem, sive Claremontanam, rexit, defuncto Eparchio. Libri ejusd. suppetunt novem Epistolar., & Carmin. 20. in quæ extant luculentissimæ Notæ Jac. Sirm. S. J.

(44) Is an. 447. Patri successit junior filius, ut alibi observatum; Regnum per Germaniam primam, & Belgicam secundam protulit certe an. 455., ut colligitur ex Sidonio Apoll. in Panegyr., quem socero Avito dixit.

ad Axonam amnem, permittente, aut certe non repugnante Valentiniano, locavit, ab eo inde Francorum Reges, qui abhinc in Gallia dominati sunt, Merovingorom tulere nomen. Hæc Francorum Regni in Gallia primordia fuisse, doctissimis placet auctoribus, quæ idcirco notanda fuerunt, ut à quibus principiis quantæ progressiones evaserint, singula deinceps lustrando tempora appareret. Eadem ratione Angli nunc primum Britanniam non irruptionis, sed migrationis gratia tenuerunt. (45) Britanni namque à Pictis, & Scotis, (qui Pictus adjuncti partem insulæ ad aquilonem pertinentem tenebant,) assiduis incursionibus afflictati, desperato Romanorum auxilio, ad Anglos Saxones Germaniæ populos confugerunt, atque eorum nixi auxilio hostes fugarunt. Post paulò autem Angli stipendia sibi promissa à Britannis non soluta caussati, ipsam, quam defenderant, Britanniam invaserunt, ac fœda strage hominum, Ecclesiarumque pro gentilitatis, cui addicti erant, jure facta, ibi certa domicilia collocarunt. Ita Britannia in duas partes divisa duo Regna accepit, unum Scotorum ad aquilonem, alterum Anglorum ad austrum, unde illa Scotiæ, hæc Angliæ nomen invenit. Dioscorus inde superiore victoria non contentus, qua Flavianum innocentem everterat, longius etiam cupiditate, amentiaque processit; quip-
450 pe, Valentiniano VII., & Avieno Consulibus, qui fuit annus quadringentesimus quinquagesimus, eundem, ne quando, recuperata dignitate, sibi, aut caussæ suæ obesset, occulte occidendum curavit (46). Quo facto, clerus, populusque Constantinopolitanus Anatolium in ejus locum substituit. (47) Quod ubi Leo audivit, de illius doctrinæ sanitate solicitus XVII. Kalend. Augusti Theodosium per litteras obsecravit, ut ad se illius confessionem transmitteret, & Concilium haberi in Italia sineret. *Nam si ille aliter*, inquit, *de Verbi incarnatione, quàm Catholicorum omnium, & mea fert professio, senserit, communione nostra privabitur, &, si quærunt, qui à puritate fidei, & Patrum auctoritate dissentiant, convenientibus in unum iis, qui aut ignoratione, aut timore prolapsi sint, eis opportunis correctionis remediis consuletur*. Hanc verò epistolam Theodosius non accepit, quia V. Kal. Augusti vitam reliquit. (48) Mortuus est anno ætatis quinquagesimo, Imperii quadragesimo tertio, boni, & mitis principis potius, quàm strenui, & constantis laudem adeptus. Nulla virili prole ab eo relicta Pulcheria soror ipsius viventis voluntatem, judiciumque sequuta, Senatu ipso consentiente, Marcianum (49) ad Imperii culmen evexit, eum, quem supra à Genserico captum commemoravimus, atque eidem mox se conjugio copulavit. Ille verò simul atque Imperium iniit, pro insito pietatis Catholicæ studio statim cogitare de præsenti Ecclesiæ dissidio removendo instituit, ac mox à responsalibus Leonis edoctus, quanto scelere se Dioscorus obstrinxisset, qui Leonis auctoritatem interpositam respuisset, & Flavianum injuste damnatum injustius extinxisset, litteras ad Leonem has misit: *Dei providentia, & Senatus, militumque suffragiis ad Imperii culmen ascendimus. Quare pro reverenda, & Catholica religione Christianæ fidei, cujus præsidio virtutem potentiæ nostræ credimus gubernari, sanctitatem tuam principatum in Episcopatu divinæ fidei possidentem, sacris litteris salutare voluimus, rogantes, ut pro firmitate, & statu Imperii nostri Deum precetur, ut eam nobis mentem det, qua omni impio errore sublato per celebrandum, te auctore, Concilium pax erga omnes Episcopos Catholicos ab omni scelere pura concilietur*. Postquam autem legati (50) a Leone missi venere, tum iterum ita scripsit: *Reverendissimos viros, quos ad nostram pietatem tua sanctitas misit, benigne, hilariterque*

(45) Legatos missos à Vortigerno Britannorum Rege ad Anglos Saxones invitandos Beda refert l. 1. Hist. 14. Hujus quoque Legationis meminit Malmesburiensis l. 1 de Reg., & Vvittclundus l. 1. de Reb. Saxonicis. Ab hac autem Legatione an. 447. missa Beda ipse Epocham adventus Anglorum incipere videtur alicubi. Sed in Recapitulatione Histor. gentis Anglorum h an adventum ipsum consignat, sc. 449., quamvis male ponat sub Marciano imperante evenisse, cum Marcianus an. tantum sequ. Imperium susceperit. Auctori nostro suffragantur etiam Ethelvverdus l. 1., Malmesburiensis l. c., aliique Rer. Anglic. melioris notæ Scriptores. Saxones præter & Anglos Vitas, sive Jutas quoque Britann. ingressos Auctor est Beda l. c., quem L. Tres autem hi populi, qui h. an. Britanniam venere progressu temporis eam in VII. Regna diviserunt, Eptarchia constituta; Cantium se, Sud-Saxia, Estanglia, Est-Saxia, Regnum Merciorum (Mediterraneorum nempe Saxonum), Northumbriorum, sive Bernicorum, quodque in Deirorum Regnum scindebatur. Septimum tandem Occidentalium Saxonum, sive Vvest-Saxia.

(46) Flaviani mortem diversimode Scriptores prodidere: inflictorum verberum doloribus affectum obiisse, Liberatus ait Brev. c. 12. Barsumam Archimandritam immanissimi sceleris Auctorem plures Episcopi in Syn. Chal. Act. 4. affirmarunt, a Dioscoro sane actus; Evagrius enim l. 2. 2. scribit, à *Dioscoro interfectum, per vim ab eo Ecclesia extrusum, & calcibus verberatum*. Prosper autem, in Chr. prolixiori, ait: *Inter manus eorum, à quibus in exilium ducebatur, glorioso ad Christum fine transivit*. Marcellinus Comes, & Menolog. Græcorum, eumdem ad Epypam Lydiæ relegatum, inter ærumnas obiisse, quibus similia tradit Breviculus Causæ Eutychian.

(47) Caute erga Anatolium, prudenterque se gessit S. Pontifex, ab eo Fidei professionem exposcens, quem Dioscori olim Apocrisiarium, atque amicissimum esse noverat. Omnem autem Eutychianismi suspicionem removit Anatolii Professio Fidei, immo & quæ ipse præstitit in Chalcedonensi Conc., suscepta prius S. Leonis epistola ad Flavianum eo, quo par erat, obsequio.

(48) Die 28. mensis Julii, ut testatur Theodorus Lector l. 2. in fin. ubi tamen per errorem legitur imperasse una cum patre *annos septem, menses tres*; sed legend annos sex, menses tres, cum aliquot diebus: solus autem rexit Imperium per annos 42., & fere menses tres; unde A. N. intelligendus de quadragesimo incompleto. V. quæ alibi dicta de init. Imp. Theodos. Jun.

(49) Genere Thracem, cui aquilam advolantem, expansisque alis (cum dormiret) a Solis æstu refrigerantem porrendisse Imperium, auctor est Evagr. l. 2. Hist. Eccl. 1., dum captus a Genserico Vvandalorum Rege fuit, adversus quem sub Aspare militavit: quod etiam supra retulit A. N.

(50) Hi fuere Abundius, & Asterius Episcopi, Basilius, & Senatoe Presbyteri. S. Abundios Comensis erat Antistes, de quo V. Bolland. ad diem secundam M. April.

Digitized by Google

A *terque accepimus, reliquum est, ut si placuerit tuæ beatitudini ad has partes adire, & Concilium celebrare, hoc facere studio religionis dignetur, nostræ certe voluntati admodum satisfaciet, & quæ sacræ religioni utilia sunt, statuet, sin autem propter difficultatem ab hoc itinere deterretur, ipsa certiores nos per literas faciat. Nam in omnem Orientem, & Thraciam, & Illyricum sacras nostras litteras dimittemus, locum, qui nobis placuerit, ad conveniendum Episcopis indicentes, ut quæ Catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas constituerit, sua dispositione declarent*. Scripsit etiam Pulcheria ad eundem, Anatholium Catholicæ religioni studere, & B Apostolicam litterarum ejus confessionem amplecti; Flaviani cadaver Constantinopolim allatum in Basilica Apostolorum more majorum esse repositum, reliquum esse, ut ipse suam de habendo Concilio sententiam exprimat, ut Episcopi Orientis convenientes, ex ejus auctoritate de Catholica confessione decernant. Dum hæc in Oriente à Marciano geruntur, Attila bellum adversus Occidentem, & Valentinianum internecinum paravit (51); occasio vero tulit, ut arma Galliæ prius, quàm Italiæ, moverit, quamvis longius positæ, & minus patiendæ injuriæ opportunæ, quæ fuit hujusmodi. Gensericus Theodorici Regis filiam Honorico filio C suo matrimonio junxerat, sed suspicione veneni sibi parati mox reciso naso dehonestatam ad patrem remiserat; itaque vindictam merito timens, Theodoricum delere, Gotthorumque opes labefactare constituit, sed viribus suis diffidens, Attilam in ejus perniciem multis missis muneribus incitavit. Attila homo avarus, & belli cupidus, prædæ, & mercedis magnitudine ostentata, haud gravate se voluntati ejus obsequuturum promisit, ac statim consilio non insulso, ut Romanorum, ac Gotthorum opes, atque auxilia separaret, legatos alios ad Valentinianum misit, per quos se in Galliam adversus Gotthos, (quod salva ipsius amicitia facere posset,) contendere velle ostendit, D alios vero ad Theodoricum, per quos se statuisse Romanos adoriri significavit, proinde se utrique magnopere suadere, ut alter ab alterius auxilio abstineret, neque alieni periculi caussa suas fortunas in dubium devocaret. Valentinianus autem jampridem in omnem Attilæ actionem atque oratione intentus, fuco verborum se decipi veritus, subito per fidos nuncios Theodorico legationem Attilæ, atque occultum, ut rebatur, ejus consilium demonstravit, eumque ut in communi periculo communia arma susciperet, invitavit; nam satis omnibus apparere, Attilam Orbis terrarum imperium affectare, neque justas belli causas requirere, verum in capiendis armis uni libidini, atque inexhaustæ cupiditatis suæ voragini indulgere, ac jus, fasque omne despicientem promiscue se hostem mortalibus omnibus agri, terræve aliquid possidentibus exhibere, quamobrem æquissimum videri, ut qui adversus omnes homines animi sui sævitiam inflammarit, is omnium etiam hominum opibus, armisque coërceatur. Hac legatione accepta, Theodoricus summo studio se facturum quod ille suaderet, respondit, ac fœdus adversus Attilam, si in Galliam invaderet, haud invitus percussit. Theodorico (52) in belli societatem ascito, Valentinianus inde ad Gundicarium, Regem Burgundionum, Sangibanum Alanorum, & Meroveum Francorum se contulit, (53) atque eorum, quia sedes in Gallia habebant, caussam communem agi cum ostendisset, haud ægre, ut eidem se jungerent fœderi, persuasit: inde totius belli summam, ac rei pro judicio suo administrandæ arbitrium Aetio, duci illa ætate manu, consilioque promptissimo, atque in barbarorum bellis exercitatissimo, tradidit, qui, delectu barbarorum, atque Italicorum quàm acerrimo in Italia habito, nihil, quod ad tantum hostem excipiendum pertineret, omisit. Contra Attila non solum vim innumerabilem Hunnorum coëgit, sed magnum etiam numerum Ostrogothorum, qui adhuc in Scythia erant, eique parebant, excivit, quos tres ex Amalorum familia fratres, strenui maxime duces, Valamirus, Theodemirus, & Vindemirus ducebant. Quin etiam Ardaricus Rex Gepidarum, Sarmatæ, Geloni, (54) Neuri, (55) Rugi, (56) Bastarnæ, (57) ac

(51) Quod accurate describit Jornandes de Reb. Get. 36., & seqq. Idacius illud evenisse prodit an. Abrah. 2468., qui Kalendis Octob. an. 451. incipit: at is res gestas per hæc tempora uno anno serius consignat, quàm evenere, ut eumdem legenti patebit.

(52) Qui cum Thorismundo, & Theodorico majoribus natu filiis, ingentique Gothorum multitudine se se junxit Valentiniano. *His adfuere auxiliares Franci, Sarmatæ, Armoritani, Litiani,* (seu Lætiani apud Nervios) *Burgundiones, Saxones, Riparioli* (seu Ripa- E rii, qui tribus fluviorum ripis claudebantur, Rheni, Mosellæ, & Mosæ, de quibus Ortelius in Thes. Geogr., & Hadr. Vales. in Not. Gall.) *Ibriones, quondam milites Romani, tunc vero in numero militum exquisiti; aliæque nonnullæ Celticæ, vel Germanicæ nationes*. Inquit Jorn. l. c. 36.

(53) Francos pro Romanis pugnasse negat Baronius ad h. an., eo quod Sidon. in Paneg. Aviti v. 320. Francos inter populos Attilæ fautores in hac irruptione recenseat. Sed alibi ex Prisco in exer. Legat. observatum, post Clodionis mortem, è Francis alios Meroveum natu minorem secutos, alios vero fratri adhæsisse: hi porro Attilæ; priores autem in bello præsenti Romanorum partes secuti fuere; hinc non Jornandes modo, sed & Gregor. Tur. l. 2. 7. Aetium cum Francis junctum bellum in Attilam gessisse testantur.

(54) In Sarmatia juxta Budinos, & Agathyrsos, qui origine Græci ex Herodoto l. 4. 108. Horum Virg. Georg. 2. v. 115. meminit:

*Eoasque domos Arabum, pictosque Gelones.*

Picti scil., stigmata nempe habentes, ut Claud. l. 1. in Rufin. v. 315. aperte declarat, canens:

*Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.*

(55) Populi Sarmatiæ Europææ, quos Mela ad ortum Turæ, ad Borysthenem Solinus. Hos Herodot., & Plin. memorant, sicuti etiam Flaccus l. 6. Argonaut. Horum Urbs Nerva in extrema Livoniæ ora. Herodotus *supra Halizones* incolere *Neuros* prodidit; *quorum tractus, qui ad Aquilonem vergit, quantum nos scimus, desertus est*. L. 4.

(56) Pugnaces Rugos dixit Sidon. in Paneg. Avit. Carm. 7. 319 ab A. N. laudatus. Ennod. in Vita S. Epiphanii eorumdem meminit narrans, civitatem Ticinensem digressis Gothis, Rugis fuisse traditam. Illos Tacitus collocat inter Viadrum, & Vistulam una cum Lemoviis c. 43. Memorantur à Paulo Vvarnefr. de Gest. Longobard. l. 1. 1. aliisque.

(57) Ita Tacitus vocat init. libri de Germanis 46. qui & *Basternæ*: sic dicti qui ab ortu trans Vistulam longissime inter Sarmatas ad Istri

ac Bellicosissimi quique ex Scythia populi in eam militiam nomina sunt professi, totaque Germania sive metu, sive amore ad hujus expeditionis societatem arrecta. Atque ita totus hic annus utrinque in contrahendis auxiliis est consumptus, quo eodem anno tanta in Italia annonæ penuria laboratum est, ut multi fame adacti filios, & parentes suos pretii habendi caussa ven-
451 diderint. Itaque Valentinianus, sequenti ineunte, quo Marcianus Augustus cum Adelphio Consul fuit, ad Aetium Patricium pridie Kal. Februarias Roma scripsit hoc modo: *Cum obscœnissima fames proxime per totam Italiam desævierit, hominesque filios, & parentes vendere, ad discrimen instantis mortis effugiendum coacti sint, ego revocans constitutiones majorum, venditionem censeo submoveri, quam prædicta fames ingenuorum fieri persuasit*. Interim Attila, sæviente adhuc hyeme, cum exercitu, quem in Scythia ex diversis conflaverat gentibus, castra movit, ac per Germaniam iter faciens, populos ejus omnes ad arma Galliæ secum inferenda solicitavit; cum aliis spem prædæ opulentissimæ ostentaret, alios odio erga Romanos, quàm maximo posset, accenderet, aliis terrorem exercitus sui invictissimi objectaret, omnes autem à capiendis pro Romanis armis averteret, clade commemorata Francorum, quam illi pridem à Vandalis accepissent, cum soli eorum in Galliam transitum impedire conati essent. Quibus de rebus haud ægre omnes Germaniæ populi Attilæ ad Galliarum, ut præ se ferebat, excidium contendenti se adjunxerunt, Quadi, (58) Marcomanni, Heruli, Turcilingi, Burgundiones, Thuringi, Bructeri, ac demum etiam, qui assidui, ac prope quotidiani Galliarum hostes ab initio fuerant, Saxones, &, qui in Germania remanserant, Franci. Quod Sidonius, qui his rebus interfuit, scriptum reliquit:

*subito cum rupta tumultu*
*Barbaries tota in te transfuderat arctos*
*Gallia. Pugnacem Rugum (59) comitante Gelono*
*Gepida trux sequitur. Scotum Burgundio cogit,*
*Chunnus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Thuringus,*
*Bructerus, ulvosa quem vel Nicer abluit unda*
*Prorumpit Francus.*

Cum hac igitur tot populorum, gentiumque colluvie, quæ ad septingenta millia hominum dicitur esse complexa, quasi non terræ Galliæ bellum, sed toti terrarum Orbi pestem, atque exitium intentaret, Attila ad Rhenum pervenit, ibique naves tam multas trajiciendi caussa construxit, ut Hercynia sylva, quemadmodum inquit Sidonius, subito secta in lintres abierit. Interim totam Galliam, in primisque eam, quæ Rheno proxima primum hostium subitura impetum videbatur, nova, atque inusitata trepidatio, ac pavor incessit, singulis sibi crudeles strages hominum, populationes agrorum, eversionesque oppidorum, quas in Oriente factas audiverant, se visuros animo destinantibus, & quidem jampridem ea cœlo signa apparuerant, quæ ingentem merito & horrorem pectoribus, & religionem animis piorum incuterent: contra quæ miræ multorum Sanctorum hominum virtutes miseris populorum temporibus affulsere. Quippe dum exercitus flumen transibat, cum aliæ civitates, tum in primis Parisienses, relicta Lutetia, se ad loca tutiora recipere instituerunt, tum S. Genovefa (60) virgo ad uxores eorum conversa dixit: Cur patriam, in qua natæ, atque educatæ estis, relinquere cogitatis, ac non potius vos, virosque vestros contra hostes, armaque eorum jejuniis, & precibus communitis? sic enim, Deo opitulante, facilius evadetis. Quibus verbis auditis, multæ illarum, spe sua in Dei misericordia posita, se in Baptisterium ad vota Deo facienda proripuerunt. Inde viros virgo aggressa monuit, ne desperatione debilitati fortunas urbe suas efferrent, sed Dominum suppliciter orarent, qui solus ipsos impendentibus eximere periculis posset; nam quas urbes, tanquam munitiores, adire contenderent, eas majorem calamitatem esse passuras, Lutetiam vero ex tantis malis incolumem emersuram. Quam vocem rei eventus postea comprobavit. Attila, Rheno trajecto, occurrentia omnia Germaniæ secundæ oppida infestus invasit, ac præcipue Tungros, Coloniamque delevit. Ceterum, cum Servatio Tungrorum Episcopus, (61) urbem illam eversum iri à Beato Petro Apostolo didicisset, dum ad sepulchrum ejus Romæ vota faceret, ne tantæ ruinæ interesset, ad Trajectensem urbem confugit, atque ibi, prout ab Apostolo acceperat, finem vitæ imposuit. Cum autem undecim millia virginum

usque ostia, & Pontum Euxinum habitarunt, à Sarmatis, Dacisque mutuo potius metu, quam certis finibus disterminati, ex eod. Tacito; Carpates montes, qui Poloniam inter, & Hungariam protenduntur in Theodosii tabula *Bastarnicæ Alpes* appellati. Ex his omnibus populis, aliisque constabat Attilæ exercitus; adeo ut merito Jornandes l. c. dicat: *Turba Regnum, diversarumque nationum ductores, ac si satellites, nutibus Attilæ attendebant*. Inter Reges autem ab eodem dicitur fuisse *Gepidarum* (de quibus alibi) *agmine innumerabili Rex ille famosissimus Ardaricus*; de quo Freculphus l. 5. 14. Sigebertus in Chron., & P. Diac. l. 5.

(58) De his superius dictum.

(59) Hunc Carm. 5. idem Sidon. commemorat. Ubi autem hic habetur *Scotum Burgundio cogit*: restitue *Scerum Burgundio cogit*, ex melioris notæ MSS., & editionibus. Sunt autem Sceri Scythiæ populi, de quibus Plin. l. 4. 13. Jornand. c. 50., qui ait: *Sceri vero* . . . . . . . . . *cum Duce suo nomine Candax Scythiam minorem, inferioremque Mæsiam accepere*. Insula Scyros inter Dalmat., & Istriam, ex Antonini Itiner.

(60) Ejus gesta L. ap. Constantium Presbit. in V. S. Germani c. 20., & sequ., referente Surio ad diem 30. Jul. Item V. Chiffletium in Vita ejusd. edita in fin. Histor. Bedæ.

(61) Hic non unus idemque cum altero Servatio Tungrensi quoque Episcopo confundendus, qui anno 346. Concilio Coloniensi cum aliis Episcopis subscripsit, ut perperam plerique confundunt. De hoc Paulus Diac. narrat quæ ab A. N. referuntur, & Auctori Metensi Antistiti supparem facit. Paulo autem deferendum, qui an. 774. Metas à Carolo M. missus fuit, ut Metensium Præsulum gesta perquireret, petente Angilramo Metens. Episc. Sigebertus eumdem Servatium memorat in Chr. ad an. 453. narrata clade Galliarum ab Attila illata. V. Paul. Diac. in libello, cui titul., *de numero sive ordine Episcop.* & cet.

num (62) Britannicarum à visitandis Sanctorū Apostolorum liminibus in patriam revertentes, Ursula duce, secundo Rheno develierentur, apud Coloniam ab Attila intercepta sacro martyrio coronatæ sunt. Inde in Belgicam primam ingressus, Metas pridie Paschatis occupatas diripuit simul, atque succendit, populo trucidato, Templa omnia præter Oratorium S. Stephani inflammata. In Belgica secunda Attrebatum excisum, quod post Vedastus Episcopus reparavit. In Senoniam inde ingressus, Tricassas accessit: verum virtute S. Lupi Episcopi (63) nullo maleficio urbem prætergressus affecit. Dum autem Attila in Gallia sæviebat, Aetius legiones secum Italicas ducens, Arelate pervenit: ibi ratus, Gotthos quanquam fœderatos haud temere se tanto certamini commissuros, Avitum Arvernum ad eos evocandos mittit, atque ei, & ceteris Regibus, & copiis Gallicis diem ad conveniendum edicit. Cum autem Anianus, Aureliani Episcopus, Attilam ad Ligerim adventare videret, de civitate sua solicitus ad Aetium Arelate contendit, ac præsens urbis periculum demonstravit. Ille vero Sangibanum Alanorum Regem, qui eam urbem tenebat, formidine consternatum, ac prope à Romanis alienatum audiens, ad se accersit, & se in tempore urbi affuturum spopondit. Interim Attila obvia quæque subvertens, Aurelianum ad Ligerim situm accessit, eamque urbem se dedere recusantem, ac victoriam suam inhibentem, omni mole oppugnare, ac variarum machinarum pulsu verberare instituit. Ea re territi cives, cum quidnam consilii caperent, in incerto haberent, Anianum consuluerunt, ille monuit, ut spem in Deo defigerent, atque opem ejus suppliciter implorarent. Quod cum illi humi prostrati fecissent, tum ad eos conversus dixit: Prospicite de muris, num subsidium Dei adveniat, putabat enim, Aetium adventare, prospicientes autem neminem viderunt, at ille: Orate iterum cum fide, vos enim Dominus hodie liberabit, &, cum fecissent; Prospicite iterum, inquit. Nemine autem apparente, dixit iliis: Si cum fide orabitis, Dominus vobis sine dubio aderit, illi vero cum fletu magno misericordiam invocare Dei cœperunt: inde ex Sancti Episcopi præcepto de integro prospicientes, nebulam, quasi de terra surgentem, viderunt. Quod renunciantibus Sacerdos dixit: Atqui hoc Domini auxilium est. Atque ita trementibus, ac satiscentibus assiduis jam ictibus arietum muris, ecce Aetius, & Theodoricus, ac Thorismundus filius ejus cum suis quisque exercitibus prodeunt, commissoque certamine Attilam ab urbe propellunt. Hæc ita acta Turonensis Gregorius refert. (64) Sidonius vero Attilam urbem etiam irrupisse, verum, Aetio superveniente, non diripuisse prodit, sic enim ad Prosperum Episcopum scribit: *Dum laudibus summis Sanctum Anianum Lupo parem, Germanoque non imparem vis celebrari, exegeras mihi, ut promitterem tibi, Attilæ bellum stylo me posteris intimaturum, quo videlicet Aurelianensis urbis obsidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exaudati cælitus Sacerdotis vaticinatio continebatur, cœperam scribere, sed operis arrepti fasce perspecto, tæduit inchoasse.* Attila inde ira fervidus, cum patentissimos, ac prœlio faciendo aptissimos non longe abesse campos Catalauni (65) audisset, eo castra convertit, atque Aetio sese summi ibi prœlii copiam facturum ostendit, neque illud Aetius detrectavit, verum statim cum Gotthis, & Francis, Alanis, & Burgundionibus, & Provincialibus, Italicisque accessit, seque ad pugnam capessendam præsto esse significavit. Attila, antequam prœlium iniret, cum exta consuluisset, intellexit, à parte Romanorum ducem, à sua exercitum periturum: interpretans autem, Aetium esse casurum, cujus virtutem, ac prudentiam omnium maxime formidabat, de exercitu suo non laboravit, atque alacriter in prœlium hora nona processit, eo consilio, ut si acies sua inclinasset, nox imminens dirempto prœlio subveniret. Cum acies instruerentur, dextrum cornu Theodoricus, sinistrum Aetius, mediam aciem Sangibanus obtinuit, ut qui suspectæ fidei turba esset fidelium sepiendus: apud hostes autem

(62) Putant docti viri S. Ursulam cum sociis Martyrem obiisse an. Chr. 383. circiter, Maximi tyranni tempore. At historiam hanc repetere ex Actis ap. Surium ad diem 21. Octob., vel ex Auctorib. à Baron. cit. in Not. ad Martyr. Rom. non præstat, cum gesta sint fabulosa, præsertim de numero Sociarum ejus. Nimis, sed irrito sane conatu, laboravit Hermanus Crombak, integrum Tomum *de Ursula vindicata* exornans, nescio quem Cyricium Pontificem Rom. commentus, qui undecim mille Virgines fuerit comitatus, martyrii cum illis obeundi cupiditate incensus. Rectissimè igitur visum à Martyrologiis numerum præfatum expungere. Martyrologium Usuardi ad diem 20. Octob. habet Passionem *SS. Virginum Marthe, & Saula* cum aliis pluribus, & quidem Coloniæ.

(63) Ejusdem occursum cum Attila L. ap. Nicol. Ola. in Attila c. 9. Extat Sidonii ep. ad ipsum data l. 6. 1. Meminit Flodoardus in Hist. Rhemensi l. 1. 6. inter egregios Galliarum Antistites numerans, ubi loquitur de Attiliana clade. In hanc rem Harigerus cecinit in Act. S. Servatii:

*Et Beatus Lupus*
*Trecassina Urbis Episcopus:*
*Dum bella cuncta perderent,*
*Orando Trecas munit.*

(64) L. 2. 7. dicens: *Nam nullus ambigat Chunorum exercitum obtentu memorati Antistitis*, (Aniani) *fuisse fugatum*. Prælium commissum non memorat Sidonius ep. 15. l. 8., quam hic laudat A. N. Notanda vero quæ Sidonius ibidem ait: *Cœperam scribere*, (Attilæ nempe bellum) *sed operis arrepti fasce perspecto, tæduit inchoasse, propter hoc nullis auribus credidi, quod primum me censore damnaveram.*

(65) *Mauriacos campos* Jornan. habet, de Reb. Get. 36. 37. 43., Sigeberto in Chr. sunt Mauricii Campi. Catalaunici vocantur à Cassiodoro in Chr., Marciano Aug, & Adelphio Coss. Quanam autem in Regione Galliarum siti sint Campi illi, quos etiam Turonensis l. 2. 12. non Catalaunicos dicit, sed Mauricensem Campaniam, & Mauriacum, non adhuc compertum satis, nisi ex Idacio discere id liceat, qui an. Abrah. 2468. ait: „Gens Hunnorum pace rupta deprædatur „Provincias Galliarum: plurimæ civitates „effractæ, In Campis Catalaunicis haud longe de civitate, quam effregerant Mettis, „Aetio duci, & Regi Theodori, quibus erat „in pace societas, aperto marte confligens, & cet.„ Ita igitur dicti hi Campi à vicino Catalauno, quod oppidum est ad Matronam fluvium.

autem cornua multiplices populi, mediam aciem, quo tutior esset, sibi Attila depoposcit. Erat in campis tumulus quidam leniter acclivis, quem qui primus cepisset, plurimum ad victoriam momenti consequutus fuisset, quo animadverso, Attila è suis aliquot misit, qui locum occuparent, sed Romani anteverterunt, atque Hunnos evadere conantes facile deturbarunt. Qua de re Attila, cum exercitum suum, tanquam infausto rei auspicio, perturbatum videret, oratione sibi confirmandum putavit, atque ita differere cœpit: Post tot victorias partas, Orbemque prope terrarum edomitum, absurdum sane censuerim vos verbis ad prœlium conferendum accendere: quærat hoc aut novus dux, aut imperitus exercitus, neque enim me decet vulgare aliquid dicere, neque vos oportet audire: quid autem forti viro jucundius esse potest, quàm vindictam manu suscipere? invadite igitur hostem alacres, ut qui bellum non excipitis, sed infertis: advocatos videtis tam diversi generis populos, quod aliud majus esse potest pavoris, ac trepidationis indicium, quàm caput suum sociorum armis ac lateribus tegere? en, antequam vestrum impetum patiantur, sævis terroribus concitantur, excelsa loca quærunt, tumulos capiunt, atque ita in campis munitiones deposcunt, notum est vobis, quàm levia sint Romanorum arma: primo non dico vulnere, sed pulvere perturbantur; ergo dum illi ordines instruunt, dum testudinem nectunt, vos confligite præstantibus animis, ut soletis, contemnentesque eorum acies, Alanos, Gotthosque invadite: his enim tanquam nervis eorum præfectis, repente totum corpus ad terram collabatur, necesse est, nunc iram, Hunni, nunc vires, nunc arma, nunc consilia vestra depromite, faciem illi vestram sustinere non poterunt, si vos fortiter pugnantes aspexerint. Hac oratione perfecta, signo pugnæ dato, alacriter utrinque concursum est, atque usque ad noctem tanto ardore, tantaque pertinacia depugnatum, ut majore dimicari non potuerit, tanta porro cæde, ac sanguine, ut fœdiorem, ac cruentiorem pugnam antiquitas nulla prodiderit. Fervente autem prœlio, Theodoricus, dum adhortans suos discurreret, sive equo forte lapsus, pedibusque suorum attritus, sive, ut alii tradunt, ab Ostrogottho quodam confossus, interiit. (66) Atque hoc fuit, quod Attilæ aruspices de ducis apud Romanos casu prædixerant, quod ille temere ad Aetium traxerat. Eo dolore Gotthi accensi ab Alanis secreti, aciem Hunnorum invadunt, quo impetu Attilam oppressissent, nisi ille providus se, & suos in castra, quæ plaustris obvallata habebat, illico retulisset. Thorismundus autem, qui cum Aetio collem anticipans, hostes de superiore loco depulerat, credens se ad agmina propria accedere, nocte cœca ad hostium carpenta pervenit: itaque fortiter dimicans capite vulneratur, atque equo dejicitur, sed suis intercurrentibus, tandem in equum relatus liberatur. Aetius vero per tenebras noctis à suis divisus, cum inter medios hostes vagaretur, numquid adversi Gotthis accidisset, inquirens, cum ad castra sociorum pervenisset, noctem scutorum defensione transegit. Postridie, luce orta, cum stratos cadaveribus campos esse, neque Hunnos castris exire audere videret, atque Attilam intelligeret propter cladem acceptam prœlium detrectare, suam esse victoriam arbitratus est. Attila vero, quanquam victum se cernebat, tamen tanquam victor, in castris strepitum armorum edebat, ac tubis canebat, & terrorem solitum commovebat. Quod ut sensit Aetius, hominem obsidione premere statuit, (67) nimirum brevi periturum arbitratus, quia paratam commeatuum copiam non haberet, neque enim propter crebros sagittariorum ejus ictus propior ad castra dabatur accessus. Qua re cognita, Attila, salute desperata, rogum ex sellis equorum construxit, eo animo, ut si Romani castra cepissent, sese in eum ardentem conjiceret, ne Romanus aut se vulnerato gauderet, aut de capto magnifice triumpharet. Interim Gundicarium Regem cum Burgundionibus suis deletum, est cognitum. Gotthi quoque cadaver Theoderici diu quæsitum repererunt, eorum uterque à suis honestissimis de more exequiis est elatus. Hoc est memorabile prœlium Catalaunicum, in quo CLXII. millia hominum cecidisse dicuntur, (68) præter nonaginta millia Gepidarum, & Francorum, qui nocte, quæ prœlium præcessit, inter se armis congressi mutuis vulneribus concidere. Narrant, rivulum memorati campi humili ripa labentem peremptorum, ac sauciatorum sanguine concitatum fluxisse, quosque sitis intolerantia ad bibendum adegit, eos sanguinem, quem vulnerati fuderant, potavisse. Thorismundus inde funus patris prosequutus, ad Aetium se contulit, &, quid sibi opus facto esset, consuluit. Aetius veritus, ne, deletis, ut opinabatur, Hunnis, Gotthi nimia insolentia efferrentur, suasit, ut domum repetens, regnum, quod fuerat patris, adiret, ne illud forte minor natu frater arriperet. Ita ille, Hunnico bello relicto, Rex à suis acclamatus, in Aquitaniam est reversus. Pariter etiam Sangibanus cum Alanorum, & Meroveus cum Francorum reliquiis domum di-

(66) Cui Thorismo filius successit in Regno, ex Idac. in Chr. ad an. Abrah. 2468. Regnavit autem Theodoricus *annis triginta tribus*; proindeque ejusdem Regni initium ad an. 418. referendum, ex Isidoro in Chr., ubi Thorismonem, Thurismondum vocat, post unum Regni annum à fratribus occisum.

(67) Paul. Diac. l. 15. de Gest. Roman. testatur, Turismundum Theodorici filium ob paternum funus dolentem statuisse, *Attilam obsidione coarctare, & eum, ejusque exercitum ad internecionem usque delere*. Subdit autem, Aetium impedimento fuisse, ne castrorum obsidio tentaretur ob causam ab A. N. inferius indicatam. Parum sano consilio; unde Paul. ipse ibid. exclamat; *Inscia heu mens hominum, quantum hac provisione detrimentum patriæ, dum avertere cupit, ingessit*.

(68) *Ab utraque parte*, ut Jornan. c. 40., ubi tamen per errorem legitur, *exceptis XC. millibus Gepidarum, & Francorum*, ut habent editio Grotii, aliæque præcedentes; Legendum enim, *exceptis quindecim millibus*, quod habetur in duobus Codicib. MSS. Palatinis, nec non apud Freculfum Lexoviensem in Chron. To. 2. l. 5. 14. ubi legitur XVm. Itemque ap. Toletanum l. 2. de Reb. Hispan. 8. Emendandus quoque Idac. in Chr. ad an. Abrah. 2468., in quo CCC. *ferme millia hominum cæsa* memorantur, restituendumque CC. *ferme millia*.

dimiſſi. Quod ubi Attila audiit, dolum parari putans, ſeſe per aliquot dies intra caſtra continuit; at vero, poſtquam exploratam rem habuit, lætitia ſumma perfuſus, bene de ſe ſperare inſtituit, ac Romanum diſſolutum jam cernens exercitum, ſecurus è caſtris exceſſit, ac ducto ſecum uſque ad Rhenum Lupo, Tricaſſino Epiſcopo, atque cum honore remiſſo, Rhenum trajecit, atque per Germaniam in Scythiam retro incolumis abiit. Hæc armis hoc anno in Occidente adminiſtrata. Orientem vero longe alia ratio certaminis occupavit. Marcianus enim Auguſtus, ut Leonis Pontificis voluntati obtemperaret, (69) Concilium Orientalibus Epiſcopis Nicæam Bithyniæ ad Kal. Septembris indixit, ac X. Kal. Junii litteras ad eum miſit, ut, cum quibus ei videretur Epiſcopis, eò accederet, nam ſe iti dem affuturum, niſi publicis rationibus in expeditione fuiſſet occupatus: inde aliis ſcriptis Epiſcopos monuit, ſe publicis belli neceſſitatibus impediri, quo minus adeſſe poſſet; proinde ipſi abſentiam ſuam æquo animo paterentur. Leo vero V. Kal. Marciano reſcripſit, ſe ad Concilium venire non poſſe, mittere autem legatos, qui ſuas partes implerent, atque illum rationem habendi Concilii edocerent, ei ſe incolumitatem Nicænæ fidei commendare; XIV. vero Kal. Auguſti ad Pulcheriam Auguſtam ſcripſit, votis ſe omnibus expetiſſe, ut Concilium intra Italiam haberetur, quo, ſi ſecuritas ſuppeteret, Occidentales Epiſcopi convenirent, voluntatem tamen Marciani non ita aſpernatum, quin legatos miſerit, & rationem habendi Concilii demonſtrarit, ne quid fieret, quod legibus repugnaret. X. inde Kal. Octobris Marcianus, cum eſſet Heracleæ, ad Epiſcopos Nicææ convocatos miſit, ut Chalcedonem advenirent, (70) nam ibi ſe quoque præſto futurum. Quod cum illi impigre, obedienterque feciſſent, tum Concilium VIII. Idus Octobris eſt inchoatum in æde S. Euphemiæ Martyris, (71)

**A** præſentibus legatis Leonis, Paſchaſio, & Lucentio Epiſcopis, & Bonifacio Presb. Marciano Imp. (72) & Pulcheria Auguſta, cum adeſſent item Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolis, Dioſcorus Alexandriæ, Maximus Antiochiæ, Juvenalis Hieroſolymorum, & Epiſcopi eorum alii amplius ſexcenti. (73) Ibi conſidentibus omnibus, Paſchaſius legatus Leonis denunciavit, ſe mandatum habere ab Epiſcopo urbis Romæ, quæ eſſet caput omnium Eccleſiarum, ne patiantur Dioſcorum ſedere in Concilio, ſed intromitti audiendum: exigentem inde Senatum cauſſam Lucentius excepit, judicium ſibi illi ſubeundum eſſe, quia ſine auctoritate Sedis Apo**B**ſtolicæ Synodum auſus eſſet conficere, quod fas non fuiſſet. Juſſu deinde Senatus, Dioſcoro reſidente in medio, (74) Euſebius Dorylæenſis Epiſcopus intulit: Læſus ſum à Dioſcoro, læſa eſt fides, occiſus eſt Flavianus Sanctus Epiſcopus: jubete preces meas perlegi, (75) jubente Senatu, Beronicianus à ſecretis Sacri Conciſtorii eas recitavit; quibus abſolutis, inde quæ acta in proximo Concilio Epheſino erant, utriuſque partis voluntate perlecta ſunt. Ex quibus apparuit, Leonis Pontificis ad Flavianum epiſtolam, in qua quæſtionem hanc decidebat, fuiſſe neglectam, multoſque Epiſcopos cum exceptione ſubſcripturos fuiſſe, niſi ab ami**C**cis Dioſcori prehenſis digitis impulſi fuiſſent, alioſque aut dolo, aut vi abdicationi Flaviani conſenſum adhibuiſſe. Interrogatus porro Eutyches, utrum duas in Chriſto naturas aſſereret, reſpondit, ſe ſcire, Chriſtum ante conjunctionem Divinitatis cum Humanitate ex duabus conſtitiſſe naturis, ac poſt copulationem unam in eo eſſe. Rogati vero Epiſcopi cur Flaviani abdicationi ſubſcripſiſſent, ſucclamarunt: Omnes peccavimus, omnes veniam poſcimus, &, cum ſententia contra Flavianum, Euſebiumque recitaretur, iidem ſubjecerunt; Anathema Dioſcoro, Imperator Dioſcorum ulciſcere, vivat Leo multos annos. Poſtridie ejus diei de **D**

(69) L. epiſt. Marciani ad S. Leon., quæ extat T. 1. Concil. Chalced. 34., ubi ait Imperator: *Supereſt, ut ſi placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere, Religionis affectu dignetur*, & cet. L. item ep. S. Leon. 43., edit. Queſn. 73., ad Marcian. Aug.

(70) Transferendi porro Concilii occaſionem dedit vel obſecratio Legatorum Apoſtolicæ Sedis, qui Imperatorem enixe rogaverant, ut Sanctæ Synodo adeſſet, quo tumultus facilius compeſcerentur, quorum periculum teſtatur epiſtola Pulcheriæ Aug. ad Strategium Bythiniæ Conſular., T. 1. Conc. Chalced. 38., qua præcipit, ut Clericos, Monachos, & Laicos, qui forte Nicæam adventuri eſſent, turbas excitaturi, à Civitate, finitimiſque locis arceret.

(71) Cujus Baſilicæ extat egregia deſcriptio ap. Evagr. l. 2. Hiſt. Eccl. 3., in ſuburbiis Chalcedonis ſitæ.

(72) Marcianus initio Synodi non adfuit contra ac ſentiunt Baron., & Bellarm. Is enim nonniſi Actione VI. orationem habuit ad PP., unde Liberat. in Brev. 13. ſcripſit: *Sexto autem Secretario adveniens Imperator ad Concilium*, & cet. Idque patet ex Actione I., in cujus fine Judices dixere, omnia hactenus decreta *ad ſacrum Apicem* eſſe referenda: neceſſe autem non fuiſſet, ad Imper. referri, quæ eodem præſente tranſacta. Neque Pulcheria Aug. locum Synodi ingreſſa; quæ ſiquidem verba leguntur Act. 1. edit. Labbeanæ p. 574. *Præſente ex divino zelo, ac fervore Fidei etiam piiſſima, & Chriſtianiſſima Regina Auguſta Pulcheria*, non leguntur in omnibus vetuſtis exemplaribus, nec in Græco textu, obſervante Baluz. in N. Concil. Collect. p. 1264. Altum quoque de Auguſtæ præſentia ſilentium ap. Valentinum Ep. Philoppolit., & Epiſcopos Helleſponti, & veteris Epyri, ſcribentes ad Leonem Imp., Auctorem Breviculi Hiſt. Eutych., Ferrandum Diacon., Evagr., Theophanem, qui omnes Marciani, Judicum, Sacrique Senatus meminere, non autem Aug. Pulcheriæ.

(73) Ita Liberat. in Brev. 13., cui conſentit Marcell. in Chr. Nicephor. numerat 636. Dimidiæ vero partis ſubſcriptiones in Actis, quæ modo extant, deſiderantur.

**E**

(74) Inſtitit enim Lucentius, ſedere cum aliis non debere, qui venerat judicandus, ut Acta Concilii tradunt; unde Evagrius l. 2. 4. inquit, *tunc loco cedere compulſus eſt Dioſcorus, & ut reus in medio ſtatutus, rationem redditurus*, & cet.

(75) Precum libellum obtulit Euſebius Dorilæus, quo poſtulabat, ut Pſeudo-Epheſini Concilii Acta damnarentur, ſimulque Dioſcorus deponeretur juxta Canonum diſciplinam. Sed lecti pariter Actione III. Libelli Iſchyrionis, & Theodori Diaconorum Alexandriæ, ſimulque Athanaſii Presbyteri, qui nepos erat S. Cyrilli, ſicuti & libellus Sophronii Laici in Dioſcorum, quibus eum plurium flagitiorum poſtulabant.

de fide multo accuratius est quæsitum. Ibi Magistratus dixerunt: Quoniam declaratum est, neque Flavianum, neque Eusebium hallucinatos in fide esse, ac propterea injuste damnatos fuisse, nobis æquum videtur, ut Dioscorus, Juvenalis, & alii, qui primas in Concilio partes obtinuerunt, dignitate Episcopali ex legibus abdicentur; quibus acclamatum est, justum illud esse judicium. Inde jusserunt, ut singuli Episcopi fidem suam exprimerent, ut qui scirent, Imperatorem Concilii Nicæni, Constantinopolitani, & prioris Ephesini Constitutionibus assentiri. Alio inde die cum convocati fuissent, Eusebius pro se, ac Flaviano libellos obtulit, Dioscorum accusans, quod eodem, quo Eutyches, errore implicitus esset, & quod se injuste abdicasset, & quod fucum in subscriptionibus obeundis fecisset, postulavitque, ut omnia secundi Concilii Ephesini acta abrogarentur, & ipsi Sacerdotio restituerentur, & ut Eutychetis dogma condemnaretur. Dioscorus inde per Actium primicerium Notariorum citatus respondit, se teneri à custodibus, quo minus adesse posset: inde rursus requisitus post alia responsa, se impediri adversa valetudine dixit. Interim laici quidam Alexandrini introducti varia in Dioscorum crimina congesserunt. Itaque placuit, tertiò citari Dioscorum, quo item tergiversante, & quid meritus esset, percontante, responsum est, eum legibus esse factum obnoxium. Quibus rebus peractis, legati Leonis ita constituerunt: *Cum Dioscorus Eutychetem ab Episcopo suo Flaviano legitime abdicatum propria auctoritate in communionem receperit, epistolam Leonis ad Flavianum legi non permiserit, atque ita Ecclesiis offensionem, & detrimentum attulerit, Leonem Episcopum Romanum communione interdixerit, libellis adversus se prolatis ter citatus non obtemperaverit, quique variis Conciliis erant abdicati, receperit: ob eas res Leo Romanæ urbis Episcopus per vos, & præsens Concilium cum Beatissimo Apostolo Petro ipsum omni dignitate Episcopali despoliat, & omni Sacerdotali ministerio abdicat.* (76) Qua sententia ab Anatolio, & reliquis Episcopis approbata: Decisio Fidei recitata est, qua Decreta Concilii Nicæni, Constantinopolitani, & Ephesini primi, & epistola Leonis ad Dioscorum confirmabatur: eaque Marciano sunt tradita. Quippe Anathemate percussi sunt, qui Filios duos statuerent, & Divinitatem passibilem esse assererent, quique confusionem duarum in Christo naturarum sentirent, ac duas naturas in Christo ante unionem, aut unam post unionem confingerent, quique formam ab eo ex nobis assumptam alterius esse naturæ statuerent: decreverunt autem perfectum esse in Divinitate, & perfectum in Humanitate, vere Deum, & vere Hominem, ejusdem cum Patre naturæ secundum Divinitatem, ejusdem naturæ nobiscum, excepto peccato, (77) eundem in duabus naturis citra confusionem, citra mutationem, citra divisionem, citra separationem agnosci, servatis utriusque naturæ proprietatibus, in unam personam, atque hypostasim conspirantibus. Hæc III. Idus Octobris acta. Cum autem adversarii (78) hæc decreta, tanquam potentia Imperatoris extorta, reprehenderent, ac suam sententiam adhuc corroborare contenderent, tum Anatolius: Quoniam opinionem vestram adhuc mordicus tenetis, nosque tanquam Nestorianos, accusatis, qui duas naturas prædicamus, utraque citra confusionem proprietates suas retinente, hujus quæstionis dijudicatio divino Numini permittatur: scribatur sententia vestra in uno libello, & nostra in altero; atque ambæ in sepulchro S. Martyris Euphemiæ collocentur, eique veritatis judicium permittatur. (79) Hæc cum hæretici probassent, scripti ab utraque parte libeli, elato lapide sepulchri, super pectus Sanctæ Martyris deponuntur, ac lapis demissus ab utraque parte diligentius obsignatur, deinde precationes ad Deum suppliciter effunduntur, ut signa edat, utra ei sententia cordi sit. Inde post triduum, præsente Marciano, conveniunt, atque, aperto sepulchro, libellum hæreticorum ad Martyris pedes inveniunt, alterum vero in manu ejus dextra, quem Sancta virgo Marciano, Anatolioque porrexit, omnibus, qui aderant, facti novitate stupentibus, ac plane attonitis. Ex quo ingens plausus, & gratulatio à Catholicis facta est, hæreticis præ pudore, mœstitiaque mussantibus. Inde sæpius eo mense (80) Episcopi coierunt ad hæc, atque alia huc per-

(76) De ejusdem depositione scriptum fuit ad Clericos Alexandrinos, missa ea de re relatione ad Impp., & Pulcheriam Aug. Et quia Dioscorus se restitutum iri suæ Sedi jactabat, Edictum a Concilio propositum fuit Chalcedonensibus, ac Constantinopolitanis, quo ipsum omni spe recuperandæ Ecclesiæ excidisse innotesceret.

(77) Ob hypostaticam unionem, vi cujus Christus Dominus culpæ obnoxius esse non poterat. V. quæ Theologi passim docent in Incarnationis præsertim negotio pertractando.

(78) Adversarii plures fuerunt fautores Dioscori, qui tamen subscripsere deinde S. Leonis dogmaticæ epistolæ, proindeque in Synodum admissi fuere, Juvenalis nempe, Thalassius, Eusebius Ancyranus, Basilius Seleuciensis, & Eustathius Berytensis. Parumque abfuit, quin inter Hæreticos haberentur quoque Ægypti Episcopi, subscribere renuentes, nisi præiret subscriptio Alexandrini Patriarchæ, qui nondum fuerat ordinatus; quæ tamen contentio fuit Legatorum post Sedis auctoritate repressa, fidejussoribus enim datis, ac præstito juramento Ægypti Præsules spoponderunt se Patriarcha initiato subscripturos. Intensiores tamen erga Patrum decreta se gessere Carosus, Dorotheus, aliique Archimandritæ, & Monachi Eutychiani, oblato Marciano Imperatori libello, quo Dioscoro, & Eutychianæ impietati favebant.

(79) Ita Zonaras factum narrat Ann. Tom. III., paulo aliter Constantinus Episc. ap. Metaphr. die 11. Jul. Nec semel Catholicæ Fidei veritas miraculis confirmata. Sed nulla Nicephoro fides l. 15. 5. dicenti, id factum a Patribus Synodi; in Oecumenicis namque Conciliis dogmata Orthodoxa Divinarum Scripturarum oraculis, Traditione, Sanctorumque PP. assertis firmabantur, & Apostolicæ Sedis suffragio, nec Fidei veritas per ejusmodi miracula quæsita in Synodis. Post Synodum Chalc. rem evenisse præter Zonar. Glicas etiam tradit, Annal. par. 3.

(80) Kal. enim Novemb. absolutum fuit Concil., cujus tempore habitæ sunt Actiones 17. ex Baron., secundum alios 18., 15. juxta Liberat. in Brev.; ex Actis vero, quæ modo extant, 16. V. Baluzium in præf. ad Acta Conc. Chalc., ubi luculenter de variis ejusdem Concilii Versionibus disserit.

pertinentia sancienda, in quibus Episcopi etiam Theodorus Mopsuestenus (81) laudatus, Theodoritus Cyrensis, (82) & Ibas Edessenus (83) Concilio Ephesino prædatorio tanquam hæretici condemnati, cum palam Nestorio, & Eutycheti renunciassent, suis Ecclesiis restituti, quæ tria capita post magnum seditionis incendium concitarunt. Quin etiam, instante Anatolio, decretum Constantinopolitani Concilii confirmatum est, ut sedes Constantinopolitana proximum locum post Romanam teneret. (84) Quibus rebus expletis, Marcianus Constantinopolim, Episcopi suas quisque Ecclesias repetierunt. Dioscorus in Paphlagoniam relegatus est. (85) Per eosdem dies (86) Eusebius Mediolanensis Archiepiscopus, suis ad conventum advocatis Episcopis, ex eorum auctoritate Decisionem Leonis de Fide ad Concilium Chalcedonense missam probavit: Episcopi fuere Faventius Regiensis, Majorianus Placentinus, Cyprianus Brixellensis, Quintinus Derthonensis, Crispinus Ticinensis, Maximus Taurinas, Florejus Presbyter ab Eulogio Eporœdiensi Episcopo ægrotante missus, Gradus Presbyter ab Eustasio Augustano, Cyriacus Laudensis, Abundantius Comensis pro se, & pro Asimone Episcopo Curiensi Rhetiæ primæ, Paschasius Genuensis, Pastor Hastensis, Simplicius Novariensis, Joannes Cremonensis, Octavianus Brixianus, Justinus Vercellensis, Quintius Albingaunensis, Præstantius Bergomas. Nono autem Kal. Novembris Leo Pontifex ab Archiepiscopo Ravennate Neone consultus, num Baptisma impertiendum esset iis, qui domos capti ab hostibus revenissent, cum se sacro Lavacro tinctos non meminissent, respondit, tribui posse, si modo nemo existeret, qui ablutos illos fuisse assereret. Sub eosdem dies, Placidia Augusta, cujus potissimum consilio Respublica nitebatur, est mortua, (87) de qua sic Cassiodorus: *Placidiam Mundi opinione celebratam, Principum aliquorum prosapia gloriosam purpurato filio studuisse percepimus. Cujus dum remisse administrat Imperium, indecenter cognoscitur imminutum.* Herculano inde, 452
Sporatioque Consulibus, (88) Marcianus Augustus VII. Kal. Febr. edicto sanxit, ne quis discederet à decretis Chalcedonensi Concilio constitutis. Alexandriæ vero Proterio Episcopo in locum Dioscori ablegati subledo, ingens seditio excitata, (89) cum alii Dioscori desiderio angerentur, alii Proterio studerent, eaque nisi militari manu ab Impera-

(81) Mopsuestiæ præstantissimæ Ciliciæ Urbis Episcopus, vir eximii ingenii, nisi Pelagianis, Nestorianisque adhæsisset, ex testimonio Marii Mercatoris, qui fragmenta ex Theodori libris latino sermone donavit, quæque P. Garnerius, cum aliis ejusdem operibus edidit, eodemque tempore Em. Norisius suis de Pelag. Histor. Commentariis inseruit, exscripta è Codice Vaticano. At jam antea obierat Theodorus, anno nempe 429., ut liquet ex Commonitorio Marii Mercatoris sub illius anni Coss., Theodosio juniori oblato; adeo ut mirari subeat, cur hic Theodorus dicatur una cum Theodoreto, & Iba suæ Ecclesiæ restitutus, nisi verba illa Auct. Nostri *suis Ecclesiis restituti* de Theodoreto, & Iba sint solummodo intelligenda; vel quod in Diptychis ejus nomen fuerit restitutum, unde forsan expunctum, cujus tamen rei nullum in Actis Chalcedonensibus vestigium.

(82) Is, pace Orientales inter, Divumque Cyrillum inita post Ephes. Synod., à primarum Sedium Episcopis in communionem adscitus, à Dioscoro in Prædatorio Conc. Ephes. fuerat exauctoratus, qua de re ad S. Leonem provocarat, ex ipsius epist. 113., & 116. ad Sanctum P., & Renatum Diaconum datis: at cum Ægyptii, Illyriciani, & Palæstini Episcopi Nestorianismi illum insimularent, coactus fuit se ab hæreseos suspicione purgare, Nestorio, & Eutycheti anathema dicere Actione octava ejusd. Conc. Chalc.

(83) Cujus causa Actione 9., & 10. acta est. Repetita quæ de eodem Antiochiæ, Tyri, & Beryti gesta fuere: exauctoratus in Pseudo-Conc. Eph., in Chalcedonensi Syn. integræ Fidei compertus est, & Sedi restitutus, de quo alibi dictum, & inferius quoque sermo recurret, ubi de celeberrimis Tribus Capitulis agetur.

(84) Absentibus Apost. Sedis Legatis Actione 15. editi fuere à PP. aliquot Canones, in quibus 28., quo C. P. Patriarchæ primus post R. Ecclesiam honos deferebatur, jus itidem, & potestas in Thraciæ, Ponti, & Asiæ Diœceses, earumque Metropolitas, sicuti & Barbarorum Episcopos ordinandi facultas: at actione 16. Apostolici Legati reclamarunt, ex quibus Lucentius ait: *Sedes Apostolica præcepit, nobis præsentibus omnia fieri: & ideo quæcumque in præjudicium Canonum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, à Sublimitate vestra petimus, ut circumduci jubeatis: sin alias, contradictio nostra his Gestis inhæreat*, & cet. Immo postulantibus ejusd. Conc. Patribus ratum haberet S. Leo, quod in hac re communibus consiliis statutum fuerat, restitit Sanctissimus Pontifex. L. epist. Synodicam Patrum ad S. Leon., & hujus epist. 53., sive 80. edit. Quesnell., ubi Anatolii ambitum acriter perstringit.

(85) In Chron. Coptitarum Patriarchar. legitur, Dioscorum in insulam Occidentis amandatum, annisque septem in ea moratum, & *Tuti* obiisse, at in *Gangram* minoris Asiæ civitatem deportatum, illic defunctum an. 454. cum sub illius anni Coss., *Actio* sc., *& Studio*, S. Leo ad Julianum Coënsem ep. III., à Quesnello editam dederit VIII. Id. Decem. In hæc verba: *Auxiliante misericordia Dei facilius est errantium speranda correctio, & efficacior erit Prædicatio Evangelii, extincto defensore mendacii.* L. Liberat. Brev. 14., Evagr. l. 2. 5.

(86) Baron. ad præsent. an. putat S. Abundium, ante celebrationem Chalced. Concil. auctorem fuisse Eusebio Mediolan., ut Provincialem Synodum cogeret. Pro Abundio autem mendose Abundantius subscriptus legitur.

(87) Errant Sigebertus, & Idac. in Chronicis, qui Placidiæ mortem in an. 451. referunt; Prosper enim in Chr. evenisse tradit *Valentiniano VII., & Avieno Coss.*, an. sc. 450. diem indicans, *quarto Kal. Decemb.* Eumdemque an. exhibet Pseudo-Prosp. in Chr. Imper. Romæ defunctam Sigebertus, & Idac. tradunt, cujus corpus Ravennam inde translatum fuit, si de illius Sepulcro in Urbe Ravenn. vera tradit Hierony. Rubeus in Hist. Ravenn.

(88) Hic egregius Catholicus fuit, Thodoreti amicus, qui illius suasione Hæreticarum fabularum quinque libros composuit, ejusque nomini dicavit. Fuit unus ex Judicibus Illustrissimis Syn. Chalced., eratque an. præterito Comes Domesticorum, ut non semel legitur in ejusd. Conc. Actib. Herculanus vero in Occidente Consul creatus, cujus solius nomine consignantur epistolæ h. an. à S. Leone scriptæ.

(89) Quam L. ap. Evagr. l. 2. Hist. Eccl. 5., Liberat. in Brev. 14., & 15. Erat Proterius Dioscoro ceteroquin acceptus, à quo Alexandrinæ Ecclesiæ Archipresbyter renunciatus fuerat, at integræ Fidei erat; nam S. Leo ep. 103. edita a Quesnellio de hac re gratulatur.

[Im]peratore missa, non potuit coërceri. Eodem anno Italia sævo novarum calamitatum laboravit incendio; siquidem Attila cum immenso, ac formidabili illo suo barbariæ coëuntis exercitu in ipsam demum ferox, ac truculentus inivit. Quæ irruptio cum omnium, quas barbari intulerint, nostrorum sermonibus celebratissima, ac vulgo maxime decantata sit, non aliud tamen est in tota antiquitate ab veterum Annalium sermone desertius, ut mihi videantur in tanti periculi magnitudine non Imperator solum, ac duces ejus ad tantam pestem, clademque propulsandam elanguisse, sed ipsi etiam Scriptores, nescio quo modo, ad eandem commemorandam obtorpuisse. Neque enim hæc quisquam accurate litteris consignavit præter unum Priscum hominem Græcum, (90) quem magno hujus historiæ detrimento amisimus; fortuna usque adeo antiquam dignitatis gloriam Italicis invidense, ut vetera florentis Italiæ decora labefacere non contenta, præclara eorum etiam consignata litteris monumenta obliterare studuerit. Qund quando, ita Deo volente, contigit, Prisci jacturam æquo animo patiemur, quæque tantorum malorum testimonia apud Jornandem, ceterosque, quasi minorum gentium Scriptores, supersunt, quàm ad memoriam insignia, tam ad cautionem utilia, tanquam aliquas ex secundo naufragio tabulas colligemus. Attila igitur in campis Catalaunicis in Gallia superatus, cum, amisso magna ex parte exercitu, languens sese in Scythiam recepisset, haudquaquam sibi quiescendum existimavit, actum de gloria, ac nomine suo ratus, si quem ex adversis rebus timorem ostendisset, aut ullum fracti animi signum, afflictarumque virium indicium edidisset. Itaque Valentiniano ante omnes infensus, per quem non solum Gotthos non deleverat, sed memorabilem etiam in Gallia calamitatem acceperat, ipsum armis ulcisci Italia invadenda, ac Roma inflammanda decrevit. Accedebat, quod, si voti sui compos factus fuisset, & prædam uberiorem, & victoriam certiorem se relaturum videbat, quod Italiam omnium regionum ditissimam, atque opulentissimam neque Gotthi, neque Alani, neque Burgundiones, neque Franci fœderati suis essent armis, ac corporibus protecturi. Igitur eisdem nationibus, quas ante, solicitatis, exercitum superiore majorem contraxit, cumque ad se sequendum ingentis spe prædæ, ac promissis accendit. Quo nuncio accepto, Italici majore, quàm unquam alias, formidine, ac trepidatione concussi sunt; veniebant enim in mentem varia, quibus nuper ab Alarico, & Radagaiso conflictati fuerant, mala, quibus adjungebatur etiam præsentium amplior numerus hostium, tetrior feritas gentium, major constantia militum, ac demum famosa ipsa Attilæ cum militaris rei peritia, tum immanis quædam supra omnem memoriam ingenii, atque naturæ ferocia, qui se Flagellum Dei, & Terrorem hominum appellabat, & ad id in mundum à Deo missum jactabat, ut tanquam justæ illius vindex iræ terras omni malorum genere permisceret, & crudelitatem, ac libidinem suam non nisi sanguine, & incendio terminabat. Augebant etiam hunc pavorem cœlestia multa, quæ nunciata in vulgus erant, prodigia, haud dubie solicitis semper rerum futurarum mentibus triste aliquid portendentia; nam ad cætera, ut scribit Marcellinus, tres ingentes lapides è cœlo cecidisse (res raro audita, aut ægre credita) ferebantur: suberat præterea singularis rerum ad victum oportunarum inopia ac fœda ex ea suborta, ac passim dispersa pestilentia, mala pacatis etiam, compositisque rebus asperrima. Ob eas res omnibus ad ipsum modo Attilæ nomen horrentibus, Venetiæ populi, qui æstuarium maris Adriatici accolebant, quod primam tam immanis, & tetri hostis impressionem se excepturos videbant, passim patrias suas in continenti sitas relinquere, ac familias cum preciosa supellectile transportare ad insulas, si vis hostilis ingrueret, statuerunt, ea spe ducti, Attilam aut inopia lintrium eò non pervasurum, aut, si copia suppeteret, has insulas, intento Romam versus itinere, neglecturum; dicuntur autem Aquilejenses Gradum (91) animo destinasse, Concordienses Caprulas, (*) Altinates Torcellum, (92) & Maurianum, (93) Patavini Rivum altum, (94) Opitergini Equilium, (95) Atestini, & Monsilicenses Philistinam, (96) Metamaucum, (97) & Clodiam. (98) Reliqui vero aspera alpium & Apennini juga, & sylvas, quibus se ignorantia hostium tegerent, sibi cogente necessitate

(90) Cujus extant excerpta de *Legationibus* T. 1. Hist. Byzant, cetera desiderantur. In Excerptis autem p. 40. solum habet: *Attilas vastata Italia ad sua se retrahit, & Romanorum Impp in Oriente bellum, & vastitatem denunciavit; propterea quod tributum sibi à Theodosio constitutum non solvebatur*. Jornandes certe Priscum hunc Rhetorem (quem laudat) legit; proindeque fidem omnem his in rebus promeretur.

(91) Urbs in Ora Foro-Juliensis Provinciæ constructa ab Aquilejensibus, ubi diu sedit Patriarcha: cum autem Aquilejam rediisset, Gradenses Patriarcham sibi adscivere tempore Caroli M., ut Eginhardus, & Regino testantur; hinc Patriarchatus in Aquilejensem, & Gradensem divisus, qui postremus Venetias postea translatus a Nicolao V. an. 1455.

(*) Quarum meminit Blondus p. 369., nunc *Caorle*.

(92) Quo tamen non omnes se se recepere Altinates; tolum enim quando sub an. 638. Roth. in Opitergium evertit, Paulus Altinas Episcopus, veteri sede relicta Torcellum adiit; unde conjicis Anonym. Mediol. Dissert. Geograph. M. Ævi c. 1514., Attilam non omnino Altinum delevisse; vel aliquantum fuisse refectum.

(93) V. Blond. p. 369. Anonym. Mediol. l. c.

(94) Quo etiam, Patavio prostus per Agilulfum deleto, *Patavini secunda transmigratione in stagna Venetiarum*, & ces. inquit Blon. Region. 8. p. 309. Hujus & meminit Sigon. ipse alibi, an. sc. 774.

(95) Heracleæ coævum, quod Opitergini agrestes condiderunt, quos recipere Heraclea non poterat, ex Blondo p. 370. Auctum fuit nova clade Grimoaldi, desertum Pippino adveniente, & destructum ab Hungaris. Sed deinde refectum ab Alberto. L. Sigon. An. 638.

(96) L. Baudr. Lex Geogr. *Philistinæ fossa*.

(97) Straboni est *Portus Meduacus*, l. 5. p. 427., quo R. P. Venetæ Tribuni migrarunt posteriori ævo ob Heracleæ, Equilique dissidia, quorum causa Dux Ursus perierat.

(98) Unde Clodiæ portus, & fossa Clodia, de quibus Plin. l. 3. 16. L. quæ observat Anonym. Mediol. Dissert. M. Ævi c. 154.

ſitate depopoſcerunt. Ceterum in tanta populorum conſternatione Valentinianus omnino animum non deſpondit, ſed ad ſolita Italiæ præſidia novas Gotthicas gentes auxilio evocavit, quarum duces Procopius Alaricum, & Anthalam nominavit, ac, Juliis Alpibus, per quas è Pannonia in Italiam erat tranſitus, novo præſidio communitis, Aquilejam, quæ prima erat ſuperatis Alpibus occurſura, rurſus militibus, turribus, commeatibuſque firmavit, neque ceteras, per quas ad Padum amnem rectus eſt aditus, rebus neceſſariis communire neglexit. Aetium autem (99) ad urbis Romæ defenſionem, & ad omnem arripiendam adverſus Attilam occaſionem citra Romam paratum cum validiſſimo adeſſe exercitu juſſit, atque ipſe ſe in Urbe continuit, ſiquidem III. Kal. Julias inde ad Firminum Præfectum Prætorio ſcripſit: *Non miramur, inter bellicas curas, & obſtrepentes lituos ordinatione viri Magnifici, Patriciique noſtri Aetii formam publicæ diſpoſitionis in meliorem ſtatum fuiſſe mutatam*. Cum igitur hoc ſtatu res Italiæ eſſent, Attila, trajecto per hiemem Danubio, appetente vere è Pannonia infinitam illam ſuarum colluvionem gentium movit, atque inde recto curſu ad fauces Alpium Juliarum acceſſit, unde milite Valentiniani haud magna admodum mole dejecto, Italiam ingreſſus ad amnem Sontium, trepidantibus, ac profugientibus ex agris omnibus, venit, eoque tranſmiſſo, exercitum ad Aquilejam adduxit, quæ à Valentiniano omni, ut diximus, genere munitionum inſtructa, portis occluſis, ſe illius averſari imperium, atque impotentem deſpicere potentiam declaravit. Itaque ira inflammatus, quod urbem tam validam, atque opulentam ſibi reſiſtentem, ac progreſſui ſuo moram injicientem eſſet nactus, ſimulque prædæ, quam opimam ſperabat, intentus, univerſo exercitu circumjecto invaſit, primo ſe potiturum impetu credens: verum ubi mœnia ſæpius aggreſſus, ipſam validis expugnare conatibus acriter ſe tuentem non potuit, diuturna ad urbem ſeſſione domare conſtituit. Poſſum vere affirmare, nullius urbis obſidionem, atque expugnationem in Italia vulgari hominum ſermone tam tritam eſſe, quam Aquileiæ, verum uſqueadeo priſcorum ſcriptorum ſilentio involutam, ut neque per quos duces defenſa, neque quibus caſibus oppugnata ſit, apud locupletem ullum ſcriptorem inveniatur. Si Priſci, ut dixi, hiſtoria ſupereſſet, non laboraremus, qui, ſicut inquit Evagrius, docuit, quemadmodum Attila Orientem, atque Occidentem invaſerit, & quam multas, quaſque urbes exciderit, & quibus denique rebus nobilitatus ex hac vita migrarit. Jornandes autem, domo Alanus, qui Priſcum hunc legit, urbem diu obſeſſam fuiſſe ſcribit, quod ſpatium Paulus Diaconus, quaſi Jornandem interpretans, triennium continuum fuiſſe expoſuit, (100) quem deinde omnes ſequuti ſunt, quod unde ille eruerit, equidem diſpicere adhuc non potui, ſiquidem Caſſiodori, Marcellini, & Jornandis ipſius, qui omnes his proximi fuere temporibus, teſtimonio ſatis liquet, Attilam ſuperiore anno in Gallia rem geſſiſſe, hoc Aquilejam in Italia evertiſſe. Ceterum Attila urbem per aliquot ſine dubio menſes, homo ejus artificii rudis, obſedit; itaque ad exercendum in tanto otio militem non longe ab Aquileja montem Utinum in modum aggeris ſtruxit, ſic enim ſuo quoque tempore Venetos prædicaſſe, Ottho Friſingenſis, ſcriptor ſane vetuſtus, retulit. Poſt autem, cum exercitum inſolita ad urbem obſidendam mora frementem, ac prope tumultuantem videret, vehementer angi animo cœpit, nam ad cætera, quibus exercitus ex incondita turba conflatus premebatur, incommoda, peſtilentia quoque illum invaſerat eò vehementius, quàm ceteros Italiæ incolas, quod fœdus barbarorum, ac jumentorum in uno loco per æſtatem conſiſtentium odor eam vulgabat. Itaque, deſperata quaſi victoria, caſtra inde movere in animo habuit, atque in poſterum diem profectionem indixit; interim autem oblato permotus auſpicio reſtitit, quippe ciconiam quandam pullos ſuos è turri ſubinde mœnium exportantem, & contra morem ſuum in agrum deferentem notavit. Quod viſum ille continuo militibus abire parantibus indicavit, atque, ut erat auguralis diſciplinæ peritus: Videtis ne avem illam, inquit, quæ nidum ſuum contra naturam deſtituit? pro certo habetote, illam tacito naturæ ſenſu imminentem urbi ruinam præcipientem, ſibi, natiſque ſuis conſulere, vos autem, ſi viri eritis, pauliſper reſiſtetis, ac certum, qui inſtat, expugnatæ opulentiſſimæ urbis fructum haurietis. Neque vero illud inane fuit augurium. Nam Aquilejenſes, (ut poſteriores tradiderunt, quibus fidem neque addidiſſe, neque abrogaſſe voluerim,) crebris demum eruptionibus fuſi, rei frumentariæ ad ſummam difficultatem adducti, atque omnibus denique malis uſque ad deſperationem afflicti, conſilium effugiendi ex urbe, eamque vacuam hoſtibus relinquendi cepere. Itaque, ut minore cum periculo ex urbe excederent, ſub noctem ſtatuas ligneas armatas in ſtationibus murorum ad decipiendos inani defenſorum ſpecie hoſtes diſpoſuerunt, atque, imprudente Attila, à parte ad mare vergente evaſerunt, & in Gradum inſulam cum Archiepiſcopo Niceta ſe receperunt. Attila vero, poſtquam, luce orta, aves haſtis, capitibuſque armatorum in muris conſiſtentium hærere ſecuras, ac ſine metu conſpe-

(99) Proſper in Chron. ſub h. an. Coſs. carpit Aetium dicens: *nihil Duce noſtro Aetio ſecundum prioris belli opera proſpiciente; ita ut nec clauſuris Alpium, quibus hoſtes prohiberi poterant, uteretur, hoc ſolum ſuis ſupereſſe exiſtimans, ſi ab omni Italia cum Imperatore diſcederet*. At fortaſſe Aetium Attiliani exercitus ingentes vires perterruere, cum ipſe tot fœderatos populos (quos Romanis junctos in priori bello recenſuit A. N.) modo non haberet, & plenum periculi, ac dedecoris videbatur Urbis Romæ, & ipſius Valentiniani conditionem unius prælii diſcrimini committere, niſi pugnandi propitia offerretur occaſio.

(100) *Trimeſtre* ſpatium ſunt qui legendum putant ap. Paul. Diac., & rationes ab A. N. prolatæ invicti ſunt roboris adverſus triennalem obſidionem, ob ſilentium præſertim Jornandis, cui in his admodum deferendum. Neque rerum ab Attila geſtarum hoc triennio ſeries patitur diuturnam adeo obſidionem. Quibus adde Auctorem Miſcel. l. 15. qui ex Theophane, aliiſque antiquam collegit hiſtoriam, & tamen illam non memorat.

ſpexit, errorem ſuum, atque hoſtium dolum agnovit, ac, ſigno exercitui ad vacuam invadendam urbem dato, mœnibus ſcalas admovit, ac ſtatim eam mœnium partem, in qua nidus ciconiæ hæſerat, ſua ſponte labentem animadvertit; itaque impetu præcipue ab illa parte facto urbem intravit, ac bona civium, qui remanſerant, militibus diripienda, ipſoſque pro cujuſque libidine conflictandos permiſit. Diſcurrentibus autem temere ad prædam, cædem, ſtuprumque militibus mulier ſummo loco nata, Digna nomine, facinus, ſi animi magnitudinem intuemur, inprimis memorabile edidit, nam, cum eſſet, ut formæ excellentis, ſic pudicitiæ ſingularis, ne in manus hoſtium veniens ludibrium fortunæ perferret, ex edita turri, quæ ædibus ſuis imminebat, ſe in ſubjectum amnem Natiſonem capite obvoluto projecit, ſtudiumque muliebris conſervandi pudoris memorabili in primis exitu declaravit. Direptis bonis, templis inde, tectiſque publicis, ac privatis incendium eſt illatum, urbſque ad deterrendas exempli fœditate finitimas ad ſolum everſa, (101) ex civibus alii captivi in poteſtate hoſtium remanſerunt, alii tormentis excruciati vitam miſere finierunt, reliquos & quidem copiis, ac nobilitate præſtantiores incolumes inſula Gradus excepit. Atque hic quidem urbi nobiliſſimæ, & quæ ad id uſque temporis clauſtrum Italiæ adverſus irruptiones barbarorum firmiſſimum, & ſemper invictum extiterat, Auguſto menſe exitus contigit. Aquileja capta, atque deleta, tantum inde proximæ provinciæ pavoris injectum eſt, ut urbium ejus potiri, haud magni admodum negotii fuerit. Quamobrem Concordia, Altinum, Opitergium, Patavium, & Ateſte, quæ prope tum æſtuarium, eximiæ, atque inveteratæ nobilitatis oppidi, attingebant, civibus pleriſque ad inſulas, quas diximus, properantibus primo adventu, præſidiis deditis, in poteſtatem ceſſerunt, captaque, ac direpta, ſubjectis facibus, diro, ac prope hoſtibus etiam ingrato ſpectaculo conflagrarunt. Maritimis his oppidis expugnatis, non recto curſu, ſicut opinio fuerat, ad Padum proceſſit, ut Romam, quod in ſermone jactabat, appeteret; credo, quòd Aetium armatum ibi obvium extimuerit, (102) verum ad dexteram converſus ſeſe intra Padum continuit, atque uni prædationi, ac vaſtationi, ut videbatur, urbium deditus, mediterranea Venetiæ oppida Tarviſium, Vicentiam, Veronam, Mantuam, Cremonam, Brixiam, Bergomumque petivit, & capta, ac pariter militari populatione exhauſta ſubvertit. Tranſmiſſo inde Abdua Liguriã ingreſſus eandem urbibus ejus intulit labem, Laudi, Como, Novariæ, Vercellis, Eporœdiæ, Taurino, Mediolano, ac Ticino, quarum omnium populi formidine conſternati relictis oppidis ad montes ferme, & loca ſitus difficultate munita confugerant. Inde, ut addit Diaconus, ineunte jam, ut opinor, hieme Padum ſine impedimento trajecit, atque occurrentes Æmiliæ urbes, Placentiam, Parmam, Regiumque ſubinde adortus, nullum item in eas exemplum hoſtilis feritatis omiſit. Jam omnia, quæ intra Apenninum, & Alpes erant, fuga, populatione, cæde, ſervitute, incendio, & deſperatione repleta erant, nullaque mali facies aberat, nefaria per omnes ordines, ſexus, & ætates barbarorum avaritia, crudelitate, ac licentia pervagante, cum vir, illa tempeſtate unicus, ac bello princeps Aetius opportunum auxilium reliquæ jamjam perituræ Italiæ attulit. Is maximum jampridem exercitum ex Romanis, barbariſque contractum habebat, ita ut ex æquo cum Attila juſto confligere prælio poſſet, qui copias jam præda graves, ac fame, morbis, atque algore afflictas, & domum repetere cupientes, trahebat. Itaque, cum jam alter 453 annus procederet, quo Opilio, Vincomaluſque Conſulatum geſſerunt, (103) cernens illum rectà per Æmiliam incitato Romam verſus impetu contendentem, ſuperiora Alarici tempora, quibus adhuc nihil fuerat triſtius, averſatus, ad provinciæ fines occurrit, ſummo prælio, ſi opus eſſet, decertare paratus, atque Æmilienſes campos, non minus, quàm Catalaunicos, clade Hunnica inſignes poſteris proditurum confiſus. Attila interim, relicto Regio, Mutinam victorem, inſolentemque exercitum VII. Kal. Februarias duxit. Expectabant cives noſtri ſuſpenſis, ac trepidantibus animis ultimum in horas ipſorum urbis excidium, atque, omni humano deplorato auxilio, imminentem peſtem avertere, ſupplicibus ſolis ad Deum fuſis precibus, contendebant, cum repente, quaſi cælo auditi, præter opinionem omnium voti ſui compotes ſunt effecti, ſiquidem Attila ut Tricaſſibus in Gallia virtute Epiſcopi S. Lupi pepercit, ſic Mutinam in Italia meritis S. Geminiani (104) intactam præteriit, neque ho-

(101) Ita Scriptores omnes ab A. N. laudati, quibus adde Auctor. Miſcel. l. 15., unde mirum quod Em. Baron. ad h. an. n. LXI. nolit iiſdem aſſentiri, funditus averſam negans, conatus paulo poſt iterum habitari cœptam oſtendere ex S. Leon. epiſt. ad Nicetam Aquilejenſ. Epiſc. ſub Conſulatu Majoriani ſcriptam, an. nempe 458., qua Pontifex ad ejuſdem Epiſcopi conſultationes reſpondit, quid de feminis Aquilejenſibus agendum, quæ captis ab hoſte viris, aliis nupſiſſent, & cet. At inibi certe ſermo de mulieribus, non quæ paulo poſt Attilianam cladem Aquilejam incolebant, ſed quæ cum eſſent Aquilejenſes, aliò aufugerant, ipſo urbis excidio imminente, aut ejuſdem clade peracta.

(102) Præſertim cum Attilam non pugnandi, ſed prædandi aviditas ageret; hinc Proſper in Chr. ſub h. an. Coſs. ait: *tot nobilium Provinciarum latiſſima everſione credita eſt* (vel ab ipſo Aetio) *ſævitia, & cupiditas hoſtilis explenda*. Unde ad eas civitates flexit iter, quò avidum hoſtem trahebant civium divitiæ, non Romanorum arma. *L. Paul.* Diac. in Hiſtor. rer. Romanar., quem A. N. hic laudat.

(103) Vincomalus Conſul Orientalis, ex novendecim viris illuſtribus unus, qui Marciani nomine adfuere Concilio Chalced., ad quem Theodoretus epiſtolam dedit 140. In Inſcrip. edicti an. præc. à Marciano editi ſacrorum officiorum Magiſter, & Conſul deſignatus dicitur. Opilioni item Magiſtro officiorum an. 449. Novella *de Principibus Agentium in reb.* à Valentiniano inſcripta.

(104) Quem Baronius putat Legatione Apoſtolica ad Leonem Aug. an. 458. functum collega Domitiano Catalaunenſi (eod. Baronio opinante, ad an. 458. n. 12.) de quibus mentio in epiſt. S. Leon. 100. miſſis ad Orientalium turbas ſedandas. At eidem Baronio non adhærendum, ubi ait, Geminiano, & Domitiano Legatis præſentibus, celebratum C. P. Concilium an. 459., Gennadio Patriarcha C. P. Quidquid enim de hujus Concilii

hostili ullo detrimento affecit. Itaque Ecclesia Mutinensis merito hodie quoque festum accepti hujus à sancto suo Antistite beneficii diem, septimum Kalendas Februarias, (105) solemni pompa concelebrat, præclaro pietatis, ac religionis exemplo jampridem à majoribus instituto. Haud longius inde progressus Attila, pedem, opinante nemine, retulit, atque exercitum ad Padum reduxit, Aetio acriter in tergis instante, atque extremum agmen cædibus, ac terrore premente; trajecit autem Padum, qua parte in ipsum Mincius influit, qui locus frequenti populorum ultro citroque commeantium transitu erat insignis, sine dubio maximis incommodis ab exercitu Aetiano affectus. Cum autem castra ad Mincium trans Padum jam securus ab Aetio posuisset, atque adhuc ferocia de adorienda Roma verba jactaret, à suis circumfusis ducibus, domum, ut dixi, spectantibus est admonitus, ut conatu illo, consilioque desisteret, memor, Alaricum Regem Gotthorum, postquam Romam diripuisset, fœdo naufragio deformatum paucos dies supervixisse. Interim Valentinianus, receptu Attilæ cognito, paulisper respirare, ac quasi ex cœcis servitutis tenebris lucem aliquam libertatis cœpit aspicere; itaque legationem de pace mittere ad Attilam, tanquam omnia æquioribus jam auribus accepturum, constituit, ac Leonem Pontificem, (106) hominem non majestate solum, sed etiam ætate venerabilem ad id muneris legit, adjectis mandatis, ut quacunque conditione posset, Attilam non solum à progressione averteret, sed etiam ad Italiam primo quoque tempore relinquendam impelleret. Haud respuit in tanta rerum asperitate laborem ullum egregius Pontifex, sed, comitatu honestissimo sumpto, (107) quàm maxima potuit, ad eum celeritate contendit, nactusque ipsum ad Mincium, ut proxime, considentem, ac sæva adhuc secum de petenda Roma consilia volutantem, se venisse à Valentiniano legatum ostendit. Non potuit homo non minus moribus, quàm genere barbarus, tam sancti, tamque venerandi Antistitis aspectu non graviter commoveri, itaque benigne, atque honorifice illum excepit, & libere, quæ peteret, expromere jussit. Quibus tum verbis Pontifex non solum optimus, sed etiam disertissimus caussam Italiæ, Urbis, atque Ecclesiæ Romanæ oraverit, ac quemadmodum Regis barbari pectus dicendo versarit, nemo prodidit antiquorum, neque ad ea ex ingenio confingenda, (quod quidam nuper poëtarum more fecerunt,) nobis veritatem consectantibus suppetit animus, cum hactenus nihil, nisi ex vetustis sumptum auctoribus, attulerimus: quod constat, ille hominem ferum, atque ab omni religione aversum gravi divinæ justitiæ commemoratione adeo permulsit, ut ipsum adhuc quibusdam quasi facibus inflammatum ad cupiditatem scelerati facinoris obeundam, promisso annuo tributo, ab ejusmodi consilio revocarit. Additur res auditu mirabilis, Attilam non tam gravissima Leonis oratione placatum, quàm aspectu alterius viri Leoni à tergo assistentis, atque ipsi gladium, ni obedientem se gereret, intentantis, fuisse perculsum, quod ipse postea diserte confessus est; nam, cum à suis reprehenderetur, quod tam facile Pontificis Romani nutui, auctoritatique cessisset, respondit, non se illum fuisse reveritum, sed alterum pone illum in habitu Sacerdotali astantem, forma augusta, & canitie venerabili præditum, & districto gladio sibi mortem, ni dicto audiens esset, acerrime minitantem; illum autem Petrum Principem Apostolorum fuisse nostri merito crediderunt. Vulgo etiam inter Hunnos sermo increbuit, Attilæ ferociam à duabus tandem feris fuisse perdomitam, Lupo in Gallia, & Leone in Italia, cum Lupum Tricassinum Episcopum, & Pontificem significare Leonem vellent. Ita, motis à Mincio castris, Noricum versus iter suscepit, ne per loca ruinis strata, agrosque recenti adhuc igne fumantes, atque ab omni genere alimentorum inopes exercitum pretiosa potius, quàm necessaria præda onustum reduceret, atque inde, transmisso Danubio in Scythiam suam pervenit, fama sævi prædatoris potius, quàm constantis bellatoris, relata. Hæc, quæ de irruptione Attilæ in Italiam scripsimus, paucis verbis Jornandes in Annalibus attigit: *Attila*, inquit, *recollectis viribus*, *Aquileiam vi magna diu obsessam capit*, *ac circumquaque prædis*, *& cædibus furibundus bacchatur*, *ad quem Valentinianus Imperator* Papam *mittens*, *pacem cum eo fecit*, *exercitusque ejus fame*, *peste*, *morbo*, *cædibusque insuper ab Aetio attritus*, *eum reverti fecit*: pluribus vero in eo libro tradidit, quem de rebus Geticis scripsit. Ceterum hæc ut nova, sic miserabilis admodum Venetiæ, Liguriæ, atque Æmiliæ, quæ adhuc sub Imperii tutela omnibus bonis floruerant, calamitas accidit; neque enim Alaricus citerioris, sed ulterioris Italiæ urbes attigerat, quas hac impressione Attila contusas prorsus, laceratasque reliquit. Quare, profecto illo, populi tanta barbarorum mole levati, alacres statim omne suum ad accepta supellectilis damna resarcien-

cilii Epocha dicatur, certe in epist. Synodica à Baluz. edita in N. Collectione Conc. p. 1452. ex vetusto MS. Bibl. Cæs., cujus meminit Lambecius To. 8. cum Gennadio subscribunt 81. Episcopi, decem & octo Metropolitæ, nulla autem reperitur Domitiani, Geminianique subscriptio.

(105) Sic publicum Festum Romæ quoque institutum ob liberatam à Genserico Urbem, S. Leo testatur Serm. 81. de Octav. SS. Apostolor. Petr., & Paul., ubi S. Pontifex conqueritur, diem illum fuisse neglectum, quod pauci ad solemnitatem convenissent Deo gratias acturi.

(106) Cassiodor. Var. l. 1. ep. 4. patrem suum unà cum Carpilione ad Attilam legatione functum scribit, eumdem ob pacem à superbo Rege obtentam prædicans: at in Majorum laudem ea dixisse patet; nam liberiori affectu Chronicon scribens, an. 452. id tribuit diserte S. Leoni, sicut & Prosp. in Chr. ad eumd. an, & Orientales omnes Episcopi ad Symmachum P. ep, quæ extat T. 1. ep. Rom. PP.

(107) Præter illos, quos cit. Cassiodor. memorat, comites habuit Abienum Consularem, & virum Præfectorium Trigetium, ut inquit Prosper l. c. Ambo autem Chronica hanc Legationem, pacemque initam an. precedenti consignant. Quæ autem de Apostolorum Principe mortem Attilæ minitante A. N. refert, L. ap. Paul. Diac. in hist. rer. Rom., qui ex veteribus R. Ecclesiæ monumentis hausit; ea V. ap. Bar. ad an. Chr. 452. n. 54.

cienda, & tectorum jacturam quoquomodo reparandam studium contulerunt. Nam qui ad montes, insulasve diffugerant, aliòve quò dilapsi formidine fuerant, revocati urbes pristina frequentia celebrarunt, & captivos, quos potuerunt, vel ingenti pecuniæ magnitudine redimere deinde conati sunt: in Venetia tamen Aquileja, Concordia, & Altinum, licet Episcopis ad Ecclesias suas administrandas reversis, nequaquam; Opitergum, Patavium, & Ateste, ægre admodum, restituta sunt. Id autem, (quis tandem occulta Dei consilia provideret;) bono quodam quasi Italiæ fato evenit. Etenim hoc pacto urbs clarissima Venetiarum est condita, (108) difficillimis aliquando temporibus veterem Italiæ dignitatem repræsentatura, ac fortiter sævissimum Aquilonarium hostium impetum exceptura. Harum namque civitatum Primores, qui ad insulas confugerant, tam crebris, & tam sævis barbarorum impressionibus consternati, cum patrias sedes suas crematas, agrosque vastatos viderent, domicilia in insulis sibi perpetua statuerunt, ac, communicatis consiliis, non solum rationem inierunt, qua se adversus immanem incursantium hostium libidinem tractanda re maritima tegerent, sed etiam creatis Magistratibus, quos Tribunos, Cassiodoro teste, vocarunt, certam inter se Rempublicam instituerunt, quam usque ad Caroli Magni tempora tenuerunt, à quo armis petiti, ex omnibus insulis in unam ferme, quam nunc incolunt, Rivum altum migrarunt. Quo casu egregie, prospereque defuncta civitas belli, pacisque studiis pro temporum ratione colendis ad eam opum amplitudinem crevit, ut jam cum potentissimo quoque Rege æquo Marte terra, marique armis confligere non solum possit, sed etiam ausit. His exceptis, reliquæ civitates suis quæque Episcopis auctoribus, atque adjutoribus sacras, & profanas ædes restituere, & pristinum eis decorem reddere properarunt, ex quibus præcipue mira Eusebii Archiepiscopi apud Mediolanenses opera, atque industria prædicatur. Eodem anno XVII. Kalend. Maji Leo Pontifex litteris Marcianum Augustum rogavit, ut Eutychetem ex iis locis, in quibus exul nefariam de Christo doctrinam tradebat, in remotiora, & secretiora loca retruderet, quò minore Ecclesiam detrimento vexaret. Ubi vero Attila in Scythiam rediit, quietis, otiique impatiens nova moliri, sed occulta, ut ante, consilia cœpit; nam palam Valentiniano, & Marciano Augustis minas intendit, occulte autem adversus Sangibanum Regem Alanorum arma paravit, quia, Theodorico, & Gundicario interemptis, & Valentiniano ad extremam prope desperationem adducto, ipsum incolumem superesse, tanquam participem ejusdem culpæ, dolebat. Itaque ad Valentinianum misit, denuncians, se gravioribus Italiam incommodis affecturum, nisi Honoriam sororem cum parte regalis opulentiæ ad se misisset; ad Marcianum vero, se Illyricum novo bello fatigaturum, nisi promissa à Theodosio stipendia persolvisset: & cum hæc minabundus jactaret, exercitum tamen ad diem convenire jussum iterum in Galliam duxit, ut Alanos ad Ligerim considentes invaderet. Qua re cognita, Thorismundus Rex Gotthorum, id ad se quoque pertinere existimans, qui proximas Alanis sedes haberet, paratis continuo rebus Alanorum subsidio venit, atque, altero cum eo edito prœlio, victum in Scythiam se referre coëgit. Hujus pugnæ unus Jarnandes est auctor. Aetium quò minus Thorismundo auxilium tam asperis temporibus ferret, fœdus cum Attila modo ictum, credo, continuit. Ob id Thorismundus in- 454
census, (109) Aetio (110) jam, Studioque Consulibus, quod dubiis suis in rebus fuisset ab Aetio destitutus, bellum Romanis in Gallia movit, atque exercitum Arelate adduxit, &, cum adortus manu expugnare non potuisset, obsidionem admovit. Qua cognita, Aetius propere cum copiis, quas in promptu habebat, accurrit, ac prœlium acre commisit, neque tamen Thorismundum ab urbe depellere potuit. Quod ut animadvertit Ferreolus, tum Prætorio Galliarum Præfectus, homo propter singularem prudentiam, atque excellentem humanitatem inter paucos apud Gotthos gratiosus, ad Thorismundum accessit, ac blande appellatum, ac convivio comiter exceptum, ad eam relinquendam obsidionem induxit. Quod Sidonius sic in epistolis retulit: *Ferreolus, qui Gallias administravit, tum cum maxime incolumes erant, Attilam Rheni hostem, Thorismundum Rhodani hospitem, Aetium Ligeris liberatorem, sola dispositionum salubritate toleravit, & propter prudentiam tantam currum ejus provinciales cum plausuum maximo accentu spontaneis subiere cervicibus, quia sic habenas Galliarum tractaverat, ut possessor exhaustus tributario jugo relevaretur. Rex Gotthiæ ferocissimus affatu ejus inflexus est, eumque ab Arelatensium portis removit convivio, quem Aetius non potuerat prælio.* Attila inde domum reversus summo sese otio tradidit, itaque post multas uxores ductas, ut mos erat illius gentis, puellam nomine Hildiconem, specie præstantem sibi ma-

(108) Constructa inter stagna Hadriatica, palis in terra sub aqua defixis, parvisque insulis cohærentibus deinde aucta ad miraculum usque, unde de ea Sannazar. cecinit:

*Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis*
*Stare Urbem, & toto ponere jura mari:*
*Nunc mihi Tarpejas quantumvis Jupiter arces*
*Objice, & illa tui Mœnia Martis ait;*
*Si Pelago Tybrim præfers; Urbem aspice utramq;*
*Illam homines dices, hanc posuisse Deos.*

L. de Urbe, & Gente Petr. Bembum, *Histor. Venet.*, Sansovin., Descript. Venet., Ant. Sabell. Hist. Venet., alioſque.

(109) Hæc quæ narrat A. N referenda an. 453., ante cujus finem occisus fuit Thorismundus Visigothorum Rex; Idacius siquidem in Chr., an. Abrah. 2469., qui Kal. Oct. anni Chr 452. incipit, hæc habet: *Thorismo Rex Gothorum spirans hostilia, à Theuderico & Frederico fratribus jugulatur, cui Theudericus succedit in Regno.* Neque quoad an. mortis ejusdem Isidoro adhærendum in Chron. Gothor., qui in æra cum annis Marciani Imp. copulanda errat, ut in ejusmodi connexionibus solet.

(110) Is Præf. Urbis C P. erat an. 419., ex Auct. Chr Alex., & an. 425. Præf. Præt. sub Theodos. Jun., ex L. Cod. Theod de Imaginibus Imperial., proindeque male cum Aetio ter Consule à plerisque confunditur. Idem in Act. Conc. Chalc. T. 4. Concil. p. 575. recensetur inter Marciani comites, quando Synodum est ingressus, ibique dicitur *Comes Domesticorum, & sacrorum stabulorum.*

matrimonio copulavit, ac nuptias magna hilaritate animi celebravit: quo facto vino, ciboque gravis in omnem libidinis intemperantiam se effudit; subinde fatigatione resolutum somnus adeo altus oppressit, ut cum sanguis è naribus manare cœpisset, ipse nihil sentiens faucibus, ac spiritu interclusis extinctus sit: postridie mane illustri jam procedente Sole cum ministri Regem contra morem cubare viderent, tristius aliquid suspicati cubiculum ingrediuntur, atque ipsum sine vulnere sanguine mersum, puellamque demisso vultu sub velamine lacrymantem offendunt. Quo dolore perculsi milites, gentis ritu crinium parte recisa ora vulneribus lacerarunt, amissum Regem ingenti gemitu, ejulatuque deflentes, atque inde funus apparatu regio instruxerunt: quippe in mediis campis, & intra tentorium sericum cadaver posuerunt; lectissimi autem equites circumcursantes facta ejus magnifica cantu lugubri cecinerunt, in hanc sententiam: Attila (111) Rex Hunnorum Mundzucci filius, fortissimarum gentium dominus, qui solus, primusque Scythica, & Germanica regna obtinuit, atque utrumque Imperium captis urbibus terruit, & ne prædæ reliqua subjicerentur, placatus precibus annuum vectigal accepit: cumque hæc omnia singulari felicitate gesserit, non vulnere hostium, non fraude suorum, sed gente incolumi inter gaudia lætus sine sensu doloris occubuit. Quibus carminibus absolutis stravam, quam vocabant, super tumulum ejus magna comessatione concelebrarunt, ac luctum gaudio temperarunt. Inde silentio noctis cadaver sepulturæ mandatum, idque auro, argento, ferroque munitum est, scilicet, ut ferro gentes edomitas, auro, argentoque utrumque spoliatum Imperium indicarent; addidere inde arma hostibus adempta, ceteraque pretiosa fortibus viris erepta insignia. Marcellinus, Aetii impulsu Attilam à muliere confossum hoc anno notavit, alii in priorem retulerunt. Thorismundus etiam Rex per eosdem dies est mortuus; nam Tolosæ morbo oppressus, cum ejus curandi gratia sanguinem mitteret, à cliente inimicos falso adesse nunciante, armis subtractis, occisus est; ita tamen, ut scabello arrepto, antequam opprimeretur, nonnullos ex insidiatoribus straverit. Ejus mortui locum Theodoricus secundus frater obtinuit, cujus mores egregios pluribus verbis Sidonius epistola secunda descripsit, qui hoc tempore florere cœpit. His funeribus regiis simul etiam Pulcheriæ Augustæ obitus est adjunctus. (112) Eodem anno, filii Attilæ de dividendo inter se regno agere cum cœpissent, contentione orta eò descenderunt, ut populos subjectos in sortem conjicerent. Quod ubi Ardaricus Rex Gepidarum audiit, indignum esse ratus, bellicosissimas gentes, tanquam viles pecudum greges, sorti committi, contra eos exercitum duxit, ac defectione sua non populares solum suos, sed alias etiam nationes ad libertatis studium excitavit, ac prœlium in Pannonia juxta flumen Netad (113) adversus Hunnos, & eorum amicos inivit. Ibi Ellace filio Attilæ natu maximo cum triginta suorum millibus strato, reliqui fratres ejus ad littus Pontici maris, ubi vetustas Gotthi sedes habuerant, abire compulsi. Ita Hunni, quorum opes terra capere non poterat, tristi dissidio distracti subitò conciderunt. Populi vero, qui illorum imperio obtemperaverant, sedes à Marciano, & Valentiniano Imperatoribus impetrarunt, Gepidæ quidem Daciam, & munera strenuis viris honoris caussa tribui solita; Ostrogotthi (114) vero Pannoniam, quæ Attilæ fuerat, à Sirmio ad Vindibonam; Sarmatæ, & quidam Hunni in Illyrico ad castrum Martenam; (115) Scyri, & Satagarii, (116) Alani cum suo duce Candace, cujus Notarius fuit avus Jordanis harum rerum Scriptoris, Scythiam minorem, & Mœsiam inferiorem accepere; Rugi vero, aliique quidam Scandiopolim. (117) Interim Valentinianus, ubi ab instantibus curis laxatus est animus, res duas omnium maxime improbatas, ac Reipublicæ sibique demum perniciosissimas, est aggressus, quarum una fuit turpioris libidinis, altera stolidæ cujusdam temeritatis. Uxorem ille Petronii Maximi perdite deperibat: erat autem Maximus Senator, idemque Patricius, nepos illius Maximi,

(111) Marcellinus sub h. an. Coss. Attilam mulieris manu confossum prodit: At major Cassiodoro fides, præcedenti anno consignanti, cui consentit Prosp. in Chron., Coss. Vingomalo, & Opilione: neuter autem per insidias occisum tradit. Jornandes item, de Reb. Get. 49., & 50., ex quo hæc A. N. de morte Attilæ, & contentione inter filios, successionis causa, orta, maximam fidem promeretur, qui, cum legerit Priscum Rhetorem, hoc tempore viventem, fatetur, se ejusdem testificatione hæc scribere, subdens eumdem Scriptorem dixisse, Attilæ *mortem in locum muneris* habitam. Jornandes refert, eadem nocte Marciano Imp. per quietem visum fractum Attilæ arcum: idem Paul. Diac., Rer Rom. hist. V. quæ alibi superius de strava observatum, nec non de more condendi divitias in sepulchris.

(112) Consignandus Pulcheriæ A. obitus an. præcedenti, ex Idacio, *mense Jul.* Marcell. in Chr., Auct. Chr. Alex., Theophanes eidem suffragantur quoad annum; sed Theoph. accidisse ait die 30. April., teste Ducang. in Famil. AA. Byz. p. 71. Eminentiss. Noris. Dissert. de Epoch. Syro-Mac. 4., ex Auct. Chron. Alex. interiisse ostendit duodecimo Kal. Mart., hinc in Menæis Marciani, & Pulcheriæ celebratur memoria die 17. Februar. Vixit annos quinquaginta quatuor, & aliquot menses; nata siquidem die 19. Januar., Theodoro Consule, ut tradit Auct. Chron. Alex.

(113) De quo Jornandes de Reb Get. 82., *Nedao* legunt alii apud eumdem.

(114) De quibus Jornand. de Reb. Get. 52. scribit: *In Pannonia sub Rege Vvalemir, ejusque germanis Theodemir, & Vvidemir morabantur, quamvis divisa loca, consilia tamen habuere unita*. Maluere autem Ostrogothi à Romanis Terras petere, quam alienas quærere magno pugnandi discrimine, eod. Jornan. teste; ex quo disces Pannoniæ fines, qua illis concessa fuit.

(115) Quæ apud plerosque dicitur Marcena, oppidum Pannoniæ superioris, in Stiria, à Pœtovione 4. leucis in occasum, ad Dravum: hodie Marburg. Hujus meminit Jornand. de Reb. Get. 82.

(116) Alii legunt *Sadacatii* apud Jornand. de Reb. Get., dicentem: *Sciri verò, & Satagarii, & ceteri Alanorum cum duce suo* Cendace, & cet.

(117) Sunt qui legendum censent apud Jorn. l. c., *Archadiopolim*, ubi ait, Rugos, *Bioximetas*, (sive *Brizim*, ut alii legunt) *Scandiopolim, ut incolerent, petiisse*.

ximi, quem Theodosius Gratiani ulciscendi caussa sustulerat. Hanc igitur forma excellentem cum misere amate cœpisset, blanditiis primum ad sui obsequium allicere nixus est: ubi vero pectus ejus munitum pudicitia reperit, ad artem se contulit, quippe Maximum ad se accersivit, & de industria ludere cum eo talis instituit, certoque auro proposito, annulo ejus ludi victor potitus est, quem statim Maximi nomine clam ad illius conjugem misit, eamque jussu mariti, signo accepto, properare in Palatium ad salutandam Eudoxiam Augustam præcepit. Mulier, annulo mariti conspecto, nulla de re suspicans adiit, ac statim in gyneceum à paratis ad id mulieribus deducta est. Neque ita multo post Valentinianus, Maximo relicto, libidine ardens accessit, atque amorem testatus, castissimæ mulieri stuprum nefarium intulit, Sex. Tarquinium imitatus, qui violatione Lucretiæ regnum ex urbe dejecit. Dimissa inde mulier, ut injuriam violatæ pudicitiæ vindicaret, viro rem prodidit, ipsumque, ut qui tanto probro occasionem aperuisset, prope detestabunda increpuit, ac mox rei indignitate per se satis necensum quibusdam quasi furiarum facibus ad tantam persequendam contumeliam incitavit. Maximus inde, cum se Valentiniano vitam eripere sine certo periculo non posse, vivente Aetio, animadverteret, ipsum ante de medio sibi tollendum existimavit. Itaque rem aggressus, eunuchos (118) regii corporis custodes spe, præmiisque corruptos induxit, ut Valentiniano persuaderent, Aetium rebus gestis inflatum novas res in Gallia meditari. Quod cum Princeps credidisset, continuo cogitare de illius delendi ratione instituit: cum autem in hanc curam animum intendisset, forte ex amico quodam quæsivit, num Aetii mortem utilem fore Reipublicæ judicaret, cui ille: *Minime vero*, inquit, *immo si illum sustuleris, tu tibi dexteram manu altera desecabis*. Qua voce haudquaquam deterritus, Aetium Romam necivit, & satellitibus in Palatio collocatis, ubi accessit, per eos incautum unà cum Boëtio amico fœdissime trucidavit. (119) Quo extincto, simul omne Occidentalis Imperii præsidium concidit: tanta fuerat in eo virtutis indoles, tanta auctoritas, atque ad omnes res consulendas, atque agendas consilii promptitudo, animique alacritas. In ejus locum substitutus est Ricimer Suevus, (120) ut inquit Sidonius, nam alii Vandalum prodiderunt, qui genus maternum ad Valliam Gotthorum Regem proximum referebat. Valentiniano inde Augusto 455 VIII. & Anthemio, qui postea imperavit, Consulibus, Marcianus Kal. Augusti edictum edidit, ut qui Concilio Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedodonensi assensum abnuerent, & cum Eutyche facientes Proterii Episcopi Alexandrini consuetudinem devitarent, ii omnibus pœnis, quibus Apollinaristæ hæretici, tenerentur. Cum duces Ostrogotthorum Valemirus, Theodemirus, & Vindemirus fratres diversis in locis in Pannonia habitarent, filii Attilæ eis irati, ut qui, tanquam mancipia, à legitimo domino profugissent; adversus Valemirum, Theodemiro, & Vindemiro inscientibus, contenderunt, quorum impetum tanta ille virtute sustinuit, ut eos acie fatigatos prostraverit, & cum exigua suorum parte Scythiam petere trans Istrum coëgerit. Quo die Theodemirus tam insignis victoriæ nuncium à fratre accepit, eodem illi natus est puer ex concubina, quem Theodoricum vocavit, qui postea regnum Gotthorum in Italiam introduxit. Maximus, cum ad perimendum Valentinianum, ut certo jam ultore desertum, animo esset erectus, Ostilam, & Transilam fidos quondam Aetii satellites, indignitate Domini necis injecta, ac muneribus, & pecunia in præmium periculi ostentata, impulit, ut Valentiniano parum ab eis caventi manus afferrent. Nec consilium fefellit eventus, XV. Kal. Aprilis (121) convenerunt, atque hominem inermem, neque de ejusmodi insidiis cogitantem, in campo Martio pro Tribunali concionantem nacti circumsteterunt, & per Ocillam Aetii bucellarium ex adverso venientem gladio confoderunt, ac vita exuerunt: in eo tumultu Heraclius eunuchus cecidit, cum pro Domini salute suum caput offerret, fidemque in extremo etiam casu præstare contenderet. Tota inde non solum regia, sed etiam urbe tanti facinoris magnitudine consternata, nemo extitit, qui se Maximi conatibus adversarium exhibuerit. Obiit Valentinianus anno Imperii sui tricesimo, ætatis vero tricesimo quinto. Eo imperante, Occidentale Imperium, quod desidere sub Honorio cœperat, labi, ut dixi ab initio, cœpit. Unus tamen Attila ad terrorem hominum natus modo fortiter acie victus, modo afflicto exercitu cum pace dimissus, perennem ipsi apud posteros conciliare benevolentiam potuit.

LIBER

(118) Ex quibus præsertim elegit Heraclium Spadonem, inquit Prosp. in Chron. sub Consul. Studii, & Aetii, *qui ita sibi Imperatoris animum insincero famulatu adstrinxerat, ut eum facile in quæ vellet, impelleret*. Idemque est qui cum Valentiniano occisus dicitur inferius.

(119) Prosp. in Chron. ait: *Imperatoris manu, & circumstantium gladiis necatum*. Auct. Misc. l. 15. idem prodidit; unde & Sidon. Apoll. facinus Valentiniani execratus inquit, Placidum à Placidia matre eumdem appellans: *Aetium Placidus mactavit semivir amens*.
L. Gregor. Turon. l. 2. 8. ex Ren. Friger., ubi tamen singularia de Aetio, uxore, & filio Carpilione, honoribusque collatis narrat. Vide Procop. de Bell. Vandal. l. 1., ex quo A. Nostri narratio dimanavit, cum tamen Prosp. l. c. aliam hujus necis caussam referre videatur.

(120) Qui Consul in Occidente processit an. 459. cum Aspare: antea an. 457. Magister Militum, ex Chronographo Cuspiniani cura edito. Is *Flavius* dicitur l. 4. c. 7. Romæ subterraneæ in Inscriptione ibidem relata. Meminit Sidon. Apoll. c. 2.

(121) Chronologus à Cuspiniano editus sub his Coss. diem mortis Valentiniani diserte tradit dicens: *Occisus est XVI. Kal. Aprilis*, vel, ut alii legunt, *VI. Kal. Aprilis*. Prosper in Chron. scribit, *extra Urbem egressum, & ludo gestationis intentum*, inopinatis ictibus confossum. Auct. vero N. sequitur Cassiodorum in Chron. Mortuus autem anno *ætatis suæ* 36., *& Regni* 31., ex Idac. in Chr. sub h. an. Coss., cui Marcell., & Olympiodor. adstipulantur. Repete quæ de ejusdem ortu alibi dicta, ex Polemii Silvii *Laterculo* apud Bolland. in Præfat. ad Vit. SS. Mens. Januar. ad VI. Non. Julii; ex quo de anno, & die Nativitatis Valentiniani omnis tollitur controversia.

Digitized by Google

## MAXIMUS SECUNDUS IMPERATOR.

VAlentinianum inde Imperatores illi per tempora exceperunt, quibus dominanribus fœda, ac miserabilis ipsa demum Occidentalis Imperii labes est subsequuta. Hi sunt enim, qui ipsas prorsus Occidentis provincias amiserunt; hi sunt, qui Romam iterum, atque iterum, à barbaris captam, atque incensam viderunt; hi, qui Italiæ dominatione exuti nomen, gloriamque Romanam funditus everrerunt; hi denique, qui clarissimum Imperii Romani lumen, atque inveteratam populis nobilissimæ genris auctoritatem penitus extinxerunt. Nam, barbaris jam late omnia ditione, libidineque tenenribus, non solum antiqua Imperii majestas, sed vetus etiam litterarum, atque ingenii dignitas omnino evanuit, neque enim in tanto bellorum ardore, ac quotidiana servitutis, necisque formidine pristinis doctrinæ, atque eloquentiæ studiis vacare hominibus licuit. Itaque fœcunda illa eruditorum, disertorumque virorum propago, quæ usque ad primam Gotthorum in Italiam impressionem cum maxima omnium admiratione floruerat, tetro ipso barbariæ transitu, tanquam infesto rapidi cujusdam aquilonis impetu, prorsus exaruit. Quamobrem non erit mirandum, si nos etiam quæ sequuntur, veteribus eo magis rerum destituti scriptoribus, parcius, ac tanquam earum, quas describemus, cladium atrocitare perculsi, quodammodo languidius attingemus. Valenriniano Imperatore perempto, Maximus non solum dolori suo se injuria ulciscenda satis fecisse, sed etiam occasionem ad Imperium occupandum sibi aperuisse putavit; neque enim Valentiniani proles virilis ulla extabat, cui jure hereditario id fastigium deberetur, & ipse satis se paratum non solum ad invadendum, sed etiam ad tuendum tantum dominatum arbitrabatur. Itaque eademmet hora, (1) qua Valentinianus occisus est, ex campo digressus, furore, ac scelere ardens, cum magna armatorum satellitum manu in Palatium iniit, atque Eudoxiam Augustam adeptus per vim, uxore paulo ante amissa, sibi matrimonio sociavit, quo facto, parati ad id, promissis muneribus, milites ipsum Imperatorem acclamantes levarunt. Augustalibus inde insignibus exornatus totum se tradidit fluctuanti Imperio componendo. Hic, ut inquit Sidonius, Præfectura Prætoriana, Patricii dignitate, ac Consulatu semel, atque iterum functus fuerat, ac moribus, pecunia, litteris, patrimoniis, & clientelis ita floruerat, ut nemo illo in urbe conspectior, nemo in Republica beatior putaretur; postquam autem Augustus appellatus, ac per eam caussam Palatinis inclusus liminibus, (2) fuit, ante lucem vehementer ingemuit, quod voti compos factus sui fuisset, usque adeo ut Imperii pondus perosus sæpe dixerit: (3) Felicem te Damocles, (4) qui regni necessitatem non uno longius prandio pertulisti, neque id injuria; nam uno tempore & palam & occulte nefarias imperio, & capiti suo comparatas insidias sensit. Etenim, nuncio in Galliam de Valentiniani cæde perlato, barbari omnes male jampridem erga Rempublicam animati repente ad arma sunt conciti; siquidem & Saxones piratæ tractum Aremoricum infestum habere cœperunt, & Franci, atque Alemani more patrio Rhenanas provincias divexarunt, & Gotthi subita defectione arma cœperunt. Quod Sidonius bis verbis in Avito expressit:

*Qum & Aremoricus piratam Saxona tractus*
*Sperabat.* &
*Francus Germanum primum, Belgamq; secundum*
*Sternebat, Rhenumque ferox Alemane bibebas*
*Romanis ripis, & utroque superbus in agro*
*Vel civis, vel victor eras.*

Francus autem Hildericus Rex fuit, (5) qui, teste in Annalibus Jornande, hoc anno Meroveo patri vita functo successit, ac patrii regni prolatandi libidine stimulatus per hanc occasionem Germaniam primam, & Belgicam secundam invasit, quarum in una continebantur Magonciacum, Argentoratum, Nemetes, & Vangiones; in altera vero Rhemi, Suessiones, Catalauni, Veromandui, Attrebates, Camaracenses, Tornacenses, Silvanectæ, Bellovaci, Ambiani, Morini, & Bononienses. Hæc vero damna ubi Maximus trepido nuncio deferente accepit, subito Avitum Arvernum, de quo supra

(1) Ait enim Chronographus Anonym. à Cospiniano editus sub h. an. Cos. *Post interitum Valentiniani Imp. levatus est Maximus Imp. XVI. Kal. April.*, ubi plerique legendum putant, *VI. Kal. April.* Addit Prosp. in Chr., uxorem Augustam mortem viri lugere prohibitam, *intra paucissimos dies in conjugium suum tran?re* coegisse Maximum. Constantinus Manasses scribit, voluisse Maximum injuriam ulcisci a Valentiniano illatam uxori, vim inferendo Eudoxiæ.

(2) Valentiniani tempore pristinum adhuc splendorem servasse Romanum Palatium rectè colligit Onuphr., de Urbe Rom., & de Monte Palat., ex his Sidonii versibus, ep. 13. l. 2. ad Serranum; ab A. N. excriptis. Immo Cassiodor. in Chr., Herminerico, & Basilico Coss. idem Palatium memorat, ubi Riemeris fraude necatum prodidit Severum.

(3) *Interdum enim assidui labores etiam ipsas ingratas faciunt potestates, dum imbecillitas humana cito solet sustinere fastidia, & quod prius ambisse creditur, postea vitare velle sentitur.* L. quam praclase in hanc rem disserat Seneca ep. 94., & de Brevit. Vitæ capp. 4., & 5.

(4) Erat is Syracusanus, Dionysio Tyranno perfamiliaris, cujus Damoclis historiam describit Plato l. 3. de Republ., Tull. l. 2. de Finib., & l. 5. Tuscul., Horat. l. 3. Carm. Od. 1. Persius Satyr. 3. Macrob. l. 1. in Somn. Scip. 10., unde Boetius Policrat. l. 8. 23. ait: *Interroga Damoclem, & se hoc à tyranno Siciliæ didicisse fatebitur, cum ei undique in ardentes prunas ruina immineret, ad primum nutum, & quasi tenenti licio dependens gladius inter regales delicias cervici illius similis ferientis irrueret.* Vide quæ Saturninus apud Vopisc. loquitur.

(5) Sive Childericus, cujus Regis initium rectè Cointius anno sequ. consignat, cum ex Sigeberto in Chron. Meroveus pater annos decem regnarit: Childericus autem 24., neglectis aliquot mensibus. Totidem illi assignant Anonymus in Gestis Regum Francor. c. 9., Aimoinus l. 1. 12., & Roricon l. 1. Non est igitur deferendum Sigeberto, Merovei mortem differenti ad an. 458., inque Principum temporibus, qui tunc vixere, sæpius labenti.

Digitized by Google

A ſupra dictum eſt, Magiſtrum utriuſque militiæ legit, eumque turbatis rebus Galliæ pro ſua conſulere prudentia juſſit, quem honorem ut ab Avito ſuſceptum certus in Gallia rumor increbuit, omnis ſtatim Alemanorum, Saxonumque motus obtorpuit. Quare Avitus ad Gotthorum ſedandos motus converſus, Meſſianum, (6) qui animos eorum exploraret, præmiſit, ac mox ipſe non armatus, ſed legatus, proceſſit, & Toloſam una cum Rege Theodorico inivit. Dum hæc autem aguntur, Maximus novo alio, & magis tetro ſcelere eſt appetitus, quod non ipſi ſolum, ſed urbi etiam Romanæ præſens, ac memorabile exitium attulit. B Is prima nocte cum Eudoxia cubans, illud in ſermone imprudenter injecerat, ſe nimio illius amore incenſum viro ejus Valentiniano inſidias tetendiſſe, eaque vox altius, quam opus fuiſſet, in pectus Eudoxiæ penetrarat; itaque mulier ſive propriæ contumeliæ impotens, ſive alienæ ultionem injuriæ appetens, ſtatim animum ad perniciem Maximi appulit, ac mox, aliis auxiliis deſperatis, occulte nuncium ad Genſericum Regem in Africam cum litteris, ac muneribus ampliſſimis miſit, magnopere obteſtans, ut ad ſe, civitatemque Romanam infeſta Maximi tyrannide liberandam, ac ſimul ad Valentiniani mariti necem injuſtiſſimam vindicandam accederet: C id enim ipſum fœderi, amicitiæque debere, quo nuper ſe cum eo per Honoricum filium obſidem aſtrinxiſſet. His litteris acceptis Genſericus erectus, optatam potius, quam ſperatam occaſionem ultro oblatam arripuit, ac ſubito ſpe ingentis, atque opimæ prædæ illectus claſſem ad expeditionem Romanam inſtruxit, ac trecentis millibus Vandalorum, Maurorumque impoſitis, curſum Romam verſus prope fatalem intendit, ut quod Alaricus ſummis votis expetitum, ac maximis viribus tentatum vix extorſit, id ipſe ultro quaſi à fortuna porrectum acciperet, id eſt, D ut Romam à principio originis ſuæ ab hoſtili clade prope intactam ſecunda irruptione affligeret, ac Vandalicæ feritatis veſtigia ad omnem poſteritatis memoriam in ipſo quoque Imperii domicilio impreſſa relinqueret. Itaque dum Maximus aulam, atque Imperium inter ſævos militum, popularium, fœderatorumque tumultus nihil ex Africa adverſi metuens regit, ecce de improviſo pridie Idus Junias, (7) nec opinantibus omnibus, Genſericus claſſem valido milite, atque omni bellico apparatu refertam ad littora Romana appellit, atque exercitum ad omnem urbis oppugnationem inſtructiſſimum repente exponit, atque explicatis ordinibus ducere ad mœnia ejus inſtituit. Qua re cognita, tantus è veſtigio civitatem pavor invaſit, ut eodem momento urbs capta omnibus videretur. Itaque populares juxta, ac nobiles de ſua ſalute ſoliciti urbe ſe tumultuoſe proripuerunt, atque in montes, ſylvaſque, ut tutiores futuri latebris, profugerunt. Qua trepidatione animadverſa, Maximus & ipſe formidine anxius, ac prope ab omnibus auxiliis deſtitutus, ex urbe exceſſit, ſeque ceteris non tam fœde, quam periculoſæ fugæ ſocium præbuit. Fugientem autem, ac ſolum ubi Senatores quidam inimici ejus viderunt, veteres ſubito offenſionum acerbitates animo revocarunt, atque iracundia incitati per occaſionem lapidibus inceſſerunt, ac mox tractum, laceratumque per Urſum Romanum militem in Tiberim projecerunt. Quæ poſtquam Genſericus accepir, poſt triduum (8) urbem neceſſario præſidio vacuam, nemine reſiſtente, inivit. Cum in his anguſtiis res eſſet, Leo Pontifex priſtinæ haudquaquam virtutis, ac pietatis oblitus, iterum ad patriæ, Eccleſiæque ſalutem, quantum apud barbarum hoſtem ſive gratia, ſive auctoritate valeret, in extremo experiri periculo voluit: itaque ſacra procerum caterva ſtipatus Genſerico ad urbem adventanti ſeſe obvium tulit, atque ipſum in limite portæ adeptus, per omnia Chriſtianæ religionis ſacra, quibus ille magna ex parte eſſet addictus, oravit, ut ei civitati vellet parcere, cui nuper inimiciſſimus, ac ſæviſſimus omnium Attila pepercisset, cum ab ea adeunda ardentem animi ſui impetum temperaſſet. Non flexere Sanctiſſimi Antiſtitis preces Regem Chriſtianum, quæ Paganum infregerant; nam urbem ingreſſus, non tam profanas domos, quàm ſacra Templa, contra quàm Eudoxiæ ipſi vocanti promiſerat, libidini, avaritiæque militari permiſit. Ita Roma poſt annum quadrageſimum tertium, (9) quàm à Gotthis capta, ac ſpoliata fuerat, iterum à Vandalis occupata, ac fœdiſſima populatione vaſtata eſt; neque enim privatas, ac profanas ſolum opes abegerunt, ſed ſacram etiam ſupellectilem ſolido auro, atque argento, & lapidibus pretioſis ad auguſtorum Templorum ornamenta conſtantem, cui pepercerat Alaricus, eripuerunt: inter quæ aurea, atque argentea magni ponderis vaſa, quæ Titus Hieroſolymis quondam attulerat, aſportata; quin etiam omnia Auguſtalia ornamenta, &, ſi qua erant antiquæ urbis decora, ablata, ex quibus Jovis Capitolini tegu-

E (6) Qui Avito imperante Patricius fuit, occiſus deinde à Ricimere, *Joanne, & Varone Coſs.*, ut teſtis eſt Anonym. Chronographus. Ejuſdem meminit Sidonius Carm. 7. v. 427. canens:

*Inſuper & Geticas præmiſſus continet iras Meſſianus.*

Ibid. autem inferius legationem deſcriptam invenies.

(7) Quo die Maximum occiſum, Chronol. Anonymus a Cuſpin editus diſertè teſtatur; *poſt alterum menſem*, inquit Proſp. in Chr., ſc. tertio Imperii menſe, levatus namque fuit 16., ſeu potius 6. Kal. April. (ut ex ſuperius recit. Chronologi Anonymi Cuſpin. verbis) & necatus *prid. Id. Jun.*, unde & Victor Turonenſ. in Chron. diebus LXXVII. Imperium Maximi (ſi error Librarii emendetur denarium omittentis) duraſſe tradit, cui Marcellinus in Chr. conſentit. Emendationem ſuadet Proſper in Chron. eumdem numerum proferens.

(8) Marianus in Chron. prodit, Genſericum Romam obtinuiſſe *IV. Id. Julii Feria III.*, die nempe duodecima Julii, in quam præſenti anno littera Dominicali B. inſignito, incidit.

(9) Repete quæ alibi de Roma ab Alarico obſeſſa, & anno devaſtatæ per Gothos Urbis, dicta. Item L. Procop. de præſenti irrupt. Vandalor. l. 1. Belli Vvand., Evagr. l. 2., qui & incenſam à Genſerico Urbem narrat, cum ſpectacula tantum combuſta tradat Nicephor. l. 15. 11., & Auctor. Miſcellæ, occurſu S. Leonis liberatam Urbem à cæde, & incendio memoret.

A regularum ex ære auratarum pars dimidia,
ac statuæ pleræque, quæ egregii operis erant,
avectæ. Jam vero hominum innumerabilis
multitudo captiva facta, neque enim cives
solum passim in servitutem abstracti sunt,
sed ipsa etiam Augusta Eudoxia, (10) bujus
memorabilis cladis auctor eum duabus fi-
liabus Eudocia, Placidiaque abductæ. Ex
iis, qui urbe cesserunt, alii alio incolumi-
tatis caussa dilapsi sunt, ex quibus Olybrius
vir nobilitate insignis, cui Placidia despon-
sa erat, Constantinopolim abiit, atque inde
post aliquot annos ad accipiendum Impe-
rium rediit. Evagrius urbem non solum di-
reptione, sed etiam incendio deformatam
B scribit. Itaque Varronis comprobata tum
demum sententia est, qui ex Vectii auctori-
tate prodidit, quando conditori Urbis Ro-
mulo duodecim vultures augurium effecis-
sent, ipsam ad mille ducentos annos man-
suram, neque ita multo post ruituram, si-
quidem hic millesimus ducentesimus annus
urbis conditæ numeratur. His actis, Gen-
sericus, modo militari populationi imposito,
post quartum decimum denique diem Urbe
excessit, ac Romanam prædam in naves im-
positam in Africam deportavit, quarum quæ
statuas devehebat, adversa temp state vexa
ta interiit; reliquæ incolumes portus Afri
eæ tenuerunt. Cum autem opes infinitas,
C ac populum ingentem in Africam devexis
set, prædam inter Vandalos, & Mauros,
Victore teste, ita divisit, ut maritos ab
uxoribus, liberos à parentibus ad cumulan-
dam miseræ captivitatis acerbitatem magna
inclementia separaret. Quod ubi Deo-gra-
tias Carthaginis Episcopus paulo ante pre-
cibus Valentiniani creari ab eo permissus
audivit, vehementi dolore solicitatus vasa
sacra emenda, ingenuos redimendos, paren-
tibus liberos, viris uxores restituendas cu-
ravit, atque eis Basilicas duas Fausti, &
Vatii cum lectulis, & stramentis ad cuban
dum attribuit, ægrotisque quæ necessaria
erant, ministravit, medicis cibisque ac me-
D dicamentis opportunis exhibitis: verum &
hæc subsidia post biennii spatium (11) Epi-
scopi mors immatura subduxit. Eudocia
puella à Genserico nuptui Transamundo filio
(12) data. Hac tam insigni clade accepta,
quæ uberes etiam Italiæ universæ lacrymas
elicuerat, Romani postquam hostem è fini-
bus excessisse, ac, conscensis navibus, per-
venisse in Africam didicerunt, alacribus,
ut in tantis calamitatibus, animis patriam
receperunt præter eos, quos hostilis libido
captivos abduxerat, quia pecuniæ ad se re-
dimendos facultas defuerat, ac mox sævis
urbis vulneribus mederi, quæ populatio,
ac flamma intulerant, instituerunt: in pri-
mis autem Leo Pontifex, summa homo so-
lertia, ac pietate ornatus omnia Titulorum
vasa ad usum rei divinæ spectantia ex ar-
gento refecit; præterea hydrias binas ar-
genteas Basilicæ Constantinianæ, binas Ba-
silicæ S. Petri, binas Basilicæ S. Pauli, quas
Constantinus Magnus quondam obtulerat,
renovavit, atque eisdem cameras etiam aut
addidit, aut ornavit, aut instauravit; reliqui
vero, ut quisque potuit, privata ædificio-
rum, ac supellectilis damna resarcire co-
nati sunt, lapidibus etiam, cum alia dees-
sent, ex vetustis nobilium operum monu-
mentis, quibus urbs adhuc, vel invita bar-
baria, honestabatur, assumptis, atque huic
quidem studio & hoc, & sequentibus dein-
ceps annis est inservitum. Nondum Avitus
Tolosæ positus impositam sibi à Maximo le-
gationem confec rat, cum interempti Im-
peratoris, Romæque captæ fœda in Galliam
fama perlata est. Tum vero Theodori-
cus Rex, Gotthorum consilio advocato,
Avito potestatem dicendi fecit, qui ita
differere cœpit: maluisse se patriis in agris
stipendiis emeritis, & honoribus decursis
gaudentem reliquum vitæ spatium in quie-
te, otioque traducere: verum postquam
Maximus Augustus ignarum se, atque ab-
sentem ad militaria munia revocasset, (13)
prompto id officium animo recepisse, ut le-
gatus ad ipsum adiret, petitum, ut fœdus
à patre suo ictum confirmaret; quod nimi-
rum pater ejus, si superstes esset, jampri-
dem concessisset, ut qui quondam sua sequu-
tus consilia à Narbonensi obsidione se remo-
visset. Cui Rex ex Patrum auctoritate re-
spondit: absurde illum facere, qui illud ro-
garet, quod imperare pro suo jure posset;
ac se paternæ comitatis invidia oneraret,
qui à se nihil unquam postulandum putas-
set. *Pacem, quam petis*, inquit, *ultro dabo,
atque ad abolendam eam, quam Alaricus Ro-
ma capienda contraxit, invidiam arma pro
Romanis sumam, si modo ego te ad nomen
Augusti recipiendum inducam. Quod tibi ma-
gno opere suadeo faciendum*. Etenim

*regnum non præripit ulli,*
*Nec quisquam Latias Augustus possidet arces.*
*Quæ va at aula tua est.*

Atque his dictis quæ spopondit data dextra
confirmavit. Profecto inde in Arvernos Avi-
to, (14) cives his cognitis gaudio alacres
occur-

(10) Quæ ab Honorico Vito suo *Honoria* fuit di-
cta; unde Priscus in Exc. p. 74. sic illam
appellat; cui tamen obscure loquenti non
adhærendum, ubi Placidiæ cum Olybrio
conjugium initum tradit, postquam illa a
Genserico ad Marcianum Imp. unà cum
matre remissa fuit; Cyrillus enim Mona-
chus, nuper evulgatus a Pougeto Benedi-
ctino græce, ac latine, in Vita S. Euthymii
Abb jam antea uxorem Olybrii fuisse testa-
tur, quod & Procopius l. 1. Bell. Vand. 5.
luculenter habet, & Theoph. indicare vi-
detur an. Incar. secundum Alex. 449., qui
Kalend. Septemb. an. Chr. 456. inchoatur.
(11) Ita ut *annis tribus Sacerdotio* functus fuerit,
ut idem Vict. Vit. testatur l. 1. de Persecut.
Vandal. Ejusdem Episcopi mentio in Mar-
tyr. R. ad diem 15. Jun.
(12) Hunnericho, Genserici filio, nuptam Eudo-
ciam testantur Auct. Chr. Alex., Prisc. in
Excer. Legat. p. 74., quamvis uterque Ho-
E noriam appellent à Viti nomine. Procop.
l. 1. Bell. Vandal., aliique.
(13) Equitum, peditumque Magisterio ornatus si-
quidem fuerat, teste Sidon. in Panegyr. Avi-
ti, à Maximo; nec Præfectus Galliarum
erat tunc temporis, ut Baronius ad an. 455.
n. 24. contendit, male Sidonii versibus in-
tellectis, quibus collatas Avito explicat di-
gnitates, inter quas Præfecturam refert,
qun in an. Chr. 439. incidit, ut Sirmon-
dus demonstrat in Not. ad Panegyr. cit. n.
296.
(14) Idac. in Chr. an. Abrah. 2471., qui Kal. Oct.
an. Chr. 454. incipit, narrata Valentinia-
ni, & Maximi cæde, habet, Avitum Gal-
lum civem (Arvernum civem dicit Turo-
nens. l. 2. 11.) *ab exercitu Gallicano, & ab
Honoratis primum Tolosæ, deinde apud Arela-
tum* Augustum appellatum. L. quæ Sidon.

occurrerunt, atque ignaro Tribunal conſtraverunt, & convocata nobilitate ipſum ad Auguſtalia ſumenda inſignia cohortati ſunt; ſatis meritorum in eo dicentes hærere, in quo virtutis plurimum eluceret; rogare, ut difficillimo Galliæ tempore Tribunal aſcendat, quæ hac opinione imbuta ſit, ſe illo Principe libertatem, dignitatemque veterem poſſe recuperare. Ita ſuborta omnium acclamatione dies ad deferenda inſignia deſtinatur.

## AVITUS IMPERATOR.

POſt diem vero tertium proceres Galliæ citis evocati nunciis, cum in conſilium conveniſſent, Avitum militibus circunfuſis

*Aggere compoſito ſtatuunt, ac torque coronant Caſtrenſi mœſtum, donantque inſignia regni:*

ac mox ſecundis clamoribus Auguſtum, atque Imperii vindicem ſemel, iterumque appellant: is dies VI. Idus Julias fuit. Avitus inde, ut erat ſumma rerum gerendarum ſolertia præditus, ſtatim Senatum Romanum de dignitatis ſuæ provectione commonefecit, ſeque ad jura ex æquo moderanda, & Rempublicam viribus defendendam paratum eſſe oſtendit, ac mox Meſſiano Patricio lecto, Egidio Magiſtro militum, & Patricio tutelam earum civitatum, quæ trans Ligerim à Romanis tenerentur, adverſus Francos tegendas commiſit: Ecdicio vero filio Comiti militum, quæ cis Ligerim eſſent, adverſus Gotthos. Hiſpaniæ vero partem, quam Romani tenebant, cum vaſtari à Riciario Rege Suevorum incurſante audiret, Theodoricum Regem oravit, ut pro fœdere ſecum inito ſibi tuendam aſſumeret, atque incurſibus Suevorum obviam iret, quod bellum Theodoricus libenter ſuſcepit. (15) In Oriente Marcianus Auguſtus Valentinianum occiſum, & Romam captam, ac direptam poſtquam Senatus Romani litteris didicit, vehementer pro eo, ac debuit, doluit, verum pro inſita ingenii tarditate, quam etiam gravis ætas, ac naturalis ſenectutis languor intenderat, opportunum tantis malis ſubito, ut res ferebat, afferre auxilium haud potuit; neque quod à Senatu Romano rogabatur, conſilium de ſucceſſore ipſi Valentiniano ſubſtituendo expedire in tempore valuit. Eodem anno VI. Idus Julias (16) Pannonia ſævo adeo terræ motu concuſſa eſt, ut urbs Sabaria tota prociderit. Joanne inde, & 456
Varane Conſulibus (17), Avitus Auguſtus, rebus Galliæ ex ſententia conſtitutis, in Italiam ad ineundam juſti Imperii poſſeſſionem ſibi tranſgrediendum putavit. Itaque Gotthicis ſuffultus auxiliis, ſuperatis alpibus Romam acceſſit, atque ab omnibus benigne exceptus res tractare pro ipſo Imperii jure, nemine contradicente, (18) inſtituit; quibus perfectis, tanquam ab omni periculo ſeditionis ſecurus Gotthos domum remiſit, ac ſeſe Romanorum præſidio tradidit. Qua re animadverſa, Senatus, ſive luxurioſa ejus vita, ut quidam tradidere, (19) permotus, ſive Marciani imperio obſequutus, paratis occulte auxiliis, repente in eum invaſit, ac nullo negotio Urbe dejecit. In hoc rerum articulo deprehenſus Avitus, quod pares ad reſiſtendum vires non haberet, Æmiliam ſibi repetendam decrevit. Itaque languido, atque infirmo admodum comitatu iter ingreſſus, Placentiam adiit. Ea tempeſtate Ricimer Suevus Magiſter militum in locum Aetii à Valentiniano, ut diximus, factus ſuis humeris totum prope ſuſtinebat Imperium; cum autem Avitum Placentiam progreſſum audiſſet, tanquam officii cauſſa ad eum acceſſit, ac juſſu Marciani tumultu concito ipſum comprehendit, ita ut Meſſianum etiam Patricium ejus ſtrenue ſe pro Principe ſuo gerentem proſtraverit, ac XVI. Kal. Junias (20) Imperio ſe abdi-

Apoll in hanc rem, Panegyr. c. à v. 505. De ſolemni Auguſtorum levatione alibi dictum, de qua L. Pithœum Adverſ. l. 2. 6. Male autem Onuphr. in Faſt. interregnum 28. dies, & in Chr. 28., poſt Maximi necem duraſſe ait, ut Anonym Chronol. à Cuſp. editus evincit, cui A. N. adhæret, cum VI. Id. Jul. levatum Avitum inquit.

(15) Iſidorus in Chr. Gothor. tradit, ab Avito permiſſum Theodorico, ut Hiſpanias ingrederetur, quòd hujus auxilio Imperium adeptus eſſet.

(16) Anonym. Chronol. cit. habet, Avitum *VI. Idus Julias* Inauguratum, ſubdit autem ſtatim: *& everſa eſt Sabaria à terræ motu VII. Idus Sept. die Veneris*: at legendum *V. Idus Septemb.*, qui dies, currenti an. littera Domin B. notato, cum Feria VI. coincidit.

(17) Ambo in Oriente, ut in Faſtis Græcis, & Latinis, necnon in L. Cod. Juſtin. de Epiſcopali audientia, dat. VIII. Kal. April., à Marciano quidem renunciati. In Occidente vero Avitus Conſul proceſſit, morem ſervans novorum Impp. Nam Sidon. Carm. VII. v. 10. cecinit:

*. . . . . . . . . . . . Jam nocte bifrontes*
*Anceps Jane comas, duplicique accingere lauro.*
*Principis anterior, jam Conſulis iſte coruſcat*
*Annus*, & cet.

(18) Baronius ad hunc an. Senatum Rom. affirmat non faviſſe novo Imperatori Avito: at Idacius in Chr. an. Abrah. 2471. aperte teſtatur, eumdem à Romanis *& evocatum*, *& ſuſceptum*. Immo addit, miſſis Legatis ad Marcianum *pro unanimitate Imperii*, utrumque concorditer imperaſſe.

(19) Gregorius Turon. id ait, l. 2. Hiſt. Francor. 11., Placentinum Epiſcopum renunciatum deinde ſcribens; nemo autem crediderit, libidini deditum hominem ordinari Epiſcopum potuiſſe, permittente S. Leone: veriſimile potius, modeſtiſſimum (ex Sidon. Carm. 7.) Principem, qui pene invitus ſuſceperat Imperium, Gothorum auxilio deſtitutum, & multis inviſum libenter ſe illo abdicaſſe oblata occaſione, probe noſcens, Maximi Tyranni nomen, cui charus fuerat, a quo & Magiſter militiæ creatus, plurimum ſibi officere; hinc Idacius an. Abrah. 2474. (male quidem eo an.) ait: *Avitus tertio anno poſteaquam à Gallis, & Gothis factus fuerat Imper., caret Imperio, Gothorum promiſſo deſtitutus auxilio, caret & vita.*

(20) Non tertio anno, ut falſo tradit Idac. cit., cujus error in multiplicandis Imperii Aviti annis clare patet, ſed hoc an., non *XV. Kal. Octob.*, ut Petavio placuit l. 13. de Doctr. Temp., abutenti teſtimonio Chronographi à Cuſpiniano editi, quod ita ſe habet: *Occiſus eſt Remiſcus Patricius in Palatio Claſſis XV. Kal. Octobris; captus eſt Imp. Avitus, Placentiæ à Magiſtro militum Ricimere, & occiſus eſt Meſſianus Patricius ejus XVI. Kal. Junias*. Ly enim *XV. Kal. Oct.* ad Remiſci necem pertinet; ad Avitum verò captum, interfectumque Meſſianum ly *XVI. Kal. Jun.* Hunc quippe morem conſtanter Chronographus idem ſervat, tempora poſtponendi iis quos narrat eventibus. Sicque recte intelligitur Caſſiodorus in Chr. dicens, imperaſſe Avitum *menſes decem, & dies octo*, utpote

abdicare coëgit. Avitus autem, Imperio dimisso, ne privatam vitam ex tanto fastigio, unde repente detractus admirabili fortunæ inconstantia erat, ingressus, omnino contemptui haberetur, Ecclesiam Placentinam, quæ vacabat, accepit, & pro Imperatore Episcopum induit; mox autem cum sensisset, Senatum adhuc iratum sibi, licet jam Episcopo, insidiari, inde discessit, atque ad Basilicam S. Juliani Martyris in Arvernos ire contendit: verum in via morbo intempestivo oppressus, ne id quidem assequi morte præventus potuit, (21) vir propter egregiam animi indolem, virtutisque præstantiam, à Sidonio præcipue celebratam, hoc rerum, & vitæ exitu indignissimus. XV. inde Kal. Octobris Remiscus ex eadem parte Patricius in Palatio Classis apud Ravennam occisus est. Theodoricus Rex Riciarium Regem Suevorum ex Callecia, & Lusitania in provinciam Romanorum irrumpentem Aviti rogatu monuerat, ut suis se continere finibus vellet, atque superbum ab illo responsum tulerat, quo Theodoricus accensus, arma adversus eum paravit, Gunderico, & Hilperico Regibus Burgundionum in societatem ascitis; transgressusque Pirenæos, atque ad illum profectus, signa cum eo contulit ad amnem Urbium, (22) qui non longe ab Asturica fluit, ac Suevos prœlio superatos pene ad internecionem delevit. Riciarium vero è prœlio fugientem, eum, navicula conscensa, salutem sibi quærere contendisset, adversante austro rejectum in potestatem adduxit, eoque multari capite jusso, veniam Suevis concessit, & pro Riciario Achiulfum (23) clientem suum Regem attribuit ex Varnorum stirpe longe à Gotthorum sanguine procreatum. Suevisque ea de re tumultum agentibus, Calleciam, & Lusitaniam hostiliter pervastavit. Gensericus Rex, postquam semel capienda Roma fœdus cum Romanis ictum violavit, ei sceleri novum adjecit scelus: quippe partem Africæ, quam Valentiniano in divisione permiserat, repente contra fœdus invasit, ac, Præfectis Romanorum expulsis, imperii, ditionisque suæ effecit, neque Romani posthac juris aliquid in Africa habuerunt, donec eam per Justinianum Augustum post, felicissima victoria, receperunt. Sequenti anno, Constantino, & 457
Rufo Consulibus, Marcianus Augustus, cum adhuc consilia de successore Valentiniano sufficiendo tractaret, repente VI. Kal. Martias vita cessit, (24) majorem laudem ex Catholicæ fidei, quàm ex Reipublicæ defensione adeptus; statimque in ejus locum Leo Thrax Asparis Patricii suffragatione suffectus, atque ab Anatolio Constantinopolitano Episcopo coronatus est. Ille vero novi principio Imperii cum alia multa, quæ emendatione egere videbantur, constituit, tum præcipue Imperatorem vacuo Occidenti dare decrevit, ne rursus ea sedes ab aliquo temere, atque invito Senatu, occuparetur. Itaque Majorianum eximiæ virtutis, ac spectatæ prudentiæ virum nactus, eum, de quo ante commemoravimus, pridie Kal. Martias militum Magistrum effecit, ac Ricimerem Patriciatus dignitate ornavit, ac primo quoque tempore Majorianum (25) in Italiam ad accipiendum Imperium cum litteris, & comitatu honestissimo misit. Interim Burto à Majoriano equitum Magistro præmissus paucorum militum opera Alemanos devicit, qui in Rhætos invecti Caninos campos infesta populatione vastabant. Marciani morte audita, qui acrem se Chalcedonensis Concilii vindicem exhibuerat, Alexandrini novam statim seditionem moverunt, (26) ac die Paschatis Timotheum Ælurum Concilii ejus inimicum Episcopum declararunt, Proterio Catholico, (27) qui Dioscoro suffectus fuerat, interfecto, ac per urbis vias fœdissime tracto. Hae de re Leo Pontifex ab Anatolio certior factus V. Idus Junii

utpote qui an. praeced., die decima Julii purpuram induerit, abdicarit vero 16. Kal. Jun. currentis an., male igitur Evagr. l. 2. 7. octo tantum menses assignat: pessime Idac. an. tertio Imperii abdicationem evenisse tradit (si tamen integer est textus Idacii) Aviti. Mirum quod Valesius in Not ad c. Evagrii locum, deceptum hic putet Auctorem N. uno, eodemque die, & Avitum exauctoratum, occisumque Messianum, enarrantem; accuratissimus namque Chronologus laudatus in notandis diebus, quibus aut levati, aut depositi, aut mortui Aviti successores, diem abdicationis Aviti oscitanter omittere non potuit, qui & Remisci, & Messiani necis diem consignavit.

(21) Hæc ita à Gregor. Turon. narrantur, Hist. Franc. l. 2. 11 Peste extinctum Evagr. tradit l. 2. 7. Fame vitæ finem imposuisse Nicephor l. 15. 11. asserit. Idacius l. c. vita spoliatum dicere videtur.

(22) Urbicus apud Augustam Asturicam fluens, Antonino Urbiaca, si recte conjicit Ortelius; apud neminem legitur *Urbius*. Oritur ex Asturiæ montibus, ac in Austrum tendens, Asuram fluvium juxta Asturiam profluentem recipit, & postea in Estolam cadit. Meminit Ado Viennensis, cladem hanc referens, aliique plures. Ibi *tertio Nonas Octob. die, sexta feria*, ex Idac. in Chr., initum prælium. De Gunderico, sive Gundeuco, & Chilperico L. Jorn. Rer. Get. 44.

(23) Rechiario debellato, & occiso tandem mense Decemb. h. an., ex Idac. in Chr., Suevi qui remanserant in extrema parte Galleciæ, Massiliæ filium nomine Maldram sibi regem constituere, eodem Idac. teste. L. Jornan. de Reb. Get. 44., & Isidor. tam in Chr. Gothor., quam in Hist. Suevor. ubi extinctam pene Suevorum gentem, eo commisso prælio, narrant.

(24) Auct. Chron. Alex. narrata Marciani morte subdit, creatum Leonem Imp., *mense Peritio VII. Id. Februar.*, non itaque ad VI. Kal. Martias pervenit Marcianus; nec à Theophanis Chronico utpote mendoso diem mortis Marciani discere licet. Sex annos regnasse idem Auct. Chr. Alex. ait, sex mensibus neglectis; susceperat enim Imperium die 24. Aug. anni 451, hinc alii septem annos, nempe incompletos, imperasse produnt.

(25) Cui Augusto dictus a Sidonio Ap. Penegyr., Car. 5., ubi ejusdem genus describit.

(26) Testibus Theodoro Lectore l. 1., & Evagrio l. 2. 8. Timotheus Ælurus sedem invasit, vivente adhuc Proterio, quod in causa fuit, recrudesceret seditio die Paschatis, ut inquiunt Ægyptii Episcopi, ep. ad Leon. Aug. Theophanes, & Cedrenus; quamvis Liberatus dicat c. 15. die, quo Cœna Domini celebratur, Turon. vero die, qua *Salvator noster Dominus à Judæis est Crucifixus*.

(27) De cujus virtutibus plura Henschen. ad diem 28. Februar. Ejus nomen in Catalogo Patriarcharum Copticarum ab aliquo certe Eutychiano composito non reperitur, sicut & a Patriarcharum albo expuncti ceteri quoque Orthodoxi Episcopi, qui Dioscoro non adhæserunt. L. S. Leon. ep. ad Anatol. & ad Leon. Aug., quæ data est *V. Id. Jul.* non Junias.

Junii ad Leonem Augustum litteras misit, quibus Imperii celsitudinem gratulatus monuit, ut Concilii Chalcedonensis tutelam susciperet, quod ab Ecclesia Alexandrina convelleretur, & ut ei Ecclesiæ Catholicum Antistitem daret.

## MAJORIANUS AUGUSTUS.

INterim Majorianus secunda navigatione usus post dies triginta in Italiam adiit, ad Ravennam progressus Kal. Aprilis sexto ab urbe lapide in loco, qui ad Columellas (28) dicebatur, Imperator exercitu approbante levatus, atque Augusti nomine insignitus est: inde Urbem ingressus Ricimere Patricio in consiliorum, rerumque omnium societatem accepto rebus consulere necessariis cœpit. Versabantur in primis ante omnium oculos graves Genserici injuriæ, qui in summa pace urbem Romam cepisset, & captam, direptamque cremasset, quas etiam augebant recentia ejus maleficia; (29) nam ut superiore anno Africam subegerat, sic hoc Italiam, & maxime Campaniam sibi deprædandam assumpserat. Ea de caussa Majorianus, ut tantam audaciam coërceret, atque Africam, si posset, recuperaret, classem Supero mari construxit, cui rei Gallia quoque, quanquam assiduis fessa tributis, sumptum summo studio contulit, ut Sidonius scriptum reliquit; ac dum tacite bellum in alterum annum paravit, firmissimam militum manum ad tuendam Campaniæ oram immisit; itaque, cum Gensericus littori classem applicuisset, conatu irrito se referre coëgit. Nam cum Mauri expositi relictis in navibus Vandalis repente securos agricolas invasissent, Romani ex insidiis, in quibus se condiderant, erumpentes in eos impressionem fecerunt, atque palantes ad colles refugere compulerunt: qua re conspecta Vandali arreptis armis, atque equis expositis ad liberandos Mauros accurrerunt, ac prœlium acre cum Romanis fecerunt, quo demum pulsi ad mare, navesque se retulerunt, atque liberum eis campum cum spoliis reliquerunt. In Hispania pars Suevorum Rege à Theodorico dato non contenti, Maldram sibi constituêre Regem, quibus Theodoricus bellum ita facere institit, ut multis Templis, oppidisque vastatis, demum Emeritæ (30) urbi opulentissimæ obsidionem admo-
458 verit. Majorianus inde Augustus Consulatum unà cum Leone Augusto Kal. Januariis iniit, atque Idibus epistolam ad Senatum in hæc verba scripsit: *Imperator factus sum P. C. vestris, militumque suffragiis; adsit cœptis omnium propitius Deus, qui regni nostri augeat pro vestra, & publica utilitate successus, qui ad capiendum Principatum non voluntate mea, sed obsequio publicæ devotionis accessi, ne aut mihi soli viverem, aut ingratus Reip. cui natus sum, judicarer, si recusavissem. Kal. Januariis suscepti feliciter Consulatus fasces ereximus, ut præsens annus nascentis Imperii nostri incrementa suscipiens, nostro etiam nomine signaretur. Favete nunc Principi, quem fecistis, & tractandarum rerum curam communicate nobiscum, ut Imperium, quod mihi, vobis annitentibus, datum est, studiis communibus augeatur, & nostris temporibus justitiam, ac virtutes valituras putate; nemo delationes metuat, quas & privati in aliorum moribus improbavimus: nemo calumnias reformidet, nisi quas ipse commoverit. Nos cum patre, Patricioque nostro Ricimere rei militaris curam geremus, & Romanæ Reipublicæ statum, quem communibus excubiis & ab externo hoste, & à domestica clade liberavimus, Deo bene juvante, tuebimur, atque auctoritate Principis, & obsequio collegæ, ut vestrum in me vobis non possit displicere judicium, enitemur.* Post Romam à Gotthis vastatam prava consuetudo incesserat, ut ad publica ædificia reparanda saxa ex antiquis operibus sumerentur; eaque ratio sensim post Vandalicam cladem ad privatas etiam constructiones erat translata. Quod cum magno cum urbis veteris dehonestamento committeretur, in qua vetusta illa monumenta vulgo ab advenis cum aliqua priscæ non tam magnificentiæ, quàm industriæ reverentia visebantur, Majorianus rem non ferendam ratus, VI Idus Julias edictum ad Æmilianum Præfectum Prætorio tale misit: *Nobis Rempublicam moderantibus, volumus emendari, quod jamdudum ad decolorandam urbis venerabilis faciem detestabamur admitti. Ædes siquidem publicas, in quibus omnis civitatis consistit ornatus, passim dirui, plectenda urbani officii suggestione manifestum est. Dum necessaria publico operi saxa finguntur, antiquarum ædium dissipatur speciosa constructio, & , ut parvum aliquid reparetur, magna diruuntur. Hinc jam occasio nascitur, ut etiam unusquisque privatum ædificium construens per gratiam judicum in urbe positorum de publicis locis necessaria transferre non dubitet, cum hæc, quæ ad splendorem urbium pertinent, studio civium debeant etiam sub reparatione servari. Idcirco generali lege sancimus, ut cuncta ædificia, quæ vel in Templis aliisque monumentis à veteribus condita propter usum, vel amœnitatem publicam surrexerunt, ita à nemine destrui, atque contingi, ut judex, qui hoc fieri statuerit, quinquaginta librarum auri illatione feriatur; apparitores vero, atque numerarii, (31) qui jubenti obtemperaverint, & sua neutiquam suggestione restiterint, fu-*

*stuario*

(28) Meminit Paul. Diac. *In Campo ad Columellas*, au Chronogr. à Cuspin. edit. sub h. an. Coss.

(29) L. Procopium l. 1. de Bell. Vand. ubi frequentes post Valentiniani obitum irruptiones recenset. Victor item Vit. c. 17. Provincias Genserici armis afflictas numerans ait: *Quæ verò in Hispania, in Italia, Dalmatia, Campania, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutiis, Venetia, Lucania, Epiro-Veteri, vel Hellada gesserit, melius ibi ipsi, qui passi sunt, miserabiliter lugendo narrabunt.* V. & Priscum, qui addit, p. 74, per id temporis Eudoxiam, & Placidiam in libertatem assertas, non cessante interea Genserico Italiam, Siciliamque vastare: illas autem ex Africa remeasse Theoph. inquit an. Incarnat. secundum Alex. 449., qui Kal. Sept. superior. Chr. an. incœpit.

(30) De qua cecinit Ausonius in Catalogo Urbium: *Jure mihi post has memorabere nomen Iberum Emerita.* Unde granum rubrum provenisse, quo vellera tingebantur, Tyrio splendori neutiquam cedente, Plinius testis est l. 9. 41.

(31) Inter Officiales Judicum, seu Magistratuum recensiti in Notit. Imp. *Qui publicum nummum ærario inferebant, hoc est pecuniam Regiam ex tributis, & portoriis, & vectigalibus partam in æraria inferebant.* Ut est in Gloss. MSS. ad Cod. Theod., ap. Isidor. l. 9. Orig. 4. Extat in cod. Cod. tit. de Numerariis, & cet. V. quæ Gothofred. in Paratitlo.

*stuario* (32) *supplicio subditos, manuum quoque amissione truncandos, per quas servanda veterum monumenta temerantur*. Post hæc Ravenna ad Classem profectus, exercitum, quem ex omnibus barbarorum nationibus ingentem contraxerat, in naves imposuit, ac res omnes ad bellum Africæ faciendum necessarias comparavit. Ligurnum inde progressus, ut Vandalorum, & Genserici apparatum bellicum exploraret, & an Afri booo erga Romanos animo essent, exquireret, clam in Africam sibi cootendendum putavit. Itaque quasi legatus ab Imperatore ad conciliandam concordiam mitteretur, alio vultu, ac nomine induto, ne quo forte agnitus detrimento afficeretur, ad Gensericum pervenit; exceptusque ab eo occurrente, ut amicus, atque in interiorem domum perductus, in qua arma, ceteraque pretiosa erant disposita, oculis omnia perlustravit, ac demum animo suo satisfactum existimans, ad classem, exercitumque revertit, solertissimi ducis magis, quàm prudentis Imperatoris officio functus, atque inde terrestri eum itinere ad columnas Herculis duxit. (33) Quò ubi accessit, tanto studio, tantaque alacritate militum Mauritaniæ littus, freto transmisso, obtinuit, ut sperarent omoes, se armis, consilio, atque auspiciis ejus Africam esse recuperaturos Ex Mauritania inde transgressus in Africam, classem Carthagini appulit, atque urbi oppugnationem admovit. Quo minus autem eam ceperit, morbus gravissimus, in quem incidit, moram injecit, ex quo recreatus classe à Vandalis incumbentibus afflictara inani incœpto discessit. Ravennam autem regressus VII. Kal. Novembris ad Præfectum Prætorio Basilium scripsit de sanctimonialibus, & viduis, (34) & successionibus earum, & VIII. Idus Novembris, ut intra triginta annos curiales ad ordinem suum, quem deseruerant, revocarentur. Ceterum, progrediente io Hispaniam Imperatore, Theodoricus Rex nescio qua caussa offensus, relicta obsidione Emeritæ, in Galliam redit, atque infestum exercitum in Romanorum proviociam ita induxit, ut nequa profanis, neque sacris ædificiis abstinuerit, sed agros, urbesque vastatione, atque incendio lacerarit. Jam res Italiæ in commodiorem erant statum redactæ, multique captivi ab Attila pridem facti redierant, & domos velut postliminio repetierant. Itaque Leo Pontifex à Niceta Episcopo Aquilejensi super uxoribus eorum, qui redibant, consultus, XII. Kal. Aprilis ita respondit: *Cum per bellicam cladem, & per gravissimos hostium incursus ita quædam dicantur divisa esse conjugia, ut abductis in captivitatem viris, fœminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios aut interemptos putarent, aut nunquam à dominatione crederent liberandos, & ad aliorum conjugium solitudine cogente transierint; cumque nunc statu rerum, auxiliante Domino, in meliora converso, nonnulli eorum, qui putabantur periisse, redierint, merito caritas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ aliis junctæ sunt viris, à nobis debeat ordinari*. Inde statuit, ut prioribus nuptiis starent; postridie vero ad Leonem Imperatorem scripsit, se legatos ad eum mittere, (35) qui fidem Nicænam, & Chalcedonensem docerent. Ille vero Concilium Chalcedonense ad singulos Catholicos Episcopos misit, (36) atque eorum de illo sententiam percontatus, ab omnibus conspirantia adeo inter se responsa accepit, ut uno tempore, & unius viri ore edita viderentur. Ricimere inde Patricio Consulatum 459
sine collega (37) gerente, Theodoricus, bello in Gallia cum Romanis continuato, arma ad Rhodanum usque omnia subigendo produxit, ac Lugdunum, oppidum opulentum, tanta demum mole invasit, ut sub jus, potestatemque redactum populatione, atque incendio desormarit. Inde, cum Aclinlsum (38) Regem Suevis à se tributum defectionem

(32) Criminibus obnoxii fuste cæsi, nunquam flagellis, aut flagris, quod servorum proprium supplicium fuit, ex Callistr. dicente: „Non „omnes fustibus cædi solent, sed hi duntaxat qui liberi sunt „ Hujus pœne meminit Polyb. l. 6. 35. præter Hirt. Bell. Hisp. 27, aliosque. Ceterum hujus legis severitas ostendit nefarios illorum ausus, qui è publicis ædificiis lapides ad privatos usus asportabant, quod & alias evenisse per antecacta tempora ostendunt latæ Leges in Cod. Theod. de quibus alibi dictum.

(33) Montes duo, Calpe in Hispan. Bætica, alter Mauritaniæ Tingitanæ, qui Abyle, & Alybe dictus. Notum adagium, *ad Herculis columnas* apud Pindar., & Aristophan., apud Nazianzen. etiam in Monodia de D. Basil., de eo qui ad summam sapientiam pervenit.

(34) Plures per ea tempora filias virgines cogebant invitas sacrum velum suscipere, & se Deo perpetuò vivere: edixit autem Majorianus, ne a parentibus sic oblata virgo ante 40 ætat. an. sacraretur, ad quod usque tempus liberæ puellæ esset nubendi facultas. Suadente S. Pontifice Leone edictum illud promulgatum Baron. conjicit, quia idem S. P. de eadem hac re epistolam dedit 92. ad Rustic. Narbon. Eadem Constitutione viduas quoque impetit, quæ non continentiæ studio, sed ut liberius viverent, iteratas nuptias refugiebant.

(35) Eutychiani, ipse Synodi excidentes, publicum petiere colloquium cum iis, quos S. Leo mallet: horum consiliis circumventus Leo Imp., ut Episcopos mitteret, datis ad S. P. litteris, postulavit. Legatos autem à se missi S. Leo rescripsit, non ut disputarent, sed ut instruerent, dicens: *ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere*. Extat epist. 132, alias 78 Aliam dedit Leo P. ad eumdem Imp. epistolam *XVI. Kal. Sept.*, qua se Domitianum, ac Geminianum legatos misisse significat, volens, ut opem ferret Ecclesiæ Alex., & Timotheum a sede dejiceret.

(36) Epistola hæc currenti anno data rectè dicitur ab A. N., unde emendandus Theophanes illam consignans anno Incarnat. secund. Alex. 452., qui Kal. Sept. sequ. Chr. anni incipit. Nam ex eod. Theoph., & Evagr. l. 2. 9. habetur, quo tempore scripsit ad Episcopos, ad celebriores quoque Monachos litteras dedisse: Atqui postremæ hæ litteræ secundo Imperii Leonis anno scriptæ; in epistola namque Varadati (quem Theophanes Bardam vocat) legitur: *Hæc cum tremore scripsi vestræ Pietatis Imperio septima & vicesima die Aug. mensis anno secundo Imperii*. Extat Tom. II. Concilior.

(37) Deceptus est A. N. hy Patricium accipiens pro Ricimiris dignitate, cum Patricius nomen sit alterius Consulis, qui Asparis, an. 434. Consulis, filius fuit, & Ardaburii frater, qui an. 447. Consul processit in Oriente. De hoc Patricio L. Candidum apud Phot. c. 79. Evagr. l. 2. 16. ejusdemque meminere Marcellin., & Cassiodor. in Chron. Vide Fast. Consular.

(38) Athiulfum Suevis datum Regem à Theodorico prodit Jornand. de Reb. Get. 74., occiso

Digitized by Google

nem fecisse comperisset, novum adversus Suevos exercitum in Hispaniam misit, ac, prœlio facto, ipsum comprehendit, ac statim pœna capitali mulctavit. Qua clade compulsi Suevi, missis ad Theodoricum Oratoribus, pacem postularunt, quibus ille benigne acceptis non solum impunitatem dedit, sed etiam Regem, ut ex gente sua pro arbitrio sibi crearent, concessit, illi Rosimundum asciverunt; eo bello Callæciæ, & Beticæ damna gravissima importata. Leo Pontifex pridie Nonas Martias Episcopos Campaniæ, Samnii, & Piceni admonuit, ut à Baptismate in diebus Martyrum impartiendo caverent, sed id honoris tantum dici Paschatis, & Pentecostes haberent. Leo vero Augustus à Catholicis rogatus judicium de Timotheo Aeluro Episcopo Alexandrino Chalcedonensis Concilii inimico permisit, qui eum non tam male de fide sentire, quàm injuste sedem Alexandrinam obtinere cum judicassent, in exilium projecerunt, (39) atque ei Timotheum alterum cognomine Solofaciolum, virum Catholi-
460 cum, suffecerunt. Jam erat annus à Christi ortu quadringentesimus sexagesimus, quo Consulatum gesserunt Magnus, & Apollonius. (40) Eo anno ineunte, Majorianus Augustus Gallica clade permotus, aspera adhuc hyeme, magno labore cum exercitu Alpes transcendit, credo, ut Galliam armis pacaret primùm, deinde afflictam beneficiis recrearet; itaque, acri inito bello, Gotthos ex omnibus, quæ occupaverant, oppidis expulit, ac, pace data, Provinciam perlustravit. Quo facto, Sidonius, (41) qui tum pangendis carminibus excellebat, ipsum victoria ovantem nobili Panegyrico salutavit, in quo præsidium rebus Galliæ afflictis, atque in primis Lugdunensi poposcit, inquiens:

*Et quia laxatis nimium spes unica rebus*
*Venisti, nostris, petimus, succurre ruinis,*
*Lugdunumque tuam, dum præteris, aspice victor.*
*Ocia post nimios poscit te fracta labores,*
*Qui pacem das, redde animum, bove, fruge, colono,*
*Civibus exhausta est. Stantes fortuna latebat.*
*Dum capitur, væ quanta fuit, post gaudia princeps*
*Delectat meminisse mali, populatibus, igni*
*Etsi concidimus, veniens tamen omnia tecum*
*Restituis, fuimus vestri quia caussa triumphi,*
*Ipsa ruina placet.*

Ceterum Majorianus, cum in animo bellum Vandalicum parum prospere paullo ante tentatum haberet, Gotthos ex fœdere auxilio advocavit; qua re præcepta, Gensericus sibi timens, & ipse pacem à Majoriano petivit. (42) Eo anno Suevi in Hispania bello externo soluti, arma inter se contulerunt, atque una pars, Maldra Rege, Lusitaniam; altera, Rosimundo, Callæciam pervastavit. Quo in bello dum illi occupati fuerunt, Heruli Bæticam hostili populatione dilacerarunt. Majorianus autem cum esset Arelate, V. Kalen. Aprilis litteras ad Ricimerem dedit, ut videret, ne quis invitus ad Clericatum proveheretur. Index litterarum, unde honores Ricimeris agnosci possunt, hic fuit: *Ricimeri viro illustri, Comiti, Magistro utriusque militiæ, & Patricio.* Neque vero solum hunc annum Majorianus 461
in Gallia ordinanda traduxit, sed etiam insequentem, quo Severinus, & Dagalaiphus (43) Consulatum administrarunt, in quo ludos Circenses, atque in ipsis ludis epulum magnificentissimum edidit, (44) cui Severinus Consul, & Magnus ex Consule una cum Sidonio assuerunt: (45) *Venio*, inquit hic, *Are-*

---

ciso Rechiario, subdens, quæ A. N. refert. At Idacius an. Abrah. 2473. narrat, *Suevos, qui remanserant in extrema parte Gallæciæ, Massiliæ filium nomine Maldram sibi Regem constituisse*. Hinc alius Rex à Theodorico Suevis datus ab eo, quem sibi præfecere Suevi in extrema Gallæciæ parte. Nec semel duo apud Suevorum Gentem Reges fuere; Idacius enim ipse in Chron., anno Abrah. 2475., qui Kal. Octob. præced. an. inchoatur, scribit, Suevos inter se divisos, alios Frantanem, alios Maldram sibi Regem adsciviſſe; sed Frantane mortuo eosdem pacem iniisse cum Maldra, quo biennio post interfecto, inter Frumuarium, & Remismundum ortum de Regno dissidium: Addit an. Abrah. 2481., Frumuario vita functo, Remismundum omnibus Suevis imperasse: qui tametsi pacem cum Visigothis sanxisset, direpta tamen Conimbria, *Ulisipponam* quoque occupavit. Per quæ sanè tempora Hispania modo à Visigothis, modo à Suevis fœdissime habita. Sed cautè admittendi numeri in Idae., qui per hæc tempora corrupti Librariorum oscitantia.

(39) *Chersonam*, teste Victore Tur. sub Consulatu *Magni, & Apollonii* an. sequ. suscepto; ideo autem his Coss. exilium narrat, quia quamvis exilio hoc anno mulctatus fuerit, permissum illi tamen fuit C. P. adire, quod conqueritur S. Leo, epist. ad Gennadium. L. Liberat. 15., qui tamen indicare videtur statim subrogatum in Sede Alex. Timotheum Solophaciolum, sive Asbum cognomine; cum tamen Vict. Tur. l. c. *post quinque menses* suffectum Timoth. Solophaciolum dicat, quem Synodi Chalcedonens. propugnatorem appellat.

(40) Prior, domo Narbonensis, ut ex Sidon. Carm. 23., ubi sæpe illius meminit, filios Probum, & Felicem memorans in Propemptico. Apollonius, qui Expræfectus dicitur apud Baluz. in N. Collect. Concilior. p. 1388., Præfectus P. in Oriente fuit, ut ex Novellis eidem inscriptis liquet.

(41) Carm. V. ante fin., ubi Gallias tributis exhaustas describit, de qua re L. ejusdem epist. 17. l. 5., & 13. l. 7., Salvian. l. 5., & l. 7. de Provid.

(42) Idae. in Chron. ad an. Abrah. 2478., qui Kal. Octob. sequ. Chr. an. inchoatur, id refert, si numeri in hoc Chronographo corrupti non sint. Certe totus erat Majorianus, *ut Vandalorum, Gizericique mores, & mentem exquireret*, ex Procop. de bell. Vand. l. 1., post narratam expeditionem in Africam.

(43) De primo inquit Sidon. ep. 11. l. 1. *Vir inter ingentes Principum motus. atque inæqualem Reipublicæ statum, gratiæ semper æqualis.* De Dagalaipho Theophanes ad an. 14. Anastasii Imp. scribit, ipsum è Dyagestea Ardaburii filia, & Asparis nepti suscepisse Areobindum, qui ab Anastasio Imp. Dux Orientis, & Præfectus Exercitus adversus Gothos eo anno missus est: filium vero fuisse Areobindi, Theodosii Jun. temporibus, adversus Persas celebris.

(44) Mos erat, ut, Circensibus editis, epulum pararetur evocatis, de qua re L. Petr. Fab. l. 1. Semest. 6., *quia spectaculorum gratiam, debet etiam refectio corporum sequi*; hinc & Vopisc. in Aureliano, postquam de Circensibus loquitur, subdit: *Convivium autem publicum edi jubebit, Senatoribus, Equitibus Romanis*, & cet.

(45) Maximi honoris loco habebatur Imperatoriæ mensæ admoveri, teste Statio 4. Sylvar. in epulo Domitiani, Sulpic. Sever. in V. S. Mart. 23., Sveton. in Nerone. *Duos patricii generis* epulis adhibitos à Vespasiano, inquit Cassiodor. l. 6. ep. 9. Svetonius c. 9. addit: *Necnon Tribuni Scholarum divinis epulis adhibebantur*. L. un. Cod. Theod. de Comitib. & Trib. Schol.

*Arelate, ac Principe Majoriano post diem viso, in forum ex more descendo; postridie jussit Augustus, ut epulo suis Circensibus ludis interessemus, primus jacebat cornu sinistro* (46) *Consul ordinarius Severinus; juxta eum Magnus olim ex Præfecto, nuper ex Consule, par honoribus persona geminatis.* Sic rum fortuna Rom. tulit Imperii, ut quo celerius caderet, bonus, ac strenuus nemo Imperator quinquennalia vota persolveret: (47) verum cito si non morte naturali periret, at violenta, & per suorum conjurationem conflata occumberet. Quod tum Majoriano immerito usuvenit. Etenim, dum rebus Galliæ disponendis intentus abest, Ricimer, & Severus, ambo Patricii, conspiratione inita, inter se pepigerunt, uti Ricimer Majoriano vitam adimeret, Severus Imperii fastigium usurparet; neque enim barbarus eos adhuc spiritus, eamque impudentiam sumserat, ut ornamenta attrectare Augustalia sustineret, quæ ille prope sancta, & sibi indecora existimaret. Interim Majorianus, ne ociosus in Gallia versaretur, Alanos inde pellere, ut qui infirmioribus opibus essent, quàm aut Burgundiones, aut Franci, contendit: cujus impetum cum illi sustinere non possent, Italiam se petere, eamque vastare velle ostenderunt, atque ita illum ex Gallia ad tuendam redire Italiam coëgerunt. Ea res Ricimeri destinati facinoris perpetrandi occasionem aperuit. Cum enim Majorianus Derthonam oppidum pervenisset, Ricimer sive ultro profectus, sive ab illo accersitus, cum exercitu propius accessit, ac IV. Nonas Augusti ipsum nihil adversi suspicantem per dispositos satellites comprehendit, atque Imperio abdicare coactum protinus VII. Idus ad fluvium Hyram (48) occidit. Quo ictu Resp. ingens sane vulnus accepit; nam, si vita suppeditasset, nemo dubitavit, quin ille consilio, ac viribus suis Occidentales provincias fuisset recepturus, ac væsanam barbarorum audaciam compressurus.

## SEVERUS AUGUSTUS.

His actis, Ricimer inde Ravennam repetiit, ac XIII. Kal. Decembris (49) Severum Imperatorem, militaribus paratis ante studiis, injussu Leonis Augusti declaravit. Gensericus, ubi Majorianum morte extinctum accepit, simul fœdus, quo cum Romanis tenebatur, evanuisse interpretatus, animum ad insulas Africæ objectas adjecit, Siciliam, Sardiniam, Majoricam, & Minoricam, easque anniversariis fatigare latrociniis instituit, cui Severus tanta virtute, atque armorum mole occurrit, ut imperium ejus alioqui justum, ac moderatum in primis constans ipsa littorum, insularumque defensio illustrarit. Majoriano ex Gallia profecto, Childericus Rex Francorum propter intoleranda tributa, & nefarias libidines populis suis invisus ab eis regno depellitur, (50) ille auxilii inops in Thuringiam veterem patriam se recepit, ac Vindomalum fidum amicum, qui sævientes erga se Francorum animos mitigaret, ac sibi reditum in tempore compararet, reliquit, signo dato, quo se moneri volebat, quando tuto domum repetere posset: is fuit aureus nummus in duas partes dissectus, quarum unam ipse secum detulit; alteram, qua moneri volebat, apud amicum reliquit, Eo profecto, Franci regio Imperio assueti Egidium Magistrum militum, qui pro Romanis Suessione sedebat, magno animorum consensu sibi Regem depoposcerunt, atque ultro se illius arbitrio subjecerunt. In Hispania vero Suevi, Maldra (51) Rege amisso, magnis à Gothis cladibus afflictati demum pacem à Rege Theodorico postularunt. Eodem anno III. Idus Aprilis Leo Pontifex naturæ concessit, (52) propter vitæ sanctitatem numero Divorum ascriptus, propter scientiæ magnitudinem Magni cognomine insignitus. Prosper Aquitanus, (53) qui illi fuerat ab epistolis, paulo post Ecclesiam Re-

(46) Sinister ne, an dexter honoratior apud antiquos esset, pugnant invicem Scriptores, de qua re L. Lips. l. 2. Elector. 2. Mabillon. de Re Diplom., aliosque. Quæ autem Veterum testimonia hinc inde afferuntur, evincunt, diversa ratione vetustos Scriptores dextram, & sinistram accepisse, sicuti & antica, & postica.

(47) Quæ edita à Majoriano non post biennium, ut male Evagrius l. 2. 7., nec post triennium, ut Jornand. de regnor. succes., neque quadriennium, ut Paul. Diac. l. 6., Idacius enim ait: *Majorianus est in quinto anno regni*, & cet., levatus namque, Coss. Constantino, & Ruso, Kal. April., ut superius, & præsenti an. mortuus; ut recte A. N., cui favet Chronographus à Cuspiniano editus, sub h. an. Coss.

(48) Meminit Jornandes de Reb. Get 45. & Chronogr. cit. V. Anonymum Mediolan. Dissert. Ital. Med. Ævi.

(49) Bene *XIII.* uti habet Chronographus cit.

(50) Gregorius Turonens. l. 2. 12. ante hunc an. Childericum Regno pulsum indicare videtur, dicens, eodem ejecto, Francos Ægidium sibi, Magistrum militum à Republica missum, Regem adscivisse. Certe Ricimer an. 456 ex Chron. Cuspinian. Magister militum fuit, & sequ. pridie vero Kal. Mart. Majorianus Magisterium idem obtinuit, & Kal. April. Imperator levatus, post quem Magister militum factus Ægidius eod an. 457., circa cujus finem verisimile est, Francorum Regem fuisse creatum; præsertim cum *annis octo* Regnum obtinuerit, & anno 465. obierit; ut ex eod. Turon. l. 2. 12. aperte colligitur.

(51) Idacius in Chr. an. Abrah. 2478., qui Kal. Octob. h. an. inchoatur, inquit, Maldram, qui fratrem anno præced. occiderat, merito periisse, *in fine mensis Februarii* interfectum narrans.

(52) Ita in genuino Bedæ Martyr., sed aliqua Sacrarum Exuviarum Translatio indicatur eo die habita, sicuti altera consignatur in eod. Martyr. IV. Kal. Jul. At Natale primum S. Leonis consignatum fuit IV. Id. Novemb. ut habet Martyr. quoque Rabani eodem die; *Romæ Depositio S. Leonis Ep.* L. quæ Henschen. ad diem XI. April. in Comment. ad V. S. Leon. Cum autem Hilarus Leoni suffectus, ordinatus fuerit *II. Id. Novemb.*, ut Marianus Scotus in Chron. ex antiquo aliquo monumento dicat, die duodecima Novembris, & sedes vacarit dies septem, ex Anastasii MSS. exemplaribus, & Chronicis Luitprandi, Orderici, & Abbonis Abbatis, variisque Catalogis, quarta die Novemb. ad Cœlum migrasse S. Pontificem liquet, emortuali excluso.

(53) Acerrimus doctrinæ D. Augustini propugnator in Galliis, editis operibus contra Collat. Cassiani, Capitula Gallorum, & cet. Isque dictavit celebrem S. Leonis ad Flavianum epistolam. Honorius Augustodun., Martin. Polon., & Trithemius Episcopum vocant; at Auctores illi suppares Episcopatus nullatenus meminere dum Prosperum nominant, non

Google

Regienfem in Æmilia accepit, ubi propter fanctitatem item fuam ab Ecclefia inter Confeffores relatus fummis honoribus in hunc ufque diem à vicinis noftris Regienfibus colitur. Hilarius Diaconus, natione Sardus, patria Caralitanus, profeffione Monachus, XIII. Kal. Maji (54) Leonis locum obtinuit. In Gallia XVIII. Kal. Decembris Epifcopi quidam Turonibus convenere, (55) ac de moribus Gallicanæ Ecclefiæ decrevere: extant cum decretis nomina Epifcoporum, Perpetuus Turonenfis, Veturius Cænomanus, Leo Bituricenfis, Eufebius Nanneticus, Amandinus Catalaunicus, Germanus Rothomagenfis, Anthemius Rhedonicus, &
462 Manfuetus Britannorum. Proximo anno, Leone iterum, & Severo Confulibus, Genfericus infulas Imperii, eadem, qua cœpit, libidine divexavit, atque ei Ricimer Severi juffu, quacunque potuit, ope occurrit. Theodoricus autem quietis, quæ rebus fuis perniciofa effet, impatiens, Ravennium (*) Severi Comitem ad defectionem folicitavit, atque ab eo nobilem, & opulentam Narbonenfium urbem accepit. Quo facto, magnum rurfus in Gallia bellum eft ortum, cujus tenuis ad nos vix fama manavit. Per eofdem dies, ut Jornandes in Annalibus prodidit, crebris in Gallia portentis eft laboratum: (56) villæ, homines, pecudes paffim de cœlo tacti, &, quod horrorem majorem incuffit, duo juvenes adulti cadaveribus concretis inventi, Viennæ mœnia frequentibus terræ motibus conquaffata, ignibufque accenfis caducæ culminum criftæ fuperjecto favillarum monte fepultæ; quin etiam lupi, ac cervi portas urbis ingreffi, atque impune per forum vagati terrorem ingentem in hominum mentibus excitarunt. Quæ mala, quod cœleftem oftentare iracundiam viderentur, expiare cupiens Mamertus urbis Epifcopus, vir fanctiffimus, vetere Ninivitarum exemplo ad Dei opem fuppliciter implorandam confugit; cum autem fævientibus adhuc prodigiis populus ferme totus ex urbe formidine confternatus ceffiffet, ac Refurrectionis diem, tanquam certum eorum malorum terminum, fufpenfis animis expectaret, factum eft, ut in Vigiliis, dum res divina perageretur, repente Palatium urbis exarferit; quo pavore perculfis, ac Templo egreffis, qui aderant, omnibus, quod plane fibi perfuaderent, aut urbem totam hoc incendio flagraturam, aut dehifcentem terram omnia uno hauftu effe devoraturam, rurfus Mamertus ante Altare proftratus cum gemitu, & lacrymis Dei mifericordiam invocavit. Itaque quod incendium ingens vis aquæ certatim allatæ lenire non potuerat, repente ipfe piarum lacrymarum ubertate reftinxit. Ea de caufa, adventante Afcenfione, in qua fupplicationes Deo pro impetrandis imbribus, aut ferenitate adhiberi, fed frigide, ac plane ofcitanter, lapfa vetere difciplina, folebant, eafdem populo indixit, fed novam orandi, (57) jejunandi, & erogandi rationem, prifco ritu revocato, invexit. Qua religione divinum Numen placatum finem tandem cœleftibus prodigiis, ac territamentis impofuit, quod Sidonius ad ipfum Mamertum fcribens prodidit. Conftantinopoli portentum aliud memorabile editum. Pictori cuidam Chriftum Jovis forma pingere aufo repente manus exaruit, eumque fcelus fuum confeffum Gennadius Epifcopus, qui jampridem Anatolio fucceſſerat, precatione ad Deum facta, fanavit. In Oriente etiam bellum novum à Gotthis eft coocitatum; etenim Oftrogotthorum Reges in Pannonia confidentes, cum munera à Marciano fibi dari ftatuta, ut pacem tuerentur, non mitti à Leone viderent, legatis ea de re Conftantinopolim miffis, animadverterunt, Theodoricum Triarii (58) filium genere Gotthum, cum fuis profperitate florentem, & Romanorum

non Gennadius, non Victorius Aquitanus; nec qui fæculo fexto eumdem memorarunt. Em. Baron. ad an. 455. Rejenfem in Aquitania Epifcopum fuiffe credidit per annos viginti quatuor; nonne tamen poft S. Maximi obitum Fauftus fucceffit, tefte Sidonio in Euchariftico? Fauftus item Epifcopus erat Rejenfis an 462., quo R. Synodo interfuit, ut Hilarus Papa ep. ad Leontium fcribit, aliofque Gallicanos Epifcopos; nec in litteris S. Leonis an. 452., & in litteris Hilari an 464., ubi Narbonenfis Galliæ Præfules recenfentur, ullus legitur Profper. A. N. cum Antonio Flamin in V. S. Profperi, Ferrarius in Martyrol., Ughell. in Ital. Sacr. Regii Lepidi Epifcopum faciunt. Sunt vero qui conjiciunt, S. Profperum Africanum, Auctorem L. de Promiffionib., & Prædict. Dei, qui Vandalicæ perfecutionis turbine delatus in Italiam fuit, ad Regienf. in Æmilia Sedem evectum.

(54) Ex Mariano Scoto *Hilarus Papa ..... ordinatur II. Id. Novemb*, die nempe 12. Nov. In Concilio item R. an. 465. die XV. Kal. Decemb celebrato, (ut ex Actis) Hilarus ait in præcepto Epifcopis Ecclefiæ Tarracon. dato: *Lectis in Conventu Fratrum, quos Natalis mei feftivitas congregarat, litteris veftris*, & cet. Non multum igitur remotus à die 17. Novem dies Ordinationis ejus, Natalis nomine indicatus.

(55) Recte huic an. Turonenfe Conc. I. confignatur, quod plerique ad an. 482. fub Severino Jun. Confule, decepti retulere. Illud celebravit S. Perpetuus Turon. una cum novem Epifcopis, & tredecim Canonibus collapfam in Galliis Barbarorum incurfionibus repararunt difciplinam.

(*) Idacius in Chron. ad an. Abrahami 2480., qui Kal. Octob. fuperioris Chr. an. inchoatur, traditam Theodorico Narbonam refert, id tamen non a Ravennio, fed ab Agrippino factum prodit ibid.

(56) Præter Jorn. L. Avit., Adon. Vienn. in Chr., Gregor. Turon. l. 2 34. Sidon. Apoll. ep. 1 l. 7. ad Mamer. data, qui frater erat Claudiani Mamerti Viennenfis Presbyt., quem Sidonius ipfe ob animi dotes, & doctrinam pluribus in locis commendat.

(57) Sidonius ep. 14. l. 5., dies Rogationum ftatutes a Mamerco, feu Mamerto prodit; & Carolus M. de ritib. Ecclef., & l. 5. Capitul. 85 indeque per omnes Ecclefias dimanaffe, Gregor. Tur. l. 2. Hift. 34. teftatus. At folemnes fupplicationes antiquiores in Ecclefia fuiffe omnes norunt, & quidem tribus ante Afcenf. diebus, ex Aug. Serm. 173. in Vigil. Afc., fed vagæ, tepentes, infrequentefque, ut idem Sidonius indicat. Fideles enim facra loca circumibant equitantes, & preces *interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur*. L. Burchardum l. 13. 7., Conc. Moguntiacum, Can. 33., Ivon. l. 4. 40.

(58) De quo Malchus Rhetor p. 92. narrat, *Septimo decimo Leonis Imperii anno*, conftitutum fuiffe duorum exercituum, *qui maximi funt, & circa Imperatorem militum &c.*, Ducem, poftulantibus Barbaris, qui in Thracia erant, miffa ad Leonem Legatione; idque ad Afparis exemplum obtinuit. Neque Malchus c. de Theodorico Vifigothorum Rege loquitur, qui an. 452. Regnum iniit, & Rechiarium Suevorum Regem vicit, à fratre interfectus an. 467., ut res ab eodem Scriptore enarratæ aperte demonftrant,

Digitized by Google

norum amicitiis insignem annuis muneribus A
onerari, qua re commoti, quasi ipsi digni-
tate inferiores judicati fuissent, repente
arreptis armis, Illyricum invaserunt, ac
prædas inde multas impune egerunt. Leo
vero ejusmodi bellum, ut rebus suis per-
niciosissimum, aversatus, legatione missa,
& præterita & præsentia dona persolvit, &
in posterum diligenter soluturum promisit,
pacisque renovatæ obsidem Theodomiri (59)
filium Theodoricum, jam octo annos na-
463 tum, cum petisset, accepit. Viviano inde,
Basilioque Consulibus, (60) Severus Augustus
Romam, ad civitatem ex superioribus cla
dibus Augustali præsentia recreandam, pro-
cessit, atque ibi X. Kal. Martias Basilium B
Præfectum Prætorio, eundemque Patricium
monuit, ut legem proxime a Majoriano la-
tam de viduis, & sanctimonialibus emen-
daret, ac Genserico insulas, & Theodo
rico Galliam infestam habentibus per con
stitutos duces acerrime restitit. In Oriente
vero Leo Augustus Zenonem generum suum
universo Orienti præfecit. Is Petrum quen
dam Gnapheum Calcedonis Presbyterum
(61) habuit in comitatu, qui Apollinaris
errorem sequutus, eos, qui Deum Patrem
crucifixum negarent fuisse, damnavit, &
seditione in populo Antiochiæ concitata
hymno *Sanctus Sanctus Sanctus* adjecit, *qui
propter nos crucifixus est*. Quod avide ab C
hæreticis Theopaschitis arreptum magnas
deinde in Ecclesia turbas excivit. Interim,
quieta ab armis barbarorum Italia magnus
repente terror ab Gallicis Alanis objectus
est. Rex eorum. nomine Beorgor, (62) sive
à Theodorico Rege Gotthorum, late re
gnum in Gallia extendere cupiente, adactus.
sive cœca prædandi libidine stimulatus sum
464 ma hieme, qua Rusticus, & Olybrius Con
sulatum gesserunt, exercitum ex Gallia
eduxit, ac, superatis alpibus, in campos
subjectos degressus, Liguriam late popula
ri, atque effuse vastare more barbarico in-
stitit. Qua re cognita, Severus Ricime
rem cum firmissimo delectu ei jussit occur- D
rere. Nihil felicius illa expeditione per mul-
tos ante annos contigit Romanis; nam Ri-
cimer Alanum sævientem ad Bergomum
oppidum nactus VIII. Idus Februarias ad
prœlium sic adduxit, ut non solum exerci-
tum profligarit, sed Regem etiam congres-
sum acie interemerit. Qua victoria elatus
magnificos inde adeo spiritus sumpsit, ut
Severum etiam ipsum contemnere cœperit.
Hilarius Pontifex in ipsam Ecclesiam decef-
sorum suorum exemplo fulciendam, atque
ornandam intentus, quod Leo perficere
aut temporis, aut rerum angustiis impedi-
tus non potuit, ipse cumulatissime præsti-
tit. Nam sacris Basilicis pretiosa ornamen-
ta à Genserico, urbe capta, detracta ex
ære, auro, atque argento, quod ad usum,
& decus necessarium esset, in toto suo Pon-
tificatu restituit, atque Oratoria multa,
pluresque Basilicarum Confessiones laminis
argenteis stravit: inque ea re prioris seculi
magnificentiam superavit; adeo brevi Ro-
ma, dato paulisper ad respirandum spatio,
ex tenebris captivitatis, ac deprædationis,
pristinæ fortunæ apparatu magna ex parte
recepto, emersit. Insignis inde annus, Her- 465
menerico, & Basilisco Consulibus, (63) fuit
Constantinopolitanæ urbis incendio, ac Se-
veri Imperatoris excessu. Evagrius (64)
ignem hoc modo conflatum scribit. Dæmon
quidam mulieris pannosæ, ac stipem corro-
gantis speciem gerens, ea hora, qua lychni
accendi solent, lucernam in forum detulit,
quasi aliquod salsamentum empturus, ac,
relicta ibi lucerna, discessit. Flamma inde
lucernæ stupa erumpens, horribile fudit in-
cendium, quo ædificia circunforanea subito
correpta flagrarunt, inde, proximis com-
prehensis ædibus, passim ad universam ur-
bem ea calamitas serpsit; in quo desperata
salus usque adeo laboravit, ut Aspar Pa-
tricius aquam ad id restinguendum hume-
ris suis attulerit, & singulis opem ferenti-
bus nummos aureos pro mercede promise-
rit. Quatriduo urbem flamma depasta est:
in primis Curia arsit, quò Senatus conve-
nire solebat, & Nymphæum, (65) in quo
qui propriis ædibus carebant, sponsalia ce-
lebra-

(59) Is Theodemir, qui an. 475. Illyricum deva-
stavit, atque in eo Ostrogothorum Regnum
instituit, ut ex Jornand. de Reb. Get. 56.,
& Malcho c Hujus rectè filius dicitur Theo-
doricus ex Jorn.; emendandus autem Mal-
chus p. 79., scribens Videmirum, seu Va-
lemirum (Theodemiris fratrem) patrem
fuisse Theodorici, quum ejusdem patruus
fuerit. L. Jorn.

(60) Basilii Sidon. meminit l. 1. epist 9., è Decia-
na Familia ortum scribens. Vivianum me-
morat Candidus in Excerpt. p. 18., & Mal-
chus Rh. p. 79.

(61) Qui Monasticam Vitam in Cœnob. Acœmi-
tensium professus, ibidem Fullonis artem E
exercuit, unde Gnaphei, sive Fullonis co-
gnomentum: inde autem ejectus ob Eutych.
dogma, & Synod. Chalced odium, Chalce-
donem se contulit, ut Theodor. Lect., &
Theoph. testantur; unde etiam pulsus, Con-
stantinopoli Zenonis Patricii amicitiam na-
ctus, turbas in Antiochena Ecclesia suscita-
vit, Theopaschitarum errores palam evul-
gans, hoc circiter anno, ex Theoph. ad
an. Incarnat. secund. Alex. 456., qui Kal.
Sept. an Chr. 463. auspicatur. Nec audien-
dus Valesius l. 1. Observat. Eccl. 1. ad an.
471. hos tumultus referens, Baronium secu-
tus. L. Liberat. Breviar. c. 18., & Theodor.
Lect., apud quos Petri damnationem in
Antiochena Synodo, & Zenonis edictum,
quo Oasim in Ægyptum deportari jubetur.

(62) Cassiodor. in Chron. ad Rustici, & Olybrii
Consulatum id notat, & Chronograph. à
Cuspin. edit. ait, hunc Regem occisum Ber-
gomi *ad pedes montis*, *VIII Id. Febr.* Unde
arguendus Jornandes Rer. Get. 45., qui nar-
rationem hanc refert ad Anthemii jam Im-
peratoris tempora, qui renunciatus fuit
mense Augusti 467. Chronologus enim cit.
longè in temporibus adnotandis accuratior
Jornande. Hic igitur, ait, an. Rustici, Olybrii-
que Consulum cum Beorgo extinctum Ala-
norum Regnum in Galliis, quod Goarus
primus Regnantium Princeps inchoaverat.

(63) Hic frater erat Verinæ Augustæ; Hermene-
ricus vero filius Asparis, qui Consul pro-
cessit an. 434., & frater Ardaburii an. 447.
Consulis, & Patricii, qui an. 459. Consu-
latum quoque obtinuit. L. Candidum in
Excerptis.

(64) L. 2. 3., & Auct. Chron. Alex. sub h. an. Coss,
ubi incendii diem notat, & mensem, nempe
mense Gorpieo II. Sept. die Mercurii, In-
dict. III., nocte scilicet inter diem primum,
& secundum Septemb., addit enim, *cum
celebraretur memoria S. Mamantis*, in ejus-
dem scil. pervigilio, quo Urbem conflagras-
se Metaphraste tradit, in V. S. Daniel. Sty-
litæ. Cit. Chronologo Theophanes suffra-
gatur.

(65) Sunt Nymphea à Novis Nuptis dicta, ubi
saltarent, qui nuptias celebrabant, cumque
locum Νυμφῶν οἶκον Suidas interpretatur,

lebrabant; Regia, Templaque urbis celeberrima, ac nobilium ædes magnificentissimæ multæ item incensæ. Severus autem Imperator XVIII. Kalen. Septembris est mortuus, (66) seu veneno occulte Ricimeris scelere ministrato, sive, quod Sidonius prodidit, morbo. Hilarius Pontifex seditionibus, quæ propter assiduas hæreses movebantur, offensus, XVI Kal. Decembris conventum Episcoporum Galliæ, (67) atque Italiæ in Basilica S. Mariæ habuit: inque eo hæreses omnes, quibus fides convellebatur, in primisque ipsam adhuc furentem Eutychianam damnavit, ac Concilium Chalcedonense novo Concilio confirmavit, ac multa præterea ad mores Clericorum pertinentia sanxit, quæ qui cognoscere studeat, ex ipso, quod adhuc extat, Concilio hauriat.

## INTERREGNUM.

SEveri Imperatoris mortem magno dolore Italia tulit; nam licet injussu Principis creatum sciebat, tamen cum domestica Imperii laude capiebatur, quod ille domo Lucanus erat, tum Rempublicam præsenti indigere Augusti præsidio sentiebat, quod Gensericus oram Italiæ assiduis vexare latrociniis non desistebat, (68) neque solus Ricimer adversus fugitivum hostem, & manum conferere detrectantem satis valebat, quod Sidonius his verbis expressit:

*Imperii fortuna rotas hinc Vandalus hostis*
*Urget, & in nostrum numerosa classe quotannis*
*Militat excidium.*
*Præterea invictus Ricimer, quem publica fata*
*Respiciunt, proprio solus vix Marte repellit*
*Piratam per rura vagum, qui prœlia vitans*
*Victorem fugitivus agit.*

Et quidem Gensericus post Romam captam, classem, ut significavimus, quotannis eduxit, ac modo in Italiam, modo in Siciliam

A urbibus maritimis partim diripiendis, partim etiam diruendis cursum intendit. Inde ad Orientis conversus Imperium, Illyricum omne, huicque adjacentes Insulas cum tota Græcia incursavit; ad Italiam inde, Siciliamque reversus, si quid reliqui erat, abrasit, atque ipsam post etiam Sardiniam, & Majoricam, ac Minoricam occupavit: adeo vero temere in obvios quosque rapi solitus fuit, ut, cum è Carthaginis portu, velis passis, solveret, rogatus à nauclero quorsum iter dirigeret, respondere solitus fuerit: Quò Deus impulerit. Hac igitur de caussa Senatus Severi mortem, qui acriter ei restiterat, animo iniquo accepit, ac pro-
B pterea Leonem Imperatorem primo quoque tempore de illius obitu docuit, ipsumque, ut Occidenti Imperatorem difficillimis ejus in rebus daret, oravit: ni princeps Majoriani similis summæ rerum præesset, brevi nomen Imperii Romani in Occidente ad nihilum recasurum. Res explicatu difficilis diu
Leonis animum torsit. Itaque proximum 466
annum totum ipse tertium Consul (69) in hac deliberatione incerta consilia volvendo consumpsit. Interim Ricimer & latrociniis Vandalorum occurrit, & totam Rempublicam pro suo arbitrio administravit. Erat tum apud Leonem Anthemius Procopii filius, (70) Anthemii, qui cum Stilichone
C Consul fuerat, nepos, ac modo Marciani Augusti gener. Hic utriusque militiæ Magister, & Patricius bellum cum Hunnis haud incommode gesserat, & opibus tum longe ceteris excellebat, & summo apud Leonem in honore erat; quamobrem dignum cum judicavit, cui vel virtutis, vel generis gratia dignitatem Imperii Occidentalis deferret,
ac postero anno, Pusæo, & Joanne Consu- 467
libus, (71) ipsum ex Patricio Cæsarem designavit, ac protinus in Italiam ire ad Augustalia insignia capienda præcepit.

AN-

quæ Nympheja male à J. C. ad L. 5. Cod. de Aquæd. confunduntur cum Nympheis, Aquariis nempe, quæ fere semper à Scriptoribus cum Balneis, Thermisque junguntur; de quibus Socr. l. 4. 9. P. Vict. de Region. Urbis, ubi 12. Romæ fuisse memorat. Vitruv. l. 8. 7., & Capitolinus in Gordiano III. Hinc & apud Joann. Diacon. in V. Gregor. l. 4. 83. Nymphium dicitur intra Monasterii septa fons situs.

(66) *XVIII. Kal. Sept.* Romæ obiisse Severum etiam Chronograph. Cuspin. tradit, h. quidem anno; unde Jornandes de Reb. Get. 45. *anno tertio Imperii sui* mortuum dicens, quartum utpote incompletum neglexit. Veneno peremptum Cassiodorus, & Marcellinus in Chronicis tradunt.

(67) In quo actum de Disciplina Ecclesiastica, & Hispaniarum Ecclesiis, & Galliarum, in quibus Episcoporum Ordinationes evenerant præter Canones. Ex h. Concilii actis, & Epistolis Hispanor. Episcopor. ad Hilarum, eorumdem religiosam observantiam disces erga ineluctabile judicium Rom. Pontificis.

(68) Hinc Procopius de Bell. Vandal. l. 1. conqueritur faciles adeo, atque frequentes à morte Valentiniani Genserici incursiones, *nunc in Siciliam, nunc in Italiam, civitates insuper partim diripiendo, partim solo æquando.* Vide Paul. Diac. in Theodos. Jun., & Prisci Rhet. Excerpta; ad quæ animum appulit Sidon. Carm 2. ab A. N. laudatus, ubi Piratæ nomine Gensericum intelligit, qui fugiendo vinceret. Cæsos tamen Vandalos in Sicilia, fugatosque per Marcellinum, testis est Idacius in Chron. ad an. Abrah. 2481., qui Kal. Oct. præced. Chr. anni inchoatur. Magnum

D autem detrimentum Occidentali Imperio inde accessisse, tradit Priscus in Excerpt. p. 42., quod ab Orientali navales copias non obtinuere Occidentales, quibus latè excurrenti Genserico occurrerent; illi siquidem *fœdus cum Genserico fecerant*. At quis putabit, Imperium Orientale à Vandalorum invasionibus fuisse immune?

(69) Collega Tatiano, ut Chronograph. Cuspinian., & Marius in Chr., h. an., non autem Titiano, ut Onuphr. in Fast., qui falso etiam addit, hunc Consulem in Occidente nuncupatum; Orientalem namque fuisse Prisc. in Excerpt. suadet dicens: *Legationem ad Vandalos suscepit Tatianus in Patriciatus dignitatem cooptatus*; à Leone scil. Imp. Ejusdem meminit & Candidus in Excerpt. p. 18. edit. Luparcæ; necnon Theophanes p. 89.

E (70) Evagr. auctor est l. 2. 18. una cum Niceph. l. 15. 11., Senatum simul cum Ricimere Anthemium Imp. à Leone Augusto petiisse, eaque de re ex S. C. missam C. P. Legationem. L. quæ Sidon. in Panegyr. Anthemio dicto, ubi prodit convenisse Ricimerem cum Leone Imp., ut Anthemii filiam sibi Ricimer desponsaret.

(71) Prioris mentio in Chron. Alex., h. an., ubi dicitur Præfectus P., & Consul in Urbe C. P. An iste Joannes ille est, de quo Procopius l. 1. Hist. Vand. 6. scribit, Legatum fuisse Basilisci in navali pugna adversus Gensericum, & cum navim ab hostibus cerneret capi, post edita fortitudinis præclara specimina, sese armatum projecisse in mare? Viderint alii, id pro certo affirmare non audeo.

## ANTHEMIUS AUGUSTUS.

Itaque pridie Idus Aprilis, (72) Anthemius ad urbem Romam progressus, tertio ab ea lapide ab occurrente exercitu excipitur, atque Imperator omnium consensione levatus Augusti nomine decoratur, unde in Panegyrico ejus dixit Sidonius:

*Facta priorum*
*Exsuperas Auguste Leo. Nam regna superstat*
*Qui regnare jubet, melius Respublica vestra*
*Nunc erit una magis, quæ sic est facta duorum.*

Quibus actis, ad stabiliendum Imperii statum, & proprias confirmandas opes ex Leonis auctoritate Ricimeris gratiam sibi vinculo affinitatis astrinxit, ac filiam (73) ei in matrimonium collocavit. Nuptiæ Romæ per multos dies eximia ludorum pompa, ac summa populi lætitia celebratæ, eoque primum tempore post tot publicorum malorum tenebras pristinam splendoris, ac dignitatis lucem intueri Romana sibi civitas visa est. His nuptiis Sidonius Arvernorum legatus forte interfuit, ut ipse in epistola ad Herennium scribit: *Interveni*, inquit, *nuptiis Patricii Ricimeris, cui filia Perennis Augusti in spem publicæ securitatis copulabatur. Igitur hoc ipso tempore, quo hæc mihi exarabantur, vix per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, gymnasia thalassio Fescenninus explicabatur, atque etiam num è contrario studia silent, negotia quiescunt, judicia conticescunt, differuntur legationes, vacat ambitus, & inter scurrilitates histrionum totus actionum seriarum status peregrinatur*, & alibi: *Post nuptias Patricii Ricimeris, id est, post Imperii utriusque opes eventilatas, tandem reditum est in publicam serietatem, quæ rebus actitandis januam, campumque patefecit*. Marciano item Anthemii filio Leo Augustus Leontiam filiam (74) connubio copulavit. Itaque tantis propterea septus opibus Imperator Anthemius fuit, quantis haud scio, an quisquam alius nuper ad Imperii tractationem accesserit, nimirum ultimus Occidentalium principum, in quo roboris, ac lacertorum aliquid fuit. Cum tanto igitur amoris, ac concordiæ vinculo res utriusque Imperii tenerentur, Leo Imperator immanem Genserici in Oriente, atque Occidente deprædandi licentiam haud ultra ferendam ratus, bellum ei internecinum indixit, atque ea de caussa classem mille centum tredecim navium ex Græcia universa contraxit, (75) quibus totum consternere mare potuit, atque exercitum centum millium hominum comparavit, atque in milites, & remiges sumptus ingentes impendit, & summæ rerum Basilisco Verinæ uxoris suæ fratre præposito, Anthemio Imperatori mandavit, ut ex Italia necessaria omnia ministraret. Quo apparatu audito Gensericus exterritus ad Olybrium Senatorem potentissimum sese contulit, &, si partes tueri suas vellet, se illi Placidiam pridem desponsam redditurum, atque Occidentis Imperium paraturum spopondit, atque inde annuentis ejus potentia fretus grandiores spiritus gerere, & insolentius se jactare perrexit. Eodem anno Ravennæ terræmotu gravissime laboratum. Romæ Hilarius Pontifex, (76) & Theodoricus in Gallia Rex (77) mortui, illi Simplicius Tribunus, (78) huic frater Euricus successit. Postero Anthemius Au- 468
gustus secundum Consulatum sine collega inivit, quem Sidonius à Paulo viro Præfectorio rogatus, ut gratiam legationi suæ conciliaret, nobili, de quo sæpe diximus, Panegyrico celebravit. Ceterum Leonis jussu duces Marcellinus, Heraclius, & Basiliscus bellum Genserico facere instituerunt. Marcellinus in Dalmatia quondam Aetium, cui junctus amicitia erat, audiens interemptum, ad Valentinianum accedere veritus, tantas opes in ea provincia sibi quæsiverat, ut nemo ei resistere posset. Itaque virtute ejus allectus, atque potentia Leo territus hominem omnibus modis sibi conciliavit, atque in Sardiniam, ut eam Vandalorum imperio eximeret, misit, quod ille in eam profectus egregie præstitit. Heraclius autem à Basilisco in Africam cum parte classis præmissus, apud Tripolim cum Vandalis acie congressus bene pugnavit, ac Tripolim ipsam recepit: inde, dimissis navibus terra,

---

(72) Ita Chronograph. Cuspin; Cassiodorus in Chr. addit, Imperium suscepisse tertio ab Urbe milliario in loco *Brontotus*.

(73) Ascelam nempe, cui nonnisi fausti ominis causa Euphemiæ nomen tribuit Sidon. Carm. V., ubi Paneg. texit Anthem., dicens:

*Natam*
*Gaudeat Euphemiam sidus divale parentis.*

Sicuti Justini primi Imper. uxori Lupiciæ idem Euphemiæ nomen inditum, ex Zon. Tom. III. in Justino, Theodoro Lect. in Collectaneis l 2., & Niceph. Constant. in Chronologia. L. Sidon. epist. 5. l. 1. ad Heronium, in quam V. observationes à Clariss. V. editas.

(74) Quæ aliquanto post, mortuo nempe Patricio, cui fuerat desponsata, nupta fuit Marciano, ex Zonara in Leone, Theodoro Lect. l. 1. in fin. Neque audiendus Evagr. l. 15. 7 dicens, Ariadnam Leonis Aug. majorem natu filiam Patricio destinatam, ac deinde Zenoni nuptam; jam enim ab an. Incarnat. secund. Alex. 451., ut Theophanes, Christi sc. 458., initum inter Zenonem, Ariadnamque conjugium; Leontia igitur Patricio desponsata fuerat, ac proinde nonnisi eo vita functo, nuptui tradita Marciano.

(75) L. quæ Theophanes ad an. Incarnat. secund. Alex. 461., qui Kal. Sept. an. Chr. 468 incipit, ubi *in eam Classem mille & trecenta auri Centenaria expendisse* tradit. Suidas in voce χαρίζω ex Candido habet, auri librarum 47. millia.

(76) A. N. deceptus fuit à Marcellino in Chron., qui Hilari obitum his Coss. tradit, prodens, Simplicium h. anno suffectum. At cum *annos sex, menses tres, dies decem* Romanam Sedem Hilarius obtinuerit, ut ex Anastasio, Orderico l 2., Luitprando, Abbone Floriacensi, aliisque veteribus monumentis, nonnisi an. sequenti obiisse dicendus.

(77) Isidor. in Chron. Goth. ait, Theodoricum an. Imperii Leonis 8. Æra DIV. è vivis sublatum; at Æra prædicta non convenit cum anno 8. Leonis, qui incidit in an Chr. 464., Æra autem DIV. convenit cum an. D. 466. Ex Idacio igitur, an. Abrah. 2483., qui inchoatur Kal. Oct. an. Chr. 466., conjicitur, anno 467. defunctum; præsertim cum Marius Aventicensis in Chron. sub prædicti an. Coss. ejus necem evenisse tradit, post tredecim annorum Regnum, ut Isidor. c., & Jorn. de Reb. Get. 44., quibus aliquot menses addendi. A fratre Eurico, sive Evarico necatum Idacius laudatus testatur: Marius c. addit occisum *Tolosæ*, ubi Evaricum, Euthoricum vocat.

(78) Qui Pontificatum iniit an. sequ. die vigesima quinta Februar., ut ex Anastasio colligitur, post *quatuor* dierum Interpontificium. Illum V. in morte Simplicii: repete item quæ supra de duratione Sedis Hilarii.

terra, cum exercitu Carthaginem versus irè contendit. Neque ita multo post Basiliscus totam classem ad parvum oppidum CCLXXX. stadiis à Carthagine remotum applicuit, ubi Mercurii templum antiquitus fuit, ac tantum Genserico trepidationis incussit, ut, si Carthaginem è vestigio perrexisset, ipsam sine cunctatione in potestatem fuerit adducturus, Vandalosque servituie pressurus. Gensericus, postquam Sardiniam, Tripolimque receptas audivit, simulque ingentem Basilisci classem littoribus inductam Africanis cognovit, tum demum Leonis Imperatoris formidare opes instituit; mox Basilisci sive ignavia, sive tarditate, sive improbitate (79) erectus, omnes, quas potuit, naves armavit, atque alias militibus implevit, alias in speciem vacuas produxit, ot prope consistentes munitiones, atque instrumenta necessaria ministrarent, ac simul legatos ad Basiliscum misit, rogatum, per dies quinque prœlium prorogaret, ut interim consilium expediret, cedere ne Imperatori, an repugnare deberet, idque, præbita, ut fama fuit, pecunia, impetravit. Ubi vero sextus dies destinatus illuxit, copiæ pugna facta, io aciem prodiit, ac, conserto prœlio, fortiter dimicare instituit. Tum vero in ipso certaminis ardore Basiliscus primus cum prætoria navi se dedit in fugam, quo facto, suorum aoimos, licet pugnandi avidos, ita debilitavit, ut statim exemplo ejus pugnam intermittere, ac de fuga cogitare incœperiot. Quibus rebus animadversis Gensericus, eo ferocius in hostes iovectus, plerosque aut captivns fecit, aut occidione occidit: præda navium, hominumque, atque instrumentorum ingens parta. Marcellinus etiam è Sardinia in Siciliam transgressus, ibi à Vandalis est oppressus. Ita res utrobique bene gestæ mirum in modum Genserici animum pauloante ex Romano navium apparatu prope portentoso abjectum excitaverunt, atque ad maximum quodque audendum facinus accenderunt. Eodem anno magnum inter Gotthos prodigium est ootatatum, quippe Tolosæ in media urbe sanguis è terra repente ita prorupit, ut integro die cum incredibili omnium stupore
469 manarit. Postero vero, Marciano Anthemii Augusti filio, & Zenone, qui post Imperium tenuit, Consulatum gerentibus, Ostrogotthi Reges munerum Rom. haud satis habentes, suam in vicinas gentes libidinem convertêre, ac Satagas in media sitos Pannonia invasere, quibus Dinzio (80) Attilæ filius cum expedita Hunnorum manu occurrit, atque ad Bassianam progressus, agros effusa populatione diripuit. Qua re cognita, Ostrogotthi, Satagis omissis, in illum se tanto impetu retulerunt, ut, fuso exercitu, interfeceriot, ac recisum caput Constantinopolim miserint: ab illo die Gotthorum arma Hunni exhorruerunt. Eo anno Romæ insigne majestatis judicium de Arvando (81) perfectum est, is, (ut inquit Sidonius,) Præfecturam primam gesserat cum magna popularitate, secundam vero cum maxima populatione; onere inde alieni æris oppressus, metu creditorum successuros sibi Optimates æmulabatur, omnium colloquia deridebat, consilia explorabat, officia contemnebat, donec odio publico flagrans, & prius cinctus custodia, quàm potestate discinctus, capi ab Imperatore, & Romam duci est jussus, quò ubi pervenit, apud Fl. Asellium hospitem (82) Comitem sacrarum largitionum in Capitolio custodiendus est datus. Interea legati provinciæ Galliæ Tonantius (83) Ferreolus Præfectorius Afranii Syagrii Consulis è filia nepos, Thaumastus, & Petronius, (84) homines summæ prudentiæ, atque eloquentiæ opinionem habentes, atque Arvernorum primores Arvandum publico nomine accusaturi sequuntur: hi inter cetera, quæ sibi provinciales agenda mandaverant, interceptam epistolam desetebant, quam Arvandi scriba exceptus Dominum dictasse profitebatur; hæc ad Regem Gothorum epistola mittebatur, pacem cum Leone Imperatore dissuadens, Britannos super Ligerim sitos oppugnari oportere demonstrans, cum Burgundionibus jure geotium Gallias dividi debere confirmans, & ad hunc ferme modum plurima iosana complectens, quæ iram Regi feroci, miti pudorem accenderent. Hanc epistolam ad læsæ Majestatis crimen (85) pertinere Jurisconsulti dixerunt. Hoc ei intendi periculum Arvaodus ab Sidonio, Auxanioque admo-

(79) Sive proditione, ut ait Procop Bell. Vandal l. 1., & Niceph l. 15. 27. qui addit Basiliscum rem male transegisse in gratiam Asparis, & Ardaburii, qui Leoni Imp. erant infensi, quique eumdem in extremum discrimen conjiciendum esse putabant, ut novus crearetur Imperator Arianis propitius. Eadem narrat Theophanes ad an. Incarnat. secund. Alex. 461., referens quoque ortam famam, Basiliscum *donorum illecebris, & vi pecuniarum inescatum priorem impetum remisisse*: eaque ex Prisci historia se hausisse fatetur.

(80) Auctor Chron. Alex. sub Consulatu Anthemii Aug. II. corrupto nomine de Genserico hæc refert, quem ab Anogastio Magistro milit. necatum prodit. At Attilæ filius non Gensericus, sed Dengisich a Prisco 44, à Marcellino vero sub sequ. an. Coss. Denzices; & a Jornande de Reb. Get. 53., Dinzic appellatur.

(81) Sub anni præsentis Coss. Arvandi judicium Cassiodorus tradidit, sed in textum Ardaburii nomen loco Arvandi irrepsit: sunt autem qui ad annum superiorem referunt, nomen idem interpolantes, ut Marianus Scotus, & Sigebertus, aliique. L. quæ Sidon. l. p. epist. 7. Gallorum is erat Præfectus, ex Paulu Diac., & Othone Frising.

(82) Honestorum quippe hominum custodiæ committebantur illustriores personæ, ex Fortunatiano l. 1. Rhetor. Jul. Firm. l. 5. 3., Hieron. advers. Vigilantium, & L. 1. Cod. de exact. Trib.

(83) Sidonii coætaneus, illustri sanguine, & filius senis Tonantii, quem idem Sidon. Carm. ult. dicit

*Rectorem, columenque Galliarum.*

Is unus ex Legatis Provinciæ Galliæ, idest Galliæ Narbonensis, una cum Ferreolo, de quo Sidon. ibid.

*Prisci Ferreolum parem Siagri.*

(84) Magni nominis Jurisconsultus, vir illustris à Sidon. dictus l 8. ep. 16., ex eorum familia, quorum unus fuit Bononiensis Episc., alter Episcopi pater Præfectus P. Galliarum. L. Gennad. 41.

(85) Ex L. 1., & 3. ad L. Juliam Majestat., L. 2. & 9. Cod. Theod de re militari; unde Ennodius in Legatum proditorem inquit; *Quale est hostibus enunciasse interna patriæ, pro quibus segnius certasse sacrilegium fuit? quibus sunt expianda tortoribus, quando illud perdideris, quod nefas est non servisse?* L. Balsamon. in Photii Nomocan. tit. 9. c. 37.

admonitus respondit, se conscientia sua munitum vix advocatos in repetundarum (86) defendendo crimine admissurum. Interim reus aream Capitolinam albatus percurrebat, (87) ac fictis salutationibus, atque occurrentium adulationibus studebat, ac serica, gemmas, & pretiosa quæque involucra, quasi mercaturus, explicari jubebat, & inter agendum præcipue de legibus, temporibus, Senatu, & Principe querebatur. Post paucos dies Senatus in tractatorium (88) frequens convenit. Eò reus, ac cusatoresque citati intromittuntur, ac suis quisque locis pro dignitate sedere jubentur, (89) cum Patres consurrexissent, legati post provinciale mandatum (90) epistolam protulerunt, quæ cum sensim recitaretur, Arvandus ultro se dictasse imminentis periculi ignarus asseruit, idque bis, terque post repetita confessione rogatus respondit. Itaque statim à judicibus, atque ab accusatoribus acclamatur, reum eum læsæ Majestatis teneri. Quo consensu perspecto, Arvandus exanimatus expalluit, sero intelligens, posse reum Majestatis etiam pronunciari eum, qui non affectasset habitum purpuratorum. Subito igitur jure geminæ Præfecturæ, quam per quinquennium repetitis fascibus gesserat, spoliatus, & plebejæ familiæ redditus publico carceri adjudicatus est. Inde judicio comperendinato capite mulctatus in insulam est conjectus, ubi usque ad inimicorum dolorem deformatus ex Senatusconsulto Tiberiano triginta dierum vitam post sententiam traxit, (91) uncum, & gemonias, (92) & laqueum carnificis in horas expectans. Hæc de judicio Arvandi scripsit Sidonius, quod in hunc annum factum prodidit Cassiodorus. Narrat idem alio loco, duos hoc tempore in urbe Romana viros post Principem in toga præcipue floruisse, Gennadium Avienum, & Cæcinam Basilium, quorum Avienus ad Consulatum felicitate, Basilius virtute pervenerat. Utrumque, si forte domo exibant, ingens clientum caterva stipabat, sed Avienus in filiis, generis, fratribus, atque nepotibus provehendis occupabatur; Basilii benignitas tota in alienis promovendis, atque ornandis explicabatur, &, si utrumque coluisses, facilius ab Avieno familiaritatem, à Basilio facilius beneficium consequutus fuisses. Eodem anno, qui octavus erat, postquam Egidius pro Childerico inter Francos regnabat, Vindomalus à Childerico quondam in Gallia ad reconciliandos sibi Francorum animos constitutus, nuncios ad Childericum cum nummi parte misit, atque, ut bono animo regnum repeteret, signo inter se composito docuit, quo accepto, ille gaudio gestiens in Galliam se recepit, ac benigne à Francis Egidium jam perosis acceptus regno illum, eorum usus auxilio, deturbavit, atque inde prospere multos annos illud obtinuit. (93) Quadringentesimo 470
inde septuagesimo à Christo nato anno, Severo, & Jordane Consulibus, (94) Romanus Patricius, cum affectatæ tyrannidis esset compertus, pariter cum Arvando capitali supplicio ab Anthemio est affectus. Euricus autem, Rex Gotthorum (95) conjurationem Arvandi patefactam conspiciens, quod occulte assequi non potuit, palam sibi aggrediendum putavit, ac finium prolatandorum caussa more patrio exercitum in agrum Romanorum induxit. Qua re percepta, Anthemius, licet Ecdicium Comitem Aviti quondam Imperatoris filium, egregie impetum ejus sciret sustinere, tamen Riothimum Regem Britannorum, qui etiam Brittones super Ligerim siti dicuntur, quos Arvandus Eurico adoriendos suaserat, auxi-

(86) Cum reus majestatis ageretur, repetundarum quoque actione, Narbonenses experti sunt, postquam in reatu fuit Arvandus, læsæ scil. majestatis, nec antea licebat, quam Præfectoria potestate disceingeretur, vel anquireretur majestatis, ex capite Legis Senelliæ repetundarum; quod in tabulam æneam incisum, & in Urbe non ita dudum repertum est, *de Pecuniis repetundis dum Magistratus judicium habebunt, judicium ne fiet*. De Repetundarum actione integer titulus est ad L. Juliam Repetundar., & alibi passim in Jure.

(87) Insolens quidem, & novum in reo, quem sordidatum esse oportere declarat L. *vestem, de injuriis*; Seneca l. 6., Tullius pro Sext. Valerius quoque Max. l. 6. 4. de Rutilio dixit: *reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia Senatoris deposuit*. Gellius item l. 3 4 ait, *eumque cum esset reus, neque barbam desisse radi, neque candida veste uti, neque fuisse cultu solito reorum* &c. L. Amm. l. 29. de Theodoro.

(88) Oratorium item dictum, *quod illic causas orarent*, Veteres Glossæ. Tractare autem verbum est Jurisconsultorum, ex Lamprid. in Alex. Severo, Plin. l. 8. ep. 14., Isidor. l. 6. 16., unde Cassiodorus l. 8. ep. 12. *Decet enim tractatores habere doctissimos, quibus potestas summa committitur*.

(89) Ex Cassiodoro namque constat ep. 15. l. 6. quòd Præfecti, eorumque Vicarii Romæ sedendi cum Senatoribus prærogativam obtinebant. Et Lex 17. Cod Theod. de legatis plurimum iis honoris tribuit, & in primatum numero collocat Præfectorios.

(90) Cicero appellat *publicas auctoritates*, Verr. 2.; *decretum publicum*, Verr. 3. Legati enim documenta ostendebant, quibus ex omnium voluntate, communique mandato se missos docerent. De qua re alibi dictum.

(91) Vel ante L. 20. Cod. de pœnis triginta dies concessi damnatis, ut aperte tradit Posthumius Jun. Declamat. 349., Calpurn. Flaccus Declamat. 25., nec non Seneca in Ludo Claudii. V. quæ alibi de c. Lege Theodosiana dictum.

(92) Unco trahebantur damnati ad scalas Gemonias, in Regione 13., quæ & *gradus Gemonii* dicuntur à Tertulliano advers. Valentinianos. Pacatus in Panegyr. Theod de Delphidii uxore Enchrotia inquit, *qua unco ad pœnam tracta est*.

(93) Superius dictum, Ægidium an. 457. Francorum Principem dictum, eumque octo annos regnasset ex Gregor. Turon. l. 2. 12., anno 464., aut sequenti Childericus restitutus. Unde iis octo annis simul regnarunt Childericus, & Ægidius, in diversis tamen Galliæ partibus. L. Gregor. Tur. c., & Auctor. de Gestis Reg. Franc. c. 7. fuse rem gestam enarrantes.

(94) De Severo mentio ap. Phot. in Biblioth. C. 242. isque in Excerpt. Malchus Rhet. p. 87. ait, Severum Legatum missum à Zenone ad Theodoricum Triarii filium, & ab eod. Imp. Patricium creatum. Jordanes etiam Jordanus in plerisque Fastis dicitur.

(95) Hujus erat consilium, Imperii sui limitem promovere, & quidquid Oceanum inter, Rhodanum, Ligerimque interjacet, occupare, Arvernis omnino repugnantibus, qui ideo Romanis fortiter adhærebant, Arianum Regem execrantes, qualis Euricus Orthodoxis infensissimus. L. Sidon. ep. 1. l. 7. ad Mamertum Episc. Viennens. L. & Jornan. de Reb. Get. 45.

A auxilio accersivit, eumque cum XII. millibus hominum mari venientem in oppidum Bituricum accepit. Eurieus autem antequam sibi invadendum, quàm cum Romanis copiis jungeretur, existimans, castra adversus Bituricum promovit, atque in aciem tractum primo certamine superavit. Ex quo Riothimus majore suorum parte desiderata com paucis fugiens, ad Burgundiones Romanis fœderatos se contulit. Gregorius auctor est, (96) Britannos Biturico à Gotthis expulsos esse, multis apud Dolensem vicum occisis. Inde data opera ab Anthemio est, ut Eurieus finibus suis contentus pristinum fœdus, veteremque pacem
B servaret. Hunnimundus Rex Suevorum, trajecto Danubio, magnum pecoris numerum ex Pannooia Ostrogotthorum avertit, atque populabundus in Dalmatiam usque processit, unde se recipiens à Rege Theodomiro ad lacum Pelsodis (97) captus, & post pace data dimissus est. Et hoc anno Gensericus classem adversus Basiliscum in Sicilia stationem habentem eduxit, cui Basiliscus decoris amissi recuperandi avidus alacriter sese animo obtulit, ac tanta mole, prœlio commisso, (98) pugnavit, ut Gensericum victum Carthaginem se præcipiti
471 fuga referre coëgerit. Leone inde Augusto quartum, & Probiano Consulibus, utrum-
C que Imperium ut intestinis, sic periculosis seditionibus laboravit. In Oriente Aspar Patricius Leoni Augusto insidias moliens, filio suo Ardaburio Cæsare declarato, (99) non dubia affectatæ tyrannidis exhibuit argumenta, cujus rei certior Leo factus statim victorem è Sicilia revocavit exercitum, atque Asparem cum filio utroque adortus, (100) omnes in potestatem adduxit, ac supplicio capitali pro rei atrocitate multavit; illud in primis veritus, ne si superstites sibi fuissent, despecta Leonis nepotis sui, quem Cæsarem destinaverat, pueritia, Imperii sibi fastigium vindicarent. Hæc in Oriente. Occidentalis autem pestis auctor fuit Patri-
D cius Riemer, qui, alter in Italia Aspar,

A Anthemium, posthabito affinitatis vinculo primum despicatui habere, post etiam injuriis aliquot oon erubuit onerare. Itaque accensis inter eos simultatibus, quas etiam utriusque familiares de industria irritarunt, res ad pravam tendere certaminis contentionem videbatur, quæ si contracta esset, nemo erat, quin deteriore conditione Anthemium pugnaturum putaret, atque ea res maximam Italiæ allatura perniciem esset. Hunnimundus Rex accepti beneficii immemor, gentem Scyrorum, quæ super Danubium considebat, ad arma solicitavit, atque, irruptione in Pannoniam facta, Valamirum Regem Ostrogotthorum occurrentem, com-
B misso prœlio stravit. Quo detrimento accepto, Gotthi accensi bellum collectis viribus instaurarunt, ac Scyrorum gentem omnem, præter eos, qui ex acie fuga dilapsi sunt, conciderunt. Quorum exitium metuentes Hunimundus, & Alaricus, Suevorum Reges, accitis Sarmatarum auxiliis, adversus Gotthos moverunt, ac collectis Scyrorum reliquiis, & Gepidarum, Rugorumque fulti præsidiis castra ad Bolliam (101) amnem Pannoniæ locaverunt. Contra quos Theodomirus, & Vindemirus Reges profecti summo prœlio confixerunt, tantamque stragem eorum ediderunt, ut campus sanguine manaverit, & arma, ac
C cadavera aggesta collis altitudinem plus, quàm decem millium, adæquarint. Ita Valamiro occiso egregia est victoria parentatum. Eodem anno Arveroi Seronatum Gotthis proviocias Romanorum prodentem accusarunt, quo facto, Sidonius Ecdicium Comitem, civem suum, summa auctoritate virum auxilio advocavit. *Exultat enim*, inquit, *Seronatus Gotthis, insultat Romanis, illudit Præfectis, colludit numerariis, leges Theodosianas calcat, Theodoricianas* (102) *proponit, veteres culpas, nova tributa perquirit, te expectat palpitantium civium extrema libertas, quidquid sperandum, quidquid desperandum est, fieri te medio placet, si nullæ à Re-*
D *publica vires, nulla præsidia, si nullæ, quantum*

(96) L. 2. 18., ubi Dolense Castrum memorat in territorio Bituricensi, ubi seculo millesimo conditum insigne Monachorum Cœnobium Mabillonius tradit, secul. V Ord. S Bened. p 83 L. & Hadrian. Vales in Notit. Galliar Britanni autem super Ligerim siti (de quib. hic A. N.) temporis processu, *Minoris* hodiernas partes occuparunt, tandemque Armoricam omnem, quæ non protendebatur antiquitus usque ad Ligerim.

(97) Qui Plinio est *lacus Peiso*, l. 3. 24., non quidem in Norico, ut ex Plinii verbis male quidam colligunt. *Pelsonem* vocat Aurel. Vict. editio vero Schotti, in Galerio, habes *lacum Pelsodis*, ut est ap. Jorn de Reb. Get. 52., & sequ. Est in superiori Pannonia ab exigua Urbe Neusidler hodie nomen trahens.

E (98) Cujus diserte meminit Theophan. an. 463., qui Kal. Sept. anni Chr. 470. exorditur, subdens Genserico pacem concessam a Leone; hic enim *Basilisci, Heraclii, & Marsi opera ad struendas Asparis insidias indigebat*, eosque Duces bello implicari nolebat.

(99) Asparis filii fuere Ardaburius, Patricius, & Hermenericus, ex his Patricius Cæsar fuerat declaratus, non Ardaburius, ex Marcellino, & Cassiodoro in Chr., & Theoph. qui l. sup. cit. habet: *Aspar ..... paulo post neci traditur cum filiis Ardaburio, & Patricio, quorum hunc, ut Asparem sibi demereretur, Cæsarem olim declaraverat Imperator.*, anno sc. 468., ut liquet ex eod. Theoph. ad an. Incarnat. secund. Alex. 461., qui Kal. Sept. an. Chr 468. incipit.

(100) Ardaburio scil., & Patricio, ex Theoph. c. *Hermenericus enim Asparis junior filius furtive subtractus Zenonis consilio fugam arripit in Isauriam missus, & à spurio Zenonis filio gener assumitur*, & cet. inquit Theoph. ad an. Incar. sec. Alex. 464. Patricium evasisse, *excepta plaga*, Candidus ap. Phot. C. 79. narrat, Cæsarem quoque dicens Patricium; at omnes alii interfectum tradidera; errat inde & Nicephor. l. 15. 7. Patricium exulem amandatum scribens.

(101). Cujus Jornandes meminit, nunc *Polan*, teste Lazio, in superiori Pannonia, in finibus Stiriæ inferioris.

(102) Habet hæc Sidon. ep. 5. l. 2., ubi per Theodosianas Leges, Romanas intelligit redactas in Cod. Theod., qui tunc temporis vigebat in Galliis; per *Theodoricianas* vero Gothicas innuit à Theodoricis Regibus Gothorum denominatas; quamvis enim, hæc scribente Sidonio, Gothorum partem Galliarum incolentium Euricus Rex esset; Sidonius autem leges, quibus hi subdebantur, Theodoricianas dicere voluit ob paronomasiam cum Theodosianis. Neque Euricus, qui in Isidori Chron. leges Gothis primus tradidisse dicitur, primus fuit legum Gothicarum auctor, sed primus earumdem corpus, & Codicem collegit, ut clare colligitur ex ejusd. Isidori verbis in Leuvigildo Rega. De Seronato L. Sidon. ep. 7. l. 7.

Digitized by Google

A *tum rumor est, Anthemii principis opes, statuit, te auctore, nobilitas seu patriam dimittere, seu exp llos*. Damnatum autem fuisse idem significavit ad Græcum Episcopum scribens: *Arverni amore Reipublicæ Seronatum barbaris provincias propinantem non timuere legibus tradere, quem convictum deinceps Respublica vix præsumpsit occidere*. Constantinopoli Gennadio Episcopo ex humanis rebus exempto Acacius subrogatur, cujus inconstans in tuenda fide Catholica ratio post Ecclesiæ statum vehementissime per-
472 turbavit. Festo inde, & Marciano Consulibus, cum flagrantibus Anthemii, & Ricimeris inter se odiis suspensis omnes animis,
B quis tandem futurus esset suscepti certaminis exitus, expectarent, Ricimer Mediolani positus multorum pacem suadentium precibus fatigatus, denique se paratum esse ad reconciliandam cum socero concordiam dixit, si quis esset, qui tantæ ad eum legationis onus susciperet, cui omnes uno ore responderunt: Non deerit, qui legationem hanc subeat; adest enim Epiphanius, (103) Ticinensis Episcopus (hic modo Crispino successerat,) vir ore venerando, moribus suavissimis, & eximia persuadendi facultate instructus. Tum Ricimer: Jampridem hunc virum, ab omnibus audio commendari; ite igitur, & rogate illum, ut hanc legationem
C suscipiat. Illi Ticinum profecti, Epiphanio Ricimeris voluntatem expromunt, quibus ille respondit: Quamvis tantæ rei necessitas probatissimæ personæ pondus requirat, atque ego ad id muneris parum idoneus sim, studium tamen, quod debeo patriæ, non negabo, atque, his dictis, ad Ricimerem perrexit, &, mandatis acceptis, Romam iter intendit. Ubi vero Anthemius audiit, legatum ad se à Ricimere venire singularis eloquentiæ hominem, dixit: *Qui alios lacessit injuriis, disertos ad supplicandum homines mittit; introducite tamen Antistitem, qui, si facilia postulabit, morem geram; si difficilia, cum excusatione dimittam: vereor tamen,*
D *ne Ricimer nihil à me impetret, quod scio, illum nimis in petendo procacem esse*. In conspectum inde progressus principis Epiphanius sic disseruit: *Divino consilio factum est, ut is Rempublicam teneat, qui per Catholicam fidem Deum omnis pietatis auctorem agnoscit, per quem bellicus furor pacis armis infringitur, & quod à fortitudine non potest, à concordia superatur. Sic Davidem illustriorem reddidit certa clementiæ opinio, quàm prompta animi ad vindicandum propensio, & optimi Reges supplicantibus indulgere divino oraculo sunt edocti: nam divinum imperium exprimit, qui dominatum suum pietate extollit. Hoc igitur judicio Ricimer Patricius ad te orandum me*
E *misit, haud dubia spe fretus, Romanum pacem Dei munus daturum, quam postulet bar-*

A *barus; erit enim egregius triumphus, si sine sanguine viceris, quanquam nescio quæ species fortitudinis illustrior possit esse, quàm iracundiam temperare, & fortissimi Getæ pudorem beneficiis onerare: vehementius enim afficietur, si postulata obtinuerit, quàm hactenus puduit, cum supplicavit*. Tum Anthemius: *Inexplicabilis profecto nobis erga Ricimerem caussa doloris est; neque enim quidquam eximiis eum beneficiis ornando profecimus, quem etiam, (quod non sine summo & regni, & sanguinis nostri pudore dicendum est,) in familiæ stemma ascivimus (quis enim superiorum hoc fecit Imperatorum, ut inter munera, quæ pellito Getæ* (104) *tribueret, pro quiete*
B *communi filiam collocaret?) nescivimus parcere sanguini nostro, dum servimus alieno. Neque vero hoc formidini nostræ quisquam ascribat, neque enim nostram vicem soliciti fuimus, sed populorum, haudquaquam ignari, Imperatorem amittere laudem virtutis, nisi pro periculis expalleat alienis, atque ut tuæ Venerationi ad liquidum conatus ejus aperiamus, quo majoribus est à nobis muneribus exornatus, eò acriorem se nobis hostem exhibuit: nam quæ bella Reipublicæ comparavit? quantum in Italiam gentium externarum invexit? postremo ubi nocere non potuit, nocendi tamen fomenta suffecit. Huic igitur pacem dabimus? hunc intestinum hostem amici specie sustinebimus, quem*
C *fœdere concordiæ nulla affinitatis vincula tenuerunt? magna cautio est, adversarii animum perspexisse; verumtamen, si tu his omnibus sponsorem te interponis, qui potes spiritali indagine consilia nefanda eruere, erutaque comprimere, pacem, quam poscis, non nego: quod si solita calliditate te ipsum quoque fefellerit, me tamen, statumque Reipublicæ fidei tuæ commendo, & gratiam, quam supplicanti Ricimeri negare statueram, per te ultro restituo; quis enim audeat tibi beneficium abnuere postulanti, cui oportuerat ante preces offerri?* Tum Episcopus: *Gratias*, inquit, *omnipotenti Deo, qui Principis menti pacem suam injecit, quem præesse mortalibus voluit*. Atque,
D his dictis, Ticinum cum pace propere rediit, (nam dies instabat Resurrectionis,) ac, lætantibus omnibus, legationem renunciavit. Haud diu tamen Ricimer in hac concordia mansit, credo, quod se in hac caussa viribus multo superiorem videret, & socerum se, si non fraude, at vi saltem capturum speraret. Itaque, cum seditio vehementiore flamma recruduisset, ipse cum magno, eoque infesto exercitu Romam perrexit, atque obsidendæ urbis caussa apud Anienis pontem castra fecit. Qua re perspecta, Romani in magnas rerum angustias rursus adducti, alii Anthemio, alii Ricimeri se adjunxerunt, ac civitatem intestino
E dissidio distraxerunt. Cum autem in longum obsidio traheretur, gravius fame laborare,

(103) De cujus Legatione L. Sirmondum, ad ejus Vitam in Notis. Certe ante hæc tempora ortæ simultates inter Ricimerem, & Anthemium; (de quibus A. N. anno superiori) Ennodius enim & ipse Episc. Ticin. in V. S. Epiphanii c. 6. ap. Bollan. ad diem 21. Januar. narrans ejusdem promotionem in Episc. subdit, *mox* famam tanti Præsulis ad aures Ricimeris pervenisse, quo tempore inter ipsum Anthemiumque calebant iræ; recens igitur obtinuerat Episcopatum, quando legatione functus fuit, an. sc. 468., aut sequenti; non autem ante prædict. annum; cum Ricimer an. 467. Anthemii Imp. filiam uxorem duxerit, ex Sidon. ep. 4. l. 1.

(104) Ita Sidon. Carm. 7. pellitum Principem, Regem Gothorum dixit, v. 203. *Pellitos satellites*, idem vocat ep. 2. l. 1., & Rutilius Numatian. Gothos stipatores, & regii corporis protectores; hi enim prisco Scytharum more pellibus vestiebantur, de quibus Seneca ep. 90. D. Hieronym. in epitaph. Nepot. pellitorum turbam populorum, Gothorum nempe, memorat, & Prudent. l. 2. contra Symm. Repete quæ alibi de Mastrucis dicta.

rare, (105) & post famem premi pestilentia incœperunt; spes una erat in auxiliis Gothorum ex Gallia accersitis, quæ & ipsa repente præcisa est; nam Bilimerem cum firma manu ad urbem profectum Ricimer aggressus; inito ad pontem Hadriani certamine, non solum vicit, sed etiam interemit, quo successu erectior, atque audacior factus V. Idus Julias Urbem, toto urgente exercitu, magna mole invasit, ac demum, repulsis defensoribus, in potestatem redegit, atque ingressus, eandem, quam Alaricus, & Gensericus ante attulerant, trepidationem, ac tumultum invexit; nam & Anthemium captum morte affecit, (106) nulla neque soceri pietate, neque Imperatoris reverentia ductus, & Urbem, quæ famis, ac pestilentiæ acerbitate afflicta erat, militibus misere populandam, diripiendamque permisit. Itaque præter duas regiones, in quibus ipse cum suis consederat, omnia immani fuit prædatorum libidine lacerata. Inde Olybrius (107) Senator Constantinopoli paulo ante reversus insignibus Augustalibus exornatus.

## OLYBRIUS IMPERATOR.

HUjus tamen direptionis, quæ Romanæ urbi tertia contigit, diuturnum ille fructum non tulit; siquidem mox sævissimis corporis doloribus cruciatus XV. Kal. Septembris excessit è vita, vir is, qui post Valentiniani obitum, tanquam alter Stilicho, prope in Republica imperavit, in illo etiam Stilichone felicior, quod non plures Imperatores creavit, quàm sustulit. Eo sepulto, Olybrius Imperator referendæ gratiæ cupidus Gundibarium (108) nepotem ejus Patricium subdidit, ac mox Romæ X. Kal. Novembris, (109) vix ipsam imperandi suavitatem expertus morbo decessit. Interim Leo Imperator rebus, quæ ad Urbem acciderant, in primisque Anthemii nece audita commotus, de sufficiendo successore cogitavit, ac Julium Neporem Nepotiani filium, collocata ei in matrimonium Nepte sua, per Domitianum clientem suum Cæsarem designavit, eique Occidentale Imperium destinavit. Eodem anno Vesuvius mons in Campania intimis æstuans ignibus, (110) viscera exusta evomuit, nocturnisque in die tenebris incumbentibus, omnem Europam minuto cinere cooperuit. Itaque ejus portenti memoriam annuam Constantinopolitani instituerunt VIII. Idus Novembris. Ea re Leo Imperator exterritus urbe excessit, atque ad S. Mamantem consedit. In Pannonia Rex Ostrogotthorum Theodemirus summa hyeme conglaciatum Danubium nactus, exercitum flumen transmisit, atque improvisa in Suevos impressione invectus & ipsos, & socios eorum magna edita strage concidit, ac victor domum reversus, Theodoricum filium obsidem à Leone remissum cum regalis opulentiæ muneribus lætus excepit, qui jam annum octavum decimum erat natos. Ille vero fortitudinem parentis imitatus, sociis militibus assumptis, Danubium, ipso inscio parente, transivit, ac Sarmatarum Regem victoria ducis Romanorum furentem prostravit, reversusque ad patrem, Singidonem, quam Sarmatæ Romanis ademerant, cœpit, ac juris sui effecit. Leone autem Augusto Con- 473
sule solo quintum, cum per quatuor, & amplius menses Occidens sine Imperatore fuisset, neque Julius Nepos Cæsar ab ipso designatus in Italiam adveniret, Gundibarius Patricius avi Ricimeris exemplum, auctoritatemque sequutus, principem pro arbitrio sibi designandum suscepit, ac III. Nonas Martias Ravennæ Glycerium Comitem Domesticorum Imperatorem per milites levandum curavit.

## GLYCERIUS IMPERATOR.

ITa Olybrius, & Glycerius, ut invito Leone, sic injustis comitiis, sedem Occidentalis Imperii tenuerunt; quamobrem eorum rationem non habuere, qui successerunt. Gensericus post superiorem cladem acceptam Leonis arma formidans, ut omnia, quæ potuit, ad securitatem præsidia conquisivit, sic etiam omnia, quæ valuit, adversus eum arma commovit. In primis vero Ostrogotthos ad utrumque Imperium invadendum, magna spe præmiorum ostentata, sollicitavit. Quibus inductus Theodemirus jam recepto filio tutus in hunc modum ipsa suscipiendi belli consilia expedivit. Glycerium tenuissimis opibus Italiæ regnum adeptum audiens, Vindemiro fratri negotium dedit,

(105) Theophanes ad an. 15. Leonis Imp. tradit; *Anthemii pie admodum Romæ Imperium administrantis generum Ricimerem in proprium socerum insurrexisse: bellis vero* (subdit) *totam regionem occupantibus tanta fame atterrentur Imperatoris copiæ, ut coriis, aliisque cibis insolitis non parcerent.*

(106) Post annos quinque, menses tres Imperii, uno die excepto; *Levatus est Imp. Dominus Anthemius Romæ pridie Id. April.*, ait quippe Chronogr. Cuspinian., Puteo, & Joanne Coss., necatus vero *V. Id. Julias*, ex eod. Chronogr. sub. h. an. Coss.

(107) Qui placidiam Valentiniani III. filiam duxit, marito superstitem ad usque Zenonis tempora, ex qua Juliana Anicia prodiit uxor Areobindi Patricii. Sed de Olybrio alibi dictum.

(108) Gundibalum vocat Chronogr. Cuspinian., cujus hortatu Glycerius an. sequ. sumpsit Imperium, ex Cassiodoro in Chron.

(109) Recte ex Chronogr. cit. sub h. an. Coss., neque emendandus Cassiodorus in Chr. quasi Olybrii mortem consignet sequ. anni Coss. regnavit enim menses tres, & dies duodecim Olibrius: Cassiodorus autem solum dicit, Leone Aug. V. Consule, Glycerium subrogatum in Olybrii locum, ex quo minus recte Baronius infert, anno 473. Olybrium obiisse. Chronographus siquidem cit. utrumque satis distincte suis temporibus consignat, mortem sc. Olybrii an. 472., levatum vero Glycerium *III. Non. Mart.* an. sequ., ut recte A. N.

(110) De cujus eructatione flammarum Parthenopæi plura scripserant, causas perscrutati insignis phænomeni, quod & de aliis ignivomis montibus Recentiores Philosophi præstitere. De anno autem dubitarunt, qui corruptum Marcellini Chronicon offendêre, ubi an. 471. irruptio hæc consignatur: at in emendatiori ad an. 472. pertinet, *VIII. Id. Nov.* Ejusdem Byzantii celebrata olim memoria, ex eod. Marcell., & Procop. de bello Goth. Certe portentosa vis ventorum flare debuit, quæ cinerem a Neapoli Constantinopolim usque deferret. L. tamen quæ Cassiodor. Variar. l. 4. 50.

dit, (111) ut arma Italiæ inferret, quam nullo negotio aut subacturus, aut populaturus, quippe exiguis tectam præsidiis, esset; ipse vero Illyricum, ut ad expugnandum difficilius, sibi assumpsit. Vindemirus igitur cum ingenti Ostrogotthorum manu populabundus in Italiam venit, verum repente morbo oppressus interiit, filio sibi cognomine Vindemiro relicto. Hac irruptione Glycerius, Imperio nondum firmato, perculsus, sese tanto offerre discrimini non est ausus; verum, missis obviam legatis, hominem donis aggressus oravit, ut exercitum in Galliam abduceret, in qua ei locus inter populares suos defuturus non esset. Paruit voluntati ejus Vindemirus, ac, sublatis castris, in Galliam adiit, ac sese Visigotthis adjunxit, ex quo mire eorum in Gallia, atque Hispania opes adauctæ. Ita tum Italia ingenti calamitate levata, quæ si ad ceteras accessisset, mirificis ipsam sine dubio ad sese erigendum vulneribus afflixisset. Theodemirus autem bellum Sarmatis Limigantibus intulit, neque ullum præ metu obvium habuit, hac prosperitate inde elatus, urbem Illyrici primariam Naissum adortus in ditionem adduxit, atque ibi cum Theodorico filio moratus, militum partem ad Ulpianam per Castrum Herculis misit, (112) qui eam cum aliis locis imperviis occuparunt, ac tum demum in Thessaliam progressi, Heracleam, Larissamque ceperunt. Qua re cognita, Theodemirus Naisso egressus, Thessalonicam petiit, quam Clarianus Patricius cum exercitu obtinebat; ille vero cum urbem defendere statuisset, postquam eam circumvallati, nec se cœpta hostium morari posse cognovit, legatos ad Regem cum muneribus misit, atque ita illum ab oppugnatione avertit: inde novo inito fœdere, nova Gotthis loca ad incolendum in Illyrico Orientali concessa. Ex quo apparet, quò veteres nervi, animique Romanorum evasissent Imperatorum, cum salutem utriusque Imperii precibus, ac pecunia redemptam non armis, ac fortitudine defensam haberent. Constantinopoli Leo Augustus Leonem nepotem suum ex Zenone & Ariadna filia genitum Cæsarem esse jussit. (113) Tunc etiam vestis Deiparæ Virginis Hierosolymis Constantinopolim est allata, & magna religione recepta, quæ apud virginem Hebræam erat inventa.
(114) Proximo anno Leo Augustus Consul 474
sextum (115) sine collega vita excessit, ac genero suo Zenone præterito, nepotem suum Leonem puerum, à se paulo ante Cæsarem constitutum, testamento Imperatorem reliquit, qui mox patrem Zenonem sibi consortem assumpsit, (116) & cum eo hunc annum imperavit. Julius autem Nepos, cui traditum fuisse à Leone sene Imperium diximus, cum illud à Glycerio occupatum teneri audisset, vehementissime perturbatus est, atque ipsum per vim inde detrudere cum statuisset, ope Imperatoris ingentes omnis generis copias in naves imposuit, atque, intento Italiam versus itinere, classem tandem ad littora Romana applicuit. Quod ubi Glycerius tum Romæ agens, cognovit, opibus suis nimium attenuatis diffisus Urbe excessit, atque in oppidum suburbanum, nomine Portum, secessit, ibique communitus impetum Nepotis sibi excipiendum decrevit. Nepos autem, expositis, atque ad Urbem adductis militibus, cum primo adventu eam ad deditionem adduxisset, acri inde Portum obsidione circumdedit, quem cum cepisset, simul etiam Glyceriom Imperii deponere insignia compulit, eaque mox ipse VIII. Kal. Julias induit, atque, rebus Romæ compositis, inde

(111) Ostrogothi Pannoniæ sedes occupantes (qui in Campis Catalaunicis pro Romanis adversus Attilam pugnaverant) an verosimilius 475. in Imperium Rom. irrupere, Theodemire Rege (una cum Theodorico filio qui deinde in Italia regnavit) duce, ex Jornan. de Reb. Get. 56, *Naissum primam urbem invadente*, *Heracleam*, & *Larissam*, necnon Thessalonicam, in qua Clarianus Patricius a Zenone Imp. cum exercitu missus morabatur, qui imparem se eorum conatibus retundendis noscens, inito fœdere cum Gothis, *loca eis sponte, quæ incolerent, tradidit, idest Ceropellas, Europam, Medianam, Petinam, Bereum, & alia quæ Sium vocantur*. Nec diu post hæc *Theodoricum filium regni sui hæredem declaravit*. Hæc Jornan. c. L. Malch. Rhet. hæc ead. narrantem p 79., qui tamen filio hanc expeditionem Videmiri, seu Balamero Theodemiris fratri adscribit, qui jam aliquot antea annos obierat. Ex Malcho tamen discere licet situm Regni Theodemiris, & Theodorici successoris; de pace namque tunc inita ait: *Jussit* (Zeno sc.) *regionem in Pantalia assignare*, & cet. ab eodem Script. tradita, quæ V., sed observa, non legendum ibi *Pantalia*, sed *Pautalia*. De qua re L. Holsten in Not. ad Thesaurum Geograph. Ortelii, p. 145. V. Nummos ab Occone, & Mediobarbo prolatos, in quibus ei nomen tribuitur *Ulpia*.

(112) Ulpianum geminum, unum Mœsiæ Superioris, in Dardania apud Macedoniæ confinia, urbs proxima Scupi; Ulpianam vocat Procopius l. 4. de Ædificiis, c. 1, de qua A. N. Alterum vero in Dacia oppidum, quod Nigro est Czanadre, aliis autem Varadinum, urbs munita Transylvaniæ. De Castro Herculis alibi dictum.

(113) Photius in Excerptis Candidi refert, multa cogitasse Leonem, *qui Zenonem generum Imperatorem renunciaret*, *subditis tamen repugnantibus, minime id quidem efficere potuisse*; sed paulo ante obitum Leonem Jun nepotem suum Augustum creasse. Falso itaque Zonaras ait, Leonem Seniorem Leoni nepoti diadema imposuisse, quod Zenonem generum, ob adspectus deformitatem, morumque turpitudinem, imparem administrando Imperio judicaret. Puerum hic A. N. vocat Leonem jun., cum tamen annorum XVII, quando mortuus est: obiit autem an 474. ut infra patebit; præsenti igitur sexdecim natus erat: Auctor quippe Chron. Alex. sub Consulatu sequ Chr anni habet: *Vixit annos XVII., quemadmodum Nestorianus tradit, qui sapientissimus Chronographus Historiam usque ad Leon. Jun. perduxit*. Effusam Leonis Jun. libidinem, aliaque animi vitia Suidas in voce Zenon enarrat, quæ puero convenire nequeunt.

(114) L. quæ narrat Nicephor. l. 15. 24.

(115) Consulatum iniit Leo jun. Aug sine Collega, & quidem ab anni initio; Auctor enim Chron. Alex. de Junioris morte loquens h. anno notat: *Leo undecimo sui Consulatus mense, Dio mense, seu Novembri, morbo extinctus est*.

(116) Theophan. an. Incarnat. secund. Alex. 466., qui Kal. Sept. superioris Chr an. inchoatur, ait, Leonem sen. morbo correptum Byzantii vita decessisse, Leone jun Imperatore relicto, *mense Januario*, indictione 12, *qui deinde Februario Zenonem Patrem in Circi sella, Verina, & Ariadna opem ad hoc ferentibus, Imperii corona redimivit*.

de Ravennam in regiam se recepit, Glycerio, ne privatus ludibrio haberetur, Ecclesia Salonensi in Dalmatia attributa. (117)

## JULIUS NEPOS AUGUSTUS.

DUm hæc agerentor, Euricus Rex Gothorum in Gallia adversis Italiæ rebus, ac novis Ostrogotthorum auxiliis excitatus, fines Romanorum habere infestos variis populationibus cœpit. Qua re cognita, Nepos nihil sibi prius duxit faciendum, quàm ut cœptis ejus occurreret; cumque Euricum lites quasdam de finibus in speciem serentem audisset, habito principum Liguriæ Concilio, ex omnium sententia Epiphanium Ticinensem Episcopum legatum ad eum misit, (118) qui lites componeret, pacemque firmaret, quod ille summa cum cura explevit. Profecto inde ex Gallia Epiphanio, Euricus nihil eorum, quæ promiserat, præstitit, immo sub nomine pacis agere hostilia cœpit; nam in fines Romanos invectus cum agros civitatum vastavit, tum maxime Ecclesias, atque earum Episcopos, vetere Ariana labe corruptus afflixit, ac Ruthenos, (119) Cadurcos, Lemovicos, Gabalitanos ex Aquitania prima cepit, ac denique urbem ipsam Arvernorum militari corona circumstetit, neque ex omnibus Gotthicis in Gallia bellis ullum hoc fuit asperius. Erat tum in urbe Arvernorum Ecdicius Comes, Aviti quondam Imperatoris filius, itemque Episcopus ipse urbis Sidonius, (120) quorum alter strenuis ex urbe eruptionibus faciendis, alter supplicationibus ad Deum instituendis & litteris ad amicos mittendis, tantam ab urbe propellere tempestatem annixi sunt. Ac Sidonius quidem de ipsa hostium in agrum Romanum impressione ad Mamertum Episcopum Viennensem sic scripsit: *Rumor est, Gotthos in Romanum solum movisse. Huic semper irruptioni nos miseri Arverni janua sumus, namque odiis inimicorum hinc peculiaria fomenta subministramus, quia nec dum terminos suos ab Oceano in Rhodanum Ligeris alveo limitaverunt, solam sub ope Christi moram de nostro tantum obice patiuntur; circumjectarum vero spatia, tractumque regionum jampridem regni minacis importuna devoravit impressio, sed animositati nostræ tam temerariæ, tamque*

A *periculosæ non nos aut ambustam murorum faciem, aut putrem sudium cratem, aut propugnacula vigilum trita pectoribus confidimus opitulata, solo tantùm invectarum, te auctore, Rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis, instituendisque populus Arvernus, etsi non effectu pari, affectu certe non impari cœpit initiari, & ob hoc circumfusis nec dum dat terga terroribus*, deinde ad Basilium Episcopum in hæc verba: *Evarix Rex Gotthorum, quod limitem regni sui, rupto, dissolutoque fœdere antiquo, vel tutatur armorum jure, vel promovet, nec nobis peccatoribus accusare, nec vobis Sanctis hic discutere permissum est. Sed quod fatendum est, præfa-* B *tum Regem Gotthorum, quanquam sit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus, quàm legibus Christianis insidiaturum pavesca: tantum, ut ferunt, ori, tantum pectori suo Catholici intuitio nominis acet, ut ambigas, ampliusne suæ gentis, an suæ sectæ teneat principatum. Ad hoc armis potens, acer animis, alacer annis, hunc solum patitur errorem, quod putat sibi tractatuum, consiliorumque successum tribui pro religione legitima, quem potius assequitur pro felicitate terrena. Propter quod discite cito Catholici status valetudinem occultam, ut apertam festinetis adhibere medicinam. Burdegala, Petrogorii, Ruthenique, Lemovices, Gabalitani, He-* C *lusani, Vasates, Convenæ, Auscenses, multoque jam major numerus civitatum, summis Sacerdotibus ipsorum more truncatis, nec ullis deinceps Episcopis in defunctorum officia suffectis, per quos utique minorum ordinum officia subrogabantur, latum spiritualis ruinæ limitem traxit, quem fere constat sic per singulos dies morientium patrum proficere defectu, ut non solum quoslibet hæreticos præsentium, verum & hæresiarchas priorum temporum potuerit inflectere: ita populos excessu Pontificum orbatos tristis intercisæ fidei desperatio premit. Nulla in desolatis cura diœcesibus, videat in Ecclesiis aut putres culminum lapsus, aut, valvarum cardinibus avulsis, Basilicarum* D *aditus hispidorum veprium fruticibus obstructos; ipsa, proh dolor! videas armenta non modo sempatentibus jacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci, sed jam nec per rusticas solum solitudo Parochias, ipsa insuper urbanarum Ecclesiarum conventicula rarescunt*. Postquam autem urbs Ar-

(117) Perperam aliqui ex Jornande de Reb. Get. 45. colligunt, Glycerium in Portu Romano Episcopum fuisse ordinatum: Verba Jornandis sunt: *Quem anno vix expleto Nepos Marcellini quondam Patricii sororis filius, à regno dejiciens in Portu Romano Episcopum ordinavit*, idest, ut idem Auctor ait in L. de Success. Regn., in Salona Dalmatiæ Episcopum fecit. Jornandis itaque mens est, Glycerium in Portu Urbis Romæ Imperio dejectum, & Salonæ Episcopum dictum.

(118) Licinianus Quæstor antea missus fuerat in Gallias, ut de pace ageret cum Eurico, irrito tamen conatu; unde delectus S. Epiphanius, cujus ministerio Pax Nepotem inter, & Euricum firmata. De Liciniani Legatione L. epist. 7. Sidonii, l. 3.

(119) His urbem Segedunum tribuit Ptolomæus. Pars Rutenorum erat jam ditionis Romanæ Cæsaris temporibus, unde ab ipso l. 7. c. 7. Ruteni Provinciales dicti. His contermini, & Narbonensi Provinciæ Gabali, l. 7. c. 45. apud Cæsar. Meminit Sidon. Carm. 24., Propemptico ad libellum, v. 23. Regionem Gabalitanam, *pagum Gabalicum* vocat Plin. l. 11. 42. Gabales memorat & Strabo l. 4. p. 131. Cadurci apud Cæsarem, & Strabonem sunt circa Oldum fluvium, qui Garumnæ miscetur. Cadurcorum pars à Cæs. l. 7. 75., Eleutheri, sive liberi populi, nominantur.

(120) Is an. præced. Arvernorum Episcopus creatus, ut ex epist. 1. l. 6., & 12. l. 9. docti Viri colligunt. Lugduni natus Patre Præ- E fecto Galliar. Paplanillam Aviti Imp. filiam uxorem duxit: ab Anthemio Imp. Urbis Præf. renunciatus, Arvernens. deinde Sedem obtinuit, defuncto Eparchio. De eod. L. Gregor. Tur. l. 2. Hist Francor. 23. Is in eo mirabilis, quod varia & grata volumina, Epistolar. nempe Libros 9., & Carmina, inter barbaræ feritatis duritiem, quæ per eam ætatem Gallias oppresserat, evulgavit. Egregiis Notis illustravit Sirmondus S. J. præter Colutium, & Savaronem. Varias ejusd. Sidon. hic A. N. laudat epp., quarum prima est l. 7. 1. Secunda vero, est 6. ejusd. l. Tertia ad Græcum Massiliensem Episcopum, (ad quem ejusdem extant ep. 8. l. 6., ep. 2. l. 7.) quæ habetur l. 7. ep. 7. V. quæ Sirmondus, aliique cit. in has epp. observarunt,

Digitized by Google

Arvernorum obſeſſa magnis premi difficultatibus cœpit, Sidonius ſic rebus ſuis perditis opem à Græco Epiſcopo poſtulavit: *Noſtri hic nunc eſt infelicis anguli ſtatus, cujus, ut fama confirmat, melior fuit ſub bello, quàm ſub pace conditio: facta eſt ſervitus noſtra pretium ſecuritatis alienæ, Arvernorum, proh dolor! ſervitus, qui, ſi priſca replicarentur, audebant ſe quondam fratres Latio dicere; ſi recentia memorabuntur, hi ſunt, qui viribus propriis hoſtium publicorum arma remorati ſunt, cui ſæpe populo Gothus non fuit clauſo formidini, cum viciſſim ipſe fieret oppugnatoribus poſitis intra caſtra terrori; hi ſunt, qui ſibi adverſus vicinorum aciem tam duces fuere, quàm milites, de quorum tamen ſorte certaminum ſi quid proſperum ceſſit, vos ſecunda ſolata ſunt, ſi quid contrarium, illos adverſa fregerunt. Illi amore Reipublicæ Seronatum barbaris provincias propinantem non timuere legibus tradere, quem convictum deinceps Reſpublica vix præſumpſit occidere. Hoccine meruerunt inopia, flamma, ferrum, peſtilentia, pingues cædibus gladii, & macri jejuniis præliatores, propter hujus tamen inclytæ pacis expectationem avulſas muralibus rimis herbas in cibum traximus, crebro per ignorantiam venenatis graminibus infecti, quæ indiſcretis foliis, ſuccisque viridantia ſæpe manus fame concolor legit. Pro his tot, tantiſque devotionis experimentis noſtri, quantum audio, facta jactura eſt. Pudeat vos, precamur, hujus fœderis nec utilis, nec decori. Per vos legationes meant, vobis primum, quanquam principe abſente, non ſolum tractata referantur, verum etiam tractanda committuntur. Veniabilis ſit quæſumus ad aures veſtras veritatis aſperitas, cujus convicii invidiam dolor eripit; parum in commune conſulitis, &, cum in conſilio convenitis, non tam cura eſt, publicis mederi periculis, quàm privatis ſtudere fortunis. Adhuc ſi neceſſe eſt obſideri, adhuc pugnare, adhuc eſurire delectat: ſi vero tradimur, qui non potuimus viribus obtineri, inveniſſe vos certum eſt, quid barbarorum ſuaderetis ignavi. Sed cur dolori nimio frena laxantur? quare potius ignoſcite afflictis, nec imputate mœrentibus. Namque alia regio tradita ſervitium ſperat, Arverna ſupplicium. Sane ſi medicari noſtris ultimis non valetis, ſaltem hoc efficite prece ſedula, ut ſanguis vivat, quorum eſt moritura libertas, parate exulibus terram, capiendis redemptionem, viaticum peregrinaturis. Si murus noſter aperitur hoſtibus, non ſit veſter clauſus hoſpitibus.* Dum autem Sidonius precibus Deum, atque homines fatigabat, Ecdicius Comes, qui urbem tuebatur, multa egregia fortitudinis ſuæ documenta dedit, quippe quodam die cum duodeviginti equitibus urbe meridie egreſſus, tota ex mœnibus ſemirutis aſpectante civitate, medio campo aliquot Gotthorum millia, prætervectus hoſtes ſui numeri incertos, atque ad ſui conſpectum, nominiſque rumorem perterritos, noctu in proximum collem ſe ſubducere compulit, ac noviſſimi agminis aliquot occiſis, incolumis cum omnibus ſuis in urbem revertit, læto plauſu totius civitatis exceptus; cumque jam Zeno Auguſtus Conſul iterum ſine collega iniſſet, 475
privatis opibus publici ſpeciem contraxit exercitus, ac liberos hoſtium diſcurſus populationibus caſtigatis coërcuit; inde aliquot ſupervenientibus turmales cuneos ſtravit, vix binis, terniſve ex numero ſuorum deſideratis. Gotthi vero, ut cæſorum numerum præ pudore occulerent, quos nox ſepulturæ ſubtraxerat, abſciſſis capitibus reliquere, tanquam minoris indicii foret, dimiſiſſe truncatum, quam villis agnoſci crinitum. (121) Poſtquam autem, illuceſcente die, cognoverunt furtum ruinæ ſuæ crudeli vilitate patuiſſe, tum demum juſta mortuis magna feſtinatione ſolverunt, ac debitas exequias tribuerunt; (122) cum autem corpora undique plauſtris convecta jacerent, Ecdicio repente rurſus exterritis incumbente, raptim ſuccenſis domibus incluſerunt ac regalibus culminum ſuperlabentium fragmentis operuerunt. Has res paucis Jordanes in hiſtoria attigit, Sidonius vero in epiſtola ad ipſum Ecdicium ſcripta, multis explicuit. (123) Ad extremum Ecdicius, urbe hoſtium multitudine circunfuſa, ac magna ex parte mœnibus nudata, cum tuendæ facultatem non haberet, ultro tradidit, (124) atque ad loca tutiora ſe contulit, quod audiens Nepos Auguſtus, ipſum ad ſe vocavit, ac Patricium deſignavit: (unde ad Papianillam Ecdicii ſororem Sidonius ſcripſit: *Hæc ſancte Julius Nepos armis pariter ſummus Auguſtus & moribus, quod deceſſoris ſui Anthemii fidem fratris tui Ecdicii ſudoribus obligatam, quo citerior, hoc laudabilior, abſolvit; ſiquidem iſte complevit, quod ille ſæpiſſime pollicebatur*) atque in Galliam Oreſtem Magiſtrum militum, & Patricium miſit. Erat autem Oreſtes genere Gotthus, ac Gotthicorum auxiliorum in Italia Comes, magnam ob multas res bene geſtas in re militari auctoritatem adeptus, quare novis dignitatum inſignibus auctus ſubito à Nepote adverſus Euricum, ne tota ab eo Gallia pelleretur, eſt deſtinatus. Ille vero contra Nepotis imbecillitatem, ac poteſtatem ſuam extraordinariam conſpicatus, eodem, quo ceteri barbari,

(121) Gothorum quippe Gens comam alebat pendulam ab aure, priſco more Thracum, Scytharumque, ex Procop. lib. 4. de Bell. Goth., Jornand. de Reb. Get., unde Acrocomæ dicti. L. Prudent. l. 2, & Caſſiodor. ep. 49. l. 4., apud quem Theodoricus *Univerſis provincialibus, & capillatis* ſcribit.

(122) Jornand. de Reb. Get 4. celebratas à Gothis deſcribit exequias dicens: *Quumque diutiùs exploratum, ut viris fortibus mos eſt, inter denſiſſima cadavera reperiſſent, cantibus honoratum, inimicis ſpectantibus, abſtulerunt. Videres Gothorum globos diſſonis vocibus confragoſos adhuc inter bella furentia, funeri reddidiſſe culturam, fundebantur lachrymæ, ſed quæ viris fortibus impendi ſolent*, & cet.

(123) L. ep. 3. l. 3. Virtutem vero Ecdicii præter Sidon., & Jorn., Gregorius quoque Arvernenſis l. 2. Hiſt. c. 24. memorat.

(124) Arvernum per deditionem Eurico traditum (quod ignoraſſe videtur Jornandes de Reb. Get. 45.) apertè teſtatur Sidon. ep. ad Græc. 6. l. 7. Valdè autem hallucinantur Scriptores ii, qui referunt deditionem hanc ad an. 474. *Oreſtes* enim *ſuſcepto exercitu, & contrà hoſtes egrediens, Roma Ravennam pervenit, ibique remoratus, Auguſtulum filium ſuum Imperatorem effecit*, inquit Jornan. l. c., quæ an. 475. evenere: atqui Oreſtes in locum Ecdicii Magiſter militum à Nepote Imp. creatus fuit, cum Arvernum Viſigothis tradi juſſit. Arvernum igitur prioribus hujus anni menſibus deditum. Poſt id autem temporis Viſigothorum Regnum clauſum eſt Ligeri, Oceano, Pyrenæis montibus, & Rhodano,

bari, perfidiæ morbo cœpit agitari, eademque Imperii occupandi libidine conflictari; itaque Gotthos, qui præsidio Italiæ erant, tertia agrorum parte promissa illectos ad omnia secum audenda incendit, & cum iis Roma profectus se in Galliam adversus Gotthos contendere simulavit; postquam autem Ravennam pervenit, urbem officii caussa ingressus, Nepotem ipsum imparatum, atque ab insidiis ejus incautum V. Kalen. Septembris ejecit, ac paucis post diebus, nempe pridie Kal. Novembris, filium suum Romulum (125) Momyllum, adhuc puerum, Imperatorem, exercitu suffragante, levavit. Nepos autem non minus consilii, quam auxilii inops, spe Imperii retinendi, aut recuperandi prorsus abjecta, Salonam in Dalmatiam se recepit, ubi Glycerius nuper Imperator Episcopatum administrabat. Ita Augusta Imperii dignitas, dum ruit ad interitum, antequam efferretur, per dolum, atque insidias ad barbari ditionem, potestatemque pervenit, credo, ut ex summis fiore loco præcipitata, minore eum doloris, atque acerbitatis sensu periret.

## MOMYLLUS AUGUSTUS IMP.

TUrbato antem in hunc modum Occidente, atque ad præsens exitium prope fatali quadam necessitate ruente, haud dissimiles in Oriente quoque tumultus exorsi sunt. Basiliscus enim, mortuo Leone puero Augusto, (126) Zenonem despiciens, collecta valida satellitum manu, seditionem adversus eum in urbe Constantinopoli concitavit, cujus rei subita formidine Zeno perculsus, ad Isauros se contulit, (127) atque ibi arcem tuendæ salutis gratia occupavit. Basilisens autem urbe potitus, cum se Augustum declarandum curasset, (128) Marcum filium Cæsarem appellavit. Hoc ad Imperii culmen evecto, iterum Eutychianæ hæreseos caussa Ecclesia perturbata est; ut enim Basiliscus à Calcedonensi Concilio erat aversus, sic omnes ejus fautores est persequutus; quamobrem Timotheum Solofaciolum, qui jampridem Ecclesiam Alexandrinam in Catholica disciplina, & Chalcedonensis auctoritate Concilii continuerat, Ecclesia pepulit, atque ei Timotheum Ælurum (129) dudum propter perfidiam Eutychianam expulsum suffecit, quin etiam litteras ad Episcopos (130) Asiæ misit, jubens, ut Leonis Pontificis insignem de duabus Christi naturis Decisionem, & Chalcedonensia decreta damnarent, quibus litteris plerique Asiæ Episcopi subscripsere. Acacio inde Episcopo Constantinopolitano hoc factum acriter increpante, ac Monachorum ordinem adversus Basiliscum solicitante, magnopere Basiliscus extimuit, ac litteras alteras prioribus prorsus contrarias scripsit.
Basilisco antem Augusto iterum, & Arma- 476
to Consulibus, incendio in urbe coorto, quo major ipsius pars deflagravit, Senatus, invidia ejus in Basiliscum conjecta, occultis nunciis Zenonem ex Isauria revocavit, (131) qui propere cum validissimo exercitu reversus, atque urbem ingressus, Basiliscum, qui in Ecclesiam salutis caussa confugerat, intercepit, atque Imperii insignibus detractis, in Cappadociam relegavit, (132) atque ibi trucidandum curavit: cujus nece audita, con-

(125) Ita Evagrius appellat; Momylllum Cassiodorus; Augustulum Auctor Chr. a Cuspiniano edit., & Historici dicunt. In nummis autem modo Augustus, modo Augustulus, uti ex Ducangio in Famil. Augg. Byzant p. 81. Clarius loquitur Anonymus Valesianus dicens: *factus est Imperator Augustulus. Augustulus, qui ante Regnum Romulus à Parentibus vocabatur*, & cet.

(126) An. sc. 474., *undecimo sui Consulatus* (eodem anno initi) *mense*, ut Auctor Chr. Alex., cui suffragatur Theophanes, an. Incarnat. secund. Alex. 466, qui Kal. Sept. an. Chr. 473 exorditur, nisi quod is decem tantummodo menses numerat, cum undecim fuerint, ut ex superius dictis liquet; quibus addendum testimonium Joannis Malalæ in Chr. plane conforme Chron. Alexandrino, nisi quod Joannes anno æt. septimo Leonem jun. obiisse notat, nisi error in textum irrepserit.

(127) Hunc fugientem Ariadna Aug. *sub hyemis discrimine navali itinere* secuta est, ex Vict. Tur. in Chr. L. Auct. Chr. Alex., unde emendandus Theophanes ad an. Incarnat. secund. Alex. 467., qui Kal. Septemb. an. Chr. 474. inchoatur, in Syriam eum fugisse tradens.

(128) Non quidem hoc anno, sed sequentis initio; Lex enim 28. Cod. Justin., de jure dotium titulum exhibet: *Zeno Aug. Æliano Præfecto Præt.*, data *Kal. Jan.*, *Basilisco, & Armatio Coss* Præterea *menses viginti* tantùm Imperium occupavit, ex Chron. Victoris Tunonens., & ex Procop. l. 1. Bell. Vandal. 7., & Anonymo Valesiano, qui numerat annos duos, utrumque tamen incompletos: atqui an. 477. Basiliscus a Zenone dejectus Imperio, teste Auct. Chr. Alex. sub illius an. Coss., non igitur audiendus Theophanes in tres annos gesta hæc digerens, quæ duobus tantummodo evenere. *Basiliscus* autem Marcum filium suum Cæsarem crearat, ac post etiam Imperatorem, inquit Candidus l. 1. Histor., unde & Augustus dicitur in epist. Episcopor. Pseudo-Concil. Ephes. Basilisci curâ celebrati.

(129) Qui recte a Basilisco restitutus dicitur, ut Evagr. l. 3. 4., Theodor. Lector, l. 1., aliique testantur cum Auctore Breviculi Histor. Eutychianistar. Deceptus est itaque Baronius ad an. Chr. 476. contendens, a Zenone id factum, adeo ut Ælurus Constantinopoli fuisse ab Eminentiss. Cardin. dicatus, quando Basiliscus Imperium invasit. L. Auctor. Brevic c.

(130) Encyclicas Basilisci litteras V. ap. Evagr. l. 3. 4. Meminit & Liberatus in Breviar. 16. Impulsu Zenonidis uxoris impiam Sanctionem a Tyranno editam, testis est Theodor. Lect. l. 1. Subscripsere Timotheus Ælurus, Petrus Cnaphæus Pseudo-Episc. Antioch., Anastasius Jerosolymita, qui Juvenali successerat, & innumeri fere Episcopi ex Diœcesi præsertim Asiatica, ex Evagr. l. 3. 5. Quas deinde metu compulsus litteras dedit, Antiencyclicas vocatas, L. ap. eumd. l. 3. 7., in quibus Nestorio, atque Eutycheti dicitur anathema.

(131) Ex dictis Zeno restitutus Imperio an. 477. cum Basiliscus *omnibus ob ejus avaritiam, & aulicis, & militibus infensus esset*, inquit Procop. de bell. Vandal. l. 1. Idem testatur Theophan. an. Incarnat. secund. Alex. 469., ubi defectionem Armatii a Basilisco caussam fuisse prodit, ut Zeno recuperaret Imperium, qui pollicitus, se Armatium (ad Nicæam Bythiniæ occurrentem cum exercitu) Magistrum militum creaturum, ejusque filium Basiliscum Cæsarem renunciaturum, obtinuit, ut arma in Basiliscum tyrannum converteret. Zenoni auxiliatum esse Theodoricum Amalum Ennod. in panegyr. eidem dicto testatur.

(132) In Limnarum castrum Cappadociam Basiliscum amandatum, Theoph. cit. prodidit, *cum conjuge, & liberis, ubi conjecti sunt in turrim, ubi fame interiit Basiliscus, & uxor ejus, & liberi, eademque in Limnarum turri sepulti*.

A continuo Episcopi Asiæ sibi timere cœperunt, ac culpam deprecati ad fidem Chalcedonensem redierunt. Timotheo Æluro haud ita multo post mortuo, (133) Petrus Mongus clam in sedem subrepsit, cujus perfidia agnita, Zeno ipsum post loco movit, atque iterum Timotheum Solofaciolum subrogavit. Atque hæc quidem in Oriente. At vero in Gallia Euricus Rex, bello cum Romanis continuato, duas primarias urbes Arelate, & Massiliam occupavit, atque, omni usque ad Rhodanum Gallia in ditionem adducta, sedem Arelate locavit. In Italia vero Orestes, Imperatore filio constituto, ut se facilius adversus Gotthos, Burgundiones, & Francos Galliam incolentes B tueretur, fœdus cum Genserico Rege Africæ renovavit, atque Italiam in summa pace administrare pro arbitrio cœpit. Hoc vero ejus, ut immeritum, ocium subito perturbavit, non eorum aliquis, quos ipse jure suspectos habere tanquam vicinos Italiæ, potuit, sed quidam alius longe terrarum, quippe trans Danubium, positus. Hic vero fuit Odoacer Herulorum, & Turcilingorum regno potitus: (134) is fama rerum, quæ seditiose gererentur in Italia, percitus, vehementius ad illius cupiditatem exarsit, animum vero accendit, ac prope certa victoriæ fiducia incitavit primum ipse Imperator C Momyllus, cujus in magna populorum dissensione opes infirmissimas esse comperiebat, deinde Zeno, qui eodem tempore à Basilisco expulsus, omnes cogitationes, opesque suas merito ad recuperandum Orientem contulerat; accessit, quod ne ipse quidem Italiam prorsus, ut qui Orestis armiger fuerat, ignorabat. His igitur de caussis haud operosam fore victoriam, si de improviso cum paratissimo se intulisset exercitu, arbitratus, Herulos, Turcilingos, Scyros, ac Rugos interioris Germaniæ populos, qui nuper inter valida Attilæ sævientis auxilia fuerant, excitavit, ac magnorum spe præmiorum solicitatos haud ægre, ut sese in D eam sequerentur, induxit, ac diem ad profectionem præstituit. Quæ ubi vere novo advenit, cum his omnibus ex finibus egressus, Danubium trajecit, atque in Noricum penetravit. Erat tum in iis locis Severinus, (135) qui Noricorum appellatur Apostolus, jam inde ab Attilæ temporibus ex Oriente profectus, qui magnam opinionem apud omnes sanctæ habebat integritatis; ad hunc igitur Odoacer sacram benedictionem petiturus accessit; ceterum, cum, ea accepta, è cella Sancti viri pedem efferret, & caput inclinasset, ne superliminari ostii, (nam proceræ admodum staturæ erat,) allideret, hæc à divino vate verba accepit: Perge Odoacer in Italiam vilissimis nunc pellibus tectus, verum multis propediem pretiosa multa dilargiturus. Profectus inde, alacri animo ex Norico in Italiam per Alpes Tridentinas, ac fines Veronenses intravit, quod postquam Orestes non dubiis nunciis comperit, extemplo, quàm maximas potuit, ex Italia copias equitum, peditumque conscripsit, easque convenire ad Laudem in Liguria jussit. Ceterum Odoacer, hoste, qui transitum moraretur, in Venetia nullo reperto, protinus, trajecto Abdua, in Liguriam transiit, atque ad Laudem, ubi consedisse Orestem audiebat, castra convertit, atque eò sine conctatione progressus, summo ipsum certamine provocavit. Orestes autem, cum se & multitudine armatorum inferiorem esse, atque in dies magis à Gotthis deseri animadverteret, quod tertiam eis agrorum partem promissam non tradidisset, motis inde castris, Ticinum recessit, ibique se pro tempore, quoad potuit, confirmavit, tantam belli procellam murorum potius, quàm militum præsidio, subiturus. Quod postquam Odoacer persensit, ipsum propere insequutus, exercitum Ticinum adduxit, urbemque magnis viribus oppugnare instituit; neque ita multis post diebus, toto incumbente exercitu, ipsam cum Oreste in potestatem redegit, captamque militibus diripiendam concessit. Ex quo ut nova, sic miserabilis clarissimæ urbis est vastatio subsequuta, ut enim quisque divitiis excellere existimatus est, sic ad prædam maxime requisitus: inde, ut eosdem ad prodendas, si quas occuluissent, pecunias cogerent, alii tectis faces subjecerunt, alii ad necem dominos evocarunt, alii ad Episcopium nefaria sacri diripiendi thesauri inflammati libidine concurrerunt, atque opes Ecclesiæ è terra quoque, ubi absconditæ fuerant, eruerunt, Epiphanium Episcopum, quo plura daret, plura habere putantes: demum tanta clades illata, ut per multos ante annos oppidum nullum aut fœdius captum, aut miserabilius expugnatum sit, quippe, civibus passim aut servitute, aut morte multatis, urbs direpta una cum duobus Templis prope arsit incendio. Epiphanius vero cum in ceteris caritatis officiis se sanctissime gessit, tum inprimis germanam suam, ceterasque mulieres, quæ libidini hostili præcipue obnoxiæ videbantur, servitute exemit. His X. Kal. Se-

(133) Æluro in sedem suam restituto anni duo tribuuntur à Theoph., qui an. Incarnat. secund. Alex. 469, qui Kal. Sept. an. Chr. 476. incipit, ejus mortem tandem consignat Solophaciolus igitur an. 477. restitutus fuit Petro Moggo, qui sedem invaserat, depulso post 36. *dies Pontificatus*, ex cod. Theoph. L. de eod. Petro Liberat in Breviar. 16., & epistolam Acacii ad Simplicium, quæ inter illas ejusdem Pontif. reperitur.

(134) Recte h. anno, ut Marcellinus, Cassiodor, Marius Aventicens., & Chronogr. Cuspinian. in Chronicis, cui plane conformis est A. N. circa dies, & menses, quibus Rex Italiæ levatus Odoacer, occisus Orestes, ejusque frater.

(135) Cujus vitam Eugipius scripsir, quæ extat ap. Bolland., ad diem VIII Januar. Is, Attila defuncto, & utraque turbata Pannonia, E in Austriam venit, & apud Noricos, Evangelium propagavit. At non in Pannoniam superiorem, ubi Vienna cis Cetium montem sita, sed in Quadorum Regionem venit, Norico Ripensi, & Pannoniæ proximam, trans Danubium; nam in ejus vita, edit. Velserianæ, legitur Asturam Oppidulum venisse, *in vicinis Ripensis, & Pannoniarum partibus*. Eo autem oppido everso in Civitatem nomine *Favianis* venit, quæ erat non cis Cetium in Pannon. super, uti Vienna; sed trans eumdem montem in Norico Ripensi, ubi *Flavium* Plinius recenset inter alias Norici urbes. *L. Lambec. l. 2. Biblioth. Cæsar.* Ejusdem sacras exuvias, ut Sanctus ipse prædixerat vivens, pluries translatas, excepit tandem Regale Monasterium SS. Severini, & Sosii, Neapoli, ubi in vetustiori Templo adhuc coluntur.

Septembris gestis, Odoacer Rex Italiæ à suis est acclamatus, quo favore superbus inde Placentiam prodiit, atque ibi V. Kal. Orestem captivum, exercitu ipso inspectante, ac gratulante, occidit; tum in Momyllum Augustum intentus, motis castris, Ravennam contendere maturavit; cum autem illum metu exanimatum Romam recepisse se reperisset, pridie Nonas, Urbe in potestatem adducta, Paulum Orestis fratrem, qui relictus in præsidio fuerat, interfecit; dimisso inde per Italiam exercitu, omnes urbes, quæ Momylli studio deditæ suum aversabantur imperium, aut vi, aut metu, aut benevolentia suæ ditioni adjunxit, ex quibus, quoniam, ut inquit Diaconus, multæ, extinctis habitatoribus, (136) ad solum usque eversæ sunt, fit, ut ad suspicandum adducar, præcipue ipsam hac ruina Mutinam concidisse, quæque vesanum Attilæ furorem evaserat, eam Odoacris, eum pro Momyllo staret, molliorem effugere impetum nequivisse. Hujus certe, ut etiam finitimi Regii, nulla in sequentibus Gotthorum bellis memoria celebratur. Citeriore Italia ad auctoritatem, obsequiumque suum adducta, Romam inde accessit, atque urbem corona circundedit, ipsam, ni se dederet, expugnaturum denuncians; populus autem dira urbium aliarum calamitate edoctus, deditione repente facta, obviam extra urbem effusus ipsum magna hilaritate excepit, quod ubi vidit Momyllus, metu, ut in extremo vitæ periculo, consternatus, ut saluti suæ consuleret, purpuram statim deposuit, ac sese tandem infausto à patre sibi parato Imperio abdicavit, ac vita ab Odoacre hoc modo impetrata, (137) jussu ejus in Lucullanum Campaniæ castrum, tanquam in exilium, abiit. Atque his quidem variis, atque ancipitibus rerum, temporumque successibus Roma jam quartum post Christi annum quadringentesimum capta, Italiaque à barbaris firmo tandem possideri imperio cœpta est. Imperium autem Romanum, quod in Augusto initium sumpsit, in Augustulo, (sic enim Momyllus est appellatus,) finem accepit; (138) neque enim posthac hic titulus in Occidente, dum rerum potiti barbari sunt, est auditus.

# LIBER DECIMUSQUINTUS,

## *Qui regnum Herulorum in Italia continet.*

### ODOACER REX.

INstituenti mihi ea mandare litteris, quæ post Romanum extinctum Imperium, ac libertatem Italiæ miserando quodam quasi funere elatam in Occidentis partibus evenerunt, faciendum esse videtur, ut à re proposita parumper abscedam, & te iterum, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, appellem. Neque enim dubito, quin, cum ipse ad hunc locum legendo perveneris, quæ tua est erga solum Italicum caritas, nonnulla animi commotiuncula quatiaris, cum ex quibus in quæ clarissima hæc devenerit provincia, cogitaveris: indigne autem feres, ut opinor, primum terram illam, quæ tot annos amplissimi sedes Imperii, atque illustris domicilium gloriæ fuerat, ultimorum barbarorum ditioni, potestatique subjectam; deinde virtutem illam, quam nulla Pœnorum, Cimbrorum, ac Teutonum terrere quondam arma potuerant, afflictam demum, atque debilitatam. Sed, si recte sensus tuos novi, & præclaram istam animi indolem exploravi, multo vehementius etiam præstantem illius militiæ disciplinam, quæ sola formidini, atque excidio universæ barbariæ fuerat, corruptam, ac dissolutam quereris, ut qui totus in studium rei militaris insistens, nihil aliud quotidie mediteris, quàm ut veterem ejus laudem instaures, atque in usum præsentium, si res patiatur, bellorum producas, usque adeo ut hujus rei caussa summos viros, atque in hoc genere exercitatos tecum assidue habeas, & cum iis, quæ ex veteribus hauriri monumentis possunt, eliciens, egregie ad nostrorum temporum rationem traducas; haudquaquam ignarus, quibus ille se obstringere studiis debeat, qui summos à Pontifice Maximo, & Rege Catholico delatos militarium honorum, & Præfecturarum titulos gerat. Et, licet hæc tu mala omnium gravissima, atque acerbissima duxeris, mox tamen levia omnia, & quodam modo ferenda putabis, cum quæ clades hos casus proxime sint consequutæ, cognoveris. Neque enim his se finibus calamitates Italiæ tenuerunt, sed tristi illius fato longius, latiusque manarunt. Etenim tantam jacturam Imperii, & tantum artis bellicæ detrimentum misera

ruina

(136) Unde Gelasius in Andron. inquit: *Quid Tuscia, quid Æmilia, ceteræque Provinciæ, in quibus hominum pene nullus existit, ut bellica necessitate consumerentur?* Tot autem calamitates Italiæ, quas ab Herulis passa est, luget Sidon. l. 8. ep. 9. ad Lampridium dicens:

*Hic glaucis Erulus genis vagatur,*
*Imos Oceani colens recessus,*
*Algoso prope concolor profundo.*

(137) Præstat rem paucis perstrictam ab Anonymo Vales. adducere: *Superveniente Odoacre cum gente Sciyrorum, occidit Orestium in Placentia, & fratrem ejus Paulum ad Pinetas, foris Classem Ravennæ. Ingrediens autem Ravennam deposuit Aug. de Regno, cujus infantiæ misertus concessit ei sanguinem, & quia pulcher erat, donavit ei redditum sex millia solidos, & misit eum intra Campaniam cum parentibus suis libere vivere*, & cet.

(138) Marcell. in Chr. sub h. an. Coss. habet: *Hesperium Romanæ Gentis Imperium, quod septingentesimo Urbis conditæ anno primus Augustor. Octavianus Aug. tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit anno decessorum Regni Imperatorum DXXII. Gothorum dehinc Regibus Romam tenentibus.* Verum cum hoc anno annus Urbis millesimus ducentesimus vicesimus nonus, ut fert supputatio Varroniana, inchoëtur, ab instituto Imperio, anno nempe Urbis Conditæ DCCXI. ad ejus eversionem interfluxere anni DLX. ideo dicendum, Marcellinum (sicuti & Jornandes fecit) supputationem à Varroniana diversam usurpasse.

ruina urbium , fœda vastatio agrorum , ac lacrymabilis Italicæ extinctio prolis excepit , quæ spiritus illos , quos vix extremus terrarum olim ambitus ceperat , magna ex parte infregit , neque vero id omnino eorum , qui his post præfuerunt regionibus inclementia, sed naturali ipsius fortunæ potius inconstantia , quæ regionem illam , quam semel ad maximum in terris fastigium , gloriamve , admiranda quadam incolarum accedente virtute , provexerat , quasi tristi aliquo rerum humanarum ludibrio instituto fœdis omnibus servitutis, ac vastitatis exemplis afflixit . Verum ut tum divinæ voluntati sic patienti obviam ire non licuit, sic ne nunc quidem eam vocare in judicium libet , quamobrem, his querelis omissis, ad propositæ narrationem historiæ redeamus; unde præcipue egregiam horum conditionem temporum agnoscemus , quibus , sedente GREGORIO XIII. Pontifice Maximo , solida , ac perpetua pace , omnibus iterum artibus florente Italia , fruimur.

Imperio igitur post multas barbaricarum irruptionum , bellorumque procellas attrito tandem , atque ad extrema redacto, simul etiam florentissimum ipsum Imperatoris nomen exaruit, atque ut provincia una ex eo integra relicta erat Italia, sic ipsius quoque Italiæ nomine tota ferme se vis Imperii angustata conclusit . Etenim Odoacer , Momyllo Imperii dignitate se abdicare coacto, Occidentis dominationem ille quidem invasit, sed honesta Majestatis Augustalis verecundia captus , haudquaquam se Imperatorem, sed Regem tantùm Italiæ nominavit , atque Occidenti imperare nomine regio , sed sine purpura, cœpit. Inde consiliis agitatis regnum ad Imperii , pacisque conservationem ita formavit , in primis Gotthos, qui in Italiam erant jampridem à Valentiniano adversus terrores Hunnicos advocati, ad studium suum convertit, tertia agrorum parte , quam promissam ab Oreste obtinere non potuerant, persoluta. Italis nova tributa ad propulsandos externos hostes imposita. Romanis Senatus auctoritas , & Consulum dignitas ad feroces contundendos spiritus dempta; reliquis in rebus vetera Reipublicæ instituta , & Magistratuum jura, nominaque retenta, Ecclesiis, atque Episcopis suus honos servatus. Eurico Gotthorum Regi pars Galliæ ab Alpibus ad Rhodanum , quæ hucusque Romanorum in potestate fuerat , pacis habendæ caussa remissa , (1) & cum Gundobado Rege Burgundionum fœdus percussum , atque , his rebus actis , Basilio Præfecto Prætorio , ac Patricio, qui vices suas gereret, Romæ relicto , Ravennam repetiit , atque ibi instituto jam ab Augustis exemplo regni sedem locavit. Quas res ubi Zeno Imperator non dubia in Orientem deferente fama cognovit , usque adeo indigne tulit , ut nullam Imperii cum eo societatem sibi habendam esse statuerit, ex quo regnum Odoacris pro injusto est habitum, atque ipse tyranni potius , quàm Regis , famam obtinuit. Proximo inde anno , quem post Consulatum Basilisci , Armatique dixerunt , idem , ut 477
homo non insulsi erat in rebus administrandis ingenii, quæ præsenti obesse rerum statui possent , accurate contendit removere ; itaque, ut opportunum omnium animis metum incuteret, & populos insigni aliquo severitatis exemplo promptiores ad obsequendum efficeret , Brachilam Comitem imperium suum ratione aliqua detrectantem V. Idus Junias interfecit, quibus de rebus non solum metui , sed etiam coli ab Italicis , atque exteris cœpit. Quare Gensericus Rex Africæ in admirationem virtutis, & fortunæ illius adductus. Oratores ad eum de pace misit, atque illius impetrandæ gratia Siciliam ei tributario jure concessit . Interim Epiphanius Templa Ticini incensa restituere animo majore , quàm viribus , properavit, divino numine egregium ejus consilium in summis rerum necessariarum angustiis adjuvante ; nam præcipuo ab Odoacre Rege colebatur honore. Nitebant hoc tempore miraculis ossa Sanctorum Martyrum Vitalis, & Agricolæ , Bononiæ apud ædem S. Stephani sita, quæ res cum frequenti hominum sermone in Italia , Galliaque celebraretur , Namatium Arvernorum Episcopum, (2) eximiæ sanctitatis virum, impulit , ut novam à se constructam basilicam ornamentis ejusmodi honestare studuerit , itaque Presbyterum Bononiam, qui aliquid earum peteret, & ad se referret , legavit : ubi vero eum voti compotem sui factum ad quintum lapidem pervenisse audivit, continuo , civibus evocatis , cum crucibus , & cereis in earum occursum venerabundus processit , ac Presbytero monenti , ut oculis optatum tandem sanctarum reliquiarum fructum hauriret, honestam recusationem adhibuit, malle se fide, quàm oculis, niti adjiciens . Quod autem præcipuam tum omnibus incussit religionem, venientibus martyribus, obductis repente cœlo nubibus, largissimus imber effusus à sanctis tamen reliquiis sic abstinuit, ut ne jugeri quidem circum spacium gutta ulla tetigerit, mox, proce-

(1) Ita Procop. l. 1. Bell. Goth. 12. Jornandes addit l. de Reb. Get. 47. consilium Gensericj fuisse, *quatenus ipse Leonis , vel Zenonis insidias , quas contra eum direxerant , præcaveret, ut , Orientale Imperium Ostrogothæ , Occidentale vero Visigothæ vastarent* , sicque in utraque Republica hostibus decernentibus, ipse in Africa quietus regnaret . Errat vero Jornandes l. c. affirmans, Euricum Hispanias, Gallias, & Burgundiam subegisse . Procopii namque narratio Auct. N. suffragatur ; sic enim habet l. c. *Ubi illam* ( Galliam ) *Odoacer in Tyrannidem mutavit ; tunc Tyranni concessu , Galliam omnem ad Alpes usque , quibus Gallorum , ac Ligurum fines terminantur , Visigothi obtinuerunt* . Nisi intelligendus sit Jornandes de Hispaniarum , & Burgundiæ parte aliqua ab Eurico obtenta, quod verum.

(2) Per hæc tempora vivebat adhuc Sidonius Arvern Episc. imo & plures postea annos vixit , ut clare liquet ex epist. 12. l. 9. ad Orosium Hispanum , qui Poema ab illo petierat , ubi ait , se ex quo Episcopus renunciatus fuerat Poesi vale dixisse, subdens : *Insuper desidiæ nostræ verecundia comes ad hoc sententiam inclinat , ut me postquam in silentio decurri tres Olympiadas , tam pudeat novum poëma conficere , quam pigeat* . Cum autem Sidonius an. 473. Arvernensis Episc. creatus fuerit , ut alibi dictum , ad hæc usque tempora , & ulterius vitam protraxit . Illi successit Aprunculus , prædicente ante obitum Sidonio , ut Gregor. Tur. de Gest. Francor. l. 2. 23. Alia igitur tempora respicere hæc Reliquiar. SS. Vital., & Agricolæ translatio potest.

A cedentibus illis, pluvia quasi de industria prosequuta populum sic asperfit, ut prorsus gestatoribus ipsis pepercerit. Qua re animadversa, Namatius, Gratias tibi ago, Domine, inquit, & convocatis civibus Basilicam cum maxima religione, ac lætitia dedicavit, ut Gregorius Turonensis in libris de gloria martyrum prodidit. Ceterum has reliquias ex æde Sancti Stephani post in Basilicam Sancti Petri magna ex parte translatas, ac, longo deinde annorum spatio interposito, in cleri, ac populi Bononiensis ignorationem adductas GABRIEL PALÆOTUS Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, ac Bononiensis Episcopus, cum Basilicam illustriore, ac magnificentiore opere instauraret, B in Confessione sub Altari ipsius Sancti Vitalis invenit. Qua re vehementius ille pro summa sua pietate lætatus, re cum Gregorio Pontifice communicata, ex ejus auctoritate tantum bonum Civitati prodendum existimavit; itaque constituto Quadragesimalis jejunii die, præstantissimos viros, ac Principes civitatis, Pontificis fratrem, fratrisque filium, Præfectum urbis, Magistratus, & Senatores adhibuit, atque ipso astante Clero, orationem ad eos super hac re tempori aptissimam habuit, in qua de ipsorum gloria Martyrum, & venerandis eorum Reliquiis accuratius egit: qua perfecta, cum omnium, C qui audierant, animos sancta quadam Religione, ac pio visendi studio incendisset, demum lapidem tolli ab Altari mandavit, ac pretiosissimum hunc Ecclesiæ Bononiensis thesaurum aperuit, facultate omnibus nobis (nam & ego quoque ab illo accitus accesseram) intuendi concessa, erant autem ossa aliquot cum pannis sacro adhuc cruore, ut res docere videbatur, infectis. Quod quia, dum hanc partem historiæ edebam, evenit, res mihi digna visa est, quæ huic loco propter inclytam harum Reliquiarum antiquitatem intexeretur, sic enim priscis Scriptorum evolvendis monumentis comperiebam, (quod & ipse Cardinalis in sua oratione non prætermisit,) has Reliquias primum à D S. Ambrosio Mediolanensi Episcopo in solo Judæorum repertas, deinde à S. Paulino Nolano egregia cum laude commemoratas, tum à S. Namatio Arverno, ingenti animi studio expetitas, ut mirandum non sit, divino demum Numini placuisse, easdem ab eo potissimum Antistite ex obscuris ignorantiæ tenebris erui, quem nos videmus mirabiliter cum antiquissimo quoque Sacerdote prudentiæ, eruditionis, solertiæ, ac religionis laude, atque opinione certare. Eodem anno per quadraginta dies continuos Constantinopoli terra horrendo plane motu tentata est, quo pleraque ædificia publica, ac privata procubuerunt, ac ruinis magnam vim hominum oppresserunt. Præcipue VIII. Kal. Octobris (3) statua Theodosii Magni in Foro Tauri super cochlidem columnam posita corruit, duobus etiam fornicibus ejus Fori collapsis. Per eosdem dies corpus quoque S. Barnabæ in Cypro inventum est, (4) Evangelium S. Matthæi sua manu descriptum super pectore gestans, quæ res Cypri laudi usque adeo favit, ut propterea ea Ecclesia ad Metropolitanæ dignitatem evecta sit. (5) Eodem anno Childericus Rex Francorum (6) fines prolatare ditionis suæ in Gallia cupiens, bellum cum Odoacre Saxonum duce suscepit, quo, Saxonibus in fugam actis, ac cæsis, insulas, quas possidebant, ademit, ac demum, fœdere cum Odoacre percusso, communibus armis Alanos invasit, (7) eosque ex Galliæ finibus exturbavit, ex quo Francorum in Gallia opes auctiores factæ in dies metui vehementius cœptæ. Hæc scribit Gregorius Turonensis eo anno gesta esse, quo mense Septembri terra contremuit. Sequenti anno, quo Hillus (8) Consulatum in Oriente 478
gessit, Simplicius Pontifex novam Romanæ civitatis, atque adeo etiam Italiæ universæ quietem admirans, eamque constantem esse, ac perpetuam cupiens, Basilium Urbis Vicarium monuit, ut videret, ne, se hominem exeunte, propter novi Pontificis lectionem, ardentibus cupiditate summæ dignitatis hominibus, seditio aliqua moveretur, qua præsens Civitatis otium turbaretur, itaque Basilius Episcopos in Basilica Vaticana opportune à Pontifice in alios usus Ecclesiæ convocatos nactus, accedens sic dixit: *Quanquam studii nostri, & religionis interest, ut in Episcopatus electione concordia præcipue conservetur Ecclesiæ, ne per electionis occasionem status civitatis in dubium revocetur, tamen admonitione Beatissimi Papæ nostri Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis sub obtestatione scitis esse mandatum, ut propter illum strepitum, & venerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de* hac

(3) Horrendum illum diem VIII. Kal. Oct. Byzantii quotannis memorabant, ex Marcellino, qui tamen perperam differt in Consulatum Basilisci, an. 480. Diem vigesimum quintum Septemb, quo terræmotus cœpit, diserte memorat Theophanes an. Incarnat. secund. Alex. 470., qui Kal. Sept. h. Chr. anni exorditur, addens: *Invaluit terræmotus in adeo longum tempus, ut fætor ex eo erumpens Urbem invaserit.*

E (4) Corpus S. Barnabæ anno *post Consulatum* Longini II. inventum, tradit Vict. Tununenf. in Chron., qui juxta ejus supputandi modum est an. 488. Sigebert. in Chron. an. 489. consignat. Cedrenus refert ad an. 4. Zenonis. Nicephor. l. 16. 37., Anastasio Imperatore id evenisse prodidit. Sed cum certum sit, corpus S. Barnabæ detectum quo tempore Petrus Fullo Ecclesiam Antiochenam per tyrannidem administraret, id accidit inter annum 485., quo Sedem illam iterum invasit, & an. 488., quo è vivis excessit.

(5) Quoad controversiam diu agitatam inter Patriarcham Antiochenum, & Episcopum Cypri, cujus Ecclesia à priori independens declarata fuit, reperto ibidem Corpore S. Barnabæ, V. Lupum in Scholiis ad Concil. Ephes. p. 365.

(6) De Quo Gregor. Turon. l. 2. 19. Franci autem hi esse videntur ii, qui Cenomanensi Regulo subjecti erant, quorum meminit idem Turon. l. 2. 42.

(7) Hæc Auct. N. exscripsit à Gregor. ipso l. 2. 19., in cujus textu *Alanos* legi vult & Cointius an. 481. at Alanorum Regnum in Galliis cum Beorgo eorum Rege jam desierat ab an. 464., ut alibi dictum; unde rectissime legitur ap. Gregor. l. c. *Odovacrius cum Childerico fœdus iniit, Alamannosque* (non Alanosque) *qui partem Italiæ pervaserant* (parte scil. Italiæ deprædata, in Gallias ingressi erant) *subjugarunt*.

(8) In Oriente Consul sine Collega, cujus meminit Theophanes an. Incarnat. secund. Alex. 469., & Candidus dicens: *Illus cum Zenone conciliata amicitia Imperium eidem conciliare studuit*.

*hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione* (9) *cujuslibet celebretur electio*. A
Hæc constitutio quanquam fortasse in præseos civitatis concordiæ apta, tamen quia libertati Ecclesiæ officere videretur, ac nullius Episcopi subscriptione firmata reperiretur, post à Symmacho Pontifice est abrogata. Vix dum Martyris templum ab Epiphanio erat perfectum, cum alterius Ecclesiæ paries insigni columnarum ruina cecidit, quem cum reficere evestigio maturaret, factum est, ut opifices cum ingenti machina è templi tholo præcipitaverint; verum nemine eorum detrimentum corporis aliquod passo, res in religionem versa,
& sanctis Episcopi precibus attributa est. B
Eodem anno Gensericus Rex Africæ post Romanum Imperium diminutum, & religionem Catholicam laceratam vitæ suæ finem imposuit, (10) Honorico filio rege relicto; is initio regni magnam æquitatem, atque animi moderationem adhibuit, ac plane se à paterna abhorrere in colenda pietate ratione ostendit: siquidem Catholicos in locis etiam à patre interdictis conventus habere, & rogatu Zenonis Imperatoris Episcopum Carthagiois Catholicum creare concessit, qui per viginti quattuor annos nullus extiterat. (11) Eugenius magno Catholicorum plausu est declaratus, qui deinde usqueadeo integre, ac moderate se gessit, ut C
eximiam famam tulerit sanctitatis. Jampridem Orientalis Ecclesia nullis fatigata seditionibus quiescebat, cum, Zenone Augusto
479 (12) Consulatum sine collega gerente, more suo novo misceri tumultu sic cœpit, ut Occidentalem quoque in multos annos variis fluctibus agitarit; quippe Acacius Episcopus Constantioopolitanus certiorem Pontificem Simplicium fecit, Petrum Mongum, qui Ecclesia Alexandrina à Zenone fuerat deturbatus, perfidiæ Eutychianæ veneno esse imbutum, idque se certis testibus habere compertum. Addidit etiam Timotheus Alexandriæ Episcopus, eundem necis Proterii
Episcopi Alexandrini decessoris sui fuisse par- D
ticipem, quæ ubi Simplicius audiit, quanquam pro rei magnitudine stomacho vehementer exarsit, tamen nihil ultra processit, quàm ut eum à communione repelleret, dato spatio, quo, si vellet, ad saniora consilia se referret. Epiphanius, postquam templa restituit, ut cives quoque ad privatas domos resarciendas alliceret, ab Odoacre rege tributorum, quæ in fiscum referrentur, vacationem in quinquennium petiit, eamque facile impetravit. Odoacer autem odium adversus Romanos ita mitigavit, ut Consulem civitati, atque Occidenti reddiderit, is honos
Basilio (13) delatus est, quem Magistratum 480
ille proximo anno solus gessit, qui fuit à Christo nato quadringentesimus octogesimus. Eo vero anno Simplicius Pontifex comperto, Petrum Mongum haudquaquam erroris sui pœnitentia duci, lata demum sententia condemnavit. Odoacri interim Regi ab armis in Italia quiescenti levis belli in Dalmatia gerendi est materia præbita. Sextus agebatur annus, (14) cum Julius Nepos, qui Imperium in Occidente renuerat, in Dalmatia Odoacris provincia quietus, atque ab omnibus popularibus procellis remotus degebat, Odoacre non solum non adversante, sed etiam saluti ejus diligentissime consuleote. Ne vero hoc ille otio diutius frueretur, nefaria quorundam hominum improbitate perfectum est; siquidem Viator, & Ovida Comites privatis, ut puto, odiis, ac simultatibus inflammati insidias illi fecerunt, atque in villa sua quiescenti vitam eripuerunt. Hanc igitur necem ut indignam, & ne in humilia quidem fortunæ homine tolerandam Odoacer acerbo usque adeo animo tulit, ut
sequenti anno, in quem Placidum Consu- 481
lem declaravit, militarem adversus eos manum miserit, quo facto, cum eorum utrumque armis oppressit, tum ultimum de Ovida supplicium sumpsit. Pelagius Præfectus Prætorio possessoribus Liguriæ tributa coëmptionum gratia duplicavit, qua de re populi anxii, ut qui gravissimo onere tempore alienissimo premerentur, capita contulerunt, ac, re agitata, Epiphanium Ravennam ad Regem Odoacrem miserunt, ac per eum ejusmodi remissionem oneris consequuti sunt. Eodem etiam anno in Gallia viri duo insignes obiere, Egidius Rex Suessionum, (15) & Childericus Francorum,

(9) Basilii ausus hac in re satis compescuit Romana Synodus sub Symmacho P. an. 499., ubi præter decretum de tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis, statutum etiam, ut ille Apostolicæ Sedis consectaretur Episcopus, qui Ecclesiastici Ordinis suffragiis esset electus. Sollemniur autem Basilii decreta in III. R. Synodo sub eod. Symmacho P. improbata, an. Chr. 502. V. ejusd. Acta, c. 12.

(10) Die 24. mensis Januar. an. præced.; occupavit quippe Carthaginem, an. 439. die 19. Octobr. (ut superius dictum) qui Genserici primus in Africa fuit: Atqui Vict. Vit. l. 1. de Persecut. Africana in fin. testis est, eum E post occupatam Carthag., *annos* 37. vixisse, & *menses III.*, quibus suffragatur Auctor Fragmenti Augustani (in Append. Chr. Prosperi) addens dies sex; proinde obiisse dicendus an. 477. die 24. Januar., hinc quando Procop. l. 1. de Bell. Vandal. 7. ait, Gensericum, capta Carth., annos triginta novem regnasse, annos tantum Julianos intelligit, quos numerat incompletos utrimque.

(11) Ita Vict. Vitens. l. 2. de Persecut. Afric. At Deogratias Episc. Carthag. cum obierit an. 455., quo mortuo Ecclesia illa sine Præsule fuit usque ad an. 479., quo creatus Eugenius, eodem igitur anno finem habuere viginti quatuor à Victore numerati, quando, Zenone, & Placidia rogantibus, Hunnericus Catholicum Episcopum creari permisit. Repete quæ alibi dicta de anno mortis Episc. Deogratias, ex eod. Vict.

(12) Supple *tertium*, secundo namque Consul processit an. 475.

(13) Is *Basilius Junior* in Chron. Cassiodori, Mariani Scoti, & Marii Aventicensis dicitur, sicuti & in L. 21. de testamentis C. Justinian. Ex eadem porro Deciana familia Basilius alter an. D. 463. Consul processit. Junioris mentio in 3. Rom. Syn. sub Symmacho: eratque Præfectus P., & Patricius.

(14) Anonymus Valesianus ait, Salonæ mansisse *annos quinque*, & postea occisum Neporem; cum autem ex Auct. Chr. Cuspinian. *V. Kal. Sept.* fugatus fuerit in Dalmatiam, an. 475. Zenone A. II., & ex Marcellino aliunde in Chr. *Basilio solo Cos.*, currenti nempe an. necatus, recte sextus it ab A. N. dicitur annus. Anonymus autem cit. annos quinque solidos numeravit.

(15) Idacius in Chr., an. Abrah. 2480., qui Kal. Oct. an. D. 463. incipit, consignat Egidii mortem, eidem anno tribuens insignem solis defectionem, quam cum Petavius l. 8. de Doctr. Temp., p. 848. Constantinopoli contigisse, die Jul. 22. feria 2. an. 464., osten-

rum, (16) quorum ille Syagrium, hic Clodoveum filios nactus est successores. Clodovei inde illustris bello, paceque gloria haudquaquam ipsius se Galliæ finibus renuit, verum mox universam Europam latissime peragravit. In Italia, Episcopis Æmiliæ ab Ecclesiis Mediolanensi ad Ravennatis auctoritatem jampridem, Valentiniano Urbis ejus dignitati favente, traductis, Joannes Archiepiscopus majores justo gerere spiritus cœperat; itaque postero anno, qui Tracondum, & Se-
482 verinum Consules habuit, (17) eò vecordiæ processit, ut Gregorium quendam invitum Episcopum Mutinensem, vi ad se attractum, sacrare, licet sacris legibus omnibus refragantibus, ausus sit: quod ut audiit Simplicius Pontifex, homo veteris disciplinæ retinentissimus, III. Kalendas Junii (18) ad eum ita scripsit, ut ad gravem objurgationem acerbam etiam, & Sedi Apostolicæ convenientem comminationem adjecerit: *Denunciamus*, inquiens, *si posthac quidquam tale præsumpseris, & aliquem seu Episcopum, seu Presbyterum, seu Diaconum invitum facere decreveris, ordinationes tibi Ravennatis, aut Æmiliensis Ecclesiæ ademptum iri*, ac rationem mollioris suæ sententiæ per Projectum Forocorneliensem Episcopum ei edi jussit. Per eosdem etiam dies idem multa in Urbe præclara instituit; nam & Basilicam S. Stephani Protomartyris, & S. Andreæ Apostoli dedicavit, & septenos Presbyteros ad Basilicas S. Petri, S. Pauli, & S. Laurentii collocavit, ut invicem Pœnitentiam, Baptismumque poscentibus inservirent: quin etiam Presbyteros in Basilicas quinque divisit; unde regiones quinque sunt factæ, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ majoris. Alexandriæ Timotheo Episcopo mortuo, Joannes Tabennesiodes (19) suffragio populi locum adeptus est, quod ubi Zeno accepit, offensus eo, quod ille jurejurando (20) se nunquam in ejus locum petiturum esse, sibi promiserat, illum sede dejecit, atque epistolam ad Alexandrinos de componenda inter se concordia misit, quam Henoticum appellavit, (21) Petrum Mongum restitui jubens, si hanc epistolam cum Chalcedonensi Concilio recepisset. (22) Joannes autem pulsus ad Simplicium Romam confugit, se idcirco exactum conquerens, quod Concilium Chalcedonense defenderet, quare commotus Simplicius, Fausto jam Con- 483
sule, Zenonem per litteras objurgavit. Ille vero Joannem non ob eam caussam, quam præ se ferebat, sed quia fidem sibi datam violaverat, loco motum respondit, atque inde sexto Nonas Martias, (23) Pontificatu pro dignitate gesto, vita cessit. Cui Felix Tertius est substitutus. Jampridem Theodomiro Ostrogotthorum Regi mortuo filius Theodoricus Amalus successerat. (24) Juvenem summa virtute, magnisque opibus ad res

ostendat, & ipsemet Idacius dicat paulo post, obiisse Egidium, (quem *alii veneno, alii insidiis* appetitum ferunt.) ad an. 465. ejusdem obitus referendus, Suessione, ut Aimoinus l. 1. 7., quo se receperat, ubi & filius Syagrius successor sedem Regni, seu Præfecturæ constituit, ut inquit Auct. de Gest. Reg. Francor. 8. quamvis Egidio defuncto, Gothus invasisse Regiones, quas Romano nomine tutius fuerat, Idacius ipse refertur, eum annos septem rexisse præfatus Comes.

(16) Postquam regnasset annos 24., ut ex Anonym. in Gest. Reg. Francor. 9., Aimoino l. 1. 12. & Roricone l. 1. liquet, quibus aliquot menses addendi, quod constat ex alibi dictis de init. Regni ejusdem. Is Tornaci, Regalis Urbis, sepultus est Ethnico ritu, cum multis præterea ornamentis, numismatis, gladio, annulo, & cet., de quibus *L. Anastasim Childerici Regis*, Jacobi Chiffletii. Ex hoc autem anno Clodovei regnantis initium desumendum.

(17) Trocondus in Oriente creatus, frater Illi nuper Consulis Ordinarii, ex Theoph. p. 112., ubi male Trobundum dicit. Severinus Junior dictus à Mario Aventicensi, Consul Occident., ex eadem fane familia, qua Severinus an. 461. Consul.

(18) *X. Kal. Jul.* restitue. Ex laudatis Simplicii verbis commeorum nosce, quo per Valentinianum Imp. aucta jura, & Diœcesim Ravennatensis Ecclesiæ dicitur. Jussit insuper S. Pontifex his literis, ut eidem Gregorio triginta solidorum reddituum possessionem, ad Ravennatem Ecclesiam pertinentem, dum viveret, persolveret.

(19) Ita dictus, quod esset ex Tabennansibus Monachis, qui apud Canopum Monasterium habitabant; sed & *Talaja* quoque dicitur à Liberato, in Brev. 17. Quo autem anno ordinatus fuerit Episcopus Alex., non ex Vict. Tunonensi in Chr. addiscendum, qui anno post Consulat. Zenonis III., Chr. fe. 480. Timotheum Joannis Prædecessorem obiisse tradit; at ex Theophane ad an. secund. Alex. 473., & 474., quorum posterior Kal. Sept. an. D. 481. incipit, quo obiit Timotheus, cui successit Joannes vel sub finem 481., vel initio currentis.

(20) Acacii impulsu motus fuit Zeno Imp., ut Joannem locomovendum curaret; tria enim opponebat Acacius, quod Synodicas ad ipsum literas de sua Ordinatione non dederat; item quod, vivente Timotheo, secessum ab Ecclesia meditatus fuisset, eique suscipiendi in Ecclesiæ Dyptichis Dioscori auctor fuisset: tertium verò, quod se obstrinxerat jurisjurandi religione, ut A. N. narrat. L. Liberat. in Breviar. 17. Addit Evagrius, Joannem, data quoque pecunia, Episcopum Alex. creatum, l. 3. 12., de quo tamen crimine altum ap. alios silentium. Rem omnem detulit Simplicio R. P. Imperator missis literis per Uranium Subadjuvam, responsum L. inter Simplicii epp. 17.

(21) Sive *Unitivum* Edictum, Acacio certe vel suadente, vel dictante editum, ad Ægypt. Diœceseos Episcopos, Monachos, Plebemque Christianam directum, perpetuo tamen detestandum variis capitibus. Malesanum namque consilium fuit, Fidei negotiis laicas admovere manus: Synodum Oecumenicam impetere, Chalcedonensem sc., & S. Leonis epistolam data opera tacitus præterire: hæreticos communione donare: ly *ex duabus*, & *in duabus naturis*, unde jugulabatur Eutychiana perfidia, non memorare. Debuisset Zeno factum Valentiniani Imp. potius imitari, quod refertur a Sozom. l. 6. 7., renuentis Fidei causis, quæ ad Ecclesiasticos Judices spectant, se ingerere.

(22) Ex Liber. l. c. 18., & Evagr. l. 3. 22. Petrus Mongus mentiebatur, se Chalced. Syn. recipere, & ep. S. Leonis; at Alexandrinis Dioscori fautoribus se hostem exhibebat ejusd. Conc., qualis revera erat internus, unde actus quoque furiis Joannis Episcopi Magileos, & Archimandritarum interioris Ægypti, ejusdem farinæ, & Synodum ipsam, & S. Leonis Epistolam temerario ausu anathemate confixit.

(23) Ita Anastasius, postquam sedisset *annos quindecim*, & aliquot dies, non autem menses quinque, ut Baron. in h. an., vel undecim ut Papebrochius. Repete quæ supra de an. mortis Hilari dicta. Interpontificium autem duravit dies quinque ex Auct. Chron. Vit. Pontif. successitque Felix III.

(24) Qui patri defuncto, an. 475., successit, (ut alibi) matremque habuit Erelivam, Catholicam

Digitized by Google

res in Illyrico novandas instructum adeptus Zeno, ad amicitiam suam alliciendum est arbitratus, itaque ad se venire Constantinopolim jussum omni genere honoris excoluit; nam & inter Proceres sui Palatii retulit, & Magistrum præsentis militiæ fecit, (25) & filium adoptatum insuper statua equestri ænea ante Palatium posita decoravit; quinetiam Ripensi Dacia, Mœsiæque parte donatum in posterum annum Consulem designavit. Ita-
484 que Theodoricus proximo anno Consulatum Constanstantinopoli cum Venantio iniit, pacemque colere cum Romanis insignibus ornatus beneficiis, honoribusque instituit. Seditionem inde in Orientali Ecclesia sævientem graviore tumultu Acacius Episcopus Constantinopolitanus incendit, defectione ob levitatem à Catholicis inita, ac Petro Mongo in communionem recepto. Qua de re Felix Pontifex à Joanne Tabennesiode admonitus rem haud sibi contemnendam existimavit, ac protinus, Concilio in Vaticanam Basilicam convocato, (26) Petrum, Acaciumque tanquam ejusdem criminis reos, piorum communione removit, quæ res inde per multos annos materiam seditionum prope inexpiabilium aluit. Per eosdem dies Ecclesia Catholica alterum etiam, & quidem atrocius ab Honorico in Africa Rege accepit vulnus. Is, pristina comitate deposita, acrem demum hostem se Catholicis prodidit; (27) siquidem die Ascensionis Edictũ atrocissimum Eugenio Carthaginis Episcopo legendum in media Ecclesia dedit: *Honoricus Rex Vandalorum, & Alanorum universis Episcopis homousianis. Non semel, sed sæpius constat esse prohibitum, ne in Sortibus Vandalorum Sacerdotes vestri conventus celebrarent; ne sua seditione animas subverterent Christianas. Quam rem spernentes plurimi nunc sunt reperti contra interdictum Missas in Sortibus Vandalorum facere, asserentes se integram regulam Christianæ, ac veræ fidei tenere.* Et *quia in provinciis à Deo nobis concessis scandalum esse nolumus, ideo Dei providentia cum consensu Sanctorum Episcoporum nostrorum hoc nos statuisse cognoscite, ut ad Kalendas Februarias primas, omni omissa formidinis excusatione, omnes Carthagini conveniatis, ut de ratione fidei cum nostris Episcopis decertetis, ac fidem homousianorum, quam defenditis, diversis scripturis proprie confirmetis, quo possit agnosci, num integram fidem teneatis. Hujus autem Edicti tenorem universis Coepiscopis tuis per universam Africam constitutis direximus. Datum XIII. Kalendas Junias, anno septimo Honorici.* Hoc Edicto recitato, omnium, qui aderant, Catholicorum animos subito pavor ingens oppressit, magnum aut vitæ, aut religioni suæ discrimen imminere videntium. Ex quo mox recreatus Eugenius intulit, hoc idem transmarinis item Episcopis, qui secum una religione, ac communione devincti essent, oportere indici. Cui ille respondit, si universum mihi terrarum Orbem subjeceris, tum demum explebo, quod postulasti. Ubi vero Kalendæ Februa-
riæ venere, quæ, Consule Symmacho in 485
Oriente, fuere, Catholici ex Regis Edicto in locum ab Arrianis constiturum disputationis gratia coierunt: pro Arrianis Principem se gerebat Cyrillus, (28) qui se ultro Patriarcham vocabat. Eo vero criminante, Catholicos superbe illud sibi nominis ascivisse, Catholici percontari sunt, cur ipse Patriarchæ titulum usurparet? Tumultu autem orto, jussi sunt omnes, qui aderant, Catholici centenis fustigationibus cædi, Eusebio (29) incassum insignem sibi fieri injuriam eaclamante. Cum autem Cyrillus rogatus, ut referret, se Latine scire negasset, Catholici tabulas de fide sua scriptas ediderunt, quibus Arriani, clamore sublato, præbere aures noluerunt, ac regi Concilium strepitu à Catholicis interpellatum renunciarunt. Ob id Honoricus ira incensus, omnes uno die Catholicorum Ecclesias claudi jussit, atque omnia bona Episcoporum Catholicorum suis donavit, & omnibus eos urbibus expulit, ac sacra ministrare prohibuit, ac demum VI. Kal. Martias (30) hæc universa, novo edicto proposito, sanxit. Inde cunctos ve-

licam fœminam, vel Erelievem, ut Jornandes vocat l. de Reb. Get, quique secundis nuptiis Audefledam, Clodovei Francorum Regis filiam duxit, ex eod. Jorn. l. c. 58., apud quem ejus Familiam L., & Procop. l. 1. Bell. Goth. 12.

(25) Fuit Magister militum Præsentium, seu Præsentalis, cujus erat munus in procinctu, seu comitatu Principis esse, & cet. Vide Nmis. Imp. Quæ narrat A. N. à Marcellino desumpsit in Chron. sub h an Coss., cujus tamen verba de Regno Theodorici perperam à quibusdam accipiuntur, de cujus initio inferius; in Fastis porro, Actisque publicis, ejus Consulatu notatis, Rex nullatenus dicitur.

(26) Duplex R. Synodus habita pro Acacii damnatione, perperam obluctantis Felicis Papæ sacris jussionibus, quarum primam currenti an. celebratam fuse illustrat Baron., alteram vero an. 485., quam A. N. compertam habuit, & Pagius ad an. 484. à Valesio detectam scribit. Turbas ab Acacio excitatas L. ap. Liberat. Brev. 18., & V. epp. Felicis III.

(27) Ex Victore enim Vit. c. 19. Hunericus primò in Manichæos, & in Arianos *per quinque annos vel amplius* sævilt; furorem deinde in Orthodoxos convertit, promulgato Edicto, quod missum fuit die decima nona Maji, ut legeretur die vicesima ejusdem mensis, seu postridie Ascensionis, cum datum dicatur sub die XIII. Kal. Jun. Victor initium hujus Persecutionis narrat dicens, *Episcopos, Presbyteros, & alia Ecclesiæ membra, idest quatuor millia nongenta sexaginta sex in exilium eremi* fuisse ab Hunerico destinatos.

(28) Cyrola dicitur à Gregor Tur. l. 2. 3., qui cum Arianos suos imbelles agnosceret, ut adversus Catholicos doctrina, & facundia præstantes pugnarent, Collationem declinavit, astu exprobrans Orthodoxis Episcopis, quod tumultus excitantes, conferre detrectassent. De ementito miraculo Cyrolæ L. eumdem Turonens., ut hominis Ariani noscas ingenium.

(29) Lege *Eugenio*, quem superius diximus renunciatum Carthaginensem Episcopum.

(30) Primo namque edicto, an. superiori emisso, præceperat, ut *ad Kal Februar. anni octavi Regni nostri sine motu aliquo convenirent* Catholici, qui annus octavus mense Januario currentis inchoatur. Alterum hoc edictum editum VI. Kal. Mart., ipso sc. intercalari die, cujus infelix omen esse putabatur, ut alibi dictum ex Amm. l. 26., unde & Diocletianus an. 303. persecutionem in Christianos movere cœpit ominoso die Terminalium, *quæ sunt ad septimum Kal. Mart., ut quasi terminus imponeretur huic religioni*, teste Lactant. l. de Mortib. Persecutor. 12. De hac Persecur. L. Victor. Vit. ab A. N. cit. l. 4., & 5., Procop. l. 1. Bell. Vandal. 8., ubi Martyres quosdam elingues locutos adhuc fuisse narrat.

vestibus exutos, ac nudos frustra extra urbem auxilium ac misericordiam implorantes sessoribus in equos impositis obterendos objecit, ex quibus, qui incolumes evaserunt, in unam ædem coactis ita se salutem daturum ostendit, si fidem Arrianam suscepissent, quod illi insigni constantiæ, fideique exemplo repudiarunt. Pœnæ inde, mulctæque acerbissimæ ceteris omnium ordinum hominibus irrogatæ, qui intra Kal. Junias Arrianam religionem non ascivissent, quo pacto infinita hominum multitudo, dimissis per Africam tortoribus, aut fustibus, aut suspendio, aut ferro, aut igne necati sunt, præcipue autem convertêre oculos nobiles matronæ nudatæ, atque, inspectante populo, tortæ, virique nonnulli, quorum alios cernere erat sine manibus, alios sine pedibus, quosdam oculis erutis, quosdam linguis evulsis, partim naribus, auribusque defectis, partim spatulis nimio suspendio vulsis, caput, quod eminere solebat, in medio scapularum habere demersum, dum in altis ædibus suspendio cruciati, agitatis funibus, per aërem errantes inanem penderent, ex quibus nonnulli, disruptis funibus, ex illa altitudine procidentes, aut cerebrum cum oculis affixerunt, aut confractis ossibus vel subito, vel post paululum expirarunt. Singulorum nomina apud Victorem extant descripta. Eorum aliquot se vidisse Constantinopoli refert Procopius post recisas linguas pristino eloquio restitutos. Nec multis post diebus Honoricus, dum acerbitatem odii sui inaudita adversus Catholicos crudelitate inflammat, vermibus scatens, misere vitam amisit, (31) ac regnum Gundamundo Genzonis fratris filio tradidit, qui, teste Procopio, Catholicos asperioribus porro vexare suppliciis institit. Eo anno (32) Clodoveus Rex Francorum ad dignitatem suam pertinere arbitratus, ut imperium à majoribus in Gallia partum amplificaret, primum Romanos sibi appetendos duxit, quibus emotis, haud magni fore momenti putavit, Gotthos & Burgundiones, ceterosque, qui Galliam invaserant, exturbare. Itaque, Chararico, & Ragnachario (33) propinquis suis Francorum regulis ad belli societatem allectis, adversus Syagrium Romano in oppido Suessione sedentem movit, ac, campo ad conferendam manum destinato, ipsum prælio provocavit. Syagrius haudquaquam tanta in se ruente mole perterritus, ultro cum suis in aciem prodiit, &, collatis cum eo signis, fortissime dimicavit: ad extremum, cum hostis impetum sustinere non posset, in fugam actus Tolosam ad Alaricum Gotthorum regem, qui paulo ante Eurico fratri successerat, ut ab eo servaretur, se contulit. Quo cognito, Clodoveus integræ victoriæ cupidus, legatis propere missis, Alarico denunciavit, ut sibi Syagrium traderet; ni parêret, arma se illaturum ostendit: ob id Alaricus armati regis iracundiam veritus, Syagrium dedidit, quem Clodoveus ad capitale supplicium abstrahi jussit, ac Suessione, ceterisque ejus oppidis in fidem acceptis, regni fines usque ad Ligerim prolatavit. (34) Eo in bello multæ Ecclesiæ fœda à Francis populatione direptæ sunt; præcipue Episcopo cuidam urceus mirificæ magnitudinis, ac pulchritudinis cum reliquis Ecclesiasticis ornamentis ereptus est; quod damnum ille graviter ferens, nuncio misso, urceum à Clodoveo repetiit. Clodoveus, nuncio se subsequi jusso, Suessionem adiit, atque exposita in medio præda, petiit à militibus, ut illum sibi urceum extra sortem concederent; cum ceteri & urceum, & cetera omnia ejus arbitrii, jurisque esse respondissent, unus præfractiore ingenio præditus, securi in illum impacta, dixit: Atqui tu nihil hinc accipies, quod sors non dederit, qua re commotus rex, iram tamen continuit, atque ultionem in tempus aliud reservavit. Eo in bello Chararicus ancipitis prælii eventum expectans, dubium se in acie sine certamine gessit. Atque hic quidem finis Romanorum Imperii fuit in Gallia, quam florente quondam populo præclara Q. Fabii primum, deinde C. Cæsaris victoria in potestatem, ditionemque redegerat. Interim Felix Pontifex certior factus, Acacium damnatum restitui cupere, Antistitum conventum adhibuit, atque Episcopos duos Vitalem, & Misenum legatos in Græciam destinavit, datis mandatis, ut, nisi Acacium, & Petrum à malis consiliis recepisse se comperissent, novo in eos judicio animadverterent. Hi, Cæcina, & Longo Consulibus, 484 (35) Zenonis jussu in itinere comprehensi litteris interceptis in custodiam dati sunt: dimissi inde cum Heracleam pervenissent, caussam tentati pecunia prodiderunt. Itaque Cyrillus Monasterii Insomnium præses litteris ad Felicem scriptis nimiam eorum tarditatem, ac segnitiem accusavit. Quibus lectis, Felix ad legatos misit, præcipiens, ne quid prius agerent, quàm cum Cyrillo loquuti

(31) Cum regnasset annos septem, mensibus decem, ut Vict. Vit. l. 5., & dies duodecim ex Anonymo Augustano; hinc rotundo numero loquitur Procop., dum annos octo Vandalis præfuisse tradit Hunericum. Malè autem Isidor. in Chron. annos septem, & menses quinque ejusdem Regno tribuit, qui & in eo lapsus est, quod obitum illius conferat in Æram DXIV., quæ incidit in an. Chr. 476. Extincto Honorico, in manus Gundamundi, cujus pater Genzo Gizerici filius fuerat, sceptrum Vandalorum devenit, inquit Procop. l. c. c. 8.

(32) Partam de Syagrio victoriam *anno quinto Regni* Clodovei consignat Gregor. Turon. l. 2. 27., cum autem Clodoveus ex alibi dictis an. 481. regnum inierit, ad an. Chr. 486. victoria hæc referenda.

(33) Prior apud Morinos sedem habebat, & adversus Syagrium à Clodoveo accitus, *eminus stetit, neutram adjuvans partem, sed eventum rei expectans, ut cui eveniret victoria, cum illo & amicitiam colligaret*, inquit Turon. l. 2. 41., subdens, Ragnacharium apud Camaracum regnasse.

(34) Clodovei enim Regno accessit Belgica prima; item Belgicæ secundæ pars, civitas nempe Metropolis Remorum, Urbes Suessionum, & Catuellaunorum, necnon Melduorum, & Tricassium in Provincia Lugdunensi quarta, seu Senonia, adjectis quibusdam pagis Lugdunensis primæ. Penetravit quoque Clodoveus ad Burgundionum usque confinia, ex eod. Turon. l. 2. 23. Vide Recentiores Rer. Francicar. Scriptores.

(35) Restitue *Decio, & Longino*; Prior ex Deciana familia: alter vero Imperatoris frater, de quo Marcellinus in Chron. sub Symm. Consulatu ait: *Longinus Zenonis frater Augusti post annalem custodiam, quam eidem Illus apud Isauriam inflixerat, ad germanum suum Constantinopolim advenit*; eodem enim Marcellino teste, anno 484. adversus Zenonem rebellavit.

quuti essent. Zenonem vero de observatione Chalcedonensis Concilii, & persequutione Catholicorum ab Honorico in Africa renovata edocuit. Legati ubi Constantinopolim pervenerunt, eum multis aliis in rebus ab officio decesserunt, tum inprimis, se præsentibus, Petri nomen ex tabulis Diptycis recitari more Ecclesiæ permiserunt, & communionem cum Acacio inierunt. Ob eam rem Zeno collecto animo Felici respondens, Petrum accurata oratione defendit, illum idcirco Ecclesiæ restitutum, quod jurejurando affirmasset, se à Nicænis decretis non discessurum. Acacius vero non ipse solum Petrum in communionem admisit, verum etiam aliis, ut idem facerent, auctor fuit. Legatis inde Romam re infecta reversis, Felix de rebus Acacii litteris Monachorum edoctus iterum Episcopos advocavit, &, cum legatos accepisse pecuniam comperisset, ex omnium sententia communione summovit, ex quibus Misenus peccatum suum diserte confessus, spatium poposcit ad probrum suum pœnitentia expiandum. In eodem etiam conventu Petrus, & Acacius iterum condemnari; litteræque ad Acacium de Miseni, & Vitalis, & ipsius cum Petro condemnatione sunt missæ, criminibus ejus (36) adversus Ecclesiam enarratis, ex quo exasperatus uterque, ille Chalcedonensi Concilio infestior evasit, hic vero eò vecordiæ processit, ut ipsius etiam Felicis, Romani Pontificis, ex Diptychis nomen exemerit. Quæ dum aguntur, opportune ad minuendam seditionem uterque eorum ex hac vita migravit; itaque Acacio Flavitas, (37) Athanasius Petro (38) est subrogatus, quorum Flavitas, cum fallaces item, atque incertæ fidei litteras ad Felicem misisset, & ipse post tres menses extinctus
487 est. Severino inde Boëtio (39) Consule, Euphemius (40) in ejus locum sublectus, infausto decessorum exemplo deterritus, ut Sacerdotium iniit, manibus suis Petri nomen ex Diptychis sustulit, ac pro eo Felicem reposuit, & recepto more Synodicam ad Pontificem misit; itaque à Felice, tamquam Orthodoxus, acceptus est ille quidem, verum in communionem Episcoporum non admissus, quod Acacii, & Flavitæ nomina in Diptychis reliquisset, quæ res atrociores inde seditionum fluctus excivit, quod Ecclesia Occidentalis Orientalem in communionem recipere nollet, nisi Petrum, & Acacium, licet jam vita functos, damnasset, atque eorum nomina ex Diptychis delevisset. Sequuntur hanc tranquillitatem rerum anni multiplici bello insignes. Odoacer, cum nullam armorum materiam domi haberet, iterum rei foris gerendæ occasionem est nactus. Rex erat Rugorum trans Danubium nomine Feleteus, sive Febanus (41) Flacitei filius. Hic patris instituta sequutus Sanctum Severinum in Norico sedentem sæpe de regni sui incolumitate consuluit: uxor vero ejus Gisa, mira hominis reverentia ducta, à Catholicis quidem rebaptizandis abstinuit, verum Romanos, licet illo tristia omnia denunciante, vexavit; itaque cum quodam die in proximo Fabianis vico consisteret, aliquos ad se adduci jussit servituti vilissimæ destinatos, quos cum dimitti Severinus petisset, illa subjecit: *Oret sibi intra cellam suam Severinus, nobis vero de servis nostris pro arbitrio statuere sinat*, cui respondit Severinus: *Confido in Domino, illam necessitate facturam, quod prava voluntate neglexit*. Neque tanti viri irritum prorsus fuit oraculum, siquidem cum aurifices quidam barbari in ergastulis positi Friderico puero ejus filio ad se pueriliter adeunti nefarias insidias comparassent, re cognita, repente magnitudine doloris adacta supplex opem Severini poposcit, ac se præsenti plaga percussam propter contemptam ejus auctoritatem, petita venia, confirmavit. Itaque, dimissis subito Romanis, & Barbaris libertate donatis, Severini beneficio filium recepit incolumem. Cum ergo Feleteos hic Herulis finitimis suis esset infestus,

(36) Varia fuere Acacii crimina, qui Petrum Mongum, & Petrum Fullonem in communionem admisisset, & in Sedes Alexandr., & Antiochen. restitui curasset a Zenone: Simplicii, atque Felicis monita parvipendisset, aliaque quamplura apud Auctor. Brevic. H. Eutychianor., & ep. 6. Felicis, in qua damnationis sententia in Acacium lata reperitur. Neque mirum videri debet, si damnatus fuerit Acacius, (quem ceteroquin hæresis labe fœdatum plures negant, cujusque criminis nullum in locis cc. vestigium.) In more enim positum erat ex Ecclesiæ disciplina, ut Orthodoxi Episcopi, qui communionem inierant cum Hæreticis, aut Schismaticis, non modo hæresim ejurare tenerentur, verum & Auctores hæresis, aut Schismatis execrari; quod ni præstarent, suspectæ fidei, læsæque Ecclesiasticæ disciplinæ rei habebantur, cujus rei innumera suppetunt ex vetusta Ecclesiæ Historia monumenta.

(37) Quem Vict. Tun. Flavianum dicit, Flavitam Nicephor. l. 6. c. 1, Phravitam Theophanes. Is autem non hoc anno, sed 489. successit Acacio, cujus obitus evenit præd. anno, Eusebio scil. Consule, ut scribit Tununensis, cui suffragatur Theophanes ad an. Incarnat. secund. Alex. 481., qui Kal. Sept. an. 488. incipit. Zonaras tradit, Acacium sedisse annos XVII., Flavitam vero *menses tres cum semisse*.

(38) Theoph. an. Incarn. secund. Alex. 482., qui Kal. Sept. an. Chr. 489. inchoatur, scribit: Hoc an. *Petrus Mongus Alexandriæ decessit è vivis; & Athanasius cognomine Celites in ejus locum promotus est*, vir ejusdem sanè furfuris, Henotici Zenonis propugnator, quique Petri Mongi nomen sacris Dypt[y]chis adscripsit, unde graviter Plebs Alexandrina Catholica commota est.

(39) Qui Flavius Boetius in Synodo Romana de Lapsis restituendis dicitur; malè igitur Onuphrius Boetium Anicium Manlium Severinum vocat, ut vocabatur Boet. Philosophus, qui an. 510. Consul processit.

(40) Is an. 488. successit Flavitæ, ut ex Tununensi superius cit., Eusebio sc. Consule, & ex Theoph. Chalcedonensis Synodi decretorum Custos dicitur ab eod. Victore.

(41) Ita appellatur à Chronographo Cuspin., & Cassiodoro in Chron., Flacciteum vero dicit Eugipius in V. S. Severini, ap. Bolland. die VIII. Jan., cui successisse prodit Feletrum, seu Favam. Is autem, teste Paulo Diac. de Gest. Langob. l. 1. 19., ulteriorem Danubii ripam incolebat, quam à Norici finibus idem Danubius separat. Addit Paulus, Odoacrem cum subditis gentibus in Rugiland venisse, pugnaque cum Rugis inita, ipsos, & Felecteum eorum regem extinxisse. De his plura apud Eugipium c. Invenies dicta, ex quibus quo pacto Rugorum in Germania Regnum eversum disces, in quod deinde Langobardi è sedibus suis egressi venere, *& aliquantis morati sunt annis*, teste eod. P. Diac.

festus, Odoacer officii esse sui putavit, cognatum populum ab ejusmodi injuria vindicare. Itaque exercitum adversus Regem trans Alpes eduxit, ac, prœlio in Rugia facto, fortissime dimicavit, & Feleteo capto, Rugisque deletis, late regionem illam vastavit: inde, victore reportato in Italiam exercitu, XVIII. Kal. Decembris Urbem triumphans inivit, Regemque ante currum captivum duxit, quæ pompa jucundam florentis nuper Imperii memoriam cum aliquo demptæ libertatis dolore populo Romano redintegravit, neque ei post eversas pristinas opes ad colligendos ex tantis calamitatibus animos pulchrior alius dies illuxit. Ceterum decimus jam subibat annus, (42) cum Italia sub Regis Odoacris Imperio quieta magis, quàm læta, degebat, ut quæ præsidio magis firmo armorum adversus futuras irruptiones, quàm dulci imperii solatio ad clades præteritas uteretur, cum fortuna ejus quiescere nesciens, sed nova in dies in cervices juga servitii moliens, rursus ægre se à pristinis casibus allevantem oppressit, Gotthis ad eam adversus Herulos invadendam commotis. Quippe Ostrogotthi, qui in Pannonia considebant, cum propter pacem, quam nuper cum Imperatore contraxerant, unde prædas agerent, non haberent, ad extremum inopiæ, ærumnarumque pervenerant. Itaque doloris, ac lacrymarum pleni Theodoricum Regem missis publice legatis Constantinopolim adierunt, atque ita verba fecerunt: Magnam rem esse, de qua querelas apud eum suas effunderent, nec vereri, quin animum ejus offensuri essent, si taciti diutius dolorem suum continuissent; ceterum ad rem ejus magnopere pertinere, ipsum non ignorare, se, dum ille luxuria apud Imperatorem difflueret, extremis angustiis rei familiaris oppressos, &, postquam ex Romano prædari agro desissent, ad summam egestatem, & rerum omnium difficultatem adductos esse. Ob eam rem orare illum, atque obtestari, ut res suas aliquando respicere, & gentis suæ rationem habere vellet, ne injussu ejus durius sibi consulere, atque alias propter penuriam sedes quærere cogerentur. Quæ cum iniquis auribus Theodoricus audisset, facile, ut qui Zenonis impertitis ad tempus honoribus jampridem esset satiatus (43), justis eorum est precibus obsequutus, itaque in Mœsiam reversus, bellum Zenoni, calentibus suorum animis usus, movit; quippe Constantinopolim, & Melenthiadem (44) exercitu infesto accessit, & vastatis, direptisque circumquaque agris, præda gravis ad Novas Mœsiæ oppidum, unde discesserat, rediit. Per quos dies Odoacer Rex Rugorum, ut dixi, paulò ante agro profectus, audiens, Fridericum Feletei filium domum ex fuga esse reversum, Onulfum fratrem cum valida militum manu adversus eum remisit. Qua re cognita, Fridericus ad Theodoricum tum Novis morantem confugit; (45) itaque Onulfus sine magno certamine rerum potitus, Rugos omnes jussit ad Italiam commigrare. Quo facto, Longobardi vacuam Rugiam nacti, Rege eorum Gudeoco ducente novis eam locatis sedibus occuparunt. Theodorici defectionem Zeno, ut qui maxime, reprehendit, sed, ut prudens, clementer, ac liberaliter sibi cum illo agendum putavit, ne, si asperius, duriusve consuleret, vehementius præferocis juvenis animum in sui perniciem incitaret. Itaque Dinamio jam, Sifidioque Consulibus, 488
amice illum, ac comiter ad se per litteras advocavit. Paruit voluntati ejus Theodoricus, & in conspectum progressus, ac rationem tam subitæ defectionis reddere jussus, se paupertate, penuriaque suorum adductum ad extrema descendisse consilia dixit, veniaque petita, ut rebus consuleret suis, oravit: exigente inde Zenone, qua tandem ratione ærumnas levare illius, ac miserias posset. Italia terra est, inquit, quæ nunc ab Odoacre Herulorum Rege injussu tuo tenetur, permitte, me ad eam occupandam cum mea omni gente contendere; nam, si ego Odoacrem vicero, tua gloria erit, qui me miseris; si cecidero, tu annuorum stipendiorum onere liberaberis, &, si victor ero, tuo beneficio Italiam obtinebo; si victus manum dedero, tu jacturam facies nullam, qui alienos amiseris: est autem æquius, me, qui cliens, & filius tuus sum, Italiam habere, quàm eum, qui Senatum, ac Rempublicam tuam servitute tenet oppressam. Quibus vocibus Zeno permulsus, haud gravate, ut Illyricum infesta, ac merito sibi suspecta Gotthorum multitudine exoneraret, assensit; itaque, re cum eo composita, Italiam ei, quemadmodum inquit Paulus Diaconus, per pragmaticum tradidit, ac, sacro velamine capiti imposito (46), confirmavit, & Senatum, populumque Romanum eum ipsa Urbe, ac tota Italia præcipue commendavit. Quibus rebus perfectis, Theodoricus inde alacri animo ad suos reversus, eos sine cura esse, ac bene de reliqua vita jussit sperare; nam se Italiam regionem ceteris, ut constaret, nobilitate, atque opulentia præcellentem ab Imperatore, præcipui loco beneficii, im-

(42) Ex Marcellino, Cassiodoro, Mario Aventicensi, & Anonymo Cuspin. in Chronicis, an. 476. *Odoacer Rex Italiæ levatus est X. Kal. Sept.*, ut Anonym. c. Repete quæ superius dicta.

(43) Theodorici ingratum animum adversus Zenonem A. tacitus præterit Jornandes, & Cassiodorus; uterque sane ad ejusdem gloriam augendam intentus. Non omisit autem tantum crimen Marcellinus in Chron. sub h. an. Coss.

(44) Hujus meminit præter Marcellin. l. c. Suidas etiam in Histor., Thraciæ pagum fuisse affirmans CII. stadiis a Byzantio dissitum. Nova vero, quo se recepit Theodoricus, Oppidum erat Mœsiæ interioris ad Danubium situm, ex Ptolom. in Tab. nona Europæ. *Novensem Mœsiæ Civitatem* Marcell laudatus dicit, de qua & Anonym. Valesian.

(45) Et cum Theodorico deinde in Italiam venit, pro quo adversus Odoacrem militavit: sed, fracta postea fide, se hostibus junxit, inter quos orta discordia, etiam ipse superatus fuit; hinc Ennodius in Panegyr. Theodorico recitato ita hunc compellat: *Fridericus postquam tibi de adversariis suis peregit triumphum, de se præbuit*.

(46) Paul. Diac., quem hic exscribit A. N., ait, *Zeno Italiam ei per pragmaticum tribuens, sacri etiam velaminis dono confirmavit*, de Gest. Roman. l. 16. A. N. de suo addit, capiti sacrum velamen impositum. Sacrum autem hoc velamen, velum cubiculare purpureum, potius significat ap. Paul. Diac., de quo Tertull. de habitu Mulier. c. 8., & extat Theodosii, & Valentiniani L. 2. C. *ut nemo privat., ne vela regia suspendere audeat*. De his vero alibi dictum.

impetrasse, proinde accingerent se ad iter, & expeditionem illam, viderentque, quemadmodum secum non solum arma, & instrumenta, sed etiam familias, ac bona cariora non profectionis, sed migrationis caussa, deferrent. Sub eosdem dies Sidonius, Arvernorum Episcopus, obiit, (47) hic ante mortem gravi morbo vexatus deferri se in Ecclesiam jussit, ad quem visendum cum infinita vis pii populi confluxisset, ipsum percontari obortis lacrymis institit, cur se desereret, aut cui se quasi orbos tuendos, custodiendosque relinqueret? quibus Antistes spiritu divino instinctus respondit: Ecce frater meus Aprunculus vivit, qui Sacerdos vester erit, atque inde animam sub has voces efflavit. Eo sepulturæ mandato, Presbyter quidam, qui viventi infestissimus fuerat, Ecclesiam occupavit, & se gerere pro Episcopo cœpit; verum mox, cum solemne epulum populo daret, repentina & ipse morte occubuit. Interim Francis late in Gallia rerum usque ad Ligerim potientibus, gravis rumor increbuit, plerosque omnes eorum Imperium exoptare, remque ad defectionem spectare. Itaque Aprunculus Lingonicæ civitatis Episcopus, tanquam Francorum amicus apud Burgundiones cœpit haberi suspectus, ac propterea gliscente odio furtim occidi est jussus, qua re præcepta, ille nocte ex urbe Divionensi per murum demissus Arvernum se contulit, atque ibi Episcopus declaratus divinum S. Sidonii oraculum confirmavit. Eusebio inde, & Probi-
489 no Consulibus, (48) Gotthis omnibus se ad Italicum iter summa animorum alacritate parantibus, repentinum bellum contra opinionem omnium intervenit, quod profectionem aliquantulum retardavit, ac paulisper ardorem Italiæ petendæ repressit magis, quam aut consilium impedivit, aut facultatem ademit; nam Transilla Gepidarum, & Busa Bulgarorum Reges (49) sive sua sponte impulsi, sive ab Odoacre Rege tantam molem a se avertere cupiente solicitati, insidias Theodorico Regi pararunt, atque ipsum, antequam iter ingrederetur, adorti ad prœlium deduxerunt. Theodoricus repente tanta armorum tempestate oppressus animo haudquaquam defecit, sed, converso in eos impetu, summa non solum virtute, sed etiam felicitate pugnavit; nam uno prœlio Transillam, altero Bulgaros stravit, gentem novam, atque ex Scythia paulo ante profectam. Ita, via sibi ad profectionem munita, protinus sese ad cogitationes Italicas retulit. Inde Fausto, & Longino Consulibus, (50) 490
qui fuit annus à Christo nato quadringentesimus nonagesimus, rebus omnibus, quæ ad ejusmodi migrationem erant necessariæ, comparatis, extrema hyeme è Mœsia excessit, universo ferme Gotthorum populo subsequente, ac liberos, conjuges, arma, & suppellectilem, quam ferre poterant, secum in plaustra imposita devehente, iter pedibus per Sirmiensem Pannoniam est susceptum, neque enim ad maritimam trajectionem navium copia suppetebat. His auditis Odoacer nequaquam exterritus, vere novo cum ingentibus Herulorum, Italorumque copiis ad fines Italiæ venit, transitum pro viribus obsepturus, & de Italiæ possessione extrema, si necesse esset, prœlii contentione dimicaturus. Tria erant loca, quæ præcipue barbaris in Italiam invadentibus moram afferre, aut claustrum objicere poterant, Alpes Juliæ, amnis Sontius, & urbs Aquilejæ. Odoacer autem, quoniam Alpes, urbemque communitas superioribus bellis ad victoriam parum profecisse cognoverat, Aquilejam desolatam transgressus, ad amnem occurrit, ejusque trajectionem sibi impediendam suscepit, atque ad pontem progressus, ibi castra munivit, ubi nunc Goritiæ (51) oppidum esse putatur. Theodoricus autem, ingenti Pannoniæ flumine Savo trajecto, quod immensa in nos semper agmina barbarorum infudit, ad Alpes prodiit, (52) quibus superatis, mox ad ripam Sontii è regione castrorum Odoacris accessit, ac pascuis, quæ propter vernum tempus tum lætissima erant, fatigata ex longitudine viæ jumenta refecit. Demum, recreatis suis, transitum fluminis omni ope tentavit; idque demum, frustra sese objiciente, ac resistente Odoacre, transmisit, neque ita multo post, instructo ad pugnam exercitu, manum cum eo ita conseruit, ut prœlio pulsum trepida fuga in castra se referre coëgerit; mox subsequutus ea protinus oppugnare omni militari

(47) Cujus mortis annus incertus adhuc, ut alibi dictum, & vanæ conjecturæ, quibus anno Chr. 482. obiisse creditus est, XII. Kal. Sept. V. quæ superius adnotata de anno, quo Episcopus renunciatus. Illius nomen serius inter Sanctos adscriptum, cum in nullo vetusto Martyrol. inveniatur, & Baronius, ex additionibus Molani ad Martyrolog. Usuardi, in Romano memoraverit. L. illius Epitaphium à Savarone prolatum ex MS. Cluniacensi in V. Sidonii.

(48) Prior quinque post annos iterum Consul processit in Oriente, cujus solius meminere Fasti Heracliani, in quibus per hæc tempora sæpe omissi Consules Occidentales. Posterior vero ex Aniciana Familia; Reinesius namque in Syntagm. Inscript. p. 67., ejusdem Familiæ genealogiam texens, Probi, Probini, Probiniani, ac Probæ cognomen Aniciis datum plerumque ostendit.

(49) Nicephorus Patriarcha in Breviar., & Theophanes in Chron. p. 297. tradunt, Bulgaros primo Regiones Mœotidi Paludi finitimas habitasse, juxta *Cophinum* fluvium, Tanai proximum. Adjacens sane Regio ad ortum Magna Bulgaria vocabatur, fortasse quod sese circa Volgam flumen porrigeret. Porphyrogenneta l. de Administ. Imper. c. 5. 8., & 37. Patzinacitis proximos fuisse Bulgaros, auctor est: illi autem eos tractus incolebant, quos permeant Danapis, & Danastris. Certum est autem succedentibus annis, armorum vi dominationem ad Danubium usque Bulgaros protraxisse; Justiniano autem imperante rursus Thraciam infestasse, donec à Belisario victi fuere.

(50) Ad Faustum hunc juniorem dictum in veteri monumento ap. Mabillon. in Itin. Ital. p. 201., & in Fast. Cassiodori, extat ep. Ennodii 3. l. 1., & 5., unde ex eadem Familia fuit, ac Faustus, qui an. 483. Consul. Longinus autem hic cum nota numerali exhibendus Consul, idemque qui Zenonis frater antea Consul, de quo superius.

(51) Urbs in Foro-Julio, ad Sontium fluvium, inter Alpes, & sinum Tergestinum, 4. leuc. German. ab Aquileja in Boream, & totidem à Palma in ortum distans.

(52) Ejusdem in Italiam ingressum, Eusebio, & Probino Coss., an. nempe præced., consignat Marcellinus, Marius Aventicens., Cassiodor., & Chronographus Cusp. in Chronicis; à postremo hoc discere liceret celebriorum eventuum dies, si error non irrepsisset in numeros.

tari apparatu instituit. Nullum proximum erat tum in iis locis oppidum aut præsidio, aut munitione firmatum, vestigiis adhuc passim Attilanæ crudelitatis hærentibus. Quare Odoacer castra se tueri posse adversus Theodoricum diffisus, captato tempore, retro inde abiir, ac Veronam usque contendit, quod ut Theodoticus sensit, castra V. Kal. Aprilis (53) nullo negotio cepit, atque ita primam Italiæ possessionem inivit, ut ipse in epistola quadam scripsit ad Cassiodorum: *Ex quo*, inquit, *Deo propitio Sontii fluenta transmisimus, primum Italiæ nos suscepit imperium*. Dum autem Odoacer in finibus Italiæ gravissimo Theodorici bello implicitus abfuit, Gundobadus Rex Burgundionum delusum se ab Odoacre fœderis secum icti specie præferens, occasione nocendi arrepta, quod, Odoacre in Theodoricum averso, Italia extrema frugum inopia vexaretur, maximam suorum manum ex Gallia in Liguriam, Æmiliamque immisit, quæ utramque provinciam effuse populata captivos omnis generis plurimos fecit (neque hæc levis plaga fuit insigni perfidia Burgundionum sociorum accepta,) ubi vero Theodoricum victorem Italiam audiit iniisse, trepido subito agmine in Burgundiam cum captivis recessit. Unde Cassiodorus scripsit: *Cum Æmilia, & Liguria Burgundionum jussione quateretur, gereretque bellum de civitat. furtivum, subito præsentis Imperii, tanquam Solis ortus, fama radiavit, expugnatum se hostis sua præsumptione congemuit, quando illum cognovit nominatæ gentis esse Rectorem, quem sub militis nomine probaverat esse singularem. Quoties se optavit de finibus suis non exisse Burgundio, ne Principe nostro pugnaret adverso, cujus licet præsentiam relevatus evaserit, felicitatem tamen præcipitatus incurrit*. Theodoricus inde omnibus ad Sontium, quæ in rem videbantur esse, compositis, Odoacrem per vestigia insequutus, exercitum Veronam adduxit: quo comperto, Odoacer, qui copias suas dissipatas ex fuga collegerat, ac novis etiam auxiliorum supplementis adauxerat, alacris ex urbe ad prœlium est egressus. Verum neque tum virtuti fortuna respondit; nam, magna militum parte amissa, superatus, eo quoque loco cedere est coactus, qui pugnæ superfuere, ad Athesim præcipiti fuga compulsi plerique rapidis ejus gurgitibus hausti sunt. Theodoricus autem, dum fugientes insequitur, Veronam, civibus terrore inusitato perculsis, intravit, atque, ea post paulò relicta, Odoacrem ad amnem Abduam assequutus, tertio secum confligere prœlio compulit, cujus idem fuit, qui superiorum, eventus. Itaque Odoacer in hoc rerum articulo constitutus cum iis, qui sibi supererant, maturato itinere Romam contendit, sperans, si Urbem tenuisset, facile se totius Italiæ imperium servaturum; verum, cum ad Urbem accessisset, clausis portis, à Romanis exclusus est, Theodorico, ut justo Domino (jampridem enim ipsam Imperatoris voluntatem acceperant,) se obtemperare velle dicentibus; itaque ira incensus suburbana ædificia omnia, quæ potuit, repente aut hostiliter diruit, aut subdito igne combussit, ac Roma repulsus, quod secundum erat perfugium, animum ad Ravennam saltem in tam adversa fortuna obtinendam applicuit. Cum autem & hanc Libilla Magister militum, castris ante urbem positis, pro Theodorico sibi custodiendam sumpsisset, virtute suorum nixus, castra ea oppugnare adortus est; prœlioque gravissimo facto, in quo multi ab utraque parte ceciderunt, ea cepit, ac Libilla interempto, inde Ravennam VI. Idus Julias iniit. (54) Interim Theodoricus, Abdua relicto, Mediolanum processit, idque per dies aliquot oppugnavit, ac demum vi non sine magno urbis detrimento in potestatem adduxit, in primis Laurentii Episcopi beneficio usus. Qua re cognita, magna militum Italicorum pars ad eum, tanquam ad justum, & legitimum Dominum summa animorum alacritate se contulit; inter ceteros Epiphanius Ticinensis, quem ille maxima comitate recepit, ac virtutibus ejus perspectis, dixit: Ecce virum, cui parem universus non habet Orbis, apud quem, si qua major necessitas ingruerit, tutum erit matres, familiasque Gotthorum deponere, atque his solutum impedimentis liberis excursibus bellum administrare. Post paulò Italici, qui transierant, novo capto consilio, duce, atque auctore Tussa Liguriæ, atque Æmiliæ Consulari, sese ad Odoacrem de integro receperunt. Quæ res Theodoricum usqueadeo perculit, tantumque ei terroris injecit, ut XI. Kal. Septembris Mediolanum reliquerit, ac Ticinum profectus, ibi se, ac suos, ut in extremo rerum discrimine, confirmarit, itaque tanta multitudine urbs referta est, ut vix terra sufficeret. Quo facto, Odoacer accessit, atque urbem circumfuso milite obsidere, hostemque prœliis, atque oppugnationibus creberrimis fatigare contendit. In has adductus angustias Epiphanius miram diligentiam adhibuit, ut utriusque partis concordiam resarciret; &, si cujus liberi, aut uxores ab aliqua parte captivi essent facti, eos statim reddendos sine mercede curavit: ad extremum Odoacer virtute, ac felicitate Gotthorum, quibus etiam cœli tempestates servire videbantur, exterritus, soluta obsidione, Ravennam se retulit. Qua re animadversa, Theodoricus, collectis animis, viribusque receptis, consilium Odoacris aggrediendi, (quod unum integram morabatur victoriam,) cepit, itaque relictis in urbe matre, sororibus, impedimentisque vulgi omnibus, eisque Epiphanio commendatis, cum expedita Gotthorum juventute Ravennam processit, ac castra alia in Pineto tertio ab urbe lapide, alia ad Palatiolum, (55) alia ad Pontem Candidiani locavit; nam, cum Odoacrem fortuna sua diffisum prœlium in poste-

(53) Theodoricus *in Fossato pontis Sontii V. Kal. Sept. ingressus est*, inquit Chron. Cuspin, (qui ex Anonymo Valesiano emendandus *V. Kal. Octob.*) *& fugit Odoacer Rex de Fossato, & abiit Veronam*; non autem *V. Kal. April.*, ut A. N., qui mendosos numeros offendit.

(54) Ravennam se Odoacer recepit, non VI. Id. Jul., ut Chron. Cuspin., sed *pridie Kal. Oct.* an. 489. ut Anonym. Vales., qui occupatum à Theodorico Mediolanum refert in an. sequ. sc. 490. *Kal. Aprilis*, sicuti & defectionem Italicorum militum, postquam Theodoricus an. 489. Italiam ingressus fuerat.

(55) Ad Oleum, Bergomum inter, & Brixiam. De hoc V. Anonym. Mediolan. in Respons. ad Censur. p. 292.

sterum detrectaturum putaret, ipsum, admoto urbi exercitu, diligenter obsidere decrevit, neque enim propter loci situm expedita admodum urbis oppugnatio ostendebatur; erat namque Ravenna stadiis duobus à mari remota, neque navibus, neque pedibus adiri facile poterat, quod neque ad littus subduci licebat naves propter mare natura sua confragosum, atque vadosum; neque pedestri exercitui erat pervia, quod palus, & alii amnes cum paludibus circumjectis urbem complexi ex omni parte abluerent; accedebat etiam æstus maris, qui summo mane fluminis modo in continentem illatus terræ tantum ex æstuario corripiebat, quantum una die itineris expeditus vir quispiam ad navigandum efficeret, vespere autem, æstu recedente, emissas in se undas reciprocabat. Cœpta vero Ravennæ obsidio est aut hoc anno exeunte (56) aut certe postero ineunte, quo Olybrius (57) Consula-
493 tum administravit. Quanquam autem Odoacer à certamine, incertam prælii aleam metuens, abhorrebat, timiditatis tamen infamiam, atque ignaviæ notam verens semel cum universo exercitu prodiit, ac Theodoricum ad Pontem castra habentem invasit; verum, cum illo quoque se premi certamine cerneret, magna prudentia dimisso præliandi consilio, in urbem se retulit. Theodoricus autem operis longitudinem, si fame domandus, non ferro frangendus hostis esset, prospiciens, exercitus partem ad urbis obsidionem reliquit, atque ipse cum reliqua ad inimicas civitates adjungendas contendit. Arimino autem potitus, ut ex Agnello (58) prodidit Blondus, quem nos non vidimus, dromones (59) in statione captos ad ostium amnis Ravennatis obsepiendum, ne quid annonæ invehi mari posset, immisit, atque inde ad alia oppida se convertit. Quibus rebus compertis, Rex Africæ Gundamundus legatis missis, pacem à Theodorico postulavit, atque inde finem populandæ, ut cœperat, Siciliæ fecit. Eodem anno Clodoveus Rex Francorum bellum Thuringis movit, (60) ac prœlio summo victos imperata sua facere compulit, ac mox Chilperici quondam Regis Burgundionum filiam sibi matrimonio copulavit. Gundericus enim Rex (61) filios quatuor reliquit Gundobadum, Godigisilum, Chilpericum, & Godomarum. Guodobadus autem Chilpericum fratrem suum ferro vita exuit, uxorem vero in flumen præcipitem dedit. Cum autem legati Clodovei sæpius in Burgundiam contendissent, reversi domum Regi nunciarunt, regia in aula virginem se vidisse formæ, ac prudentiæ singularis, quorum verbis ille fidem habens, puellam, (hæc autem erat Crothildis Chilperici filia,) à Gundobado in matrimonium postulavit, atque concessam sibi connubio sociavit, quæ postea mulier insignis, ac summæ virtutis evasit, ad singularem sapientiam egregia quoque laude Catholicæ pietatis adjuncta. In Oriente Zeno Imperator VIII. Idus Aprilis est mortuus, (62) atque in ejus locum Anastasius Dyrrachinus, Silentiarius (63) Zenonis, est subrogatus. Is, licet Eutychiana perfidia maculatus, tamen, ut ab Euphemio Episcopo consecraretur, se nihil rerum Ecclesiasticarum mutaturum ipsi se Euphemio sacramento devinxit, ac primis annis

(56) Cassiodor. in Chr. habet: *Odoacrem Regem dominus noster Theodoricus tertio certamine superavit; qui Ravennam fugiens obsidetur inclusus*, sub. h. an. Coss, proindeque hoc an. obsideri cœpta Ravenna. Nullatenus vero Marcellino deferendum, qui sub Coss. an. Chr 489 evenisse putat. De bello autem hoc L. Jorn. de reb. Get., Procop. de Bell. Goth l. 1.

(57) Isque Junior, ut in Fast. Heraclian., & in Chr. Mariani Scoti; Olybrius enim, qui an. 464. Consul, pater fuit Aniciæ Julianæ matris Olybrii Jun., qui Consulatum h. an. iniit, ut liquet ex Auct. Chron. Alex., quique uxorem habuit Irenem, filiam Magnæ Anastasii A. sororis, ut Niceph. in Chr.

(58) Cujus Liber Pontificalis evulgatus fuit à Benedicto Bachinio Benedictino-Casinensi, in quo fuse hæc ab A. N. relata inveniuntur in V. S. Johannis cum animadversionibus ejusdem Abbatis Bachinii, quas L., cum luculenter loca etiam pertractet, ubi inita prælia, & de Palatiolo præsertim, P. I. Agnelli p. 269.

(59) Naves oblongæ, ex Isidor. 19. 1. Cursorias Sidonius dicit l. 5. ep. 1. opportunæ ad rem frumentariam convehendam, ut ostendit Cassiodor. Variar. 5. 16. dicens: *Decrevimus mille dromones fabricandos assumere, qui & frumenta publica possint convehere, & adversis navibus, si necesse fuerit, obviare*; quibus eorumdem usum satis apte exprimere videtur.

(60) Is an. Chr. 493. bellum Thoringis intulit, & *tributarios Francorum fecit, anno sc. Regni sui decimo*, inquit Turonens. l. 2. 27., eoque bello confecto, Clotildem per Aurelianum Legatum in Burgundiam missum uxorem poposcit, ut præter Turonens., Auctor quoque de Gest. Reg. Francor. c. 11., & Fredegar. 17., cum Aimoino l. 1. 13. Erat autem Clotildis Orthodoxa, ut & parentes fuerant, ejusque filius, Ingomeres dictus, quique paucis mensibus vixit, baptisma suscepit.

(61) Gundeuchus dicitur à Turonensi l. 2. 28., (a quo hæc accepit A. N.) qui tamen perperam ait, illum ex genere Athanarici Regis Persecutoris prodiisse; quid enim commune Athanaricus hic cum Burgundionum regibus habuit? Tres Gundeuchi filii Ariani fuere; Chilpericus namque II. eorum frater Catholicus vixit, & Lugduni regnavit, cujus Regnum Gundobadus deinde, duobus fratribus, Chilperico, & Gundomaro occisis, occupavit, regnante Genevæ Gundegisilo. L. hæc ep. Ennodium in V. S. Epiphanii, pp. 402, & 408.

(62) Nemo ex antiquis huic diei consignat Zenonis obitum, quem tamen *die IX. mensis Xanthici* evenisse docet Chronicon Joannis Malalæ, ex *dysenteriæ morbo*, postquam vixisset annos LX., menses IX., ut ibid. legitur: imperasset autem ann. 17., & menses circiter tres, utpote qui è Leone Jun. anno 474., mense Februario, Collega Imperii fuerat adscitus, cui post biduum successit Anastasius, *mense* sc. Xanthico, die V. Magnæ Hebdomadis; hoc enim anno Feria V. Major Hebdomadis incidit in diem Xanth. seu Aprilis undecimam; hinc & Theophan. in Chr., inauguratum tradit *Magna Paschalis Solemnitatis* feria quinta, sed per errorem habet, mensis April. XIV., l. XI. Imperium vero simul cum Ariadna Zenonis uxore accepit Anastasius.

(63) Silentiariorum schola erat Palatina; hinc in C. Justin. tit. extat de Silentiariis, & Decurionib. eorum, qui in Theod. inscribitur de Decurionib., & Silentiar, qui *Clarissimi* l. 5. C. Just. 1. eod., & Spectabiles dicuntur l. 30. Cod. de inoffic. testam. Eorumdem munera V. ap. Ansel. Havelbergens. Episc. l. 2. Dialog. c. 1. Horum opera utebantur quoque Principes in legationibus, mandatisque perferendis, ut liquet ex Ambros. orat. de Obitu Valentiniani, Philostorg. l. 7. 7., Malcho in Byzantinis, aliisque.

ais medium ingenium (64) adhibuit, aperte neque fovens hæreticos, neque oppugnans Catholicos; itaque, cum alii Chalcedonense Concilium constantissime tuerentur, alii prorsus aspernarentur, neutros sibi attingendos putavit, si veterem in eo consuetudinem conservassent; qui vero res moliri novas studuerunt, eis sese inimicissimum
492 præbuit. Ipso inde Augusto, Rufinoque Consulibus, Ravennæ continuata obsidio est, atque ibi multa quidem, sed parva, prœlia edita, cum Odoacer partem militum quoti die emitteret, ut & vires suorum pugnis levioribus exerceret, & Theodorici exercitum eruptionum crebritate, & lentæ sessionis ad urbem diuturnitate fatigaret simul, ac frangeret. Theodoricus autem omnibus, quæ adiit, oppidis, magna felicitate, una Cæsena excepta, quæ firmissimo Odoacris præsidio tenebatur, potitus, III. Kal. Septembris in castra ad Palatiolum posita redit, eoque familia ex Ticinensi urbe traducta, arctiore inde urbem urgere obsidione perrexit. Eodem anno, Felice Pontifice mortuo, (65) locum Gelasius tenuit, cujus memorabili solertia Romana civitas in summa frumentariæ rei difficultate, regiis curis omnibus in bellum, quod gerebatur, aversis, est sublevata. Ceterum & hic decessoris sui exemplo litteris ad Anastasium Imperatorem scriptis contendit, ut Orientalis Ecclesia nomina Petri, & Acacii ex Diptychis aboleret. VII. Idus Junii sub gallicinium terra ingenti tremore concussa est. Severinus habitus Noricorum Apostolus hominem exuit. (66) Per idem tempus S. Michaël Archangelus in monte Gargano apparuit, (67) ex illo ædes ibi sacrata fuit, quam seqoens ætas miraculorum splendore fulgentem assidua piorum convenarum frequentia celebravit. Ob id in hunc usque diem Apparitionis, & Consecrationis memoriam Ecclesia Majo, ac Septembri mense sanctissime colit. Ticini Epiphanius multis calamitatibus Gotthorum hospitum insolen-
491 tia conflictatur. Albino inde Consule, (68) Odoacer post multas, sed inanes, eruptiones, ac certamina edita, cum consumptis rebus ferme omnibus, quæ mandi poterant, extrema urgeretur inopia, silentio noctis, auxilio à virtute petito, universum adversus Theodoricum eduxit exercitum. Quod ubi ille sensit, & ipse suos in aciem promovit. Ceterum, commisso prœlio, tanta vi Odoacer pugnavit, ut Theodoricum cum suis præcipiti fuga se referre coëgerit. Cui castra ineunti mater in porta obvia, *quò tendis*, inquit, *fili? neque enim locus superest, quò te fugiens recipere possis, nisi ego vestem tollam, & eò te, unde in lucem prodiisti, recipiam*. Quibus verbis irritatus, ac pudore succensus juvenis egregius, collecta suorum, quos nancisci potuit, exigua quidem, sed valida manu, invectus in hostes, qui securi victoriæ late jacebant in campo, revertit, ac, magna eorum strage facta, Odoacrem in urbem iterum se condere compulit. Crescebat inde cibariorum omnis generis in dies intus inopia, foris autem Gotthi diuturnæ ad unam urbem mansionis tædio languescebant; itaque fessis utrinque corporibus, animisque haud gravate legati ultro, citroque missi audiri de pace sunt cœpti. Neque enim Joannes Episcopus Odoacrem ad pacem accipiendam hortari, si honestæ, ac tolerabiles ferrentur conditiones, desinebat, nec præsentem urbis cladem, & civium servitutem proponere desistebat. Itaque, cum Theodoricus petiisset, ut æquo cum Odoacre imperio Ravennam, & regnum Italicum obtineret, Odoacer assensus est. Ita, icto in hanc conditionem fœdere, Theodoricus III. Kal. Martias obsidionem laxavit, ac primum Classem oppidum iniit, deinde III. Nonas, Episcopo cum Clero, & Sanctorum Reliquiis obviam prodeunte, Ravennam, à suis Rex acclamatus, (69) intravit, ac secum Odoacrem in Palatio, quod Hilautum appellabatur, (70) amice, ac familiariter habuit. Post aliquot inde dies, ut appareret, quàm infida omnis regni esset societas, eundem, partem Italiæ ex fœdere pacto sibi attribui postulantem, ad convivium invitavit, atque insidias sibi ab eo paratas criminatus, ibi ipsum cum filio, ac primoribus ejus per dispositos sicarios interfecit. Italici, quàm versabilis esset rerum humanarum fortuna, semel, iterumque nova imperia patientes experti, haud immerito mitiores ejus vices expectare, recenti illata in provinciam gente, cœpere.

LIBER

(64) Leontius de Sect. Act. 5., & 6. *Hæsitantium turmam* fuisse tunc temporis prodit, qui ita dicti, quod neutri duarum adversantium sibi partium adhærendum putarent, Acephali quoque appellati, eum capite carerent: atque ex his Anastasium Imp. fuisse, testatur.

(65) Cum sedisset annos 8., menses 11., dies 18, ex Reginone, Martino Polono, Loitprando, Hermanno Contr., & Anastasio vulgato circa annos, & menses; habet enim *dies XXIII.* loco *XVIII.*, quem numerum emendandum docent Eruditi. *Cessavit* autem *Episcopatus dies quinque*, ex Anastasio; & Gelasius natione Afer subrogatus, qui non modo ad Zenonem de Petri, Acaciique nominibus à Dyptichis expungendis scripsit; sed ad Euphemium Episc. C. P. dedit ep 1., ad Episcopos Dardaniæ 14., ad Orientales Episcopos 15.

(66) Sancti Viri mors accidit, teste Eusipio Abbate, ejusdem discipulo, sex annos ante victos Rugos, eorumque Regem, ac Reginam in Italiam captivos ductos ab Odoacre, quæ cum an. 487., mense Decembr. evenerint, obiit Severinus an. D. 482.

(67) Sigebertus in Chr. an. 2. Gelasii P. inventam Cryptam Gargani montis in Apulia refert. Bellum autem memoratum in histor. hujus admirabilis Apparit., inter Neapolitanos, & Sipontinos initum, nullum habet apud Veteres Scripp. locum, nisi intelligatur bellum Theodoricum inter, & Odoacrem, quod tunc in Italia fervebat. Sed illustrem Sancti Michaelis apparitionem alteram jam antea celebrem fuisse, Drepanius Florus, cujus fortasse meminit Sidon. Apoll. ep. 11. l. 8. ad Lupum, in sacro Hymno, qui extat To. 8. Biblioth. Sanct., asseverat.

(68) Hoc an. Consules processere Albinus Jun., & Eusebius II., ex Auct. Chr. Alex., Marcell., & Fast. Heraclian. Eusebius porro ante quinquenn. Consul processit, unde Fastorum Conditores notam numeral. apponunt. Albinus autem is est, forsan quem perduellionis falso postulatum apud Theodoricum Boëtius defendit. L. l. 1. de Consolat. prof. 4.

(69) Hinc duplex Epoca Regni Theodorici, una ab an. 489. quo Italiam ingressus Odoacrem Veronæ superavit; altera vero currenti anno, quo Odoacrem ipsum occidit: priorem secutus est Procop. l. 1. Hist. Goth. 1 scribens, Theodoricum *adeptæ potentiæ post annos septem & triginta vivendi finem* fecisse.

(70) L. Abbatem Bachinium, in Agnellum, V. S. Joannis, ubi de hoc Palatio, Par. I., & de nece Odoacri agitur.

Digitized by Google

# LIBER DECIMUSSEXTUS,

## *Qui est regni Gotthorum in Italia primus.*

### THEODORICUS REX.

Regnum inde Gotthorum in Italia exponere pergam, memorabili casuum in utramque partem varietate nobilitatum. His enim dominantibus, Italia optatam aliquando pacem, ac quietem adepta, primum omni genere prosperitatis effloruit, deinde novis bellorum fluctibus agitata usque ad extremam urbium desolationem, gentisque internecionem, miro quodam, ac præcipuo Fortunæ ludo, elanguit. Felicitatis autem materiam Rex, de quo loquimur, Theodoricus, calamitatis reliqui deinceps præbuerunt. De quo Theodorico scribere, quàm copiosissime poterimus, in summo veterum Annalium silentio persequemur.

Rem prospere ad Ravennam gestam ubi Gotthi noverunt, qui se Ticini per triennium cum inutili fœminarum, puerorum, graviorisque ætatis multitudine continuerant, alacres tandem inde, tanquam ex carcere, evolaverunt, & sese ad Theodoricum tantam gratulatum victoriam contulerunt. Qua re animadversa, Rugi, qui Odoacri paruerant, occasione usi, repentino impetu facto, vacuum oppidum occuparunt, ibique confirmati non urbem solum, sed omnia etiam circumjecta urbi loca fœda populatione vexarunt, quo tempore Epiphanius rursus maximum laboranti civitati auctoritate sua præbuit adjumentum; nam & cives in extremam rerum suarum desperationem adductos bonum animum habere, spemque in Deo collocare jubens erexit, & barbarorum animos insolentia elatos miti sermone, ac clara Sanctitatis opinione ita lenivit, ut eis timori cœperit esse, qui Regum non dubitabant imperium fastidire. Theodoricus autem Ravenna potitus, reliquas Italiæ partes, sicubi aut aversus animus, aut suspecta fides erat, pacare, atque ad sui obsequium redigere instituit. Quo facto, Dalmatia, ac Rhætia, quæ Odoacris in potestate fuerant, ipsius se quoque Imperio subjecerunt; nam Siciliam obstinate tumultuantem opera Cassiodori, (1) in ea Præfecti sine armis ad auctoritatem, fidemque suam traduxit, ac deinde exercitum ad Ticinum ex Rugorum manibus extorquendum immisit, quo postero anno, Asterio, 494
Præsidioque Consulibus, (2) prospero demum rerum omnium successu adeptus, prudenter victoriæ modum adhibuit, ac, triumpho de hostibus acto, gladium vagina recondidit, ac furorem sævientis exercitus regia auctoritate compescuit, atque inde, cum quietam omnem haberet Italiam, ad regnum rite ordinandum accessit. Quod ut diligentius, ac clementius etiam faceret, in primis præclaris Imperatoris Anastasii monitis est impulsus, Senatum ei Romanum, atque Italiam totam per litteras assidue commendantis. (3) Igitur Herulis, ceterisque barbaris Odoacris sociis in Italia manere volentibus arbitrium benigne permisit, (4) ac sedes, Regesque inter Subalpinos ad oppidum Augustæ concessit, agrum, quem Odoacer Herulis in omnibus Italiæ regionibus assignaverat, ipse Gotthis suis divisit. Italis, qui constanter in fide manserant Odoacris, ita ignovit, ut aliquot etiam ad summos honorum gradus evexerit; sic enim post ad Senatum Romanum de Liberio scripsit: *Liberius sic Odoacri integerrimis parebat obsequiis, ut nostra post fuerit electione dignissimus, contra quos multa fecisse videbatur inimicus; non enim ad nos vilissima transfugæ conditione migravit, nec proprii domini finxit odium, ut alterius sibi procuraret affectum: expectavit integer divina judicia, nec passus est sibi regem, nisi privatus perdidisset. Unde sic factum est, ut ei libenter daremus præmium, qui nostrum fideliter juvit inimicum*. Eos vero, qui turpi à se defectione semel adjuncti recesserant, justissimo odio persequutus, testandi, ac legandi more Romano jure privavit. Tributum porro ab Odoacre institutum conservavit ex eo, quod scripsit, se statuere, ut Gravasiani, (5) sicut Odoacris tempore tributum solverant, ita

&

(1) Cassiodorum *Odoacer Comitivæ privatarum* auxerat dignitate, ac deinde sacrarum Largitionum Comitem renunciarat: Odoacre vero occiso is in Brutiorum loca sese recepit, ubi cum rebellantes Siculos intellexisset, eos eloquentia non minus, ac armorum viribus, Theodorici parere coegit Imperio, quam ob rem Regi acceptus esse cœpit, qui Brutiis, Lucanisque Cassiodorum præfecit: Quæstorem postea, Magistrum Milit., & Prætor. Præfectum denique creavit.

(2) Asterius hic non confundendus cum Asterio illo, sive Asturio, an. 449. Consule, de qua re L. Em. Norisium in Cenotaphiis Pisanis, Dissert. 4. §. 1., ubi de Asterii h an. Cos. familia, nomine, cognominib., & dignitatib. luculentissime disserit; sed in eo labitur, quod in Oriente Consulem creatum putat, quia *in Fastis Græcis primo loco ponitur ante Asterium*. At tam in Fast Græcis, seu Chron. Alex., & in Fast. Græcis Heraclianis, quam in omnibus Fastis Latinis, qui modo extant, Præsidius post Asterium ponitur: sicuti & in tribus Gelasii P. epp., Asterii, Præsidiique Consulatu notatis; uterque igitur Consul Occidentalis.

(3) Anonymus Vales. Theodoricum commendat, quod sciverit gubernare *duas Gentes in uno Romanorum, & Gothorum*, quodque *militiæ Romanis sicut sub Principe esse præcepit*. Titulos item Virorum insignium, uti Clarissimatus, aliorumque retinuit, quemadmodum sub postremis Imperatoribus in Italia fieri consueverat, quæ satis innotescunt ex Epp. Cassiodori, Theodorici nomine datis.

(4) Sed non diu hæc clementia Theodorici durasse videtur; inquit enim Ennodius Ticin. in V. S. Epiphanii: *Interea subita animum præstantissimi Regis Theodorici deliberatio occupavit, ut illis tantum Romanæ libertatis jus tribueret, quos partibus ipsius fides examinata junxisset. Illos vero, quos aliqua necessitas diviserat, ab omni jussit, & testandi, & ordinationum suarum, ac voluntatum licentia submoveri*, & cet. His porro difficilibus legibus molitus est Theodoricus spem omnem præcidere Italiæ Regni denuo occupandi Erulis, eorumque fautoribus.

(5) Gravatores, & Gravaringi appellati, quorum meminit Ordericus Vitalis l. 12. p. 876. Exactores, & Publicani in quavis civitate: iidem esse videntur ac Grafiones, qui Judicis officio fungebantur, & publica Vectigalia exigebant. Gravasiani potius dicendi à gra-

& suo pensitarent, & aliud novum imposuit, quod Assem publicum appellavit, (6) id quod afflictis etiam aliqua calamitate populis remittere pro summo beneficio consuevit. Lites porro in singulis provinciis cognosci à Comitibus voluit, inter Gotthos à Gotthis, inter Romanos à Romano, inter Gotthum, & Romanum ab utroque, quos ipse ea de caussa cognitores, ac judices in provincias destinavit, jusque ipse omnibus severissime dixit. Jam vero nullum Romanum institutum mutavit, siquidem & Senatum, & Consules, Patricios, Præfectos Prætorio, Præfectum Urbis, Quæstorem, Comitem sacrarum largitionum, Comitem privatarum, & militiæ Comitem domesticorum, Magistros peditum, & equitum, ceterosque, qui fuerant in Imperio, Magistratus retinuit, eosque Romanis hominibus tantum mandavit, ac, licet Arrianus, mire Sacerdotes, & Templa Catholicorum excoluit, demum superiorum Imperatorum exemplo Ravennæ regni sedem firmavit, &, quod Imperatoris munere, ac consensu, atque ipsius quoque Senatus voluntate se dominari profiteretur, patrio vestitu posito, purpuram, ac regia insignia sumpsit, atque omnino instituit regnum veteris Imperii ex omni parte simillimum. Interim Laurentius Episcopus urbem Mediolanensem, Epiphanius Ticinensem restituere maturavit, præstantissimo quoque viro ex dirutis Liguriæ oppidis eò accito. Gelasius Pontifex sæpe à Joanne Episcopo Ravennate admonitus, quàm afflictus Clericorum ordo ex superioribus belli, famisque cladibus esset, decreta quædam ad illa reparanda officia fecit, eaque ad Episcopos Campaniæ, & Siciliæ V. Idus Martii misit. (7) Eodem anno Benedictus Nursinus, (8) qui post insigni floruit gloria sanctitatis, Sublacei à Beato Romano Abbate habitum Mona-
495 sticæ Religioois accepit. Sequenti, Viatore, Æmilioque Consulibus, (9) Theodoricus pacatum Italiæ regnum cum provinciis Dalmatia, Sicilia, & Rhætia consequutus, ad stabiliendas opes suas vicinorum se Regum præsidiis muniendum, atque affinitatibus obvallandum putavit, haudquaquam veritus, quin, si Odoacer idem consilii habuisset, haud dubie partam Italiæ possessionem retinuisset. Itaque Andefledam Clodovei Regis Francorum sororem sibi despondit, filiam vero suam Teudetusam (10) ex concubina susceptam Alarico Regi Gotthorum, Amalabergam vero Amalafridæ sororis filiam Sigismundo, (11) Gundobadi Regis Burgundionum filio collocavit. Hærebant interim duo gravissima in visceribus Italiæ mala; unum, quod, maxima incolarum turba à Burgundionibus trans Alpes, regnante Odoacre, in servitutem abducta, ipsa Liguria cultoribus prope videbatur esse deserta: alterum, quod, justitio ob jus civile Romanum rebellibus à Theodorico ademptum prope Italia tota indicto, omnes in luctu, & squallore maximo versabantur, utrisque autem vulneribus Theodoricus summa clementiæ laude opportunam adhibuit medicinam, ea vero res hac ratione confecta est. Rebus Liguriæ accisis, Laurentius Episcopus Mediolanensis, & Epiphanius Ticinensis extremis precibus populorum impulsi legationem ad Theodoricum susceperunt, ac Ravennam progressi, & benigne ab omnibus excepti Liguriæ caussam, Laurentio ita disserente, egerunt. *Quibus rerum successibus Deus, Invictissime Rex, virtutem tuam ad summum felicitatis culmen evexerit, si ordine percensere studuerim, dies me, ac verba defecerint. Illud vero te in primis considerare velim, nos apud te principem servorum tuorum caussam orare in ea urbe, in qua modo solum inimicus tuus obtinuit: cavendum autem tibi esse, ne Christum tanti muneris auctorem spernere videaris, si, quod ipse præstitit, non amaveris. Meministi, credo, quibus te promissis obstrinxeris, cum mœnibus urbis Ticinensis inclusus hostili exercitu confertissimo premebaris, cum hostes armis, numeroque præstantes subsistere, sola tecum divina virtute pugnante, non poterant, cum cælum rationibus tuis nova, ac singulari aut serenitatis, aut pluviæ opportunitate serviebat, cum hostes mucronibus sodalium suorum cadebant, cum tibi vincebat qui pro hostium tuorum utilitate certabat, quibus Dei muneribus gratiam referre ea maxime ratione poteris, si pietatem erga homines adhibueris, & lacrymas supplicantium non respueris: cogita, quibus*

gravaria, ut dicuntur in Charta Vvill. Nothi Comit. Norm. To. 2. Monast. Anglic. p. 960. Gravaria vero occurrit in Charta Roberti Ducis Normann. in Tabulario Fiscan. fol. 14., aliisque.

(6) Pecunia erat publica, in Fiscum illata, ap. Cassiodor. l. 12. ep. 15. Publica functio, illatio quoque dicebatur, & assis tributarius ex eod. l. c. ep. 16. Pecunia item omnis, quæ in vectigal penditur ita appellatur l. 12. Cod. Theod. de indulgent. tributor. Sed assis publicus pro solido aureo accipiendus, eod. Cassiod. teste, unde tressis, quæ vox tres asses denotat, pro tribus aureis ponitur Novel. 58.

(7) L. ep. 9. Gelasii decretalem ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos.

(8) V. quæ diserte docet Emin. Cardin. Querinus in Dissert., & Not. ad V. S. Benedicti è Græco Latine versam. Ex verbis autem D. Gregorii P. Dialogor. l. 2. init. clare colligitur, non puerum; sed adolescentulum jam eremum petiisse, contra ac plerique sentiunt.

(9) Fasti omnes Fl. Viatorem absque Collega proferunt, & ita apud Cassiodor., & Marcellinum: at plerique Scriptores una cum A. N. Æmilium, sive Æmilianum addunt.

(10) Hanc *Aravagni* dictam tradit Anonym. Vales., Jornandes vero vocat Ostrogotho, de Reb. Get. 58. Addit Anonym. cit., Aravagni dictam Alarico Regi Vvisigothorum in Gallia nuptam.

(11) Sigismundo alteram Theodorici naturalem filiam, nomine Theodegotham conjugem datam, aperte testatur Anonymus Vales., & Jornand. cit. Amelobergam vero Amalafridæ (quæ Trasemundo Vandalorum Regi nupta, mtter fuit Theodidati postea Regis) filiam Thuringorum Regi Hermenefrido nuptam non Sigismundo, Anonymus Vales., (si textus emendetur aliquantisper corruptus) Procopius Bell. Goth. 12. & Jornan. l. c. auctores sunt. Omnes autem hæ nuptiæ, priores Aravagni, & Theodegothæ referendæ ad illum annum, quo contentio *orta est in Urbe Roma inter Symmachum, & Laurentium*, ut inquit laudatus Anonym. Posteriores vero ad annum, quo Schisma illud sedatum, ex eod. Anonymo. Symmachi autem electio ad an. 498. certissime pertinet: Schisma vero non citius an. 499. extinctum; unde Amalefrida, & Ameloberga serius nuptæ, *facta scil. pace in Urbe*, ut Anonym. ait subdens, Theodoricum *sexto post mense* reversum *Ravennam*, *Amalobergam Thuringorum Regi* consociasse *Hermenefredo*.

Digitized by Google

*bus successeris, nempe iis, qui propter scelus expulsi casu suo opportunum posteris præbere cautionis documentum queunt. His rebus freta Liguria nobiscum ad pedes tuos prostrata te obtestatur, ac supplicat, ut tua beneficia sic innocentibus tribuas, ut nocentes quoque absolvas: exigua enim misericordiæ laus est, si ab illis tantum abstineatur, qui culpa carent, cum injurias condonare cæleste, vindicare vero terrenum sit.* Quibus dictis sic Theodoricus respondit: *Quamvis te, Venerabilis Antistes, pro magnitudine meritorum suspiciam, & multis bellis tempore beneficiis à te affectus de referenda cogitare gratia debeam, tamen propter regni rationes misericordiæ, quam suades, aditum patefacere nequeo; etenim pœnam meruit lenitas, quam noluit inferre severitas; vimque divini judicis spernit, qui, cum hoste potitur, indulget, vitiaque posteris prodit, qui præsentibus culpis ignoscit; numquam ægrum plenissime sanavit medicus, nisi postquam putrida ferro membra desecuit, qui impunitatem nocentibus tribuit, insontes ad peccandum accendit. Quare precibus quidem vestris, quibus divina consentiunt, obsequutus, omnibus peccatum in universum dimitto, paucos tamen, quos malorum comperi fuisse artifices, locorum suorum habitatione privabo, ne forte exurgens necessitas domesticos nanciscatur insidiatores.* Atque, his dictis, Urbico (12) Palatii curatori vocato præcepit, ut generalis indulgentiæ tabulas promulgaret, quod ille tanta dexteritate obivit, ut culpas illas etiam aboleret, quas sibi Dominus reservasset. His actis, inde secreto Epiphanium accersivit, atque ita alloqui cœpit: *Judicii de te mei magnitudinem ex hoc cognosce, quod, cum tot in regno meo Pontifices sint, te tamen potissimum ad maximum tractandum negotium cum Gundobado Rege Burgundionum elegerim; nam eos à me mitti oportet, quos ille summo animi studio audiat. Vides universa Italiæ loca indigenis exhausta cultoribus, in primisque ipsam, quæ frequentissima solebat esse, Liguriam nova solitudine deformatam, (13) & cum agricolis, tum arboribus, vitibusque nudatam, hæc quamvis Burgundio immissis effecit, nos tamen, nisi emendemus, admisimus. Suscipe ergo, Deo bene juvante, hujus laboris onus, ut commune in cælesti repromissione præmium consequamur. Gundobadus summo te visendi desiderio flagrat: mihi crede, magna merces redemptæ Italiæ tuus erit aspectus; polliceor tibi redivivum statum Liguriæ, reducemque fœcunditatem, si, auro pro redemptione captivorum accepto, hoc ipse munus exegeris.* Quibus verbis auditis, Epiphanius, se libenter morem ejus voluntati gesturum, respondit, ac Victore Episcopo Taurinati sibi socio destinato, pecuniaque accepta, Martio mense Ticinum repetiit, ac statim iter instituit. In Galliam inde transgressus, vulgo ab omnis ætatis, & sexus hominibus videndi ejus cupidis celebratus est, quidquid habuit quisque pretiosum, obtulit, sin minus, aliunde coemit, vulgo dona congesta, quibus ille pauperes aluit. Lugdunum adventanti Rusticius Episcopus (14) obviam cis Rhodanum prodiit, ubi vero ad urbem accessit, Gundobadus Rex ingenti Antistitis fama permotus, suis dixit: *Ite ad hominem, Laurentio Martyri & vultu, & virtute persimilem, & num nos affari velit, exquirite, &, si annuerit, adducite.* Constituto inde die, Regem convenit mira sui alloquendi cupiditate ardentem, atque ita verba fecit: *Summus amor vestri me Rex impulit, ut alienissimo anni tempore horrentes adhuc nive Alpes transmitterem, inter optimos Reges testimonium in cælo dicturus adhibeor, si, quam ille misericordiam postulat, tu benignius impertias, certate officiis inter vos, atque invicem præceptis divinis exhauriendis superare contendite, in qua concertatione sic præmium victor accipiet, ut suum qui victus sit, non amittat, parete consilio meo, & ambo superiores, ambo pares eritis, Italicos redimere vult ille captivos, tu sine pretio illos restitue; nemo majorem mercedem accipiet, quam qui nullam, divites milites tuos faciet repudiata pecunia, recepta vero mendicos; audi Italorum fidem tuam implorantium voces; audi Italiam nunquam à te divisam, & plurimum præsidii in tua clementia reponentem, quæ, si una voce loqueretur, hæc diceret: Quoties pro me, si reminisceris, ferratum pectus hostibus obtulisti? quoties consilio providisti, ne bella subreperent, ne aliquis mecum captivus duceretur? quos nunc detines, tu nutristi; dolosum mihi virtus tua beneficium præstitit, si quis ab extraneis defendit, custos invasit, cum matronæ, aut virgines tractæ, aut stupratæ sunt, illo uno solatio doloris sui contumeliam lenierunt, quod te suarum vindicem injuriarum speraverunt, viri capti sunt, qui fugam arripere noluerunt; agricolæ Burgundiones, à quibus vinciebantur, agnoscentes manus suas implicari vinculis querebantur, quæ tibi tributum contulissent, ac palam illa, te insciente, fieri testabantur; itaque multis æquitatis tuæ fiducia perniciem attulit, dum inclementius responderunt. Redde ergo residuos patriæ, redde penatibus suis, redde gloriæ tuæ; remitte ad alienam ditionem, qui se & ibi positi tuos esse confiteantur; parum enim gratiæ imperio illius tribuimus, cujus misericordiæ nihil debemus, purga Liguriam sentibus, & reple cultoribus, quæ quantum tibi debeat, tum demum intelliget, cum faciem suam pristinam recognoscet; consuevisti supplices sublevare, contumaces autem obterere, atque ex utroque instituto clarissimos per fortitudinem, & temperantiam triumphos adeptus es, neque vero hoc beneficii hominibus alienis indulges, jam enim tibi Rex Italiæ affinitatis vinculo copulatur, sit filii tui sponsalitia largitas liberatio captivorum, is sponsæ suæ munus benignius offerat, quod & Christus ipse accipiat.* His dictis, ambo surrexerunt, & lacrymabundi

(12) Hunc Ennodius Ticinens., ex quo hæc A. N. accepit, Ciceroni ob eloquentiam, Catoni ob æquitatem, similem commendat.

(13) Quam lamentatur Cassiodor. Variar. l. 12. ep. 29. L. Integram Theodorici allocutionem, cujus partem hic recitat A. N., ubi pristinam soli fertilitatem memorat, quam Gentium feritas abstulit, feliciter postea restitutam.

(14) Sive Rusticus, ad quem extat data à Gelasio Pontif. Epist. VIII. Kal. Febr. *Asterio, Præsidioque Coss.*, à Dacherio To. V. Spicileg. edita; unde patet quartam hanc Epiphanii Legationem rectissime huic an. ab A. N. consignari; inquit enim Pontifex: *Ceterum frater noster Epiphanius, qui ad gentis suæ relevandos, & redimendos captivos, ad partes destinatur, fraternitatem tuam certiorem faciet*, & cet. Est autem Rustici Lugdun. Ep. mentio ad diem 19. Julii in Continuat. Martyrologii Adonis.

bundi ad pectus regium accesserunt, & cum omnibus astantibus capita submiserunt. Tunc Rex sic respondit : *Belli jura pacis suasor ignoras, & conditiones gladio pactas concordiæ auctor evertis, lex est bellantium, quem putas errorem, prœliis modestiam nemo imponit, retuli Regi injuriam specie fœderis ab illo delusus, atque id egi, ut apertos inimicos agnoscerem ; quoniam vero largitur Deus, ut fœdus inter nos in perpetuum sanciatur, invenient partes illæ constantem in amore, quem perniciosum senserunt in simultate ; vos interim sancti viri domos vestras læti discedite, dum ego, animæ meæ, & regni rationibus ad disquisitionem adductis, quæ me conveniant præstare, pronunciem*. His auditis, Episcopi eum reliquerunt. Ille vero vocato Laconio, cui summam negotiorum omnium committebat. *Quoniam Epiphanium*, inquit, *libenter audivimus, & precibus permoti illius sumus, ob id mandamus tibi, ut tabulas scribas, quibus captivis Italis omnibus gratis libertatem restituas, quos ubicunque nostra arma, famis necessitas, & periculorum timor in servitutem abstraxit, itemque quos consensus Principis sui aut permisit, aut addixit; nam pro paucis, qui in ipso prœlii ardore sunt capti, pretium reddi militibus volo, ne posthac ancipites certaminum casus horrescant, & quorum caussa pericula susceperunt, lucra non sentiant*. Paruit ille mandato, & scriptas liberationis tabulas ad Antistitem detulit, quas ille summa expectatione recepit. Ceterum tanta redemtorum hominum multitudo confluxit, ut passim rura Galliæ deleri viderentur. Ex sola Lugdunensi civitate quadringenti uno die dimissi sunt ; item ex aliis civitatibus Sabaudiæ, aliarumque regionum ad eum numerum, ut sex millia confecerint. Eorum vero, qui auro redempti sunt, numerus iniri non potuit, quia multos fuga abstulerat; pecuniarum autem ad omnes redimendos non suppetentium summam Syagria (15) mulier sanctissima, itemque Avitus Episcopus Viennensis explevit, (16) Epiphanio inde Genevam profecto, Godigisilus fratrem Gundobadum imitatus, eos item, qui penes se erant, dimisit, quare brevi tanta liberatorum hominum turba coivit, ut itinera effusis agminibus complerentur, cum quibus Epiphanius tertio mense ita se cœpit recipere, ut honesti speciem triumphi præberet, lachrymis omnibus præ gaudio receptæ libertatis effuse manantibus : ut vero Tarantasiam venit, mulierem oblatam, quæ immundo spiritu vexabatur, in nomine Christi sanavit. In Italiam demum reversus, ubi captivorum quorundam, & præsertim generis splendore præstantium summas angustias, ac nimiam paupertatem animadvertit, ad Theodoricum progressus alimenta eorum inopiæ petiit, ac facile impetravit. Hæc ad Epiphanium pertinentia Enodius memoriæ prodidit, qui hujus legationis socius fuit. Interim Romæ Gelasius Pontifex Misenum Episcopum delictum suum jamdiu confitentem, ac veniam suppliciter deposcentem tandem recepit in gratiam, atque Ecclesiæ restituit suæ. (17) Anastasius autem Imperator, qui cum Eutychete duas in Christo Naturas confusas credebat,(18) cum adhuc odium adversus Catholicos à se dissentientes occuluisset, abhinc expromere aperte cœpit ; siquidem extortis ab Euphemio urbis Episcopo tabulis, quibus se hostem Catholicis fore, jurejurando negarat, ipsum cum Chalcedonensi Concilio duas distinctas in Christo Naturas asserentem falsi criminis accusavit, atque iniquo judicio condemnatum in exilium misit, & à Macedonio, (19) qui in ejus locum fuerat substitutus, inde se propter eandem caussam capitali quoque dissidio separavit. Ceterum, rebus Catholicorum in Oriente labentibus, præter spem omnium Africæ, & Galliæ pristina restitui religio cœpta. Guadamundus quippe Rex Africæ rogatu Engenii Charthaginiensis Episcopi post decem annos (20) Episcopos Catholicos revocavit, atque ædes clausas aperuit. In Gallia Franci à Gentilitate ad Catholicos transierunt, (21) ea vero res sic acta est. Clo-

(15) Quam Ennod. Ticin. *thesaurum Ecclesiæ* appellat, historiam hanc enarrans. Fortasse ea ex ipsomet stemmate erat, cujus Syagrius, qui apud eumdem Regem Burgundionum agebat, magna in existimatione habitus, quem & Burgundionum Solonem dixit Sidonius l. 5. ep. 5., & Syagrii quondam Consulis ordinarii pronepotem.

(16) De quo Sigebertus in Chr. ad an. 490. ait : *Avitus Viennensis Episcopus clarus, qui Gallias ab Ariana hæresi defendit*. Illustrius vero elogium tanti Viri L. ap. Agobardum Lugd. Episc in l. adversus legem Gundabodi. Sex ejusdem librorum fragmenta contra hæresim Arianam evulgavit Sirmondus.

(17) Romana hæc prima Synodus fuit à Gelasio celebrata in causa Miseni olim Apostolicæ Sedis Legati, & Acaciana communione infecti, eaque indicta *VIII. Id. Martii*, ut in Actis legitur, ad quam quinquaginta quinque Episcopi convenere. Collega autem Vitalis, ejusdem culpæ conscius jam è vivis excesserat.

(18) Quæ hic A. N. refert, à Marcellino in Chron., & Cedreno anno 5. Anastasii consignantur. Sed cum an. 490. Euphemius Episcopus fuerit renunciatus eamque Sedem an. 6 menses 3. tenuerit, teste Niceph. in Chr., nonnisi sequ. an. exul amandatus; unde Theophanes hæc evenisse tradit an. Incarnat. 489., qui Kal. Sept. sequ. Chr. an. inchoatur.

(19) Qui tametsi Zenonis Henotico subscripsisset, ut testantur Theodor. Lect. l. 2., Liberat. in Breviar. 31., & Victor. Tununens., attamen Chalcedonense Conc. venerabundus suscepit, ut præter Liberat. affirmant Monachi Palæstinæ ep. ad Alcisonem, ap. Evagr. l. 3. 21. Astu tamen improbare quædam primo visus est, ut fortasse Anastasio blandiretur, sicque Diodorum Tarsensem, Theodorum Mopsuestenum, Theodorum Cyrens., & plerosque alios Epp., in Chalc. Synodo uti Catholicos receptos, anathemate confodit.

(20) Non vero *XI., & menses novem, dies XI.*, ut in Auctore Fragmenti Augustani à Canisio evulgati Canisius ipse legi vult; Legendum namque: *Ecclesiæ fuerunt clausæ ann. X. menses VI. dies V., ab octavo anno Hunerici ex die VII. Februar. Idus* ( an. videlicet 484.) *usque ad decimum annum Regis Guntamundi, in diem IV. mensis Augusti*; anni nempe 494., unde idem Auct. subdit : *Qui memoratus Guntamundus Rex postmodum vixit annos duos, mensem unum*. Ex laudato igitur Auctore liquet, mortem Gundamundi ad an. 496. cum Hermanno esse referendam, quam A. N. conjicit in an. 497.

(21) Turonensis l. 4. Hist. ait, Bellum hoc actum anno XV. Regni Chlodovei, cui Auctor de Gest. Francor. adstipulatur : atqui illud concurrit cum an. D. 496., unde & emendandus Sigebertus in Chr. referens initum an. 499., adversus quem stat epistola Anastasii P, ( qui mense Novemb. anni 496. Romanam Sedem obtinuit, itemque mense Novemb. anni 498. obiit ) qua Chlodoveo gratulatur per Eumerium Presbyterum, de suscepto baptismate.

Clodoveus Rex arma Alemanis trans Rhenum habitantibus inferens cum lectissimo Francorum robore adversus eos ire contendit, qua re præcepta, Alemani egregie instructi & ipsi circa ripas Rheni se objecerunt. Ita, commisso ad Tolbiacum oppidum (22) prœlio, acriter à Francis, Alemanisque pugnatum est; ab illis, ne avitæ belli gloriæ, ab his, ne patriæ libertatis possessionem amitterent. Cum autem, flagrante certamine, ac multis utrinque cadentibus, Clodoveus suam inclinare aciem cerneret, neque ejus sustinendæ humanam ullam rationem iniret, tum, oculis in cœlum sublatis, lachrymabundus: Christe potens bellorum, inquit, polliceor, me sacra tua, quæ adhuc respui, cum meo populo suscepturum, ac tibi ex animo serviturum, si tuo beneficio victoriam de hostibus Alemanis retulero; qua oratione completa, repente Alemani infesto quodam quasi fulmine tacti Francis terga dare cœperunt, & victoriam, quam jam prope habebant in manibus, tradiderunt; mox cum Regem suum in acie cecidisse animadverterent, pacem ab illo quoque supplices petierunt. Sigebertus Coloniæ regulus, genere Francus, cum adesset, vulnus in pede accepit, ex quo postea claudicavit. Hoc nuncio accepto, Theodoricus Rex Italiæ re bene gesta Clodoveo his litteris gratulatus est, simul moneas, ut victoriam temperaret: *Gratulamur*, inquit, *quod gentem Francorum prisca ætate residem feliciter in nova prælia concitastis, & Alemanicos populos victrici dextra subdidistis, sed quoniam semper in auctoribus perfidiæ resecabilis videtur excessus, motus vestros in fessas reliquias temperate, quia jure gratiæ merentur evadere, quos ad parentum vestrorum defensionem respicitis confugisse. Memorabilis triumphus est, Alemannum acerrimum sic expavisse, ut tibi eum cogas de vitæ munere supplicare, sufficiat, illum Regem cum gentis suæ superbia concidisse, sufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim servitute subjugatam. Illa mihi bella feliciter evenerunt, quæ moderato fine peracta sunt*, ad extremum addit: *Quædam, quæ ad nos pro vestris utilitatibus pervenerunt, per harum portitores verbo vobis insinuanda commisimus, ut cautiores effecti optata possitis victoria constanter expleri. Vestra siquidem salus nostra gloria est, & toties regnum Italiæ proficere judicamus, quoties de vobis læta cognoscimus. Cytharœdum etiam arte sua doctum pariter destinavimus & expetitum, qui ore, manibusque consona voce cantando gloriam vestræ potestatis oblectet.* Hic autem Cytharœdus (23) judicio Boëtii præstantis hac ætate Philosophi fuerat approbatus. Ita Clodoveus victoriæ modo imposito, ovans revertit domum; ibi vero, quoniam ab uxore Crothilde sæpius ad religionem Christianam asciscendam rogatus ejus voluntati semper abnuerat, rem, ut erat acta, exposuit, ac novis ejus precibus expugnatus sacri omnino Baptismi accipiendi consilium expedivit, idemque, ut populus suus eadem secum voti religione obstrictus faceret, auctor fuit, quare proximo
anno, cum Paulus Consul esset, (24) Tul- 496
lum profectus Sanctum Vedastum, qui post Attrebatênsem Ecclesiam rexit, convenit, ut salutaribus Fidei ab illo documentis imbueretur, ac mox, illo comite, Rhemos ad Sanctum Remigium Archiepiscopum petiit, &, sacro postulato Lavacro, apud eum per aliquot dierum spatium mansit, ut rite prius pœnitentiæ lachrymis lavaretur, quàm aqua salutiferi fontis ablueretur. Inde die à Sancto Antistite constituta (25) cum universa Francorum natione ad Ecclesiam adiit; cum honoris caussa forum velis opertum, Templum aulæis instructum, & Baptisterium odoribus suavissimis esset perfusum, ac magna, & vere regia pompa ipse una cum Optimatibus, & popularibus suis manu Summi Sacerdotis est tinctus: ea fuisse tria hominum millia, (26) Gregorius Turonensis scriptum reliquit: quin etiam sorores ejus Albofledis gentilitate, & Lantildis Arrianismo abjecto, ablutæ sunt. Ab eo die gens Francorum Christi Fidem, nomenque tanto ardore, tantaque constantia coluit, ut usque ad nostram ætatem omnes hæreseos labes respuerit, & firma in Ecclesiæ Catholicæ disciplina, ac Romani Pontificis auctoritate permanserit: unde Rex ejus merito postea Christianissimi cognomen accepit. Gelasio inde Pontifice mortuo, (27) Anastasius Secundus V. Kal. Decembris est subrogatus: is, quoniam nihil tum erat, quod Pontificis Romani curam vehementius exerceret, quam detestatio Acacii, Petri, ac sociorum ejus, ut primum iniit, cum ad Anastasium Augustum
iterum Consulem de nova dignitate sua nun- 497
cios Cresconium, & Germanum Episcopos mitteret, nihil antiquius habuit, quam ut & ipse, quod decessores sui Felix, & Gelasius petere cœperant, impense contenderet; nempe ut nomen Acacii, sociorumque ejus, quos jam sæpius Ecclesia condemnasset, ex omnibus Ecclesiarum Orientalium Diptychis eximendum curaret. Liguria ad ceteras calami-

(22) Sive Tulbiacum *in finibus Agrippinensium* situm, inquit Tacit. l. 4. Hist. Ejus quoque meminit Turonensis l. 4. Hist.

(23) Quem mitti Clodoveus postulaverat à Theodorico: hic autem Boetio curam demandavit, ut idoneum inveniret, sciens Boetium musices consultissimum. L. Regis ipsius epistolam ad eumdem, ap. Cassiodor. l. 2. ep. 40.

(24) Sine Collega, ut omnes fasti docent, erat que Paulus frater Anastasii Aug., teste Marcellino in Chron. ad ejus Consulat. dicens: *Augustarno suo dudum Anastasii militibus præfito, donativum quoque hoc fratre Consule tribuit.*

(25) Non quidem die Paschatis, ut Fredegario placuit, in Epitome, c. 21., à quo decepti fuere Hincmarus in V. S. Remigii, & Flodoardus l. 1. 13., nam Avitus Viennens. in Regno Burgundiæ ep. ad Clodoveum data, ait: *Cujus splendore congrue Redemptoris nostri Nativitas inchoavit, ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos pateat, quo natum Redemptorem suo Cœli Dominum mundus accepit.* Hincque mos apud Francos baptizandi Natalitio Domini die.

(26) *Sex millia* Fredegarius tradit; Hincmarus *tria millia, exceptis parvulis & mulieribus.*

(27) *Obiit XIII. Kal. Decemb.*, die nempe decimanona Novemb., ex Mariano Scoto in Chr., Martyrol. Bedæ, & Usuardi, cum R. Ecclesiam rexisset ann. 4., mens. 8. dies 18. secluso emortuali, ut præter alios ostendunt Auctores utriusque Catalogi a Mabillon. edit. To. 3. Vet. Analect. Duravit autem Interpontificium dies sex, ut in Auctiori Chr. Veter. PP., creatusque Anastasius natione Romanus, à quo non expungenda nota numeralis.

limitates tributorum quoque magnitudine onerata (28) non solum auxilii, sed etiam consilii inops ad Epiphanium Episcopum Ticinensem consugit, atque opem ejus apud Principem imploravit: cujus justis precibus victus Epiphanius rursus sine cunctatione Ravennam ad Theodoricum accessit, ac gravibus ærumnis populorum expositis, cum immunitatem in eum annum poposcisset, duas partes indictionis elicuit. Repetens inde domum, Parmæ levi tentari ægritudine cœpit: unde Ticinum reversus ex hac vita cum ingenti gloria sanctitatis, mœrentibus universis, excessit: (29) locum tenuit Maximus, (30) cui postea successit Enodius Diaconus, qui vitam ejus memoriæ consecravit. In Africa Gundamundo Rege mortuo (31) frater ejus Transamundus occepit regnum: hic, ut scripsit Procopius, Catholicorum suppliciis pepercit ille quidem, sed eosdem tamen præmiis, atque honoribus ad defendam fidem illexit: ab aliis scriptum est, centum ab eo Episcopos in Sardiniam rele-
498 gatos. (32) Paulino inde, & Joanne Consulibus, (33) Theodoricus Rex præclarum item facinus, ac memorabile summæ æquitatis documentum erga Catholicos edidit: nam, cum ministrum præcipue sibi carum, ac Catholicæ Fidei studiosum haberet, eumque in sui gratiam ad Arrianos defecisse videret, usque adeo iram non tenuit, ut manu sua illum confoderit, inquiens, eum sibi fidem præstare non posse, qui Christo fefellisset. Idem eodem tempore in suspicionem alienæ voluntatis apud Imperatorem Anastasium incidit, ita ut pax inter utrumque Imperium instituta aliquantulum titubare incœperit, (34) quod simul atque ipse animadvertit, propere Oratores ad eum de resarcienda concordia destinavit, cum his litteris: *Hortamini me frequenter, ut dilegam Senatum, leges Principum gratanter amplectar, & cuncta Italiæ membra componam, quo modo potestis ab Augusta pace dividere, quem non optatis à vestris moribus discrepare? additur etiam verecunda Romanæ urbis affectio, à qua segregari nequeunt, qui se nominis unitate junxerunt. Proinde illum, & illum legationis officio ad Serenissimam pietatem vestram destinavimus, ut synceritas pacis, quæ caussis emergentibus cognoscitur esse vitiata, desertis contentionibus, in sua deinceps firmitate restituta permaneat, quia pati vos non credimus, inter utrasque Respublicas, quarum unum semper corpus sub antiquis Principibus fuit, aliquid discordiæ residere, quas non solum oportet inter se otiosa dilectione conjungi, verum etiam decet mutuis viribus adjuvari.* Ceterum ex legatis unus Festus Senator, & exConsul fuit, cujus missi Theodorus in Collectaneis meminit. Ille vero, postquam mandata, quorum caussa missus erat, exhausit, proprio nomine Anastasium obsecravit, ut Constantinopoli sanctam Apostolorum Petri, ac Pauli memoriam eadem, qua Romæ, veneratione, ac magnificentia celebrandam ediceret, idque obtinuit; contra vero, cum Anastasius Macedonium Urbis Episcopum Synodicam ad Anastasium Pontificem dare de Chalcedonensi Concilio approbando prohibuisset, idem rei componendæ caussa secreto illi promisit, se daturum operam, ut Anastasius Pontifex Zenonis Henotico assentiret, eique manu sua subscriberet, quæ res dissidium ingens mox Romana in Ecclesia peperit; nam domum reversus in ipsam Anastasii Pontificis mortem incurrit, quæ XIIII. Kalend. Decembris evenit; itaque, cum extinctum videret eum, à quo se sperabat impetraturum, quod Augusto spoponderat, omne studium suum ad successorem creandum convertit, quem promissis

(28) Quæ sane ingens erat ob inexplebilem Anastasii parandæ pecuniæ cupiditatem, ut Suidas testatur in voce *Anastasius*; ideoque quæ tributorum publicorum remissio in Quinquennalibus, aliisque solemniis fieri consueverat, singulis tantum septenniis Anastasii jussu concessa, teste Procopio in Hist. Arcan. 23., qui & l. 1. Bell. Pers. 7. tradit, eumdem Imp. Amidenis, qui egregiam navarant operam urbi adversus Persas tuendæ, summæ munificentiæ loco ad septennium vectigalia remisisse.

(29) Anno superiori Legationem ultimam ad Theodoricum suscepit Epiphanius, eodemque anno obiit; Ennodius namque postrema Epiphanii tempora accurate recenset, ita ut narrata ejusdem S. Episcopi Legatione ad Gundebodum, & Godegesilum Burgundionum Reges (an. 494. obita) c. 13., subdat, *tertio mense* Ticinum rediisse una cum captivis, & *nec dum biennio exacto à deliberatæ quietis gremio* abductum infelicium Ligurum precibus; Ravennam petiisse ad Theodoricum; Parmam ingressum catarrho afflictatum fuisse, tandem Ticinum remeasse, & *septimo die* vita functum: ex qua temporum serie colligitur anno præced. & Legationem, & obitum consignanda, adversus Sirmondum in Not. ad Ennod. Ticinens., qui ad an. curr. cum A. N. refert. L. Gelas. P. epist. ad Avit. Vienn. Ep., quam si conferas cum Vita S. Epiph., annum hujus emortualem cognosces.

(30) Deceptus igitur Labbeus Dissert. de Script. Ecclesiast. ait, Ennodium Epiphanio successisse an. 490., Maximus enim subscripsit Palmari Synodo an. 503. celebratæ, quo anno Ennodius Ecclesiæ Ticinens. adhuc Diacon. celebrem pro eadem Synodo ornavit Apologiam.

(31) A decimo anno Regni Gundamundi, seu Gundebodi, *die IV. Id. Aug.* (Anni videlicet 494.) vixit idem Rex *annos duos, mensem unum*, inquit Auctor Fragm. Aug., quare mense Septembris an. 496. obiisse dicendus. Repete hic quæ de tempore restituti ab eodem Catholici in Africa cultus superius dicta.

(32) Hi fuere Episcopi Byzacenæ Provinciæ, aliique; sed non h. anno. Verius conjiciunt eruditi, persecutionem hanc 504., aut sequen. incœptam, ut in Chron. Mariani, ad Consulat. sc. Theodori, & Sabiniani, innui videtur.

(33) De Priori L. Boëtium l. 1. de Consolat. prof. 4, isque *Junior* vocatur in ep. Symm. Papæ ad Eonium Ep. Arelat., imperiti Amanuensis certe opera, qui hunc Paulinum cum altero item Consule an. D. 534., juniore appellato, confudit. Joannes autem ille, qui, Zenone Imp., adversus *Illum* missus, hunc, atque Leontium in Papurio Castello arctissime obsedit, ut auctor est Theoph. p. 112.

(34) Si Theophanes recte se habet, an. 499. pax instaurata; an. namque Incarnat 492. secund. Alex., Kal. Sept. an. 499. inchoato, habet: *Hoc anno Festus Senator Romanus ob publica quædam negotia Constantinopolim ad Anastas. Roma missus*, Anonym. vero Vales. ait: *Facta pace cum Anastasio Imp. per Festum de præsumptione Regni, omnia ornamenta Palatii, quæ Odoacer C. P. miserat, remittit.* Subdit deinde: *Eodem tempore intentio orta est in Urbe Roma inter Symmachum, & Laurentium*: Atqui Symmachus mense Novemb. anni 498. Pontifex creatus, tuncque orta contentio; eo igitur anno pariter pax inita videtur, ut A. N.

missis suis explendis idoneum judicavit, & Cleri, populique partem ad sua fovenda studia pecunia distributa traduxit. Ea de caussa comitiis habitis divisa est civitas, ac X. Kal. Decembris alii in Basilica Constantiniana, alii in S. Mariæ Basilica coierunt, atque integrior quidem pars, ac major Symmachum, corruptior vero, ac minor Laurentium Presbyteros ad Pontificatum evexit. Contentione vero inter partes exorta, (35) dissidioque in Ecclesiam introducto, placuit, ut ex lege Odoacris Regis (36) comitiorum judicium ad Theodoricum Regem rejiceretur; ita singularum partium patroni, suscepta legatione, Ravennam profecti, Theodoricum super hac re universa consuluerunt; qua cognita, ille pronunciavit, Symmachum, ut qui plurium suffragio declaratus, & priore loco consecratus fuisset, in Sede Apostolica residere; itaque, exempta controversia, Symmachus in possessione Ecclesiæ collocatus Laurentium abdicavit, &, ne privatus degeret, Ecclesiæ Nucerinæ præfecit, atque inde, Joanne,
499 Asclepioque Consulibus, (37) Kal. Martiis finitimos Episcopos in Basilicam Vaticanam accivit, (38) atque ita ad eos disseruit: *Ego vos, neglecta hyemis asperitate, ad Concilium advocavi, ut Episcopalem ambitum, ac popularem tumultum, quem per surreptionem Diaboli usurpatione aliquorum memoria mea constat esse subortum, in futurum comm uni a tis consiliis amputemus, ac quid de ordinatione Romani Pontificis posthac observandum sit, statuamus*. Quam vocem cum omnes assensu maximo excepissent, inde ita sanxit: *Si quis igitur Presbyter, aut Diaconus, aut Clericus, Papa incolumi, &, eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pittacia promittere, aut sacramentum præbere tentaverit, aut aliquod certe suffragium polliceri, vel hac de caussa, privatis conventiculis factis, deliberare, atque decernere, loci sui dignitate, atque communione privetur. Item, si, quod absit, transitus Papæ inopinatus evenerit, ut de sui electione successoris, ut supra placuit, non possit ante decernere, si quidem in unum inclinaverit totius Ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus Episcopus. Si autem, ut fieri solet, studia cœperint esse diversa eorum, de quibus certamen emerserit, vincat sententia plurimorum, sic tamen, ut Sacerdotio careat, qui captus promissione non recto judicio de electione decreverit*. Item omnes sibi placere succlamaverunt. Huic conventui ex Episcopis Æmiliæ, Liguriæ, & Venetiæ nemo affuit. Regnabant adhuc inter Burgundiones duo Gundeuci Regis filii Gundobadus, & Godigisilus animis prava inter se discordia exulceratis. Godigisilus autem, ut fratrem Gundobadum everteret, (39) clam legatos ad Clodoveum misit, spondens, se illi tributum annuum soluturum, si se in opprimendo fratre juvisset, quod Clodoveus pro viribus facturum ostendit, ac statim contra Gundobadum exercitum destinavit: qua re cognita, Gundobadus pactarum insidiarum prorsus ignarus misit ad Godigisilum, obsecratum, ut sibi adversus Clodoveum in se hostiliter irruentem adesset, & secum commune regnum à communis hostis impetu tutaretur, atque ab illo responsum specie benignum accepit. Cum autem tres exercitus ad Divionem oppidum convenissent, Godigisilus, Clodoveo sibi adjuncto, Gundobadum super Oscaram amnem invasit, atque in fugam conversum trepido agmine sese recipere Avenionem coëgit, &, regni parte Clodoveo concessa, Viennam processit. Clodoveus autem Gundobadi tergo insistens exercitum Avenionem promovit, atque urbem corona circumdedit. His de rebus Gundobadus in magnam consiliorum difficultatem adductus, Aredium ex fidis amicis misit ad Clodoveum, qui utile se ei dixit daturum consilium, ut agri vastationem, & urbis oppugnationem, quæ magnam esset habitura difficultatem, omitteret, ac Gundobadum tributo annuo sibi obnoxium faceret; quod cum ille probasset, Gundobado obligato, discessit, ita Gundobadus regnum suum recuperavit. Hæc Gregorius. Procopius autem scribit, Clodoveum contra Burgundiones ultro contendisse, atque Theodoricum Regem auxilio advocasse, eisque devictis partam cum eo regionem ex pacto distribuisse. Annus inde à Christo nato quingen- 500
te-

(35) Laurentio namque favebant Festus, atque Probinus potentissimi Senatores; Symmacho vero Faustus Exconsul, aliique, sed dispari longè consilio. L. Theodor. Lector. l. 2. Collectan., & Nicephor. l. 16. 36. Vires autem Schismati auxit Paschasius Diac., vir ceteroquin probus, quem vix excusare potuit ignorantia, de quo V. S. Gregor. M. l. 4. Dial. 4.

(36) Repete hic quæ superius de hac Lege dicta. Ceterum malesani consilii Theodoricum interpellandi causa fuit temporum illorum calamitas, quæ non permittebat in gravissimo hoc negotio Concilium cogi, quo lis dirimeretur ex more.

(37) Joannes *Gibbus* dictus à Marcellino, & Victore Tunon., ab Interprete vero Theophanis *Cyrtus*, qui græcam vocem hanc fecit latinam: Sed absque Collega Consul in Oriente processit, ut Fasti omnes exhibent; unde quia liberum Occidentalibus erat Consulem Orientis in Actis publicis memorare, ideo hic annus notatus, *post Consulatum Paulini*, quod non accidisset, si Asclepius Consul.

(38) Hæc Synodus Rom. prima à Symmacho fuit celebrata, *post Consulatum Paulini V. C. Kal. Mart.*, ut vulgatæ habent editiones, & plures MSS. Codices; hinc perperam Merlinus in sua Concilior. Collect. *Secundam* appellat. Secunda enim ea fuit, quæ Laurentium Nucerinæ Episcopum renunciavit, an. 500. coacta, ut ex Lectore l. 2. c., Nicephoro l. 16. 35. colligitur; hinc priori Synodo R h an. gestæ Laurentius subscripsit ita: *Cælius Laurentius Archypresbyter tituli S. Praxedis bis subscripsi, & consensi Synodalib. constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia*.

(39) Marius Aventicensis sub Hypatii, Patriciique Consulatu, an. sequ. gesto, narrat hæc evenisse, subdens, *eo* quoque *anno* Godegesolum à Gundebado interfectum, Regnumque Burgundionum in unius cessisse Dominium Gundebadi, quæ A. N. differt in an. 503. Cum tamen Leges Burgundicæ *Avieno Consule* promulgatæ sint, an. scil. 501. jam antea tota Burgundia à Gundobado subacta, ex Gregor. Tur l. 2. 33. dicente de eodem Rege: *Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent*, eum antea dixisset: *Ipse regionem omnem, quæ nunc Burgundia dicitur, in suo Dominio restauravit*. Quæ autem narrat Procop. l. 1. Bell. Goth. nullatenus conveniunt cum narratione Aventicensis, qui de Gundebado disertè ait: *Regnumque, quod perdiderat cum eo, quod Godogeselus habuerat, receptum, usque in diem mortis suæ feliciter gubernavit*.

tesimus, Patricio, Hypatioque ambobus in Oriente Consulibus, (40) ut novo, sic optato Theodorici Regis Romam adventu fuit nobilitatus. Semper ejusmodi quidem res magna Italiæ prosequentis frequentia, ac majore populi Romani occurrentis lætitia solita est celebrari, tum vero cuncti se ipsos in ejusmodi functione muneris superarunt; quippe quos non officii modo cura, sed etiam studium summi, atque omnibus jucundi Regis inspectandi acueret. Itaque Theodoricus cum magno, atque illustri comitatu, tota ferme citeriore comitante Italia, Romam progressus, felicem illam veterum pomparum, ac triumphorum speciem, atque amplitudinem oculis omnium visus est retulisse, neque enim magnifico ejus ingressu Roma quidquam per multos annos vidit splendidius. Totius gratulantis, ac plaudentis civitatis occursu, incredibilique omnium alacritate, & splendido rerum omnium apparatu exceptus est, corpus regiæ indolis armis in primis insignibus honestantibus. In Curiam inde cum venisset, Boëtius Philosophus, & Orator illa ætate clarissimus ipsum ornatissima oratione laudavit, cui ille respondens, Senatum mira comitate appellavit, ac se dignitati, & commodis ejus nunquam defuturum ostendit. Inde in circum progressus, ad locum, qui Palma-aurea dicebatur, admirabili benignitate concionem habuit ad populum cum Senatoribus in gradibus considentem. Paulò ante forte in Urbem ex Africa venerat S. Fulgentius Monachus, (41) nova Trasamundi adversus Episcopos sævitia exanimatus. Hic, postquam sacra Martyrum loca venerabundus invisit, omnesque servos Dei, quorum adipisci notitiam potuit, humili obsequio salutavit, ad eum locum, in quo Theodoricus populum alloquebatur, accessit, ibi cum Romani Senatus amplitudinem, decus, ordinemque distinctis gradibus aspectaret, & favores liberi populi castis auribus exaudiret, qualis esset gloriosa hujus seculi pompa, cognovit, neque tamen aut immodica spectaculi ejus voluptate captus, aut inani seculi delectatione lenitus, verum inde potius ad illam supernam Hierusalem expetendam incensus est, itàque in hunc modum eos, qui sibi proximi stabant, est alloquutus: *Quàm speciosa debet esse Hierusalem illa cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc seculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor, & gloria tribuetur Sanctis contemplantibus veritatem?* Inde Roma profectus per Sardiniam ad Monasterium suum in Africam reversus, haud ita multo post Episcopus Ruspensis Ecclesiæ factus omni laude sanctitatis emicuit. Interim Theodoricus ex circo profectus Senatoribus triumphale epulum dedit, ac plebi Romanæ frumentum donavit: Urbem inde per insequentes dies perambulans, atque oculis omnia antiqua opera, quibus adhuc urbs ad stuporem aspectantium enitebat, lustravit, confessusque est, *Trajani forum vel sub assiduitate videre, miraculum esse, Capitolia celsa conscendere, nibil aliud esse, quàm humana ingenia superata vidisse*. In Formis (42) autem Romanis duo notavit, fabricam mirabilem, & aquarum salubritatem, nonnulla vero ædificia, inprimisque ipsa Urbis mœnia diruta cernens, ingentem ad ea reficienda summam pecuniæ contulit: (43) ex quo fiebat, ut ad præteritæ fortunæ fastigium nihil desiderari posse, exempta Urbis direptæ, atque incensæ infamia, videretur, neque vero id Romæ solum, sed etiam in tota fieri Italia statuit. Itaque munitissimæ posthac arces in finibus Italiæ, & magnificæ regiæ in celebrioribus urbibus jussu ejus sunt excitatæ, quibus operibus ipse antiqua illa, ut dixit Cassiodorus, miracula superavit, hinc ad universos Gothos, ac Romanos scripsit: *Præcipimus vobis, ut si quis cujuslibet generis saxa, in agris suis jacentia, muris babuerit profutura, libens animo sine aliqua dilatione concedat, quæ tunc verius possidebit, cum hæc civitatis suæ utilitati indulserit*, & ad Suram Comitem: *Sine usu jacere non debet, quod potest ad decorem crescere civitatis, quia non est sapientiæ futura contemnere. Et ideo illustris magnificentia tua marmorum quadratos, qui passim diruti negliguntur, quibus hoc opus videtur injunctum, in fabricam murorum faciat deportari, ut redeat in decorem publicum publica constructio, & ornent aliquid saxa jacentia post ruinas, ita tamen ut metalla ipsa de locis publice corruisse, apud te manifesta ratione doceatur, quia sicut nolumus ornatum urbis cujusquam præsumptione temeraria violari, ita privatis compendiis calumniam detestamur inferri*. Quanquam autem Romam adeo magnifecit, ut diceret, piaculum committere, qui Roma diutius abesset, cum eam collocatis laribus, incolere posset, tamen, rebus his constitutis, Ravennam se recepit. Eo Urbe profecto, statim seditio Laurentiana recruduit; nam Festus, qui præsente Theodorico quieverat, de integro movere, atque insanire instituit, ac Probino exConsule socio ascito, Avieno, & Pompejo Consulibus, (44) Symmachum falsis illatis crimi- 501
ni-

(40) De utroque L. Procop. de Bell. Pers. capp. 8., & 9. l. 1. Patricius Phryx erat: Hypatius autem Anastasii A. ex sorore nepos, Secundini filius, & Magnæ, ex Nicephoro in sua Chronologia.

(41) Natione Afer in Teleptensi urbe Provinciæ Byzacenæ natus, Græcè, Latinèque doctus, Ruspensis Episcopus, an. 508. circiter cum aliis Africæ Epp. in Sardiniam deportatus fuit Trasamundi jussu, unde postea ab Hilderico revocatus ad an. usque 533. vixit, in Doctrina D. Augustini versatus apprimè. L. quæ eruditè de eodem habet P. Chiffletius S.J.

(42) Erant Formæ, structiles meatus, seu ex lateritio opere contructi, per quos aqua ducebatur, L. 1. C. de Aquæd. Olim præaltis fornicibus *Formam* sustinentibus aqua utrimque muro inclusa per colles Urbis discurrebat, ut quæ extant modo vestigia, demonstrant. Vitruvius l. 8. 7., *tribus* modis aquam in Urbem ductam testatur, *fistulis plumbeis, aut tubulis fictilibus, vel structilibus canalibus*. Canales quoque ligneos memorat Pallad. l. 9. 11.

(43) Theodorici munificentiam Anonym. Vales. valde commendat dicens: *Donavitque Populo Romano, & pauperibus annonas, singulis annis viginti millia modios, & ad restaurationem Palatii, seu vel recuperationem mœniæ Civitatis singulis annis libras ducentas de arca vinaria dari præcepit*. Epulum item Senatoribus, de quo alibi dictum. L. Cassiodor. ab A. N. laudatum in Chr., his Coss.

(44) Prior alius est à Fausto Avieno, qui an. 490. Consul processit, cum ille absque nota numerali in Fastis exhibeatur. Pompejus, Cons. Oriental., filius Fla. Hypatii, qui frater erat Anastasii Aug., de quo L. Ducang. in Fam. Augg. Byzant., ubi de Famil. Anastas.

nibus accusavit, (45) eo consilio, ut postquam damnasset, tanquam indignum, Pontificatu dejiceret, & Laurentium, quem Nuceria evocarat, ei sufficeret, ac testes falsos instruxit, eosque ad Theodoricum Ravennam interrogandos misit. Itaque, priore redintegrata seditione, alii cum Symmacho, alii cum Laurentio versabantur, Festo, & Probino certamina cum aliis Senatoribus, in primisque cum exConsule Fausto miscentibus, qui Symmacho enixe favebat, ex quo fœdus admodum ipsius urbis erat aspectus; nam, Symmacho possessione Pontificatus, & prædiorum Pontificiorum exacto, cædes passim in urbe fiebant, & sanctimoniales sedibus suis ejiciebantur, spoliabantur, ac misere cædebantur, & Clericis interdiu, noctuque insidiæ tendebantur, ut per urbem incedere tuto non possent; multi etiam Sacerdotes neci dati, ex quibus Gordianus, vir insignis, ad Vincula S. Petri occisus est. Theodoricus autem, ut his malis occurreret, potestate abusus, visitatorem Ecclesiæ Romanæ Petrum Altinatem Episcopum (46) dedit, &, cum per eum præsentem sedare tumultum non potuisset, mox ex omnibus provinciis Episcopos Romam convenire ad rem cognoscendam præcepit, quorum utrumque contra leges, atque omnia vetustatis exempla est factum. Itaque, cum Liguriæ, Æmiliæ, & Venetiæ Episcopi Laurentius Mediolanensis, Petrus Ravennas, Maximus Ticinensis, Æmilianus Vercellensis, Bassianus Mutinensis, Eustasius Cremonensis, Laurentius Bergomas, Tigredius Taurinas, Servus-Dei Veronensis, intento Romam itinere, Ravennam adissent, de Theodorico quæsiverunt, cur se homines ferme ætate, viribusque confectos Romam contendere vellet? quibus ille respondit, multa ad se nefanda de Symmacho esse delata, quæ censeret illorum esse prudentia judicanda, cui Sacerdotes responderunt, oportuisse ipsum, qui insimularetur, conventum advocare, quod ei sedi eximia Petri Apostoli merita, & sancta superiorum Conciliorum auctoritas Principatum dedisset, neque unquam is Episcopus minorum Episcoporum judicio subjectus fuisset. Tum Rex: Atqui, inquit, huic quoque Concilio Symmachus ipse assensit; literasque ejus in testimonium protulit. Quibus rebus auditis, Romam Episcopi decesserunt, (47) ac X. Kal. Novembris in Basilica Julii coierunt. (48) Tum Symmachus privatus accedens, primum maximas Regi, quod eos evocasset, gratias egit, ac rem ex voluntate sua confectam asseruit, deinde auctoritatem Sacri Ordinis corrigendi se eis dare adjunxit, sperans, fore, ut, (quod ipse postulabat) visitator, qui contra omnia instituta Ecclesiæ fuerat introductus, ex Episcoporum sententia abrogaretur; & quæ ipse per insidias inimicorum amiserat, a conventu recuperaret, & sedem suam rite reciperet, atque inde ad extremum accusatorum criminibus responderet, quam postulationem justam esse Episcopi judicantes ad Regem retulerunt, sed legatorum, qui missi sunt, culpa æqui nihil obtinuerunt; jussit Rex, ut Symmachus, antequam patrimonium, & Ecclesiam suam reciperet, cum accusatoribus judicio decertaret, quod ille se facturum non recusavit, quanquam leges sibi

(45) Jam in II. R. Synodo (cujus acta non extant) renunciatus fuerat Nucerinus Episcopus Laurentius an. superiori, de qua Synodo Anastasius Bibliothecar. loquitur, eamque innuit Anonym. Vales. dicens, *facta pace in Urbe*, Theodoricum Romam venisse, rebus nempe compositis inter Symmachum P., & Laurentium Schismaticum. Hic autem ad ingenium rediit, *sed Episcopatum Urbis Romæ adhuc ambire non destitit*, ut inquit Theodor. Lect. l. 2., Festo etiam impellente. Sed quæ hic A.N. narrat de Symmacho adulterii falso postulato, & de Synodo eadem causa celebrata, ad an. 503. sunt referenda; Anastas. enim Bibl. in V. Symm. prodidit: *Post annos IV.* (ab an. D 500., quo II. Synod. R. habita, & Laurentius Episcopus creatus fuit) *zelo ducti aliqui ex Clero, & alii ex Senatu, maxime Festus*, & cet., narrans Symmachi accusationem, & reliqua ab A. N. exposita. Secundum igitur hoc Schisma excitatum fuit an. 503., quo & Petrus Altinensis Episcopus Visitator Romam missus, ex eod. Anastasio.

(46) Qui Romam profectus nullis debiti obsequii officiis Symmachum est prosecutus; id enim imprimis Rex ipsi præceperat: nullam quoque Ecclesiasticæ pacis curam gessit, a Schismaticis in partes tractus, teste Ennodio Ticinens. in Apologet. pro Symmacho. Sed Anastasius in V. Symmachi missum Visitatorem testatur, anno quarto, ex quo Laurentius Episcopus creatus fuerat. Altinum autem Urbs erat prope Venetiæ littus, de qua V. Cluver. Ital. antiq. l. 1. p. 161., ea vero eversa, Episcopatus Torcellum seculo septimo translatus.

(47) Turbas in Urbe excitatas, quas hic A. N. refert, exscripsit ab Anastasio cit., ut verborum, sententiarumque consensus clare demonstrat: at Anastasius ipse *post annos quatuor* (incompletos utrimque) hæc omnia evenisse narrat, ex quo Laurentius Nuceriæ Episcopus renunciatus fuerat. Epp. interfuere 115. ut in exemplaribus MSS., observante Baluz. in nov. Collect. Concil. p. 1464., licet in vulgatis editionib. 74. dumtaxat subscripti legantur.

(48) Fuit sane quarta Synodus R. sub Symmacho celebrata hæc, de qua loquitur A. N., *post annos quatuor* a Laurentio Episcopo creato, ut Anastasius tradit, eaque *Palmaris* dicta a loco Urbis *Palma* appellato, cujus meminit Anonym. Vales. Sed neque h. an., ex eod. Anastas., sed 503. Error autem inde ortum habuit referendi omnia hæc ad an. 501., quod in plerisque Codd. MSS., Synodus Palmaris his verbis incipiat: *Rufo Magno, Fausto Avieno, V. V. CC. Consulibus sub die X. Kal. Novemb. Sancta* & cet. Sed utraque nota temporaria fœtus videtur alicujus imperiti, qui perturbatum Conciliorum sub Symmacho ordinem offendens, vitium auxit. Primo namque Rufum Magnum Faust. Avienum unum eumdemque Consulem Occidentalem (collega Fl. Pompejo) in duos divisit, ægre sibi persuadens quatuor ea nomina uni posse convenire, quod tamen illa præsertim ætate in more positum apud Romanos. Præterea in iisdem Codd. ubi utraque hæc nota, reperitur Synodus Palmaris *Rufo Magno Festo* & cet., post Synodum VIII. Kal. Novemb., *Avieno Juniore Cons.*, an. sc. 502. celebratam: si autem illa sub Consul. Rufi Ma. Fest. coacta, cur post Synod. sub Avieno Jun. habitam collocatur? Mense autem Augusti cœptam Synodum Palmarem docet Præceptum Theodorici; cum enim, orta confusione initio Synodi, aliqui Epp. Urbe excessissent, Rex per Germanum, & Carosum Epp. *Præceptionem* misit jubens, ut secundo convenirent, finemque imponerent Synodo, indicta die *Kalend. Septembr.* Extat tamen postrema *Præceptio* Theodorici *sub die Kal. Octob. universis Episcopis ad Synodum convocatis*, ex qua patet Concilium ad mensem usque Octobris durasse.

sibi darent ut sola se conscientiæ suæ contestatione purgaret. Itaque, cum alio die conventus esset in Basilica Hierusalem Palatii Sessoriani, accusatores crimina edere jussi sunt, in quo duo sunt animadversa maxime veritati contraria; unum, quod dicebantur ea crimina Theodorico esse perspecta, quæ tamen ille, ut obscura, cognosci ab Episcopis voluisset; alterum, quod se servorum testimoniis eum posse convincere contendebant, atque, ut ille servos in quæstionem daret, poscebant, quod sacris legibus omnino refragabatur. Interea Symmachus ad caussam dicendam occurrit, verum in via ab inimicis appetitus ita est, ut vix manus eorum evaserit; Presbyteri vero multi, qui in comitatu ejus erant, vulnerati sunt, ac sine dubio necati fuissent, nisi vir illustris, Comes Aligernus, & sublimes viri Gudila, & Gideulfus Magistri regiæ domus intervenissent. His cognitis Episcopi perturbati literas ad Theodoricum miserunt, nunciantes, Symmachum, ne ad caussam dicendam accederet, nefariis adversariorum insidiis esse prohibitum; eundem regiæ voluntati obsequi paratum esse, verum per sacras leges ad caussam dicendam compelli non posse. Quibus respondit Theodoricus: Viderent Episcopi, ac præscriberent, quid sibi consilii in tanto negotio capiendum esset. neque enim aliquid ad se de caussis Ecclesiasticis præter reverentiam pertinere; ipsi vero seu caussam audire, seu secus, vellent, ex fide sua statuerent, dummodo pacem Urbi, atque omnibus Christianis præstarent: qua potestate accepta, Episcopi convocati, re cognita, decreverunt, (49) ut Symmachus ab omnibus, quorum arguebatur, criminibus liber, ac vacuus esset, quod ad hominum judicium pertineret, atque ut idem Christianæ plebi in omnibus Ecclesiis ad jus sedis suæ pertinentibus divina mysteria traderet, & ut quidquid intra, aut extra juris esset, reciperet. Huic sententiæ Archiepiscopi Laurentius Mediolanensis, Petrus Ravennas, & post eos septuaginta Episcopi, subscripserunt. Hæc ex Actis Concilii. Apud Anastasium præterea, & Nicephorum scriptum est, Petrum, & Laurentium, ut qui temere Sedem Apostolicam invasissent, condemnatos fuisse. Ita Symmachus locum suum magna omnium gratulatione
recepit. Avieno inde juniore, Proboque 502
Consulibus, Theodoricus studiis pacis, &
cultui Italiæ deditus aquam Ravennam perduxit, & Formam ejus suis sumptibus instauravit, quæ multis ante annis fuerat deturbata. Symmachus autem Ecclesiam Romanam in antiquam libertatem restituere cupiens, rursus Episcopos VIII. Idus Novemb. Vaticana in Basilica convocavit (50) atque ad eos de lege regis Odoacris abroganda retulit, qua, inconsulto rege, comitia perfici Pontificia vetabatur. Dictis sententiis, ex omnium auctoritate ejusmodi sublata constitutio est, ut quæ aperte libertati Ecclesiasticæ repugnaret, & Clero novam servitutis conditionem imponeret, ut regiam in legendo Pontifice voluntatem respiceret. Non ignorandum tamen est, hanc Symmachi sanctionem observatam non esse, (51) ac per multos post annos injussu Principis pro ratis ea comitia non fuisse; donec, quieta tandem, ac tuta à seditionibus civitate, hoc jus ab Imperatore Constantino ultro remissum est, Benedicto secundo Ecclesiam obtinente. Eodem in Concilio est cautum, ne prædia rustica Ecclesiarum in perpetuum alienari liceret, iidem, qui supra, Episcopi subscripsere. Per eosdem dies memorabile illud in Græcia contigit, quod Bulgari, (52) gens, ut dixi, nova ex Mœsia in Illyricum, & Thraciam transiit, atque Anastasio Imperatori novos hostes horrenti non mediocrem perturbationem animi
attulit. Dexecrato inde, & Volusiano Con- 503
sulibus, (53) iidem ex Thracia in Pannoniam penetrarunt, atque hostili tumultu omnia loca occurrentia repleverunt, & præcipue Sirmium oppidum occuparunt; qua re cognita, Theodoricus Rex, sive ut gratiam ab Anastasio bellum cum Cabade Persarum

(49) Facultate decernendi obtenta à Symmacho S. P. id fecere Episcopi, qui palam in Synodo testati sunt, R. Sedis Antistitem *minorum non subjecisse judicio*, ut Acta narrant. Ineptè autem Joannes Launojus part. p. Epistolar. in ep. ad Claudium Santeulium contendit, Minorum nomine non Epp. non Synodum, sed Romanos Clericos, Senatum, & populum intelligi, quem sensum satis refellunt verba Actorum, quæ A. N. superius recitavit pag. præe., Ennod. Ticinens. in Apolog., & ep. S. Aviti Vienn. Ep. ad Faustum, & Symmachum Senatores, suo & Galliarum Antistitum nomine hac de re scripta. Eluxit autem in hac Synodo insignis Symmachi animi modestia, & mansuetudo; cum enim Patres in accusatores suos, obtrectatoresque damnationis sententiam proferendam esse censerent, intercessit auctoritate sua Pontifex dicens: *Et licet justè damnentur, propter misericordiam tamen conserventur, ut in nobis illa Domini declaretur sententia, qua præcipitur ita fratribus dimitti, sicut sibi à Domino cupiunt dimitti.*

(50) Hoc utique an. celebrata hæc R. Synodus sub Symmacho, ordine tertia; ut exhibent MSS. Codices ap. Pag. ad an. Chr. 502. sed quæ an. præced. Synodus ab A. N. memoratur, eaque Palmaris dicta, hanc tertiam subsecuta est, ut superius dictum.

(51) Observata fuit usque ad Joannis Papæ mortem, perperam contendente Theodorico Felicem IV. eligere: sed Regis conatibus Clerus, Senatus, Populusque Romanus restitere, sicque pristino more à Clero Pontifex electus: quamdiu autem in Italia Gothorum stetit Imperium, assensum Reges electioni præstare voluerunt, conati hoc jus usurpare: eoque pessuno exemplo Justinianus quoque uti voluit; unde diuturniora fuere Interpontificia. L. quæ Anastas. in Agathone, & Mabillon. in Commentar. prævio in Ordinem Roman. §. 17. ex Opere MS. Onuphr. Panv., de varia creatione P. R. Regnante autem Pippino Francorum Rege Ecclesia omni servitute liberata fuit, (hiuc minus rectè Mabillonius e. pravum illum morem usque ad Carolum M. perdurasse affirmat) licet Ludovico Pio imperante, Pontificum Romanor. ordinatio coram Legatis Cæsareis iterum peracta, quæ sanè vi Princlpum evenere.

(52) Theophanes eorumdem excursionem ad an. Incarnat. secund. Alex. 494. refert, qui Kal. Septemb. an. Chr. 501. inchoatur, *cum nondum eorum natio audiretur de nomine*. Marcellinus autem in Chr. ad Consulat. Joannis Gibbi, an. D. 499., primam Bulgarorum in Thraciam irruptionem memorat, in eaque Illyricianam militum virtutem extinctam testatur.

(53) Is Judex cum Symmacho Patricio, & Decio fuit in causa Basilii, & Prætextati, qui de Magia fuerant accusati sub Præfecto Urbis Argolico. L. Cassiodor. l. 4. ep. 22.

ſarum Rege (54) adminiſtrante iniret, ſive ut tantum hoſtem longe à domo repelleret, ſive ut Pannoniam, ſuam quondam patriam, conſervaret, arma adverſus eos paravit, & Petzam Comitem eò cum idoneo copiarum numero deſtinavit. Interim bellum civile in Gallia à Burgundionibus renovatum eſt; (55) Gundobadus Rex, viribus ex ſuperiore clade collectis, promiſſa Clodoveo tributa perſolvere abnuens, exercitum adverſus fratrem Godigiſilum duxit, eumque Viennæ incluſum obſedit. Godigiſilus, ubi intercluſis in urbem commeatibus famem imminere ingentem vidit, inopes, atque egenos omnes emiſit, quo facto, ſimul etiam architectus quidam, cui aquæductus cura mandata erat, egreſſus eſt, qui iratus, quod urbe expulſus eſſet, ad Gundobadum ſe contulit, rationemque, qua irrumpere in urbem poſſet, oſtendit, atque, acceptis idoneis militibus, per ſpiraculum aquæductus ingreſſus, lapidem magnum, quo ille obſepiebatur, ferreis vectibus minuit, atque ita, aditu patefacto, in urbem milites introduxit, qui, defenſoribus ex mœnibos deturbatis, ſigno dato, obſeſſores in urbem vocarunt, atque ita & populum interceptum ſtraverunt, & Godigiſilum incolumitatis cauſſa ad Eccleſiam Arrianam profectum ibi cum Epiſcopo confecerunt. Gundobadus Francos auxiliares in unam turrim congregatos ſervavit, ac Toloſam ad Regem Alaricum in exilium miſit; Burgundiones autem, qui Godigiſilo ſtuduerant, neci dedit, ac totum Burgundiæ regnum recepit. Poſt autem, cum Arrianos in fide labi ſenſiſſet, ad Avitum Epiſcopum Viennenſem acceſſit, & Chriſtum Filium Dei, ac Spiritum S. Patri æqualem confeſſus, ſalutari ſe aqua tingi ritu Catholico in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti popoſcit, verum ad ſeditionem populi devitandam id clam populo fieri petiit, cui Avitus reſpondit: *Si vere credis; quod nos Dominus edocuit, exple; idest, coram hominibus ipſum confitere, ac vulgi voculas deſpice; tu enim es caput populi, non populus tui:* quod ille ut faceret, in animum inducere non potuit, atque ita in errore ſuo perſe-
504 veravit. Proximo anno, quo Cetheus (56) ſine collega Conſulatum adminiſtravit, Petza dux Theodorici bellum in Pannonia magna felicitate confecit, ſiquidem collatis ſignis regem Gepidarum Tranſaricum devicit, & Sirmium oppidum haud magno negotio cum provincia univerſa populo Bulgarorum ademit, quo in bello Vitigis, qui poſt in Italia regnavit, opera præclara enituit. Hac re bene geſta, Petza inde auxilio Mundi, qui in Illyrico cum ſuis in turri à Sabiniano militiæ Magiſtro obſidebatur, acceſſit, & Sabiniani exercitu profligato, Mundum obſidione exemit, atque ad Theodorici ſocietatem, amicitiamque traduxit. Pannonia Sirmienſi recepta, Theodoricus Coloſſeum ei rectorem impoſuit, his ad eum literis datis: *Proſperis initiatus auſpiciis ad Sirmienſem Pannoniam quondam ſedem Gotthorum proficiſcere illuſtris cinguli dignitate præcinctus, commiſſamque tibi provinciam armis protege, jure compone, ut antiquos defenſores recipere læta poſſit, quæ ſe noſtris parentibus feliciter paruiſſe cognoſcit.* Scripſit etiam ad univerſos barbaros, & Romanos Pannoniam in ſumma diſcordia incolentes, ſe Coloſſeo, viro illuſtri, gubernationem eorum, defenſionemque mandaſſe, eoſque ad concordiam adhortatus eſt, illud præter cetera inferens: *Res parva non vos ducat ad extrema diſcrimina, acquieſcite juſtitiæ, qua mundus lætatur. Cur ad monomachiam recurritis, qui venalem judicem non habetis? Quid opus eſt homini lingua, ſi cauſſam manus agat armata? Imitamini Gotthos noſtros, qui foris prælia, intus norunt exercere modeſtiam.* Hinc in veteribus monumentis merito hiſce titulis decoratus eſt: *D. N. glorioſiſſimus, atque inclytus Rex Theodoricus, victor, ac triumphator, ſemper Auguſtus, bono Reip. natus, cuſtos libertatis, & propugnator Romani nominis, domitor gentium.* Sub hoc tempus in Gallia Licumannus Cæſarii Epiſcopi Arelatenſis (57) notarius Cæſarium ad Alaricum Regem, urbis dominum, detulit, id moliri, ut urbem Burgundionibus proderet, quod etſi à vero prorſus abhorruit, tamen Cæſarius indicta cauſſa à rege damnatus Burdigalam eſt relegatus: ibi cum nocte quadam ingens forte conflatum incendium eſſet, præclarum ſanctitatis ſuæ ſpecimen dedit, quod precibus civium fatigatus, ignem tum, cum maxime ſæviebat, precatione ad Deum facta, reſtinxit, ex quo ingentibus ab omnibus cumulatus eſt laudibus; cum autem interim cives admonere, ut poteſtati Regis obedirent, perfidiam vero caverent, quod erat Arrianus, inſiſteret, Alaricus, Sancti Sacerdotis innocentia cognita, eum domum revocavit. Reditus ejus ab univerſa civitate, totoque Clero cum crucibus, & cereis obviam effuſo concelebratus; illud præterea boni civibus attulit, quod terram diutina ſiccitate arentem excuſſus ſub ingreſſum ejus cœlo imber largiſſimus irrigavit. Et hoc anno bellum ab Anaſtaſio Auguſto in Perſide

(54) Zamaſphes Perſarum Rex, Peroni filius, poſt quatuor Regni annos, ſe ſponte abdicavit, teſte Agathia l. 4. p. 138., anno circiter 501., quo Cabades (qui an. D. 531., cum regnaſſet ann. 30., obiit) reſtitutus fuit, filia Regis, uxore antea accepta. De Cabadis reſtitutione in Regnum V. Procop. Bell. Perſ. l. 1. 6 Pax autem cum Perſis inita an. 422. ad centum annos, an. præced. fracta, ex Marcellino in Chr., cui ſuffragatur Evagr. l. 3. 19. dicens, illam duraſſe ad an. 12. Anaſtaſii. De hoc bello L. Theophan. ad an. Incarnat. ſecund. Alex. 496., ex quo diſces Cabadem Armeniam irrupiſſe, & Theodoſiopolim, prodente Conſtantino, occupaſſe: penetrata deinde Meſopotamia obſediſſe Amidam. V. Procop. l. c. 7., pluribus hæc deſcribentem.

(55) De quo ſuperius dictum, ad præſentem ann. non pertinere.

(56) Cethegus Collegam non habuit, eratque Probini filius, an. 489. Conſulis, teſte Ennodio in Parænesi Didaſcalica, ubi illum ſummopere laudat.

(57) Cujus Vitam ſcripſit Cyprianus ejus Diſcipulus, ex quo duplex Cæſarii exilium diſtinguendum; primum autem, de quo hic A. N., non ad an. 507. cum Baronio referendum, cum enim ab Alarico reſtitutus fuerit, innocentia comperta, poſt aliquod exilii tempus, & Alaricus an. 507., ex Iſidoro in Chr., obierit, certè ante præfatum an. 507. evenere, quæ A. N. refert. Secundum vero exilium L. ap. eumd. Cyprian.

de gestum. (58) Sequentis, Sabiniano, &
505 Theodosio Consulibus, (59) parum clara est
fama, quòd nullis rebus memorabilibus, quæ proditæ literis sint, fuerit illustratus.
506 Messalla vero, & Areobinda Consulibus,
(60) Anastasius Imperator graviorum bellorum cura defunctus, converso in Catholicos impetu, Macedonium Constantinopolis Episcopum, Concilio Chalcedonensi neglecto, in partes traducere Eutychianorum contendit, quo conatu lapsus Episcopos alios, ut decreta Chalcedonensia impugnarent, induxit, quin etiam pictorem quendam Syropersam Manicheæ sectæ addictum (61) Cyzico accersivit, eumque imagines ab Ecclesiasticis diversissimas pingere imperavit, ex quo seditio gravis accensa est. Eodem anno Alaricus, qui in Gallia diu cum magna justitiæ laude Visgotthos in pace rexit, Theodosii Imperatoris Codicem, (62) qui extat, in compendium relatum III. Nonas Februarias edidit, quod ocium ejus Clodoveus Rex Francorum, bello internecino illato, perrupit, nam sive hæresim illius insectans, (63) sive regni libidine ardens, consulto litem nescio quam, quo illum ad arma attraheret, intentavit; Theodoricus autem, postquam accensa certaminis cupiditate utrinque studia sensit, animi anxius, quod cum ambobus vinculo affinitatis esset astrictus, legatos ad utrumque cum literis de concilianda concordia misit, (64) atque ad Alaricum quidem primum scripsit hoc modo: *Quamvis fortitudini vestræ confidentiam tribuat parentum vestrorum innumerabilis multitudo, & Attilam potentem reminiscamini Visgotthorum viribus inclinatum, tamen quia populorum ferocia corda longa pace mollescunt, cavete subito in aleam mittere, quos constat tantis temporibus exercitia non habere. Sustinete, donec ad Francorum regem legatos nostros mittamus, & litem vestram amicorum judicia amputent. Inter duos nobis affinitate conjunctos nolumus aliquid tale fieri, unde unum minorem contingat forsitan inveniri; non vos parentum fusus sanguis inflammat, non graviter urit occupata provincia, adhuc de verbis parva contentio est, facillime transigetis, si non per arma vestros animos irritetis*, deinde ad Lodoinum (sic enim Clodoveum appellat,) hoc pacto: *Miramur, animos vestros sic caussis mediocribus excitatos, ut cum filio nostro Alarico Rege durissimum velitis subire conflictum, ut multi, qui vos metuunt, de vestra concertatione lætentur, ambo estis summarum gentium Reges, ambo ætate florentes, non leviter regna vestra quassatis, si data partibus libertate confligitis. Impatiens sensus est, ad primam legationem protinus arma movere, à propinquis, quod quæritur, electis judicibus expetatur; abjicite ferrum, qui in meum vultis pugnare opprobrium, jure patris vobis interminor, & amantis, ille nos, & amicos nostros patietur adversos, qui talia monita crediderit esse temnenda. Quamobrem ad excellentiam vestram legatos nostros mittimus, per quos etiam ad fratrem vestrum filium nostrum Regem Alaricum scripta nostra direximus, ut nullatenus inter vos scandala seminet aliena malignitas, sed in pace perseverantes controversias vestras amicis arbitris finiatis*. Ut autem Alaricus se in auctoritate illius futurum ostendit, sic Clodoveus omnino præcepta ejus, literasque contempsit. Itaque Theodoricus legatos alios cum his literis ad Gundobadum Burgundionum Regem misit, adhortans eum, ut operam sibi suam ad hanc dirimendam controversiam commodaret. *Legatos nostros*, inquit, *ad fraternitatem tuam mittimus, ut si filio nostro Alarico visum fuerit, ad Regem Francorum cum conjuratis nobis gentibus eant, ut caussa, quæ inter eos vertitur, amicis arbitris rescindatur; convenit enim tantos Reges non inter se lamentabiles rixas quærere, ut de suis nos possint casibus sauciare. Quamobrem fraternitas vestra adhibito mecum studio eorum nitatur reparare concordiam, quia nemo potest credere, sine nostra voluntate illos ad hæc prælia pervenisse, nisi omnino pateat, nos potius, ne ad conflictum veniant, contendisse*. Item alios misit ad Reges Herulorum, & Thuringorum, qui Subalpinis regnabant: *Legatas vestros una cum meis, & fratris nostri Gundobadi Regis ad Francorum Regem Lodoinum destinate, ut aut se de Visgotthorum conflictu considerata æquitate suspendat, & leges gentium quærat, aut omnium patiatur incursum, qui tantorum arbitrium judicat esse temnendum. Recolite Eurici senioris affectum, quantis vos juvit semper muneribus, quoties à vobis proximarum gentium immunentia bella suspendit: red-*

(58) *Cum per totum triennium durasset*, inquit Theophan., an. Incarnat 498., qui Kal Septemb. an. Chr. 505. incipit; quo pactæ induciæ septem annorum, Amida restituta Romanis, qui eamdem Persis ob mœnium firmitatem eripere non potuere, & persoluta triginta talenta Persis. Loquitur de hac Pace Procop. l. 1. Bell. Persici 9.

(59) Lege *Sabiano*, *& Theodoro*. Prior filius erat Sabiniani Magni, ut auctor est Marcellin. in Chr. h. an., ubi ejusdem bellica gesta commemorat, quem & Jornand. l. de Regn. Success. 108. laudat. Vide Epist. Fulgentii Rusp. 6. ad Theodorum Senatorem *de conversione à seculo*, (qui h. an. Consul) ibique mores, & ingenium Theodori graphicè expressa cognosces.

(60) Illo Avieni frater, & Fausti filius, qui ab Ennod. l. 9. epp. 12., & 26. memoratur. Areobindus vero Junior dicitur in Fast. Heracl., nepos quippe Areobindi an. 434. Cons.

(61) Erat namque Anastasii mens Manichæorum opinionibus assueta, inquit Theoph. ad an. Incarn. sec. Alex. 499., unde & Xenajam, eorumdem Sectatorem, Philoxenum alias dictum, Byzantium accersivit.

(62) Sumptis legibus ex Cod. Theod., item ex Gregoriano, Hermogeniano, Sententiis Pauli, Cajique Institutis, & ex corpore Novellarum. Eaque Collectio, quæ vulgo audit *Breviarium Aniani*, evulgata *III. Non. Februar. anno vigesimo secundo, Tolosæ, regnante Alarico Rege*, proindeque rectè hoc an.

(63) Hanc causam affert Turonensis l. 2. 37. Sed Fredegarius in Epit. 25., cui adhæret Aimoinus l. 1. 20., narrat, missum à Clodoveo Legatum suum nomine Paternum ad Alaricum, ut de pace ageret, eumque contumeliis ab Alarico affectum, idque in causa fuisse, ut Clodoveus è Francia in Aquitaniam veniret, bellum illaturus. Cassiodor. l. 1. epist. 2. initio *de verbis* contentionem fuisse prodidit.

(64) Omnes Theodorici epp. L. ap. Cassiodor. l. 3. ep. 4., quæ ad Gundobadum V. ep. 2.; alias vero Regibus Herulorum, Guarnorum, & Thuringor. datas L. epist. 3. Metuebat porro Theodoricus Alarico, utpote rei militaris imperito; cum esset in eum propensior, cui & gente, & pseudoreligione jungebatur; etenim uterque Gothus, & Arianus.

*reddite filio ejus gratiam, quam tantum agnoscitis vestris utilitatibus attributam; nam si tanto regno aliquid prævaluerit, vos aggredi sine dubitatione præsumet*. Legati missi apud Clodoveum nihil neque auctoritate, neque gratia valuere; ille enim caussis, quas diximus, stimulatus, ac viribus suis, quæ magnæ erant, confisus, bellum facere Alarico intendit, &, cum Episcopos Aurelianum (65) convenire jussisset, literis eos monuit, se exercitui suo, antequam in agrum Gothorum ingrediatur, edixisse, ut sanctimonialibus, viduis Deo dicatis, & Clericis, atque Ecclesiarum mancipiis parceret, neque ullum eis detrimentum inferret, si quem eorum quis cepisset, statim dimitteret. Inde trajecto Ligeri adversus Alaricum, qui ad oppidum Pictavorum consederat, movit. Ceterum, cum per agrum Turonensem transiret, verecundia S. Martini perfusus militibus suis præcepit, ne quidquam ex eo, nisi panem, & aquam, assumerent, non levi defunctorum pœna, qui hoc imperium detrectasset; itaque cum miles quidam fœnum pauperi extorsisset, pectus ei gladio hausit, subjiciens: *Ecqua spes victoriæ suberit, si Sancti Martini numen offenditur*? missosque aliquot ad Basilicam ejus viros attendere jussit, num auspicium aliquod victoriæ cernerent, ac datis muneribus, quæ offerrent, dixit: *Si tibi Domine cordi est, ut ego hanc gentem impiam, & nomini tuo inimicam ulciscar, fac, ut signum aliquod tuæ eluceat voluntatis*; nuncii vero, qui missi erant, Basilicam ineuntes Primicerium incinentem hanc Antiphonam audierunt: *Præcinxisti me Domine virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicorum meorum mihi dedisti dorsum, & odientes me disperdidisti*, idque, persolutis donis, Regi ipsi renunciarunt. Cum autem lætus ille propterea, motis castris, ad Vigennam amnem pervenisset, ac flumini magno forte effuso imbre tumescenti exercitum objicere pertimesceret, per noctem supplex Deum oravit, ut vadum sibi ad trajiciendum illud ostenderet, ac postridie mane cervam transeuntem sequutus, exercitum incolumem transportavit. Castris inde ad Pictavorum oppidum positis, pharum igneam sibi visus est ad se è Basilica Sancti Hilarii venientem, ex qua intellexit, se lumine Sancti Hilarii hæreticorum acies, quas ille verbo disjecerat, dissipaturum armis; quamobrem, ne quid inde à milite raperetur, edixit. Acies inde in campo Vocladensi (66) decem ab urbe millibus passuum utrinque instructæ strenue concurrerunt, & post dubiam aliquot horarum pugnam tandem Gotthis in fugam conversis Franci superiores fuerunt: inter ceteros, quos prœlii impetus perculit, ipse Alaricus Rex cecidit, viginti duobus annis regno potitus, (67) Clodoveus tamen ad extremum periculum venit, siquidem à duobus Gotthis infestis in latera ejus incurrentibus appetitus vix se firmæ loricæ, & opportuno pernicis equi subsidio texit; præcipue multi Arverni, in primisque Senatores ipsi, qui cum Apollinare venerant, perierunt. Ex hoc prœlio Amalaricus Alarici filius puer, rebus Galliæ deploratis, in Hispaniam se proripuit. Gotthi, Gisalarico, (68) sive Gisaleuco Alarici notho sublecto, ad regni defensionem se contulerunt. Theodoricus Clodovei filius jussu patris ad urbes Gotthicas expugnandas profectus, (69) Tolosam regni caput subito in ditionem cum omnibus regiis thesauris adduxit: inde exercitus ad alia oppida circunductus, Gotthis, qui intus erant, non minore pertinacia eorum possessionem tuentibus, quàm Francis oppugnantibus. Clodoveus, Burdigala capta, ibi hiemavit, atque eò cunctos Alarici thesauros Tolosa avehendos mandavit. Interim Episcopi, qui Aurelianum à Clodoveo fuerant convocati, perfecto Concilio, sic ad eum scripserunt: *Omnes Sacerdotes, quos ad Concilium venire jussistis, de rebus necessariis tractaturos ex præscripto vestro de titulis à vobis propositis, quæ nobis sunt visa, decrevimus*. Hi vero fuerunt de incolumitate eorum, qui ad Ecclesiam confugissent, de officio, & jure Episcoporum, Clericorum, Abbatum, & Monachorum, de diebus festis celebrandis, de supplicationibus ante diem Ascensionis Dominicæ peragendis, jejunio triduano præmisso, & servis ab operum ministerio relaxandis. Subscripsere præter ceteros clari per hæc tempora Eufrasius Arvernus, (70) Licinius

(65) Concil. Aurelianense I. an. 511. celebratum fuit; in antiquis namque Codicibus multis notatur Consulatu Felicis, observante Sirmundo in Conciliis Gallic., quem V. fusius hæc tractantem. In eo editi 31. Canones, ferme omnes Decreto suo à Gratiano inserti.

(66) Ita Turonens. l. 2. 42. Vogladum autem, ubi pugnatum, vulgo dictum Vouglà, castellum est in Pictonibus, Clenno proximum, ab Urbe Pictaviensi tribus leucis dissitum. Hæc autem victoria Aquitaniam universam Francorum ditioni subjecit.

(67) Ita Gregor. Turon. l. 2. 37., Isidorus autem in Chron habet *viginti & tribus*, postremo certè incompleto, quo adacti plerique Pugnam ad Campos Vogladenses in an. 507. conjecere, quibus suffragari videtur alter Isidori locus, ubi ait Giselichum successisse Alarico an. 17 Imperii Anastasii, qui in an. 507. incidit. Repete quæ alibi de an. primo Regni Alarici dicta.

(68) Sive Giselicho, ap Procop. l. 1 Bell. Goth. 12. dicentem: *Qui cladi superfuerant Visigothorum Giselichum Alarici minoris filium non ex matrefamilias in Principatum perduxere, quod Amalaricus Theuderici per filiam nepos per ætatem impar esset*. Emendandus igitur Anonymus Chron. Victoris Tunun. insertus, qui ad Consulat. Venantii & Celeris an. 508., Alaricum prælio victum, necatumque, aliaque peracta tradidit.

(69) L. Gregor. Tur. l. 2 37., & Aimoinum l. 2. 37. dicentem, *ad patrem victor redit* Theodoricus Clodovei filius postquam *Rutenos, Cadurcosque, atque Arvernos subegit*, Francia usque ad Occidentalem Burgundiæ limitem propagata, Gothis exactis. Omnes autem Urbes, ac Provinciæ subjugatæ an. 507., ac sequ. à Clodoveo, ejusque filio, ex Turonensi ipso, & Fredegario in Epit. 26. his finibus circumscribendæ, ab ortu sc. Regno Burgundiæ, Oceano ab Occasu, Ligeri à Septemtrione, à Meridie Pyrenæis montibus, & Gallia Narbonensi; ita tamen ut Ager Tolosanus, & Uceciensis (qui partem Galliæ constituebant) adscribantur Franciæ.

(70) Hunc Turonensis *Sanctum* appellat l. 3. 2. Quintianus Rutenensis is est, qui deinde Arvernorum Episcopus renunciatus fuit, & à Rutenis colitur die 17. Kal. Jul., ab Arvernis vero, Idibus Novemb. His adde Aventinum Carnotensem, Principium Cenomanensem, Camillianum Trecensem, Livanium Sylvanect., & Melanium Rhedon., Præsules morum sanctitate celebres.

cinius Turonensis, & Quintianus Ruthe-
507 nus.: Anastasio inde Augusto III. Venantioque Consulibus, (71) Clodoveus Burdigala profectus Engolismam accessit, ac, muris sub adventum ejus sponte sua labentibus, haud religione intactus urbem sine ullo negotio occupavit: inde Turonos regressus multa Basilicæ S. Martini munera intulit. Anastasius autem Imperator, cognitis rebus à Clodoveo gestis, virtutem hominis admiratus, eximia ad eum dona, & codicillos de Consularu (72) ex ipsa, ubi bellum gerebat, Mesopotamia (73) misit; quibus acceptis, Clodoveus filium Theodoricum accersit, ac Solemne Francis indixit, qui cum frequentes convenisent, in Basilica Sancti Martini semet muneribus Augustalibus, tunica blattea, (74) chlamyde, & corona aurea pretiosis gemmis distincta ornavit: inde, equo insesso, urbem spetioso suorum agmine comitatus perambulavit, ac communis lætitiæ caussa stipem aream, argenteamque in populum sparsit, tanquam Consul, & Augustus passim à populo salutatus, quo die nullus pulchrior Francis post festum diem Christianæ regenerationis illuxit. Addidit inde huic gloriæ insigne religionis decus, quippe eximiam illam coronam, quam missam ab Imperatore gestatat, parum sibi congruere arbitraius, Romam dono Sancto Petro misit, atque ea caput regali longe augustius exornavit, ea corona postea Regnum, ut notavit Sigebertus, est appellata. Egressus inde Turonibus Parisios venit, atque eadem Apostoli reverentia ductus ibi Basilicam nomini Sancti Petri construxit, ac regni domicilium collocavit, ex quo ab hominibus celebrari Parisiensis civitas cœpta demum ad immensam opum magnitudinem est evecta. Interim Theodoricus Rex Italiæ Amalarici orbitatem ex animo miseratus, ut calamitati ejus, quoad posset, subsidium ferret, in Hispaniam Theudam armigerum suum, qui puero tutor esset, summisit, ac Galliæ civitates aut recuperare amissas, aut conservare obsessas constituit; nam Carcasso, & Arelate præcipue à Francis circumjecto exercitu premebantur; itaque literas ad Gotthos suos, ut se ad hanc expeditionem accingerent misit: *Significanda magis sunt Gotthis*, inquit, *quàm suadenda certamina, quia bellicosæ stirpi est gaudium comprobari. Pro communi utilitate exercitum ad Gallias constituimus destinare, ubi simul & vos provectus occasionem habere possitis, & nos, quæ præstitimus, meritis contulisse videamur; atque ideo Pernandum Sajonem nostrum admonendum curavimus, ut ad expeditionem in Dei nomine more solito armis, equis, rebusque omnibus necessariis sufficienter instructi VIII. Kalen. Julias primas modis omnibus, Deo favente, moveatis*. Ubi vero dies præstituta venit, quæ fuit (teste
Cassiodoro) Venantio, Celereque Consuli- 508
bus, exercitum, Præfecto Hibba Comite suo dato, in Galliam destinavit. Qui Alpes transgressus, Carcassonem, ut inquit Procopius, (75) periculo obsidionis eripuit, hanc enim Franci omnibus viribus oppugnabant, quod in ea conditæ opes erant, quas senior Alaricus capta Roma evexerat, in his Salomonis pretiosa supellex, quam Romani Hierosolymis deportaverant. Inde ad Arelate liberandum contendit, in ea obsidione propinquus Cæsarii Episcopi urbi, & sibi timens, noctis silentio reste se de muris demisit, atque ad hostes transfugit; qua recognita, populus, & Judæi consilio id Cæsaru factum insimularunt, quod urbem hostibus prodere statuisset, atque exceptum in custodiam tradiderunt, inque ejus contumeliam Episcopium, immissa Arrianorum turba, fœdarunt; sequenti nocte Judæus quidam epistolam saxo alligatam in castra hostium jecit, monens, ut urbem ab ea parte invaderent, in qua ipsi excubias agitarent; nam sine controversia potituros, proinde Judæorum populo parcerent; mane vero, digressis forte à muro hostibus, civis quidam egressus epistolam deprehendit, eamque in urbem delatam in concione recitavit, ita, Judæo ejus scriptore correpto, Cæsarius, probata innocentia sua, è custodia mittitur. Reversi inde in urbem Gotthi Francos, quos ceperant, in Episcopium conjecerunt, quibus inopia laborantibus Cæsarius victum subministravit, ornamentis etiam Ecclesiæ in id pietatis genus exhaustis, ne illi Judæis, aut Arrianis se addicere cogerentur, ad extremum Francis ab Arelatis obsidione cedenti-

(71) Is pater fuit Decii an 529. Consulis, & Paulini an. 534., ut liquet ex epist. Athalarici Regis Italiæ ap. Cassiodor. l. 9. ep. 23. extat Theodorici Italiæ Regis epist. ad eumdem Venantium, qua eumdem Domesticorum Comitem creat.

(72) Consulatus nomine fortasse Patriciatum intellexit Gregor. Turonens., ex quo A N. hæc conscripsit, à Roman. Impp. sæpe collatum Regibus Romano Imperio amicis; nam Procop. de Bell. Goth. l. 1. 1. testis est, Theodoricum Gothorum Regem à Zenone Patricium declaratum, antequam in Italiam mitteretur, itemque Odoacrem Italiæ Regem ab eodem Augusto Patricium appellatum, testatur Malchus Rhetor in Excerpt. p. 94, & Anastasius idem affirmat de Carolo M., & Carolomanno Patriciis dictis a Romanis, in V. Stephani III. Papæ, unde Carolus M. in brevi, veterique Chron. de Visigothorum rebus, vocatur etiam Consul, cum tamen Consul non processerit. Immo Philostrato vox ὕπατος interdum est idem ac Magnas, Princeps civitatis, aut gentis alicujus; eademque Græca voce usitur Theodorus Lect. l. 2. scribens, *Illum Verinæ Aug. auctorem fuisse, ut Leontium Patricium Imperatorem coronaret*, qui certè Consul non fuerat, sed Patricius, ut eumdem appellat Theophanes, qui ex Theodori historia in suum Chronicon corrivavit plurima, integram illam nactus,

(73) Ubi erat Anastasius ex Theoph., qui addit ad an. Incarnat. secund. Alex. 500., qui Kal. Septemb. an. Chr. 508 incipit, Imperatorem Darascastrum, in Romanæ, Persicæque ditionis finibus situm, mœnibus cinxisse, Ecclesias, horreaque, ac cisternas, nec non porticus extruxisse, Anastasiopolim deinde appellasse, & civitatis jura concessisse.

(74) Blatteum paludamentum, & blattea vestis ap. Lamprid., & Capitolin. pro serica, & pretiosa sumitur: Cassiodorus vero in Epistolis pro purpurea sumit, quemadmodum & Sidonius blattam purpuram dixit in Paneg. Scripsit quoque Eutropius, Neronem aureo reti piscari solitum blatteis funibus adnexo, quos purpureos fuisse Orosius prodit.

(75) De Bell. Goth. 12. De Arelatis vero obsidione L. varias Cassiodori epp., præsertim l. 3. epist. 32. Pro Arelatensi urbe tuenda acriter Gothi pugnarunt, auspiciis Talli fortissimi Ducis, teste Athalarico Rege ap. Cassiodor. l. 8. ep. 10.

dentibus, urbs longam perpessa famem, in Theodorici potestatem concessit, & pro Visgotthis Ostrogotthos accepit: inde etiam Arausicum, Tolosa, Massiliaque receptæ. Ceterum Theodoricus, cum omnia recuperare non posset, partem, quæ ad Rhodanum pertinet, (76) ut inquit Procopius, in eorum ditione reliquit, ac multa Francorum, & Gallorum millia capta Ravennam vehenda mandavit, ac præfectis, & præsidiis, quæ regionem tenerent, relictis, provinciam sibi pro nepote Amalarico ascivit, & principibus tributum ferre coactis, ex eo Ostrogotthis, & Visgotthis annua munera dare instituit: ab eo inde tempore connubia inter utramque gentem communicata, demum Gallia, atque Hispania ad suam ditionem adjuncta, Præfectos, qui utramque aut ordinarent, aut regerent, eò cum literis misit, quarum alias ad universos Galliarum provinciales dedit: *In antiquam libertatem revocati vestimini moribus togatis, exuite barbariem, abjicite mentium crudelitatem, quia sub æquitate nostri temporis non decet vivere moribus alienis, proinde de necessitatibus vestris privata fide nobis, & industria comprobatum ad componendam provinciam credidimus dirigendum, quamobrem ordinationibus ejus ex nostris jussionibus obedite, quia eum credimus vobis profutura decernere, recipite paulatim juridicos mores, non sit novitas molesta, quæ proba est.* Aliis vero Gemellum Præfecturæ Vicarium constituit, &, ut provinciam sancte administraret, admonuit: *Hinc est, quod præsenti tempore in Gallias nobis, Deo auxiliante, subjectas Vicarium te Præfecti nostra mittit auctoritas, unde perpende, qualia de te videamur habere judicia, quando ad illos populos mitteris corrigendos, quos nostris laudibus specialiter credimus acquisitos: age mandata, si cupis, in te proficere nostra judicia, turbulenta non ames, avara declina, ut talem te judicem provincia fessa suscipiat, qualem Romanum Principem transmisisse cognoscat. Desiderat egregios viros coacta cladibus suis, effice, ut victam fuisse delectet.* Quin etiam ad Vinigem Spatharium ita scripsit: *Cum Gallias exercitus noster intravit, si qua mancipia servitium declinantia ad alios se, quàm quibus videbantur competere, contulerunt, prioribus dominis jubemus sine aliqua varietate restitui. Aliorum forte Regum prœlia captarum civitatum aut prædas appetunt, aut minas; nobis propositum est, Deo juvante, sic vincere, ut subjecti se doleant nostrum dominium tardius acquisisse.* Et ad Hibbam ducem: *Definitam rem ab antiquo Rege, quam tamen constet rationabiliter esse decretam, nulla volumus ambiguitate titubare; atque ideo præsenti tibi auctoritate præcipimus, ut possessiones Narbonensis Ecclesiæ secundum præcelsæ recordationis Alarici præceptum à quibuslibet pervasoribus occupatæ teneantur, æquitatis facias contemplatione restitui.* Cum autem Hispaniæ partem unam Gisalaricus teneret, alteram vero Theuda tutor puero Amalarico à Theodorico impositus, hinc factum est, ut idem post ad Ampelium, & Liveriam in Hispaniam hoc modo scripserit: *Decet provincias regno nostro subjectas legibus, & bonis moribus ordinari. Multorum querela comperimus, in provincia Hispaniæ vitas hominum vaga præsumptione populari, & levium occasione caussarum subire multos interitum, cui rei nos regali providentia succurrere cupientes, sublimitatem vestram per universam Hispaniam loco muneris credidimus destinandam, ut sub ordinationis nostræ novitate inveteratæ possit consuetudini nil licere.* Eodem anno Romanus Comes domesticorum, & Rusticus Comes scholæ cum centum armatis navibus, totidemque dromonibus, VIII. millia armatorum secum vehentibus, ad laceranda Italiæ littora accesserunt, qui Tarentum, sed frustra, adorti, turpem ex Romano agro prædam abegerunt, id, quod privatone, an publico consilio fecerint, (77) parum compertum. Per eosdem dies Clodoveus regulis Francorum, qui secum Galliam obtinerent, removendis animum, ut solus imperio potiretur, adjecit, atque ita ad Clodoricum Sigeberti Coloniæ reguli filium misit, inquiens: *Pater tuus ætate confectus, & pede captus est: si ille vita cesserit, ego tibi regnum, & amicitiam meam impertiam*, quibus verbis juvenis regni cupiditate incensus Sigebertum patrem Colonia egressum, ac, trajecto Rheno, Burconiam sylvam (78) ingressum, ac somnum meridie in tentorio capientem, immissis satellitibus, interfecit, atque ipsi nunciari Clodoveo jussit, patrem suum mortem oppetiisse, seque thesauros ejus in potestate habere; si ad se Ministros suos mitteret, se illi partem esse daturum. Cui Clodoveus respondit: *Mitto nuncios meos, tu fac, ut illis omnia patefacias, & universa habebis.* Paruit Clodoricus, & legatis venientibus penetralia aperuit, atque ita ibi, dum thesauros inclinatus erueret, securi elata percussus interiit; qua re accepta, Clodoveus populum ejus ita est alloquutus: *Dum ego per Scaldem fluvium navigarem, Clodoricus patrem suum insequebatur, verbo præ se ferens, me illi eripere vitam velle; cumque ille per Burconiam sylvam fugam arripuisset, immissis percussoribus interemit, neque ita multo post ipse quoque, dum thesauros ejus aperit, vitam amisit, quorum ego criminum insons sum, vobis autem suadeo, ut ad me transeatis, quo sub meo patrocinio sitis.* Qua re audita, illi animis, vocibusque plaudentes Clodoveum super clypeum extulerunt, ac Regem sibi esse jusserunt; hoc vero utrum hoc anno, 509
an postero factum sit, quo Importunus (79) Consulatum administravit, parum compertum

(76) Ex ep. Theodorici ad Gemellum, l. 3. ep. 41. ap. Cassiodor. liquet Druentiam fluvium limitem tunc remansisse Regni Ostrogothorum. L. Procop. ab A. N. c. Bell. Goth. l. 1. 12.

(77) Anastasii consilio id factum innuit Marcellinus in Chr. sub h. an. Coss., ubi re narrata subdit: *inhonestam victoriam, quam piratico casu Romani ex Romanis rapuerunt, Anastasio Cæsari reportarunt*, Romanus sc., & Rusticus, quo certe tempore Theodoricus in expeditione Gallicana erat; non enim id tentasset Anastasius in Theodoricum recentibus victoriis auctum.

(78) Cujus meminit Turonens. l. 2. 44. unde cuncta hæc A. N. accepit.

(79) Non Opportunus, ut in Chr. Marcell., & Fast. Heracl., cum Cassiodorus, Marius, Tununens., & Anonym. Cuspin. Importunum exhibeant, & ap. Cassiodor. l. 3. ep. 5. Basilius Importunus ap. Anonym. cit. dicitur, unde detegitur error in Auctario Victorii Aquitani ap. Bucher. l. de Doctr. Temp. p. 66., ubi hoc an. Basilius, sequenti vero Importunus Consul notatur, uno eodemque Consule in duos perperam diviso.

rum eſt. Hujus compos voti factus Clodoveus inde adverſus Cararicum, (80) qui bello contra Syagrium fidem ex fortuna ſuſpenderat, caſtra movit, ac dolo circumventum una cum filio in poteſtatem adduxit, atque ambos vinctos totondit, patre vero diram fortunæ ſuæ acerbitatem ſuppliciter conquerente, cum filius ferocius aliquid, procaciuſve loquutus eſſet, utrumque plecti capite juſſit, ac ditionem eorum ſibi vindicavit: inde adverſus Ragnacharium apud Camaracum agentem proceſſit, hominem libidine perditum, & proditoribus comparatis, qui hoſtilem exercitum adventantem ſocialem eſſe perſuaderent, ad manum temere conſerendam attraxit, ac ſummo prœlio pulſum in fugam conjecit: inde comprehenſum, & ad ſe manibus poſt terga religatis cum Richario fratre adductum ita rogavit: *cur hanc generi noſtro maculam attuliſti, ut te vinculis alligari permitteres? ſatius enim fuerat, mori*, ac ſtatim percuti imperavit, tum converſus ad Richarium dixit: *Si tu fratri tuo opem tuliſſes, in vinculis non hæreres*, atque ei ſimiliter caput amputari præcepit: inde tertius frater Rignomeres apud Cænomanorum civitatem, tanquam tertia victima, eſt mactatus, regnumque, & theſauri eorum adjuncti. Tum, regulis aliis propinquis ſuis, à quibus ſibi metuebat, deletis, regnum per omnem ferme Galliam prolatavit. In Italia Theodoricus Rex ingentem Gepidarum manum mercede conductam in Galliam in præſidia deſtinavit, &, ne provinciis Italiæ in tranſitu aliquid detrimenti afferret, enixe providit, ſiquidem ad Veranum Sajonem ſic ſcripſit: *Cum pro generali defenſione feliciſſimus producatur exercitus, providendum eſt, ne aut ipſe pecunia inconſulta fatigetur, aut vaſtationem noſtræ videamur provinciæ ſuſtinere, & ideo tibi mandamus, ut Gepidas, quos juſſimus ad Gallias cuſtodiæ cauſſa properare, per Venetiam, atque Liguriam ſub omni cures moderatione tranſire, quibus ne aliquid excedendi præberetur occaſio, per unamquamque hebdomadam ſumptus eis tres ſolidos largitas noſtra direxit*. Cum autem hi per Cottias Alpes iter facientes aliquot maleficia provincialibus intuliſſent, ea de cauſſa ſequen-
510 ti anno, qui fuit Boëtio Philoſopho Conſule, (81) quingenteſimus decimus, Aſſem eis publicum relaxavit, atque ita ad Fauſtum ſcripſit: *Provincialibus Alpium Cottiarum Aſſem publicum per tertiam Indictionem remiſimus, quos tranſiens noſter exercitus more fluminis, dum irrigat, oppreſſit; nam licet pro generali ſecuritate frementi adunatione proruperit, præteriens tamen iſtorum culta vaſtavit*. Per eoſdem dies Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis apud Theodoricum Italiæ Regem accuſatus, quod Monaſterium à ſorori, & ſacris aliis virginibus conditum, ac deinde in obſidione urbis everſum inſtaurare cœpiſſet, Ravennam ſub cuſtodia miſſus eſt; (82) cum autem ad Regem in Palatium acceſſiſſet, interrito illum animo ſalutavit, cui Theodoricus venerabundus aperto capite aſſurrexit, ac de labore itineris, de Gotthis, & Arelatenſibus percontatus eſt, dimiſſo inde illo, converſus ad ſuos dixit: *Malum eis, qui tam ſancto viro hanc itineris moleſtiam præbuerunt; nam quantus hic ſit, ex eo conjeci, quod ad primum ejus ingreſſum prope totus cohorrui, & Angelicum in eo vultum notavi, quamobrem nefas eſſe arbitror, durius aliquid in tam venerabilem virum conſulere*, miſitque ad eum in hoſpitium loco muneris diſcum argenteum magni pretii. Cæſarius autem eo vendito, & redacta pecunia captivos omnes Gallicos ſuperiore bello factos redemit; erant autem fere ex iis, qui ultra Druentiam incolebant, atque Arauſicenſes, quos liberare omnes Arelate nequiverat. Ceterum, cum tanta ad eum pauperum conflueret multitudo, ut vix pateret acceſſus, Senatores, ac Nobiles certatim ad eum diſpenſandas pecunias contulerunt, eo factum eſt, ut Symmachus Pontifex, & Clerus Romanus univerſus miro tanti viſendi Antiſtitis flagrare deſiderio cœperit, itaque Romam accitum benigne cuncti exceperunt, gratias Deo agentes, quod ſanctum virum ſuis demum oculis ſubjeciſſet, de quo ſæpiſſime ante auribus accepiſſent, præcipue vero Symmachus, qui eum non ſolum Metropolitani honore, ſed etiam pallii dignitate ornavit, (83) itaque Arelate regreſſus, qui in exilium in Italiam venerat, captivos redemptos reduxit, & dignitate auctus octo ſolidorum millia reportavit, quibus Carcaſſonem profectus reliquum captivorum recepit. In Oriente res mirifica ad deterrendos, ſi ſani fuiſſent, ab ſuſceptæ impietatis pertinacia Arrianos, eſt facta. Deuterius eorum Epiſcopus, cum Barbam quendam (84) ſacro fonte inficeret, ac ritu Arrianorum diceret: *In nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*, repente aqua ipſa exaruit, qua re Barbas exanimatus fugam arripuit, ac miram ſpeciem oculis oſtentatam obviis omnibus enarravit. Felix inde 511
in Occidente, Secundinus in Oriente Conſulatum ceperunt. Felix fuit domo Gallus, quem Theodoricus ad honeſtandum ſummæ virtutis hominem, & Galliam beneficio devin-

(80) Erat is Morinorum Rex, ex Gregor. Turonenſi l. 2. 45.

(81) Abſque Collega, ut ex Caſſiod., Marcell., Faſt. Heracl., Tununenſ., Mario, & Chronogr. Cuſpin. liquet; unde omnino è Faſtis expungendus Euthericus, quem h. an. Conſulem proceſſiſſe una cum Boëtio voluit Onuphrius deceptus ex falſa ſubſcriptione L. 10. Cod. Juſtin. de hæret., in quam ſicuti & in alias ejuſdem Codicis, Exſcriptorum, Librariorumque ſive oſcitantia, ſive imperitia, error irrepſit. De eod. Boëtio L. Procopium Bell. Goth. l. 1. 1., illum impenſe laudantem. Sed is alius à Boëtio, qui an. 487. Conſul, ut ibi obſervatum.

(82) Alterum hoc S. Cæſarii exilium accidit perfecto Cœnobio Cæſariæ ſororis ſuæ cauſa inchoato, an. ſc. 512., Cyprianus namque in ejus Vita, ait, obiiſſe S. Præſulem triginta annis poſt: atqui obiit an. 542., aut ſequ.

(83) Plura de Primate Arelatenſi in Galliis ejuſdem Gentis Scriptores docent ex ep. 8. Zoſimi, & altera Hilari Papæ. Symmachus autem confirmata diviſione Provinciæ inter Viennenſem, & Arelatenſem Eccleſias, à S. Leone ſtabilita, Primatum Cæſario per omnes Gallicanas regiones conceſſit, nec non per Hiſpaniæ Provincias Galliis finitimas. L. ejuſd. Pont. ep. 10., niſi Hiſpaniæ vox in epiſt. ipſam irrepſerit, ut Baronio, & Binio placuit, quam tamen expungendam non eſſe putat Sirmondus.

(84) Narrat hæc Theophanes an. Incarnat. ſecund. Alex. 502., ſed Barbæ nomen non habet, *Barbarum nomine* appellans illum, qui erat baptizandus.

vinciendam provexit; itaque sic de illo ad Imp. Anastasium scripsit: *Admonet nos consuetudo solemnis, dare Fastis nomen, ornatum proprium Romæ, terrenam Curiæ claritatem, ut per annorum numerum decurrat gratia dignitatum, & beneficiis Principum sacretur memoria seculorum. Felix à Consule sumat annus auspicium, agnoscat Curia Transalpini sanguinis decus, quæ non semel coronam suam nobilitatis ejus flore vestivit. Atque ideo vos, qui utrisque Reipublicæ bonis indiscreta potestis gratia delectari, jungite favorem, adunate sententiam, amborum judicio dignus est eligi, qui tantis fascibus meretur augeri*, & ad Felicem ipsum hoc modo: *Redit per te Transalpinæ familiæ Consulatus, sacram urbem aspice tuis votis candidatam, sume per Indictionem quartam Consulatus insignia*. Quin etiam Argolicum in eandem quartam Indictionem Præfectum Urbis constituit, scripsitque ad eum, ut Paulinum Patricium vetusta horrea reædificare, Joannem cloacas reparare permitteret, &, se caussam Basilii, ac Prætextati, (*) qui artem magicam tractasse accusati aulugerant, quinque Senatoribus cognoscendam commisisse, id est, Patriciis viris Symmacho, Decio, Volusiano, Cæliano, & Maximiano; scripsit etiam ad Senatum Romanum, se accepisse, aquam Formarum ad molas exercendas, & hortos irrigandos esse derivatam, mancipia Formarum servitio, mandato Principum attributa in privatorum potestatem traducta, æs, & plumbum de ornatu mœnium esse sublata, Templa, & loca publica, quæ multorum postulatu restituenda locasset, subversioni potius esse addicta, eaque quia turpia, atque intoleranda sint, se Joannem virum spectabilem ad inquirendum misisse. Jam vero Comitem etiam Maradum misit in Galliam ad securitatem Massiliensium civitati præstandam. Provincialibus item Galliæ, quos bellum afflixerat, per quartam Indictionem tributariam functionem remisit. Apud Francos anno centesimo duodecimo post Sancti Martini Episcopi Turonensis excessum Clodoveus Rex mortuus est, (85) cum annos triginta regnum obtinuisset, ac res magnas, & memorabiles, quà regno, quà fide Catholica propaganda gessisset. Regnum ejus adeptus est Childebertus filius, qui ipsum cum fratribus est partitus, (86) Childeberto Parisii, Clothario Suessiones, Clodomiro Aurelianum, Theodorico notho Mediomatrices evenerunt. In Oriente, Anastasio, homine non solum levis animi, sed etiam pravi ingenii imperante, Eutychiani majorem Chalcedonensis Concilii oppugnandi licentiam nacti, in multas hæreseum sectas sunt distributi, quarum duæ præcipuæ excelluerunt, una Acephalorum, (87) altera Aphthardocitarum, (88) pro illis stetit Severus, qui in aula versans Anastasii, post ad Ecclesiam Antiochenam ascendit, atque unam Verbi, & carnis Naturam esse asseruit; pro his Julianus Halicarnassensis, qui Corpus Christi à conceptione expers corruptionis fuisse putavit, utraque post hæresi Ecclesia vehementius afflictata est; nam priorem hoc anno Anastasius, posteriorem inde Justinianus Augustus ebibit. Anastasius autem à Severo, ceterisque Eutychianis corruptus Macedonium urbis Episcopum Chalcedonense Concilium amplexantem in exilium misit, atque ei Timotheum cum Severo sentientem suffecit, ac sequenti anno, Paulo, & 512
Muschiano Consulibus, multa in eos incommoda intulit, qui pro Macedonio, & Concilio depugnabant, quin etiam Severi auctoritatem sequutus, principio Novembris Platonem Logothetham, & Præfectum Urbis, jussit suggestum conscendere, ac coram populo, hymno, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, addenda illa, (89) quæ diximus, verba mandare,

(*) De quibus Cassiodor. l. 4. ep. 23. L. quæ S. Gregor. Dialogor. l. 1. 4. de Basilio mago.

(85) Recte h. an. ex Chr. S. Vincentii Metensis, Turonensi l. 2. 43., Fredegario in Epit., cum enim S. Martinus Tur. Epis. an. Chr. 400. decesserit, hic præsens annus est centesimus duodecimus ab ejus morte; qua de re labitur Sigebertus in Chr. obitum Clodovei in an. 514. differens. Rectius fecisset Henschenius quoque, si ad temporum Characteres à Gregor. Turon. stabilitos attendisset, neque an. 509. obiisse docens Clodoveum, in Commentar. prævio ad V. S. Sigeberti Austrasiæ Regis, magno sane malo Chronotaxis Regum Francorum.

(86) Theudoricus non Provincias modo Transrhenanas, & Civitates, Rhenum inter & Mosam sitas obtinuit, sed Remos, Catalaunum, Trecas, & in Aquitania prima Urbes Arvernorum, Ruthenorum, Cadurcorum, & Albigensium cum Ucesia in Gallia Narbonensi. Chlodomeres vero Senonas, Antissiodorum, Aureliam, Turonos, Cenomanum, Andegavum, & Novempopulaniam. Childebertus Meldas, Parisios, Sylvanectum, Bellovacum, & quidquid inde patet ad Oceanum, Provinciam Lugdunens. secundam, urbes Redonum, Nannetum, Venetum, Britanniam, & aliquot Aquitaniæ civitates. Chlotharius Laudunum, Suessionem, Veromanduos, Ambianum, quidquid ultra Somonam est in Mosam, ac Oceanum, itemque Aquitaniæ partem. Ut ex priscis Gallicarum rerum Scripp. colligitur.

(87) Secta hæc Alexandriæ jam emerserat, Petro Mongo in illius Ecclesiæ Sedem à Zenone restituto, qui cum Chalcedon. Synodum non damnasset ex Henotici præscripto, ab ejus communione plerique Eutychiani sejuncti, Acephali ideo dicti fuere. L. Leontium l. de Sectis. Huic autem Sectæ vires præ ceteris addidit Severus Pseudo-Epis. Antiochenus, teste Nicephoro l. 18. 45., unde & Severiani appellati. Ex venenato hoc fonte aliæ emersere, Jacobitæ nempe, Theopaschitæ, de quibus Euthymius in Panoplia, & Nicephorus l. c. 53.

(88) Ita hi dicebantur, quod incorruptibile Christi Corpus ante Resurrectionem putarent. Orta siquidem controversia fuit inter Severum, & Julianum Halicarnassensem Episc., an Christi D. Corpus perinde ac nostrum detrimenta pateretur, ad quæ reparanda cibo, potu, ac requie indigeret, unde virium dispendia reficerentur, an vero specie tenus, solaque œconomia (ut post Resurrectionem) pateretur hujusmodi affectiones: negabat Julianus Incorrupticolarum antesignanus, affirmante Severo ex Corrupticolis. De controversiæ statu L. Nicephor. l. 17. 29, quæ tamen nata sub Bonifacio II. circa an. 531., ut clare colligitur ex Liberato c. 19. L. Leontium l. de Sectis, Act. 3. Unde quæstio non erat de vera mortalitate, vel immortalitate, neque de analysi in elementa, vel contrariam substantiam, ut falso plerique existimarunt; cum enim utraque Secta Eutychianismo nomen dedisset, Christi Corpus hujusmodi corruptioni obnoxium non fuisse fatebatur.

(89) Jobius Monachus ap. Phot. Cod. 222. Orientalium consuetudinem fuisse prodit, ut *simul atque ad Altare Sacerdotes accedunt, Cantor Sacer de superiore loco* Trisagium cantaret, *quem hymnum ex veneranda, ac tremenda Seraphimorum professione compositum* asserit Jobius

dare, *Qui crucifixus est propter nos*. Sic enim Severus docuerat, cum Christus divinatantum Natura esset præditus, omnino fieri, ut Deus pro hominibus esset passus, quibus verbis auditis, populus sic offensus est, ut, seditione concitata, fœda in Anastasium convicia jecerit, aliumque Imperatorem substituendum edito clamore subjecerit, neque eo contentus, Monachum quendam inclusum, in primis Anastasio carum, necavit, ac, capite ejus hastæ prefixo, vociferari cœpit: Hic est amicus hosti S. Trinitatis; & Monacham item inclusam, quam ille magnifaciebat, jugulavit, & cadaver utrumque raptatum cremavit. Per eosdem etiam dies, cum Alamundarus Sarracenorum princeps (90) à Catholicis salutari fonte esset ablutus, idem Severus duos ad eum misit Episcopos, qui illum hæresi sua inficerent, quos Christum Deum tantummodo esse docentes ille eleganti commento non refellit magis, quàm delusit; dixit enim, eo ipso die se literas accepisse, Michaëlem Archangelum esse mortuum, cum autem illi subjecissent, Angelum morti non esse obnoxium, *at*, *quemadmodum*, inquit, *Deus purus potuit crucifigi*, *quod vos asseritis*? In Italia Theodoricus castellum Verucæ ad Athesim positum muniri jussit, ut claustra Italiæ teneres, & feris gentibus invadere cupientibus moram injiceret. Transamundo Africæ Regi sororem Amalafredam, Herminfrido Thuringorum Regi neptem collocavit. Symmacho Patricio theatrum restituendum, quod magna se mole solvebat, commisit, & Campanis, quorum agrum Vesuvius mons exæstuans pervastaverat, tributum remisit. Ceterum illius exæstuationis hujusmodi fertur fuisse Natura. Mons ille hiatum ingentem edebat, inde spiritus quidam ater adeo, ac densus erumpebat, ut lucem Solis caligine, tenebrisque involveret, strepitu ita horrendo, ut vicina loca tremore concuteret, cinis inde tantus effundebatur, ut provincias quoque Transmarinas obrueret, in Campania vero quidam quasi pulverei amnes fluebant, & arena impetu fervente more fluminis decurrebat, qua plana camporum usque ad arborum cacumina tumescebant, & virescentia omnia protinus arescebant. Probo 513
(91) inde, & Clementino Consulibus, Eustorgius secundus ad Ecclesiam Mediolanensem gubernandam ascitus ad fontem Baptisterii à se constructum mirifico artificio aquam per sectum Templi adduxit.

Cum Hispaniæ, ut dixi, partem unam Gisalaricus, alteramque Amalaricus teneret, Theuda, qui Amalarico à Theodorico Rege tutor datus summæ rerum præerat, contracto cum Gisalarico defectionem ineunte certamine, apud Barcinonem devicit, (92) ille vero ad Transamundum Regem Africæ progressus, benigne ab eo receptus, & pecunia sublevatus est, quod ut Theodoricus audivit, ira percitus literas ad eum has misit: *Quamvis multis Regibus filias, aut neptes nostras ad firmandam concordiam connubio sociavimus, nemini tamen tale aliquid impertivimus, atque cum germanam nostram singulare generis Amali decus tibi despondimus, quamobrem miramur admodum, quod Gisalecum* (sic enim appellat) *qui inimicis nostris, dum à nobis foveretur, adjunctus sit, in tuam defensionem receperis, & rerum omnium inopem subsidio sublevaris, cum nobis affinitate conjunctus sis, quare legatos ad quærendam hujus facti rationem mittendos duximus*. Transamundus, his literis lectis, comiter respondit, nec solum verbis, sed etiam muneribus missis iram Theodorici mitigare contendit. Theodoricus autem, excusatione accepta, ingenti animo dona remisit, eumque ut in posterum sanctius amicitiam coleret, monuit. Theuda totum Hispaniæ regnum pro pueto Amalarico administrare Theodorici jussu perrexit. In Oriente interim res in dies deteriores Catholicorum fiebant; etenim Anastasius Imperator Flavianum Episcopum Antiochenum, (93) hominem decreta Chalcedonensia propugnantem, Ecclesia deturbavit, ac Severum, qui ipsum depravarat, suffecit, auxilii tamen nec opinasi, unde minime sperabatur, lux quædam affulsit. Vitalianus namque Scytha, (94) assumpto Romanorum equitum auxilio, Constan-

bius l. c. Huic clausulam addiderat Fullo eo consilio, ut Passio Deo Trino adscriberetur, ad quem spectat Trisagium. Cui malo Calendio post utriusque Stephani mortem in Antiochena Sede successor occurrit, clausulæ præmittens, *Christe Rex*, *qui Crucifixus est*, & cet., quæ a Fullone fuere sublata in Sedem restituto, an. D. 435. Constantinopoli vero additamentum hoc Fullonis nunquam cantatum, donec Anastasius una cum Timotheo PseudoPatriar. an. 511., & 512. illud in Trisagium inserre conaretur; unde utroque anno reclamantibus Orthodoxis turbæ Constantinopoli ortæ. L. Theophan. an. Incarnat. secund. Alex. 504., Evagr. l. 3. 33. & 44. Avit. ep. 3. ad Gundebadum Burgund. Regem.

(90) De quo Procopius de Bell. Pers. 17. habet: *Cum prudentia, tum rei militia peritia singularis, & constantissima in Persas fides, & strenuitas eximia Alamundarum commendabant*, & cet., quæ V. Is Arabiam, & Palæstinam invasisse dicitur à Cyrillo Monacho in V. S. Joannis Silentiarii c. 2. Baptizatus ex Theoph. an. Incarnat. 505. secund. Alex., qui Kal. Septemb. an. 512. inchoatur. V. Theodor. Lector. l. 2.

(91) Hic alius à Probo an. 502. Consule, Anastasii Imp. nepote, & ab eo, qui an. 525. eamdem dignitatem obtinuit; hinc in fastis Heraclian., qui h. an. Consul, dicitur *alter Probus*.

(92) Isidorus in Chr. pugnam hanc, & fugam Giselichi in Africam evenisse tradit, dum civitas Narbonensis à Gundebado Burgundion. Rege obsideretur, quod an. 509. circiter factum: Anonymus vero Chron. Victoris Tununens. insertus, ad Consulat. Boëtii, victum, fugamque tradidit, an. sc. 510.

(93) Evagrius Flaviani ejectionem, invasionemque Severi conjicit in an. *Urbis Antiochia quingentes. sexages. primum*, *mense Dio*, *Indictione sexta*: is autem Annus Antiochenus Kalendis Septemb. an. Chr. 512. suspicatur, & mensis Dius Novembri respondet. L. Evagr. l. 3. 33., cui Joannis Mallalæ Chron. consentit dicens, *mense Novembri*, *die sexta*, *anno juxta Antiochenos DLXI*. Marcellinus in Chr. ait, Flavianum, & Joannem Palensium Episc. in castellum, quod Petra dicitur, exules amandatos, ibique Flavianum obiisse.

(94) Victor Tununens. ad Consulat. Boëtii refert Vitalianum rebellasse, quod confirmat Jornand. l. de Success. Regnor. 109., ubi ait, per *sex annos* bellum civile durasse. Sed Theophanes an. Incarnat. secund. Alex. 505. Kal. Septemb. an. Chr. 512. hæc evenisse scribit, Vitalianum Patricioli Fœderatorum Comitis filium dicens. Sed Victor rebellionis initia describit; Theophanes vero progressum memorat, & Vitaliani acclamationem, & fugam narrans Anastasii.

ſtantinopolim adiit, &, caſtris ad Septimum poſitis, ad Auream portam acceſſit, profeſſus, ſe pro Catholicis, & Macedonio exilio indigne multato eam expeditionem ſumpſiſſe: ea re Anaſtaſius territus, ne in belli gerendi neceſſitatem incideret, promiſit, ſe Concilium ad eam rem Heracleæ coacturum, atque eò etiam Pontificem Romanum adhibiturum, atque ita Vitalianus ſine maleficio poſt dies octo diſceſſit.
514 Sequens annus Conſulem habuit Caſſiodorum, cognomine Senatorem, (95) eum, qui Faſtos Conſulares, & epiſtolas Theodorici Regis in quæſtura, & magiſterio ſcripſit, (96) quorum ope nos hanc magna ex parte hiſtoriam contexuimus: hoc Conſule, Symmachus Pontifex XIV. Kal. Auguſti diem obiit ſuum, (97) in primis laude piæ liberalitatis inſignis, cum ad cetera beneficia Epiſcopis, quos Tranſamundus poſt perſequutionem in Africa renovatam in Sardiniam relegaſſet, aſſidue veſtes, atque alimenta ſuppeditaſſet Eo rite ſepulto, Clerus, ac Populus, quos, illo vivente, prava animorum diſſenſio in diverſa ſtudia traxerat, ad concordiam redierunt, atque una poſtridie convocati magna conſenſione Cœlium Ormiſdam Fruſinatem ei ſubrogaverunt, atque hoc eſt, quod Caſſiodorus in Faſtis notatum reliquit, *ſe Conſule, adunato Clero, & Populo Romanæ Eccleſiæ optatam rediſſe concordiam*. Heracleæ Concilium eſt habitum, (98) quo ducenti amplius Epiſcopi convenerunt, ac Pontifex à Theodorico Rege fatigatus legatos miſit. Ceterum Epiſcopis ab Anaſtaſio Imperatore, & Timotheo Epiſcopo Conſtantinopolitano illuſis, nihil eſt perfectum. Vitalianus autem, ubi ſibi verba data ab Anaſtaſio ſenſit ira incenſus novis Imperium afficere maleficiis inſtitit, multoſque captivos factos contumelioſe, indigneque tractavit. Per hos annos Theodoricus, bello cum Alemanis contracto, ipſos in poteſtatem adduxit; auctor eſt hujus hiſtoriæ Procopius, cui aſſentiunt etiam Theodorici literæ ad provinciales, qui erant in Suevia, datæ, certus tamen hujus rei adhue erui annus non potuit. Angebat Acaciana cauſa Ormiſdam, ut quæ una hoc tempore Eccleſiarum concordiam diſtineret; itaque deceſſores ſuos imitatus, ut ſalutare huic morbo remedium adhiberet, Florentio, An-
themioque Conſulibus, Epiſcopos ex Italia 515
Romam accivit, ac, relatione ad eos de Acacio facta, ex eorum ſententia legatos Conſtantinopolim ad Anaſtaſium miſit, Ennodium Epiſcopum Ticinenſem, Fortunatum Catanenſem, Venantium Presbyterum, Vitalem Diaconum, & Hilarium Notarium, qui & ipſi, re irrita, redierunt. Interim, dum Theodoricus Amalaricum nepotem in Hiſpania fovet, comperit, Eutharicum Viterici filium, Beremundi nepotem in ea provincia degere. Beremundus enim Thuriſmundi filius, ex Amalorum familia natus, ex Scythia in Galliam ad Regem Theodoricum Valliæ ſucceſſorem contenderat, atque ab eo honorificè exceptus, filium Vitericum reliquerat, ex quo Eutharicus erat natus, in quo tum mira ætatis, prudentiæ, ac pulchritudinis ſpecies elucebat, quod ubi Theodoricus audiit, magnopere lætatus, eum ad ſe vocavit, ac juvenis indole captus generum ſibi aſcivit, Amalaſuenta filia in matrimonium collocata. Eodem anno, Eufraſio Epiſcopo apud Arvernos extincto, (99) populus Quintianum ſublegit, qui Arvernis exulabat, à Gotthis nuper Epiſcopatu Rutheno depulſus, quod urbis Francis tradendæ ſuſpicionem non dubie præbuiſſet; ille vero Apollinari eam dignitatem ambienti permiſit, qui poſt quatuor menſium ſpatium vita migravit, quod ubi Theodoricus Rex Francorum accepit, Quintianum Epiſcopum juſſit ſubſtitui, illum nimio ſui ſtudio Ruthena Eccleſia prædicans deturbatum. Pro-
ximo anno, quo Petrus Conſulatum admi- 516
niſtravit, Theodoricus Rex Italiæ Eutharico genero in tertium poſt annum detulit Conſulatum, ad quem ille inſignibus omnibus regiæ magnificentiæ muneribus illuſtrandum ſe præparavit. Anaſtaſius vero Imperator, ut gratiam à Theodorico iniret, eundem tunica palmata donavit, (100) ac per arma

(95) Qui in omnibus Faſtis, & Epiſtolarum ſubſcriptionibus Senator dictus, quem Theodoricus Italiæ Rex poſt Præfecturam Prætorii, & Patricii dignitatem Conſulatu honeſtavit. Sed poſt ampliſſimas dignitates variis ſub Regibus obtentas, in Vivarienſi Monaſterio à ſe condito prope Scyllacium Brutiorum Urbem, Monaſticam vitam amplexus fuit. L. P. Garnerium, Diſſert. poſt Vitam ejuſdem appoſita.

(96) Duodecim Epp., quarum Epigraphe *Variarum*, libri ita ſunt diſpoſiti, ut quinque priores Literas, & Edicta complectantur, quæ ſub Theodorico, ſextus, & ſeptimus dignitatum, quæ ſub Gothorum vigebant Imperio, Formulas continent: 8, 9, & 10., quæ ſub Amalarico, Theodahato, & Vitige, eorumdem nomine ſcripſit: poſtremi duo epp habent, & Decreta, quæ ipſe Præfectus P. ediderat.

(97) Ita Anaſtaſius Bibl., cum ſediſſet *annos quindecim, menſes ſeptem, dies viginti ſeptem*, teſte Ulderico l. c., Liutprando, aliiſque: poſt Interpontificium autem ſeptem dierum, ex Anaſtaſio, & Olderico, electus Hormiſda.

(98) Rem ita narrat Theophanes, an. Incarnat. ſecund. Alex. 506., Kal. Sept. an. Chr. 513. incœpto: „Acceſſerunt etiamnum ex diverſis „ locis Epiſcopi circiter ducenti, qui tam a „ ſceleſto Imperatore, quam à Timotheo C.P. „ Epiſcopo deluſi, re infecta, receſſere. Impius ſiquidem Imperator, pactis violatis ad Papam Romæ, ne venirent, clam ſignificavit: ſubdens, fraudulenter Anaſtaſium Romano Pontifici literas dediſſe de celebratione Concilii, ut Populo C.P. tumultuanti, ac Vitaliano blandiretur.

(99) Turonenſis l. 3. 2. tradidit, Eufraſium *quatuor annos poſt Chlodovei obitum vixiſſe, & viceſimoquinto Epiſcopatus ſui anno* ad Deum migraſſe, ſubſtituto S. Quintiano Theodorici Francor. Regis opera: cum autem Clodoveus Magnus an. 511. obierit, ut alibi dictum, liquet, Gothos quamplura loca à Clodoveo occupata pervaſiſſe, & Rutenica urbe recuperata, Quintianum exulem amandaſſe h. anno, qui quartus eſt ab obitu Clodovei, eodemque fuiſſe Eufraſio ſuffectum, proindeque Arvernos jam paruiſſe Theodorico, Clodovei filio, & Rutenos nondum redactos in poteſtatem Francorum. Errant itaque qui ann. 507. à Gothis exulem pulſum Quintianum putarunt, & Sede ſua ejectum.

(100) Unde Athalaricus Eutharici hujus filius ad Juſtinum Imperat. ſcripſit ap. Caſſiodor. l. 8. epiſt. *Vos genitorem meum in Italia palmata claritate decoraſtis.*

arma (101) filiom adoptavit. Herminfridus Rex Herulorum Bertharium fratrem expulit vita, ac, Theodorico Rege Francorum auxilio advocato, inde alterum Baldericum extinxit, oeque Theodorico promiſſam acquiſitæ regionis portionem eoaceſſit, unde capitales inter eos exarſerunt inimicitiæ. Per eoſdem dies Anaſtaſius audiens, Epiſcopum quendam (102) præcipue ſermonibus hominum celebrari, qui omnes Deum paſſum aſſereates ita reſelleret, ut reſpondere ooa poſſent, ad ſe accerſivit, congreſſumque ſecum ut partibus ſe dederet ſuis, contendit, cui ille: *Quin tu potius*, inquit, *ad Catholicos tranſi, ne dum impios homines Eutychetem, Dioſcorum, & Severum amplecteris, æterno incendio addicaris*, ſimulque chlamyde ejus apprehenſa: *Hæc*, iaquit, *veſtis, nequaquam te poſt obitum conſequetur, ſed ſola virtus, ac pietas, miſſam fac Eccleſiam, quam Chriſtus Sanguine ſuo redemit, indoctus es, & differendi rudis, neque ullum Eccleſiæ decretum probe intelligis, tantummodo ſcurrilibus calumniis tuis homines fatuos, & nullo ſenſu præditos terres, ſatis habe, quod Imperator es, cave autem, ne Antiſtites Eccleſiæ vexes*, ad quæ Anaſtaſius rubore perfuſus ne hiſcere quidem ſuſtiauit. Eodem iade Auguſto quartum, (103) & Aga-
517 peto Conſulibus Francorum Reges bellum
Burgundionum Regibus intuleruat, (104) Crothildis mater eorum memor, parentes ſuos à Guadobado patruo interemptos, Clodomirum, & reliquos filios alloquuta rogavit, ut domeſticam injuriam vindicantes Sigimundum & Godomarum Gundobadi jam mortui filios armis iovadereat, quod illi pietati maternæ obſequuti, ſummo animi ſtudio ſuſceperuat, atque exercitu ad eos adducto exercitum eorum ſuderunt, ex Regibus Godomarus eſt elapſus. Sigimundus, cum ad ſaltus Agaunos fuga raperetur, una cum uxore, & filiis captus, Aoreliis in cuſtodiam datus eſt. Francis inde domum abeuntibus, Godomarus, receptis viribus, & recollectis Burgundionibus, regnum recuperavit, (105) contra quem Clodomirus ire contendens, Sigimundum necari eum uxore, & filiis juſſit, corporaque eorum ia puteum jecit: atque, Theodorico fratre ad opem ferendam aceito, Burgundiam petiit, &, eoajunctis eopiis, in agro Vienneaſi acie eum Godomaro decertavit: verum fugientem inſequens, iacautus in medios hoſtes delapſus occiditur; cujus caput cum Burgundiones conto præfixum ſuſtuliſſent, ejus rei ferre dolorem Franci non potuerunt, atque ira elati facto impetu in fugam Godomarum eonjeceruat, & pulſis Burgundionibus, regionem ſui juris fecerunt, quæ poſtea à Godomaro eſt recepta. Romæ Ormiſda Pontifex de nova hæreſi à Severo illata ſolicitus, ut Anaſtaſium ad Catholicos traheret, iterum legatos ad eum miſit Enodium Epiſcopum Ticinenſem, & Peregrinum Meſſaneaſem, literaſque Catholicam fidem aſſereates, & libellum pœnitentiæ addidit. Anaſtaſius vero non ſolum ſalutaribus legatorum verbis, monitiſque noo paruit, verum etiam eos corrumpere eonatus, ubi fruſtra ſe laborare animadvertit, extemplo nrbe, ne mandatis obediret, ejecit, atque in fragilem impoſitos navim dimiſit, adjectis cuſtodibus, ne oppidum Græciæ ullum attiagerent. Legati tamen tanta ſolertia fuerunt, ut ope Monachorum epiſtolas in omaibus civitatibos divulgarint, quas Epiſcopi civitatum metu Imperatoris miſere Conſtantinopolim; quibus rebus Anaſtaſius inflammatus, eò indignatione provectus eſt, ut, literis ad Pontificem datis, auſus ſit dicere, ſe velle imperare, non imperari, cujus, ut impiæ, vocis meritas brevi poſt pœnas perſolvit. Magno enim, & Florentio 518
Con-

(101) In ſignum fœderis, & adoptionis fraterne arma commutari conſueviſſe evincit Homerus Il. 6. v. 235. ubi de Glauco inquit:
Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε᾽ ἄμειβε,
Qui cum Tytide Diomede arma commutavit. De fraterna adoptione *per arma* V. Ethelredum, & Florentium Vvirgarnienſem ritum hunc narrantes ſervatum ab Edmundo, & Knutho in Regni diviſione. Sic Legati Romani a Juſtino miſſi ad Cabadem Perſarum Regem poſtulantem, ut Juſtinus Choſroen filium ſuum adoptaret, dixere, Choſroen non aliter ac Barbarum adoptari debere, ſcil. non *per tabulas*, ſed *per arma*, quod contumeliæ loco Choſroes accepit *denunciavi contumeliæ ultionem*, inquit Procop, Bell. Perſ. l. 1. 11., indeque origo odii Perſarum in Romanos, & bellorum poſtea geſtorum.

(102) Narrat id Cedrenus Annal., an. 25. Anaſtaſii Imp., eumque vocat Oeniadum, de quo ſubdit, eum paupertimos eſſet, ne obolum quidem ab Anaſtaſio accipere voluiſſe.

(103) In nullis faſtis Anaſtaſii nomen cum nota numerali ponitur hoc an., & ſubſcriptiones epiſtolæ Anaſtaſii ad Hormiſdam P., quæ data dicitur Anaſtaſio Aug., & Agapeto V. C. Coſs., item L. 4. C. Juſtin. de natural. liberis, & L. 5. ejuſd. Cod. de Advocat. diverſor. Jud., quæ data exhibetur Anatolio, & Agapeto Coſs., mendoſæ; qui enim Anaſtaſius h. an. Conſul proceſſit, filius fuit Pompeji nepotis Anaſtaſii Auguſti, quem Anonymus Valeſ. ab eodem Imperatore Succeſſorem deſtinatum ſcribit. Extat Anaſtaſii h. an. Conſulis Diptychon Conſulare Avarici Biturigum, & Leodii ſervatum. V. Cardinal. Noriſ. Epiſt. Conſulari p. 150. Collegam habuit Agapitum, qui ſub Theodorico Italiæ Rege Præfectus U. fuit, & Patricius creatus, de quo in Caſſiodori epp. mentio.

(104) Marius Aventicenſ. in Chr. ait, *Maximo Coſ., Indictione prima* bellum hoc cœpiſſe, an. ſcilicet 523., quod Gregor. Turon. l. 3. 6. deſcribit, tuncque captum Sigiſmundum à Francis narrat, cujus & ſe acerrimum hoſtem Theodoricus egit ob Sigerici nepotis mortem, inito eum Francis fœdere, ex Procop. l. 1. Bell. Goth. 12. ſcribente, Francos, Gothoſque conveniſſe, ut Burgundiones debellarent, ſed, Theodorico profectionem data opera differente, Francos ſolos cum Burgundionibus pugnaſſe, partem Burgundiæ occupaſſe, quam deinde cum Theodorico partiti ſunt. Meminit hujus rei Caſſiodor. l. 8. ep. 10. Idem Procop. vero non in hoc, ſed altero prælio Sigiſmundum captum affirmat; ſed certe errat in anno, eum poſtremum prælium poſt Theodorici Italiæ Regis mortem (an. 526.) eveniſſe dicat.

(105) Marius cit. in Chron., Juſtino A. II., & Opilione Coſs., an. nempe 524. habet: *His Coſſ. Godemarus* frater Sigiſmundi, *Rex Burgundionum ordinatus eſt. Eo anno contra Chlodomerem Regem Francorum Vſeroncia* (planities eſt duab. leucis ab Urbe Viennenſi diſſita) *præliavit, ibique interfectus eſt Chlodomeres*, quem Clodomirum dicit A. N.

Consulibus, (106) apparuit ei in somnis species terribilis hominis codicem manu tenentis, qui, illo aperto, & nomine ipsius invento, ei dixit: *Ecce propter perversitatem fidei tuæ annos de vita tua quatuordecim deleo*, simulque eos expunxit. Excusso autem somno confusus Anastasius somnium illud Amantio cubiculi præposito narravit, qui se quoque alterum vidisse eòdem pertinens addidit, nempe se coram illo astantem à porco dilaniari, quæ somnia Proculus conjector (107) adhibitus ita interpretatus est, ut mortem utrique impendere responderit. Anastasius vero cum ab Oraculo didicisset, sibi igne pereundum esse, ut fortis necessitatem eluderet, cisternam in Palatio fabrefecit; quò in ipso, si contingeret, incendii periculo se reciperet; verum ea res frustra fuit; nam VI. Idus Julii, (108) suborta sæva cœli tempestate, repente fulmine ictus interiit. Eo inde sepulturæ mandato, Justinus (109) Thrax, Tribunus, & Comes magno populi, militumque consensu ad Imperium est evectus, is ubi primum iniit, ut erat Catholicis deditus, extemplo legatum, nomine Gratum, Romam ad Pontificem Ormisdam de redintegranda Ecclesiarum concordia misit, quod ubi percrebuit, repente omnes in certam spem Ecclesiæ Catholicæ aliquando tandem recuperandæ venere; itaque Idibus Juliis, cum Joannes Constantinopolis Episcopus die Dominica rem divinam fecisset, populus, qui in Ecclesia astabat, una voce, ut ambonem ascenderet, postulavit, &, cum ille morem gessisset, Severum communione moveri, patres in exilium temere actos revocari, Concilium ad hanc rem haberi poposcit; postridie autem Macedonii, & Euphemii Reliquias Ecclesiæ restitui, ceteraque, quæ pridie postulaverat, perfici, novis clamoribus flagitavit, atque annuenti Joanni subjecit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ*. Sacro inde perfecto, & januis clausis, & sancta lectione de more finita, hora Diptychorum ad Altare accurrit, ac Diacono nomina quatuor Conciliorum, itemque Euphemii, Macedonii, & Leonis Pontificis recitanti magno consensu, *Gloria tibi Domine*, succlamavit. Ubi vero Episcopi convenerunt, (110) XIV. Kal. Augusti Monachi Constantinopolitani eadem, quæ populus poposcerat, petierunt; Clerici vero, ac Monachi Antiocheni, hæresi, probrisque Severi expositis, auxilium rebus suis perditis implorarunt: quibus cognitis, Episcopi cum cetera omnia confirmarunt, tum in primis Severum omni honore spoliatum anathemati subjecerunt, ac decretum ad Justinum Augustum detulerunt. Postquam autem Gratus Justini legatus Romam pervenit, atque egregiam Imperatoris voluntatem de concordia Ecclesiæ concilianda exposuit, Ormisda Ravennam lætus ad Theodoricum consulendum concessit, reque cum eo communicata, legatos Constantinopolim destinavit, ad recipiendos in gratiam eos, qui Acacii, Petri, Timothei, & Dioscori nomina ex Diptychis exemissent; hi vero fuere Germanus Episcopus Capuanus, Joannes, ac Blandus Presbyteri, Felix, & Dioscorus Diaconi, & Petrus Notarius, qui Grato Justini legato redeunti se adjunxerunt. Eodem anno Amalasuenta Eutharici uxor puerum Athalaricum peperit, qui post Theodorici mortem regnum Italiæ tenuit. Justino inde Augusto in Oriente Consulatum ad- 519
ministrante, Eutharicus ipse Romam ad ineundum Consulatum accedens, regio occursu ab omnibus ordinibus civitatis exceptus est, neque enim ambigebatur, quin is, si post Theodoricum vita suppeditasset, regnum soceri testamento gesturus esset; ille insigni liberalitatis splendore, & cum egregia omnium gratia eum Magistratum administravit; siquidem in Senatum progressus, Gotthis, Romanisque multos honores communicavit, in amphitheatro munera magnifica edidit, feris ex Africa, quas Roma nunquam antea viderat, in arenam productis, Symmacho Justini legato, qui aderat, omnino in ejusmodi pompæ admirationem effuso. Quibus rebus perfectis, Ravennam ad Theodoricum reversus, multo etiam ampliora Gotthis, Romanisque donavit, usque adeo, ut semetipsum in eo liberalitatis officio superarit. Interim legati Pontificis Constantinopolim pervenerunt, atque à Justino Imperatore, & Consule, simulque à Vitaliano Patricio, (111) & ab illustribus viris,

(106) Marcellini Chronicon depravatum offendit A. N., Magnus enim sine Collega Consul processit, ex Cassiodoro, Mario Avent., Anonymo Cuspin., Auct. Chr. Alex., & Heraclian. Fast. Immo Hesychius Illustris, qui ap. Phot. C. 49. dicitur Historiam conscripsisse ad mortem usque Anastasii Imp., inquit, ejus Augusti obitum incidisse in undecimam Indictionem, *Magno Consule sine collega*.

(107) Quem Zonar. Annal par. 3. in Philosophia, & mechanicis floruisse scribit, ab eoque constructam machinam, qua Classis Vitaliani debellata est. Lycium hunc fuisse testis est Suidas, & Syriani discipulum, secta Platonicum. Plura ap. Suidam de eod. invenies.

(108) Die nona mensis Julii, cum per annos 27. menses 3., tribus diebus exceptis, Imperium administrasset, ex Evagr. l. 3. c. ult., quare emendandus Theophanes, annos 27., & menses septem regnasse scribens, an. Incarnat. secund. Alex. 510. susceperat namque Imperium die 11. Aprilis anni 491. errat quoque Theophanes mens. April. die nono obiisse Anastasium tradens; Marcellinus enim habet, *nono Julii*.

(109) *Anastasii propinquis omnibus, quamvis & magnus esset eorum numerus, & summus splendor, à successione submotis*, inquit Evagr. l. 4. 1., qui Thracem Justinum dicit cum illis Historicis, qui post Procop. scripsere; Illyricianum vero Theodor. Lect., Theophan., Vict. Tunun., aliique faciunt, quæ varietas inde ortum habuit, quod Bederiana, Justini patria ex Procop. Hist. arcan. 6., in limitaneis Illyriæ, Thraciæque agris sita. L. quæ singularia de Justino narrat ibidem Procopius, cui tamen caute deferendum, Justinianum probris appetenti; unde nil mirum si de Justino, cujus sororis filius Justinianus fuit, parum æque loquatur.

(110) Synodus hæc Constantinopolitana celebrata die vigesima Julii, ut liquet ex Relatione quinque petitionum populi, quæ recitatur in Concil. Constantinop. sub Menna habito, anno 536. T. V. Concilior. edit. Labb. p. 178., & seqq. Pag. autem 158. extat *Supplicatio Clericor., & Monachor. Antiochiæ*, & cet. in qua Severi sacrilegia, & Monacorum neces Antiochiæ perpetratæ leguntur.

(111) Revocatus is fuerat in Aulam à Justino; Amantio interfecto, (cujus opera Anastasius Aug. adversus Catholicæ Fidei defensores sævierat) cum antea in ordinem redactus fuisset ab eodem Anastasio, teste Marcellino ad Petri Consulat., an. 516. gestum;

viris, Monachisque Catholicis extra urbem honoris caussa egressis, atque ab ipso demum Joanne urbis Episcopo benigne accepti fuit; qua re animadversa, defensores Acacii præ pudore se in ædem S. Sophiæ abdidere, ac consilio agitato ad Justinum miscre, qui dicerent, nisi reddita ratio fuisset, quare Acacius damnatus fuisset, se nunquam cum Sede Apostolica consensuros. Justinus libellum ab Ormisda missum accepit, & Severum, quem Episcopi hoc etiam anno cum ceteris hæreticis anathemate jugularunt, lingua multatum Septembri mense in exilium egit, (112) cui Paulus est substitutus. Joannes vero urbis Episcopus libellum prodidit, in quo se quatuor Concilia, & epistolas Leonis approbare, Nestorium vero, Dioscorum, Eutychem, Timotheum Ælurum, Petrum Alexandrinum, & Acacium Constantinopolitanum Episcopos detestari, & in omnibus rebus decretis Sedis Apostolicæ stare asseruit, atque hanc confessionem V. Kal. Aprilis subcriptam Romam ad Ormisdam cum his literis misit. *Redditis mihi literis Vestræ Sanctitatis per Gratum clarissimum Comitem, & nunc per Germanum, & Joannem Reverendissimos Episcopos, & Felicem, ac Dioscorum sanctissimos Diaconos, & Blandum Presbyterum, lætus sum de spirituali caritatis vestræ Sanctitate, quod unitatem Sanctissimarum Dei Ecclesiarum secundum veterum Patrum traditionem requiris, & dilaceratores gregis, Christi amore, propulsare festinas; certus igitur scito per omnia Sanctissime, quia, prout vobis scripsi, tecum cum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo, & ego pacem diligens, Sanctissimas Dei Ecclesias, id est, superioris vestræ, & novellæ istius Romæ unam esse accipio, illam Sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ civitatis unam esse definio.* Inde quæ approbet, reprobetque, adjungit, sic concludens: *Quapropter, sicut prædiximus, sequentes in omnibus Sedem Apostolicam & prædicamus omnia, quæ ab ipsa decreta sunt, & propterea spero, in una communicatione nobiscum, quam Apostolica Sedes prædicat, me futurum, in qua est integra devotio Christianæ religionis, & perfecta soliditas, promittens in posterum sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.* Inde data opera est, ut reliqui Episcopi Joannis auctoritatem amplecterentur. Justinus Vitalianum Consulem declaravit, ut per speciem honoris in urbe illigatum facilius circumvenirent insidiis, quod suspectas nimias illius in Republica opes habebat, neque ea, quæ adversus Anastasium gesserat, approbabat; itaque, cum ille mox Consulatum una cum Rustico inivis- 520
set, septimo ejus die, anno Christi quingentesimo vicesimo, in Palatio cum aliis satellitibus ejus occidendum curavit. (113) Cum autem multas Ecclesias Asiæ, Ponti, & Orientis inducere non potuisset, ut Acacii, & Petri nomina ex Diptychis tollerent, V. Idus Septembris Chalcedone ad Ormisdam Pontificem literas hoc significantes dedit, cumque, ut epistolam suam corrigeret, atque in mitiorem partem mutaret, oravit; nam Anastasium Pontificem quondam Anastasio Augusto scripsisse, satis habiturum, si nomen Acacii sileretur. Hoc etiam tempore Boëtius vir Consularis opibus, atque auctoritate in Urbe florens, duos filios pueros ad Consulatum extraordinarium extulit, (114) atque inter eos medius & Senatum appellavit, & populum congiario muneravit, qua de re sic ipse glorians scripsit: *Poteritne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri, cum duos pariter Consules liberos meos domo provehi sub frequentia Patrum, sub plebis alacritate vidi; cum eisdem in Curia curules insidentibus regiæ laudis Orator ingenii gloriam, & facundiæ merui, cum in circo duorum medius Consulum circumfusæ multitudinis expectationem triumphali largitione satiavi.* Inde Valerio, & Justiniano, qui postea imperavit, Consuli- 521
bus, Ormisda IV. Nonas Aprilis, cum jam Agapetus secundum, sed extraordinarium Consulatum inisset, literas ad Joannem Episcopum misit, (115) quibus partes suas in caussa, quæ agebatur, commisit, his verbis: *Quia per insinuationem dilectionis tuæ hujus est nobis via patefacta prudentia, remuneramus solicitudinem tuam, & servatis privilegiis Metropolitanorum vices nobis Apostolicæ Sedis eatenus delegamus, ut inspectis, sive iis, quæ ad Canones pertinent, sive iis, quæ à nobis*

stum; statimque militiæ Magister à Justino renunciatus fuit. Ejus opera, & Joannis Constantinop. Episc. diligentia plurimum fretos Hormisdæ Legatos, auctor est Theophanes in Chr.

(112) Evagrius l. 4. 4. postquam scribit, à quibusdam proditum, linguam abscissam Severo, subdit: Severum fugisse Antiochia mense Gorpiæo (Septembri). Theophanes habet, illum accepto nuncio mortis, qua ab Imperatore damnabatur, fugisse in Ægyptum. Alexandriam adiisse, Liberat. in Breviar. prodidit, una cum Juliano Halicarnassensi Episc. Hæc autem ad an. primum Justini sunt referenda, ex Evagrio eit.

(113) Jurisjurandi religione violata; Justinianus enim Justini nomine fidem dederat: immo super sacram mensam, ritu Christianis consueto, ἀδελφοποιΐα, jurata se. mutuo fraterna fide, Vitalianum sibi devinxerat. At veritus Justinianus, ne impediret Imperium post Justini mortem, Justiuo ipsi suspectum reddidit, & mense Consulatus sui septimo necandum curavit, ex Marcell. in Chr. L. Procop. Histor. Arc. c. 6.

(114) Duo Boëtii Philosophi (qui an. 510. Consul fuit) filii Symmachus, & Boëtius an. 522. Consules ordinarii fuere, de quo Consulatu loquitur Pater, l. 2. de Consolat. Phil. Pros. 4., unde decipitur A. N. ad an. 522., Boethium Consulem iterum exhibens, repugnantibus omnibus Fastis Græcis, Latinisque, ceterisque monumenris, in quibus anni 522. Consules notantur; nullibi enim numeralis nota observatur.

(115) Theophanes an. Incarnat. secund. Alex. 512., qui absolvitur mense Augusto an. 520. consignat Joannis mortem, & mense Februario, an. sc. Chr. 521., die 25. ordinatum prodit Epiphanium, non vero *Euphemium*. Epiphanius namque appellatur in *Suggestione Dioscori Diac. ad Hormisd. P.*, & in ep. ejusd. Pont. ad illum data. Quamobrem epistola hæc Hormisdæ ad Joannem an. præcedenti data. Extat autem Hormisdæ epistola h. an. data *VIII. Kal. April.* ad Epiphan. ea occasione scripta, quod cum Ecclesiæ Constantinopolis, Ponti, Asiæ, Palæstinæ, ac totius Diœceseos Orientalis, seu Antiocheni Patriarchatus, Euphemium, & Macedonium in Diptychis retinendos postularent, cum aliquot aliis Episcoporum nominibus, idque à S. Pontifice impetrare nequivisset Justinus, ne Catholicorum animos exasperaret Hormisda, rem transigendam commisit Epiphanio.

*bis nuper mandata serventur, sive iis, quæ de Ecclesiasticis causis tuæ revelationi contigerint nunciari, sub tua nobis insinuatione pandantur.* Qua potestate data, finis est tandem discordiæ diuturnæ impositus per legatos Pontificis, cum jam Enphemius Joanni mortuo esset suffectus, ut ipse Ormisda epistola ad eum missa gratulatur, significans, se ab eo, & legatis suis certiorem de re composita factum. Eodem anno, (116) ut inquit cum Gregorio Jornandes, Theodoricus Rex Francorum, veteribus simultatibus animo repetitis, assumpto Clothario fratre, & Theodeberto filio, exercitum in Thuringiam adversus Herminfridum Regem eduxit, ac superatis, quæ in campis Thuringiæ sibi paratæ erant, insidiis, prœlio congressus eum cum suis omnibus in fugam dedit, atque usque ad amnem Onestrudem insequutus, tantam ibi stragem eorum edidit, ut alveus fluminis alta cadaverum congerie cumulatus sit, per quam, tanquam per pontem transgressi Franci in potestatem Thuringiam redegerunt. Tum vero Clotharius Rhodogundem (117) Bertharii quondam Regis filiam captivam fecit, sibique domum reversus despondit. Theodoricus vero Herminfridum, fide incolumitatis data, ad se venire Tholbiacum jussit, eumque de muris urbis secum ambulantem dejecit. Dum autem Theodoricus in Thuringia erat, rumor Arvernis increbuit, ipsum morte esse assumptum; quare Arcadius Senator Arvernus Childebertum fratrem ejus ad urbem accipiendam invitavit, & progressum refracta porta recepit; quo facto, cum auditum esset, Theodoricum sospitem domum esse reversum, Childebertus urbe è vestigio cessit.
522 Insequens annus Consules habuit, ambos in Occidente, Symmachum, & Boëtium iterum, (118) ipsius Symmachi generum. Eo anno Clotharius, (119) ac Childebertus in Burgundiam castra movere, atque, Augustoduno obsesso, universam, Godomaro Rege fugato, sui juris, ditionisque fecere. Theodoricus vero contra Arvernos profectus, ad urbem posuit castra, Arcadio Senatore Bituricas, quæ urbs erat Childeberti, elapso, atque ipsa suburbana militi permisit diripienda, ex quibus nonnulli Basilicam S. Juliani, refractis ostiis, violare sunt ausi, quorum principes à spiritibus immundis arrepti statim infestis in semet dentibus irruerunt, clamantes, cur nos Martyr Sancte sic crucias? Quintianus autem Episcopus interim per noctem psallendo muros obambulabat, Deum orans, ut urbi succurreret; itaque Theodoricus cum de excindendis mœnibus cogitasset, repente furore correptus est, qua re animadversa, amicus illum admonuit, ut consilio desisteret; nam urbem illam cum multorum aliorum Sanctorum, tum in primis ipsius Quintiani Episcopi præsidio tectam esse, cui ille ita paruit, ut statim ediserit, ne cui intra octo millia passuum injuria fieret. Urbe inde potitus Sigivaldum propinquum suum ibi præfecit, nihil relinquens, nisi terram vacuam, quam efferre non potuit, idem etiam Quintianus, cum quodam tempore civitas siccitate nimia laboraret, supplicationes ante Ascensionem ad opportunam impetrandam pluviam vetere ritu Ecclesiæ celebravit; die vero tertia portæ urbis appropinquantem cives rogarunt, ut ipse precationem ad Deum pro impetranda pluvia faceret; se enim confidere, illo orante, Deum extemplo aquam uberrimam effusurum, tum ille prostratus in hunc modum oravit: *Si clauso cœlo pluviæ non defluxerint propter peccata populi, & conversi deprecati fuerint faciem tuam; exaudi Domine, & dimitte peccata populi tui, & da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum.* Atque his dictis, atris repente nubibus cœlo offusis, salutaris pluviæ humor excussus est, confitentibus omnibus, se tantum boni ipsius Quintiani meritis assequutos. Boëtius Consul, homo non minore integritate, quàm eruditione ornatus memorabilem Consulatum administravit, gravibus, ut ipse scripsit, cum improbis hominibus inimicitiis pro tuendo privatorum jure, spreta potentiorum offensione, susceptis; siquidem Conigasto in imbecilli cujusque fortunas invadenti occurrit, Triguillam regiæ domus Propositum ab incœpta, & perpetrata jam prorsus injuria revocavit, miseros homines, quos infinitis calumniis impunita Gotthorum avaritia divexabat, objecta periculis auctoritate, protexit; provincialium fortunas cum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus pessundari non aliter, quàm qui patiebantur, indoluit; cum, acerba fame sæviente, gravis, atque inexplicabilis indicta coëmptio profligatura Campaniam videretur, certamen adversus Præfectum Prætorii communis commodi ratione suscepit, ac Rege cognoscente, contendit, & ne coëmptio exigeretur, evicit. Paulinum Consularem virum, cujus opes Palatini canes jam spe, atque ambitione devorassent, faucibus eorum eripuit; ne Albinum Consularem virum præjudicatæ accusationis pœna corriperet, inimicitiis se Cypriani delatoris opposuit. Veronæ autem cum Rex Majestatis crimen in Albinum delatum ad cunctum Senatus ordinem traducere moliretur, maxima periculi sui securitate defendit; his de caussa cum Regis, ac ceterorum
in se odia concitasset, postero anno, post- 523
quam Consulatu abiit, Maximo Consule, accusatus est à Basilio, Opilione, & Gaudentio, ex quibus Basilius olim regio ministerio depulsus ad eam postulationem æris alieni

(116) Bellum hoc Thuringicum à Theodorico, & Clotario Francor. Regibus susceptum post Theodorici Italiæ Regis mortem, auctor est Procop. l. 1. Bell. Goth. 13., & aliquot annos durasse. Non igitur ante an. 528. confectum. Fuse describitur à Gregor. Turon. l. 3. 7., & seq., ab Auctore de Gest. Regum Francor. 22., & ab Aimoino l. 2. 9.

(117) Radegundis Bertharii (quem Hermenefridus frater interemerat) ex barbara liberata deinde evasit, patientia celebrior. L. Venantium Fortunat. in ejus Vita, quam Baudonivia sanctimonialis supplevit, à Fortunato prætermissa narrans. Diaconissa à S. Medardo Episc. Noviomensi creata fuit.

(118) Dele *iterum*; non enim Philosophus, sed filius h. an. Consul, ut supra traditum: nec Fl. Boetius, qui an. 487. eamdem gessit dignitatem, ut ex Fastis omnibus demonstratum alibi.

(119) Cum Godemarus, Justino Aug. II., & Opilione Coss. ex Mario Avent. Rex Burgundionum evaserit; hinc quod A. N. ex Turonensi narrat, ante an. 524., quo ii Consules fuere, evenire non potuit.

alieni necessitate descendit. Opilio vero, & Gaudentius, cum ob multa flagitia exilio destinati ad sacras ædes recusantes imperium confugissent, Rex edixit, ut, nisi intra præstitutum diem Ravenna discederent, frontibus inustis expellerentur, atque eodem tamen die deferentibus eisdem Boëtii nomen acceptum est; summa vero criminum fuit, ipsum salvum esse Senatum voluisse, (120) ac delatorem, ne documenta deferret, quibus Senatum læsæ Majestatis reum faceret, impedisse; literæ etiam falsæ prolatæ, quibus eundem Romanam sperasse libertatem arguebatur. Hoc primum tempore Theodoricus à semetipso defecit, atque nimiis aspirantis fortunæ blanditiis captus pravo studio optimum ingenium corrupit, ac pristinam illam inter omnes æquitatis, moderationis, ac sapientiæ laudem præcipiti quadam nefandi judicii temeritate fœdavit; siquidem falsis accusatoribus, & fictis criminibus fide adhibita temere insontem hominem condemnavit, ac publicatis bonis, Ticinum relegavit, ubi ipse semet consolans hæc ipsa, quæ diximus, de se memoriæ prodidit. Romæ VIII Idus Julii Ormisda Pontifex Ecclesia post multos annos pacata, ex humanis rebus eximitur, atque ei Joannes Presbyter è Tuscia subrogatur.
524 Justino inde iterum, & Opilione Consulibus, Transamundus Rex Vandalorum (121) in Africa, Jornande teste, decessit, cui successit Hildericus (122) ex Eudoxia Valentiniani Augusti filia procreatus: is, licet a Transamundo sacramento adactus, ne Catholicis parceret, longe aliud, quàm superiores Reges, ingenium induit, atque initio regni Catholicos ab exilio revocavit, & Episcopis Ecclesias reddidit; unde status religionis in Africa aliquando tandem est restitutus, qui post Genserici irruptionem fuerat profligatus. Justinus autem Imperator ad alia Imperii sui illustria decora hanc quoque adjicere laudem voluit, ut Arrianos demum prorsus à se dissipatos constans posteritas prædicaret; siquidem acerbissime ferens, perfidiam eorum tot Conciliorum sententiis jugulatam, atque confussam adhuc tamen in Oriente spirare, edictum proposuit, ut Arrianorum Ecclesiæ ubique Catholica religione consecrarentur; quod ut Theodoricus accepit, dolorem ferre non potuit, ac pravum alterum consilium Catholicos insectandi in Italia cepit; itaque Joannem Pontificem ad se accersitum legatum ad Justinum pro imperio contendere jussit, admonitum, ut suas Arrianis Ecclesias redderet, neque negotium ullum facesseret; sin minus, se eadem mala Catholicis in Italia moliturum. Afri, cum Hilderico, & Vandalis bellum facere statuissent, Theodoricum in societatem armorum invitarunt, quod Theodoricus repudiavit, diffisus, se posse, classem, quam rei magnitudo postulabat, in Africam transportare. Proximo inde anno, quo Pro- 525
bus cum Philoxeno Consul fuit, Joannes Pontifex, comitantibus Senatoribus, (123) Theodoro, Importuno, & Agapeto exConsulibus, & Agapeto Patricio, Urbe egressus Græciam versus iter atripuit; cum autem Corinthum adiisset, ac terra inde pergere vellet, mansuetum equum quærens, unum à nobili quodam viro, quem in uxoris mansuefecerat usum, accepit, ea conditione, ut postquam ad certum locum venisset, eum remitteret, quod cum is præstitisset, res incidit ad admirationem insignis, quippe equus, qui Sanctum Pontificem detulit, postea nunquam dorso suo insidentem mulierem passus est, qua re animadversa, ille equum remisit, orans, ut possideret, quem suum sedendo fecisset: hujus historiæ S. Gregorius est auctor. Adventus inde ejus nuncium ubi Justinus accepit, incredibili lætitia elatus Pontificem Romanum maximo sibi honore suscipiendum vel ad pietatem Apostolicæ Sedi præstandam, vel ad prodendum posteritati exemplum, putavit, neque vero Imperator solus, sed universa quoque Græcia in ejusmodi spectaculum erat erecta; neque enim per ulla ante secula Romanum Pontificem incolumem terra ulla, præterquam ipsa religionis Catholicæ mater Italia, viderat; siquidem Liberius ærumnis, atque exilio deformatus in iis regionibus invitus fuerat obversatus. Constituto igitur die adventanti ad urbem Joanni Justinus obviam cum tota civitate processit, Clero cum Crucibus, cereisque prægrediente, eumque ut vidit, continuo tacita religione perfusus ad pedes venerandi caussa procubuit, atque per Auream portam in urbem induxit, ubi Pontifex cœco astanti, atque opem implorantí in nomine Jesu Christi aspectum, lucemque restituit: inde in Templum deductum dextrum dextro in solio sibi assidere jussit; bis tantis officiis illud subinde Justino Joannes benigne rependit, quod apud eum diem Dominicæ Resurrectionis clara voce Romanis precibus, ac ritibus celebravit, atque in

(120) L. Boetium ipsum, de Consolat. l. 1. Pros. 4., & Anonym. Vales. Ob id crimen inauditus damnatus Boetius, ex eod. Anony., qui subdit, Ticini in agro Calventiano, ubi in custodia habebatur, occisum, *chorda in fronte diutissime tortum, ita ut oculi ejus creparent, sic sub tormentis ad ultimum fuste necatum*. Pro Catholicis contra perfidiam Arii mortem oppetiisse Martianus in ejus Vita tradit, quem narrantem ingens in nece miraculum L. At Boetii mors a Mario in Chr. sub Consulatu Justini A. II., & Opilionis, an. 524. ponitur: *Eo anno interfectus est Boetius Patricius in Territorio Mediolanensi*.

(121) Teste Procop. l. 1. Bell. Vand. 8., Isidoro, & Vict. Tunun. in Chron. Trasamundus ann. 27. in Africa regnavit: atqui Regnum iniit mense Septemb. an. 496., unde præced. an. obiisse dicendus, sub Consulatu Maximi, ut Tununensis affirmat. Clarius Fragmentum Augustanum a Canisio editum habet: *annos XXVI., menses VIII., dies IV.* imperasse, sicque obiit die 24. Maji, an. Chr. 523.

(122) Frater ejus patruelis, Honorici, sive Hunerici filius, ex Procop. l. 1. Bell. Vandal. 9. Gizerici nepos, *Vir subditis affabilis, totus ad mansuetudinem natus*, Justiniano amicitiæ vinculo, atque hospitio junctus, ut idem Procop. inquit. Restituta in Africa Religio orthodoxa sub Consulatu Maximi dicitur a Victore Tunun., initio nempe Regnantis Hilderici, ut ait A. N.

(123) Anno superiori Joannes C. P. abiit, ex Theophane, ad an. Incarnat. secund. Alex. 516., mense Augusto anni 524. absolutum: præsenti autem an. 525. Pascha ibidem celebravit, ut Marcellinus habet in Chron. Quæ ibi gesserit L. ap. Gregor. M. Dialogos. l. 3. 2. Præter senatorios viros Pontificem comitati sunt Ecclesius Ravennatensis Ep., Eusebius Fanestrensis, aut Fanensis, Sabinus Campanus, teste Anonymo Valesiano.

in ipsis Sacris Justinum magna ceremonia insignibus Augustalibus novo, atque in posterum memorando exemplo decoravit; itaque ab eo contra Patenam, Calicem, & Pallia aurea, gemmataque accepit; caussam inde exponere susceptæ legationis ingressus, non solum ipsum ad Ecclesias Arrianis reddendas non impulit, (124) verum etiam ipse omnes, quas potuit, ubique ritu Catholico consecravit, ac demum Romam reversus, munera Justini tribus Basilicis Sancti Petri, Sanctæ Mariæ, & Sancti Laurentii dispertivit. Eodem anno Constantinopoli, & Antiochiæ terræ motu vehementissimo laboratum. Theodoricus rebus Joannis in Græcia gestis exacerbatus crudelitate ingenium suum, alioqui mite, ac placidum, in-
526 citavit; itaque Maximo, (125) Olybrioque Consulibus, ipsum eum sociis legationis Ravennam venire imperavit, ac gravissima Catholicis comminatus in carcerem condidit, atque ibi omni humanarum ærumnarum genere conflictavit, & Symmachum (126) Boëtii socerum comprehendit, atque ambos arctiori custodiæ tradidit; neque enim (quod quidam tradiderunt,) cum Boëtio fuerat relegatus, siquidem ipse scribit in Consolatione: *Viget incolumis Symmachus socer, ac suarum securus, tuis ingemiscit injuriis, vivit uxor, quid dicam liberos Consulares, quorum jam ut in id ætatis pueris vel paterni, vel aviti specimen elucet ingenii?* Joannes autem, dum fuit in carcere, caussam tueri Catholicorum non destitit, itaque III. Idus Junii ad Episcopos Italiæ sic scripsit: *Hortor vos, ac moneo contra Arrianam perfidiam, quæ olim non semel, sed sæpe damnata est, & modo in quibusdam reviviscit, armari gladio Spiritus Sancti, ut eam ita, adminiculante divina gratia, opprimere, & exterpare valeamus, ut nec radix ejus in posterum inveniatur. Ecclesias vero Arrianorum ubicunque inveneritis, Catholicas eas divinis precibus, & operibus, absque ulla mora consecrate, quia & nos, quando fuimus Constantinopoli tam pro religione Catholica, quàm & pro Regis Theodorici caussa negotii, suadente, atque hortante, Arrianosque exterpante piissimo, atque Christianissimo Justino orthodoxo Imperatore, quascunque illis in partibus eorum Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas, Domino opem ferente, consecravimus. Et quanquam Theodoricus eorum peste tactus intrinsecus & obvolutus extrinsecus nos, & omnem regionem nostram perdere gladio, & igne consumere minetur, nolite tamen propterea deficere.* His scriptis, haud multis post diebus fame, siti, & ceteris carceris incommodis maceratus XV. Kalen. Julias (127) expiravit, corpus ejus Romam delatum VI. Kalen. sepulturæ mandatum est: in locum ejus Felix Quartus VIII. Kal. Augusti suffectus est. Joanne extincto non contentus Theodoricus, inde Symmachum & Boëtium asservatos invasit, atque eorum utrique caput desecari crudelissime jussit, cujus temeritatis eum post brevi, sed frustra, pœnituit; nam paucis post diebus cœnans, cum ingentis piscis caput à Ministris appositum aspexisset, caput Symmachi sibi videre visus est, eminentibus inferiore è labio dentibus, & torvum oculis intuentibus furibunde sibi, atque aspere minitari, cujus spectaculi fœditate perculsus, subito horrore correptus est, itaque in cubiculum regressus, lecto decubuit, atque adhibito Elpidio Medico re exposita, patratum à se in Symmachum, Boëtiumque facinus acerbe flere instituit, tantumque ex ea re dolorem concepit, ut morbum propterea exitialem contraxerit, ex quo cum se moriturum videret, Gotthos Comites, atque Optimates ad se accivit, ac, præsentibus eis, Athalaricum Amalasuentha filia, & Entharico pridem mortuo natum Regem declaravit, eosque palam ipsum tanquam Regem colere jussit: & ut Senatum, Populumque Romanum amarent, atque Imperatoris amicitiam, gratiamque foverent, admonuit, cujus auctoritatem illi non solum verbis, sed etiam sacramento probarunt; neque ita multo post animam efflavit, die nonagesimo octavo (128) post Joannem, anno

(124) Ita Gregor. Tur. l. de Mirac., & Glor. Martyr. 40. Addit Anonymus Vales, Joannem Theodorico id præcipienti respondisse: *Quod facturus es Rex, facito citius: ecce in conspectu tuo adsto, hoc tibi non promitto, me facturum, nec illi dicturus sum. Nam in aliis caussis, quibus mihi injunxeris, obtinere ab eodem, annuente Deo, potero. Jubet ergo Rex iratus* & cet. Justinus vero, etsi id minime postulasset Joannes, mitius egisse in Arianos *propter sanguinem Romanum*, & *voluntati Theodorici* morem gessisse dicitur ab Auctore Chr. Veter. Pontificum, & ab Auctore Miscell. l. 15. ad an. 6. Justini.

(125) Olybrium sine Collega Fastor. Conditores omnes exhibent: deceptus autem A. N. fuit ab Epist. Joannis ad Epp. Italiæ, quæ data perperam dicitur *Maximo, & Olybrio Coss.* Quamvis autem hæc Epist. genuina censenda foret, attamen liquet, Maximum, & Olybrium diversis annis Consulatum gessisse. Non desunt tamen qui ex male notato Consulatu, & ex tempore quo dicitur data (*III. Id. Julii*, ad quem non pervenit Joannes, 18. Maji mortuus) aliisque momentis spuriam putant, & fœtum Isidori Mercatoris, freti testimonio Turonensis, qui narrationem hanc de Ecclesiis Arianorum à Joanne consecratis ex relatione se accepisse fatetur l. c.

(126) Philoxeno, & Probo Jun. Coss. occisum Symmachum Patricium tradit Marcellin. in Chr., Anonym. Vales. narrat id evenisse antequam Joannes P. Constantinopoli reverteretur; quare ad an. 525. referenda ejusdem mors: nec Papebrochius ad diem 27. Maji c. 4. recte consignavit an. 526., cum Marianus quoque Scotus Symmachum Consulatu Probi Jun. Ravennæ necatum scribat. Boetii igitur, & Symmachi morti tempus præstat ab Anonymo Vales, utpote Synchrono, repetere: is autem interfectos prodidit ante Joannis P. mortem.

(127) L. XV. Kal. Jun., seu die 18. mensis Maji, uterque enim dies exprimitur in omnibus Anastasii exemplaribus, in quibus subditur, *cujus corpus translatum est de Ravenna, & sepultum est in Basil. B. Petri Apost. sub die VI. Kalend. Jun.*, postquam sedisset *annos duos, menses novem, & dies sex*. Post Interpontificium 58. dierum, ex Anastas., & Auct. Chr. Vet. PP. Felix IV. natione Samnius electus die XII. Julii, ut recte Anastasius, non vero VIII. Kal. Aug., ut A. N.

(128) Die 18. Maji obiit Joann., die vero trigesima mens. Augusti Theodoricus, ex Anonymo Vales. dicente: Fluxum ventris incurrit, & dum intra triduum evacuatus fuisset, die Dominico, *quo se gaudebat Ecclesias invadere, simul Regnum & animam amisit*, die 30. Aug., cum *septimo Kal. Sept.* edictum edi jussisset Symmacho Scholastico Judæo, præcipiens ut Ariani Basilicas Catholicas invaderent. A die igitur obitus Joannis ad diem mortis Theodorici Regis dies interfluxere 105., utroque extremo numerato.

A anno regni sui tricesimo, (129) ætatis septuagesimo secundo; non minorem hostibus terrorem, quam populis suis desiderium sui relinquens; quod justitia, fortitudine, sapientia, atque omni denique regia laude præstiterat, quo factum est, ut Italia per multos ante annos, revocato in pristinam securitatem, ac prope etiam splendorem Imperio, aut pace firmiore, aut otio uberiore, quàm ipso regnante, non fit usa; siquidem & à finitimorum barbarorum incursionibus, & à domesticis seditionibus fuit tranquilla, sed has omnes laudes una Arrianæ perfidiæ temere cultæ insignis labefactavit infamia; siquidem narrat Sanctus Gregorius, solitarium magnæ virtutis virum B apud Liparas habitantem, qua die ille excessit, Gottho cuidam nobili dixisse, visam à se Regis Theodorici animam, quæ à Joanne Pontifice, & Symmacho Patricio in ollam Vulcani mergenda portaretur. Mortem ei imminentem portendit statua ejusdem Neapoli posita, cui caput per eos dies fortuito decidit. Theuda Præfectus Theodorici in Hispania, muliere nobili, & locuplete, & multorum oppidorum Domina in matrimonium ducta, duo millia hominum confecerat, ac verbo Theodorici permissu Gotthis præerat, re tyrannidem exercebat. Theodoricus autem ante obitum veritus, ne sibi cum Præfecto suo certandum esset, & Francos, ac Visgotthos adversos haberet, exercitui eum præesse permisit, tantummodo dum bellum gereretur, verum per amicos admonitus curavit, ut ad se salutandum veniret, quod cum ille in diem differret, Theodoricus est mortuus, quo facto, Theuda regnum inde, aut certe partem ejus pro suo arbitrio gessit. Eodem anno (130) Longobardi Gotthis aliquando in Italia successuri ex Rugia in Pannoniam, Audoino Rege ducente, pulsis Ostrogotthis transierunt.

# LIBER DECIMUSSEPTIMUS,

## *Qui est Regni Gotthorum in Italia secundus.*

### ATHALARICUS REX.

Justis Theodorico solutis, Athalaricus puer octo annos natus extem- C plo regni hereditatem adivit, atque ex præscripto Amalasuentæ matris omnia pro sua voluntate, judicioque curantis, legatis, literisque missis, Senatum, Populumque Romanum, ac Romanos, Gotthosque in Italia, Dalmatia, & Gallia constitutos certiores de sua provectione fecit, jurans, se omnibus, qui in sua, atque avi sui auctoritate mansissent, jus æquabile redditurum. Omnium literarum exempla sunt apud Cassiodorum in hanc sententiam: *Scire vos volumus, nos nuper ab avo nostro Theodorico in extremo vitæ discrimine positos regni heredes maximo animi studio institutos; proceres autem, qui aderant, judicium ejus tanta consensione probasse, ut divina* D *in ea re voluntas agnosceretur. Quos imitati Romani, & Gotthi non solum suorum nobis studiorum alacritatem, sed etiam jurisjurandi religionem continuo præbuerunt. Quorum vos etiam vestigia sequuturos non dubitamus; itaque, ut primordia nostra, nostramque erga vos humanitatem perspiceretis, legatos ad vos nostros misimus, ut vobis item nomine nostro justitiam, & æquabilem clementiam interposito sacramento sponderent.* Ipsius porro Amalasuentæ Reginæ ingentia corporis, animique decora referuntur, primum tanta in ore dignitas, ut nemo eam sine summa veneratione spectaret; tanta in dicendo vis, ut cum Græce, Latineque sciret, verba faciens, omnium ad se voluntates, animosque converteret: ingenium deinde virile, ac prudentia major, quàm sexui conveniret; itaque, Athalarico per ætatis imbecillitatem ad regni gubernacula tractanda nondum idoneo, ipsa tanta justitiæ, ac sapientiæ fama administravit, ut omnes in summam admirationem adduxerit; nam non modo Romano cuipiam vitam, aut bona non ademit, sed etiam liberis Symmachi, & Boëtii, quæ fuerant erepta, restituit; in primisque universam Romanorum nationem adversus inhiantem Gotthorum libidinem texit. Amalarico vero Regi Hispaniæ (1) sororis suæ filio Galliæ ultra Rhodanum portionem, citeriore sibi retenta, concessit, & res à Theodorico patre Carcassone ablatas reddidit, atque impositum ab eo vectigal remisit: quin etiam ipsius citerioris partem Theodorico Regi Francorum arma sibi intentanti tradidit ad levandam Francico bello in tanta suorum infirmitate Italiam: puerum porro Athalaricum contra instituta Gotthorum (2) more Romano

(129) Si à morte Odoacris anni hi numerentur, ut alibi dictum ex Anonymo Vales. si vero ab ingressu suo in Italiam anni triginta- E septem, ut ait Procop. Bell. Goth. l. 1. 1. Dum autem Cassiodorus in Chron. Gothor. *annos quindecim* numerat, respicit tempus, ex quo Hispanias administravit.

(130) Sigebertus in Chr., an. 527. Longobardos in Pannoniam ductos ab Audohino scribit; sed eum dicat, in ea mansisse annis 42., & Langobardi anno 568. Italiam advenerint, non est cur ab an. currenti id removeatur. L. Paul. Diac. l. 2. de Gest. Langobard. 7., Sigebert., Marium in Chr., qui omnes ad an. 568. eorumdem in Italiam adventum referunt; hinc immerito Cointius an. 569. consignat.

(1) Is Theodorici ex Theudetusa filia nepos ditiones in Hispania, & Gallia positas accepit; moxque Athalaricum inter, & Amalaricum consobrinos conventum, ut Ostrogothi inter Alpes, & Rhodanum, ultra fluvium vero Visigothi regnarent. L. Procop. Bell. Goth. l. 1. 13. Addit Isidorus in Chr., Theodoricum Hispaniæ Regnum, cujus pars tunc erat Septimania, adhuc vivente Amalarico, nepoti suo reliquisse.

(2) Gothos ideo contra Amalasuntham tumultuatos, auctor est Procop. B. Goth. l. 1. 2., eamque adegisse, ut Pædagogos Regios dimitteret; falso enim sibi persuaserant, literarum studiis effeminari Principem, Theodorici effatum illud allegantes: *Gothorum liberos nunquam hastam, aut gladium despecturos mente intrepida, si ferulam timuissent.* Sed brevi perdita hæc consilia fore eventus ostendit, amotis enim à Principis latere sapientissimis Præceptoribus, in temulentiam, aliaque pessima vitia præceps ruit, donec & in matrem evaderet contumax.

mano rectis ad omnem humanitatem literis informandum curavit, ac præceptorum, seniorumque humanitate, prudentiaque præstantinm custodiæ severiori commisit, qui nunquam ab ejus latere discedentes mores, vitamque pueri Romana disciplina imbuerent. Per hæc tempora publica erat Romæ Schola, in qua eloquentia, jurisprudentia, & reliquæ ingenuæ artes per eruditissimos homines publica mercede instituto vetere tradebantur; cum autem stipendia hoc tempore à Senatu professoribns aut non penderentur, aut lente, ac fastidiose persolverentur, eadem hujus rei certior facta per literas Senatoribus nomine Athalarici præcepit, ut eis plenissime satisfacerent: *Nuper cognovimus*, inquit, *doctores eloquentiæ Rom. laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, ut Scholarum magistris attributa summa dematur; quapropter cum perspicuum sit, præmium artes nutrire, nefas judicavimus, doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius commodorum incrementis ad gloriosa studia provocandi: prima enim grammaticorum Schola fundamentum est literarum, mater facundiæ, magistra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis antiquorum nos cognoscitur juvare consiliis, hac non utuntur barbari Reges, apud legales dominos permanet singularis. Arma enim & reliquæ gentes habent, sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat. Qua de re P. C. hanc vobis curam, hanc auctoritatem largimur, ut successor Scholæ liberalium literarum tam grammaticus, quam orator, & juris expositor commoda sui decessoris ab eis quorum interest, sine aliqua imminutione percipiat, ne cogantur de alieno pendere fastidio, cui piaculum est vel horarum vacasse momento.*

527 Mavortio inde Consulatum administrante, Justinus Augustus finem sibi vitæ imminere ex lethali contracto morbo intelligens, successorem sibi (3) exemplo Theodorici substituit: quippe Kalendis Aprilis Justinianom, sororis filium, egregium animo, atque virtute juvenem, Imperii sibi consortem ascivit: & Kalend. Augusti vita cedens Imperatorem reliquit. Hic est Magnus ille Justinianns, quem merito posteri Juris conditorem, libertatis restitutorem, barbarorumque profligatorem linguis, scriptisque consentientibus celebrarunt: ille vero, inito Imperio, præclarum avunculi exemplnm Rep. domi, forisque juste gerenda sibi proposuit: itaque, & Concilii Chalcedonensis vindicem se futurum denunciavit, & bellum Persicum ab Anastasio institutum, atque à Justino exceptum summa ope continuavit: hunc vero ubi ad Imperium pervenisse Amalasuenta percepit, statim Regis nomioe Oratores de fœdere confirmando, & renovanda amicitia misit, cum his literis: (4) *Jure possem reprehendi, Clementissime Princeps, si pacem vestram quærerem tepide, quam patres meos constat ardentius expetisse. Vos avum nostrum in vestra civitate sellis curulibus extulistis: vos genitorem meum in Italia palmatæ claritate decorastis: desiderio quoque concordiæ factus est per arma filius, quia unis vobis pene videbatur æquævus: hoc nomen adolescenti congruentius dabitis, quod nostris senioribus præstitistis, quamobrem ad Serenitatem vestram legatos nostros misimus, ut amicitiam nobis illis conditionibus concedatis, quas cum avo nostro decessores vestros constat habuisse.* Eam vero societatem, ut ad res gerendas non inutilem, Justinianus summo studio confirmavit; postero autem an- 528
no, cum esset ona cum Athalarico Rege iterum Consul, (5) domi quietus, ac prorsus in studia pacis intentus opus longe bellicis laudibus omnibus præponendum instituit. Animo namque ad vetus Jns civile emendandum, supplendum, & componendum adjecto, Juris peritos illa ætate ingenio maxime, doctrinaque præstantes adhibuit ex nobilissimis Beryti, & Cæsareæ gymnasiis evocatos eisque consilio suo communicato, (6) præcepit, nt novum Juris Codicem decreta Augustorum Principum complectentem Theodosii Augusti imitatione conficerent. Eo etiam anno sævus terræ motus miserabiliter Antiochiam afflictavit; siquidem, ingenti cœli prope mugitu edito, ædificia omoia, quæ priore non ruerant, deturbavit, atque hominum ferme quinque millia ruinis allisit; quo casu perculsi cives ad divinam opem implorandam se contulerunt, ac sine calceis cum flebilibus vocibus Deo

(3) Procopius in Hist. Arc. 9., *metu ac minis Senatum, Populumque perterritum narrat, ut Justinianum Romanorum Cæsarem consalutarent tertio ante Pascha die*, quod h. an. in diem 4. April. incidit. Auct. Chr. Alex. tradit, Justinum ad mortem redactum *ex ulcere pedis, quod ex ictu sagittæ in bello contraxit*; postquam imperaverat ann. 8., menses octo, dies 23. solus: sed & cum Collega universim ann. 9., dies 23. ex Evagr. l. 4. 9., in cujus textu vero dies tantummodo tres leguntur: sed addendi 20. dies, ut ex supputatione temporis, quo Augustus renunciatus, & quo obiit, clare liquet.

(4) Epistola pr. l. 8. ap. Cassiodor. Justiniano Imp. scripta habetur; sed cum in ea Athalaricus dicat: *Primordia itaque nostra, ea solatia mereantur Principis longævi habere*; quibus indicatur, initio Regni præfatam ep. datam esse, & ad Justinum longævum Principem, non ad Justinianum, quem Cassiodorus longævum non dixisset. Neque ordo Epistolar. Cassiodori id patitur; post hanc enim ep. sequitur illa ad Senatum, tertia ad P. Rom., quarta Romanis per Italiam, & Dalmatiam constitutis, aliæque usque ad octavam, quibus omnibus certiores illos facit, se a Theodorico Regni successorem declaratum. Si igitur omnes hæ epp. initio Regni sui datæ, cur non prior?

(5) In omnibus Fastis notatur Justinianus Aug. II. sine Collega.

(6) Constituto Decemviratu ad hoc opus curandum, delecti Joannes Patricius vir Consular., & Exquæstor, Leontius Mag. Milit. ex Præfecto P., Phocas Mag. milit., & Patric., Basilides Patric. ex Præf. P. Orient., Thomas Exquæst. Sacr. Palat., Tribonianus Mag. Officior., Constantinus Comes Sacr. Largitionum Theophilus Comes Sacr. Cons. Dioscorus, & Præsentinus togati Judices facti Prætoriani. Hinc non mirum si Justinianeus Codex horum cura absolutus totius Imperii Rom. faciem, & illorum temporum notitiam exhibeat docens quæ Magistratuum genera, quis dignitatum ordo, quæ Urbium præcipua Corpora, & Collegia, quæ Principum per ea tempora circa Fidem Catholicam studia, & cet. Is autem labor susceptus ampliorem laudem promeruisset, nisi ad Religionis dogmata definienda, Ecclesiasticasque Leges condendas inexcusabilis licentia turpiter fœdasset, & Tribonianus veteres Leges falce sua resecuisset, ut alia ejusdem facinora in Codice conficiendo prætereantur.

Deo supplicatum ierunt: cum autem vir quidam insigni pietate præditus se in quiete divinitus monitum esse assereret, ut ad tantam avertendam calamitatem in foribus ædium inscriberetur: *Christus nobiscum state*, eo facto, repente cœlestis ira consedit. Justinianus inde, & Theodora conjux ejus, ingenti suppeditata pecuniæ summa, urbem instaurarunt, ac novo nomine pro Antiochia Theopolim appellarunt. Interim Athalaricus Rex præcepta materna sequutus varios amicos virtutis causa ad honorum gradus evexit, atque ad frequentanda Bruttiorum oppida possessores, & curiales rura relinquere, & in urbes se referre præcepit: eosque, datis fidejussoribus, spondere jussit, se majorem partem anni in oppidis à se ad habitandum delectis agitaturos; cumque Theodoricus aquam in urbem Parmensium induxisset, ad Honoratos, possessores, & curiales ita scripsit, ut eos propterea cloacas etiam purgare mandarit: *Civitatem*, inquit, *vestram siccitate diutina laborantem avus noster saluberrima unda rigavit, nunc vos cloacarum ora pandatis oportet, ne, sordium objectione tardata, reciprocans unda vestris ædibus illidatur, & quas debuit abluere, vobis inferre cogatur*. Eodem anno Benedictus Nursinus Abbas, sanctitate in Sublacensi Monasterio florens, divino instinctus Spiritu, paucis Monachis secum assumptis, Cassinum in Campaniam adiit, (7) ibique simulachro Apollinis, quod vulgo ab agrestibus hominibus colebatur, everso, lucoque succiso, novum sibi Monasterium condidit, ac Monachis Occidentalibus leges, quibus in hunc usque diem utuntur, severissimas dedit, & panis pondus, ac mensuram vini, quibus in summa victus tenuitate vescerentur, præscripsit; id Monasterium deinde numero Monachorum, dignitate Abbatum, muneribus, ac privilegiis Principum tota Italia factum est celeberrimum, (8) præcipue per aliquot post annos ipse ibi degens Benedictus signis multis in Christi nomine edendis locum per
529 vagata fama suæ extulit sanctitatis. Decio inde Consulatum gerente, Justinianus Idibus Aprilis Codicem Juris (9) antecessorum solertia concinnatum felicissime sub suo nomine edidit, atque ex eo in posterum jus dici præcepit, neque ita multo post, ut animi sui expressam de fide sententiam proderet, legem aliam tulit, ne quis dissensisse à Fide Catholica vellet; si quis adhuc secus sensisset, is trium mensium spatium ad resipiscendum haberet, ex quo edicto varie inde in Oriente tumultuatum est, Arrianis in primis, atque Eutychianis superbe nimis, ac violenter in se consultum esse sentientibus. Athalaricum Regem jam decem annos natum jampridem Gothi severa seniorum disciplina educari moleste ferebant, nempe indolem regiam, ac virtutem avitam literarum otio, ac studiorum cultu existimantes effœminari; itaque, cum puer à matre correctionis caussa manu percussus ad nonnullos eorum lacrymans confugisset, dicere non dubitarunt; cupere ipsam puerum perdere, ut secundis nuptiis ad alterum virum regiam dignitatem transferret, ac, consilio agitato, vocibus eam haudquaquam obscuris increpuerunt, quod Regem non convenienter educaret; nam, & literas, & Magistros à fortitudine, & magnitudine animi inferenda alienissimos esse, qui res maximas gesturus, & bellicam Theodorici gloriam æquaturus esset, eum armis operam dare, & rei militari studere, nec Præceptores formidare, sed Præceptoribus formidini esse debere, non ita Theodoricum Gotthorum filios educandos instituisse, immo vero ne ipsum quidem tot gentium domitorem hoc pacto educatum fuisse, quem constaret nullas prorsus literas cognovisse. Athalaricus cum æqualibus in campo, atque in solo laborare perdisceret, non autem cum majoribus natu in scholis, atque in umbra langueret, quorum verba etsi minime omnium Amalasuenta probavit, ne tamen ipsos despicatui habere proceres videretur, illorum se parituram auctoritati respondit, atque ab illo die, dimissis senioribus, puerum juvenum familiaritati commisit. Per idem tempus Hildericus Rex Vandalorum Amalafredam Transamundi olim Regis uxorem parum comperta de caussa necavit, quod ubi ad aures Amalasuentæ, sive Athalarici pervenit, justa ira permoti graves ad eum literas miserunt, (10) & reddenda tanti facinoris caussa ut sibi satisfaceret, verbis his postularunt: *Quis nesciat, Amalafredam generis nostri decus violenta à vobis manu esse peremptam, & quam habuistis pridem dominam vos passos non esse, vivere nunc privatam? Hæc si contra fas gravis esse videbatur, remitti ad nos cum honore debuit, quam magnis supplicationibus petiistis; & ideo morali ratione commoniti per legatos jus à vobis poscimus, expectantes, qualis tanto facinori defensio præstetur*. Lampadio inde, atque Oreste Consulibus, anno Christi DXXX., Justinianus, 530
edito Codice ad formanda, sive restituenda litium, caussarumque judicia non contentus, nobiles iterum Jurisconsultos atque antecessores accivit; ac, voluntate sua exposita, negotium alterum eis dedit, ut insignia veterum Jurisperitorum decreta ex immensis eorum voluminibus secernerent, eaque ordine ad intelligendum, & utendum accom-

(7) L. S. Gregor. M. Dialogor. l. 2. Cassinense Chron., & Leo Ostiensis annum 529 indicant, quo SS. Pater Cassinum adiit. Quæcumque sint S. Placidi acta apud Sur. die 5. Octobr., aperte docent prædicto an. id evenisse.

(8) Quæ ad ejusdem Monasterii veteres, recentesque prærogativas, Summorum PP., & Principum munificentia concessas, & itidem historiam universam attinent, in ingens volumen redacta a Reverendiss. D. Erasmo Gattola Abbate, & jam sub prælo posita Respublica Literaria impatienter expectat.

(9) Ex Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano concinnatum per Decemviros, eoque absoluto, Constitutionem edidit Imperator *VII. Idus Februarii*, *Decio Consule*, ad Mennam Præfect. P., ut illum confirmaret, vel *VII. Idus April.*, ut in Cod. Just. Gothofr. Sed cum extra corpus ejusdem Codic. alias constitutiones Justinianus edidisset, an. 531. in illum relatæ fuerunt, ejusque per totum Orbem Rom. promulgatio facta; unde Marcellinus post Consulat. Lampadii, & Orestis ait: *His Coss. Codex Justiniani Orbi promulgatus est*. Illius ultima editio promulgata an. 534., ex Marcell. ipso.

(10) Quas integras L. ap. Cassiodor. l. 9. ep. 1. Forsasse in odium defuncti Theodorici, Amalafrida necata, cujus erat neptis. Id epistola ipsa videtur innuere; inquit enim Athalaricus: *Hoc Gothi nostri ad suum potius opprobrium intelligunt fuisse tentatum*, & cet.

Digitized by Google

commodato digererent: quod illi, collatis A
in unum veteribus omnium de Jure com-
mentariis, magna cum cura, atque indu-
stria præstiterunt: atque Institutiones juris,
& Digesta legum, quæ nunc quoque terun-
tur manibus, confecerunt, immortalem apud
posteros industriæ gloriam pariturí, nisi,
dum brevitati fortasse nimiæ studuerunt, in
miras obscuritatis angustias incidissent, ac
disputationum, & litium, quas tollere vo-
luerunt, interdum materiam præbuissent.
In Thracia, duce Mundo militiæ Magistro,
res egregie gesta, Bulgaris populantibus ad
internecionem deletis. Romæ Felix Ponti-
fex IV. Idus Octobris est mortuus. (11) Co-
mitiis novo Pontifici creando indictis, Se- B
natus, ac Clerus in duas, ut ante, factio-
nes est scissus: itaque alii in Basilica Con-
stantiniana Bonifacium, alii in Basilica Ju-
lii Dioscorum, utrumque Presbyterum, de-
signarunt Episcopum: quæ seditio gravissi-
me turbatura quietem Ecclesiæ erat, nisi biduo
post subsequuta Dioscori mors repentina om-
nem plane tumultus materiam sustulisset: eo
vero extincto, Bonifacius locum sine contro-
versia nactus, ac secundus in consecratione
appellatus, Clero advocato, Dioscorum
condemnavit; verum factionem ejus, quæ
maxima erat, in gratiam Ecclesiæ recepit.
531 Inde post Lampadii, & Orestis Consulatum,
ut pravi in posterum dissidii occasionem C
adimeret, convocato iterum Clero, omnes
ante Confessionem S. Petri in verba sua
jurejurando adegit, se post excessum ipsius
Vigilium Diaconum Pontificem sublecturos:
idque sacramentum sanciri manu cujusque
voluit. Admonitus inde rem commisisse sa-
cris legibus omnibus adversantem, & liber-
tati Comitiorum officientem, idem scriptum,
accitis de integro omnibus, abrogavit, eo-
que incenso, se reum esse majestatis asseruit
(qua re adducti Senatores, & ipsi decretum
de ambitu Pontificiorum Comitiorum com-
primendo fecerunt), ac mox, cum in sum-
ma fame populum annona egregie sublevas-
set, mortem & ipse XVI. Kal. Novembris D
oppetiit, (12) neque per competitorum con-
tentionem illo anno successorem accepit. In
Africa Gilimer Genserici quondam Regis
nepos, (13) cum regni hereditatem, vel
ipso Hilderico vivente, immatura, ac pro-
pe insana cupidine devorasset, iniquum &
ipse facinus est aggressus: quod mox ipsi
vitam, Vandalis vero integrum in Africa
imperium abstulit. Hildericum namque ac-
cusavit apud Vandalos, quod rei militaris
inscitia superiore bello cladem ab Alris ma-
ximam accepisset, & quod, legatione missa,
Vandalos Justiniano prodere voluisset, quip-
pe cui etiam, antequam ad Imperium per-
veniret, amicus, atque jucundus fuisset: qui-
bus rebus Vandali temere incitati ipsum
conflata seditione corripuerunt, atque in
carcerem conjecto Gilimerem substituerunt.
Quod ubi Justinianus audivit, hominis mi-
sericordia percitus, subito legatos ad Gili-
merem cum hac epistola misit: Impie facis,
quod Hildericum propinquum tuum in custo-
dia retines, cujus regnum brevi post tem-
pore juste excipere potuisti; nam, ut modi-
cum tempus præverteres, jus ipsum viola-
sti, ac regni nomen in tyrannidem transtu-
listi, quamobrem magnopere tibi suadeo,
ut ipsum, dum vivit, regni usurpare ima-
ginem patiaris, & avi tui Genserici de re-
gni successione decretum, ac judicium tuea-
ris; qua epistola lecta, Gilimer iratus non
solum legatos irrito postulato dimisit, sed
etiam Hildericum custodiæ arctiori manda-
vit. Itaque Justinianus, novis missis legatis,
ita rescripsit: Quoniam stat tibi sententia
regnum injuste tenere, tibi habe. Hilderi-
cum vero ad me mitte solatium illud habi-
turum, quo frui poterit, qui regno suo
exciderit, quod si facere abstiteris, necessi-
tatem nobis impones, ut fœdere præterito,
quod cum Genserico sanctum habemus, te
non solum infesto bello petamus, sed etiam
pœna, qua possimus, afficiamus. Ad quæ
Gilimer respondit: Ego regnum Hilderico
nequaquam eripui, sed eo propter novarum
rerum studium à Vandalis exturbato, jure
ætatis ad me translatum suscepi, quod si
tu, soluto fœdere, arma mihi inferenda
statueris, dabo operam, ut vim propulsem,
ac Zenonis, cui tu successisti, fidem implo-
rem. Eodem anno Constantinopoli gravi
seditione tumultuatum est, (14) Hypatio,
Probo, & Pompejo, sibi vindicare Impe-
rium molientibus: urbe fœde direpta, ac
multis in locis incensa, Hypatius, & Pom-
pejus ad Palatium invadendum, & Impera-
torem delendum cum parata satellitum ma-
nu pergere contenderunt; verum Belisario,
Mundo, & Narsete proceribus ad vim ar-
cendam accurrentibus, in ipso seditionis in-
cendio comprehensi, & ante pedes Justinia-
ni deducti pœnas capite persolverunt, sociis
bona proscripta sunt; ea seditio à tessera
data Nica, seu Vince est appellata. Postero 532
anno

(11) Ita Anastasius: sed in ejus textu legendum Pagius advertit *usque in XIV. Kal. Octob.*, non autem *usque in IV. Idus Oct.* ut duratio Sedis ejusdem ab Anastasio *ipso* asserta sibi constet. Nec audiendus Holstenius, aliique, qui an. superiori obiisse Felicem putant, eodemque anno ei suffectum Bonifacium II., qui h. anno Pontifex inauguratus post paucorum dierum Interpontificium, ut Pagius idem observat, Anastasii editionem hac in re quoque emendans. E

(12) Annos duos sedisse, & dies viginti sex, Anastasius testis est, & conveniunt Catalogi PP. Romanor. At in Anastasio corrigendus Consulatus, legendumque: *Iterum post Consulatum Lampadii, & Orestis*; unde anno seq. obiit, die decimaseptima Octobr., cumque sedes vacasse dicatur in plerisque exemplarib. Anastasii, in Orderico l. a., *menses duos, & dies quindecim*; quod & Gotfridus Viterbiens. in Chr. confirmat, minus recte dicitur ab A. N., anno, quo obiit Bonifacius, neminem suffectum; ex allata namque supputatione Joannes II., cognomento Mercurius, natione Romanus postremo die Decembris inauguratus fuit.

(13) Is Ildericum an. 530. Regno spoliavit; nam Procop. l. 1. de Bell. Vandal. 9. septem ann. illum Regno potitum scribit; annos septem, & menses tres habet Isidor. in Chr. Vandalor. atqui Ildericus an. 523., die 24 Maji regnare cœpit, ut alibi ostensum; an. igitur 530., circa mensem Aug., Regnum amisit; unde recte eid. an. consignat Hermannus Contract. Edit. Canisianæ.

(14) Tam Theophanes, quam Marius Avent. Marcellin., & Auct. Chr. Alex. conjurationem hanc Hypatii, Pompei, & Probi, qui genere consobrini, & Anastasii Aug. nepotes erant, conjiciunt in annum 532. Addit Auct. Chr. Alex. mense Januar. cœptam ad diem vicesimam: eumdemque mensem exhibet Theophanes subdens, *Indictione decima*; quæ in an. sequ. incidit.

anno iterum post Consulatum Lampadii, & Orestis, Comitiis Pontificiis diuturna contentione prolatis, Joannes Presbyter (15) XI. Kal. Februarias Pontifex Bonifacio est suffectus, ac secundus vocatus. Athalaricus à defensore Romanæ Ecclesiæ de comitiis nefaria quorundam ambitione turbatis, & pauperum, Ecclesiæque facultatibus dissipatis admonitus, legem de ambitu coërcendo superioribus congruentem constituit, deque ea re Joannem ipsum statim edocuit: *Nuper ad nos*, inquit, *defensor Ecclesiæ Romanæ venit, expostulans, cum Apostolicæ Sedi peteretur Antistes, quosdam nefaria machinatione necessitatem temporis aucupatos ita facultates pauperum extortis promissionibus ingravasse, ut, quod dictu nefas est, etiam sacra vasa emptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele committi, tanta gloriosum est adhibita pietate resecari, atque idea Sanctitas Vestra statuisse nos præsenti definitione cognoscat, quod etiam ad universos Patriarchas, atque Metropolitanas Ecclesias volumus pertinere, ut à tempore Sanctissimi Papæ Bonifacii, cum de prohibendis suffragiis* Patres *conscripti Senatusconsulta nobilitatis suæ memores condiderunt, quicunque in Episcopatu obtinendo sive per se, sive per aliam quancunque personam aliquid promisisse declaratur, ut execrabilis contractus cunctis viribus efferatur; si quis autem in hoc scelere deprehendatur fuisse versatus, nullam relinquimus vocem, verumetiam si quid aut repetendum, aut quod acceptum est, non reddendum esse crediderit, sacrilegii reus protinus habeatur.* Justinianus ubi novum Pontificem creatum comperit, statim, ut exemplo sui ceteros ad rationem fidei suæ prodendam alliceret, Hypatium Ephesinum, & Demetrium Philippensem Episcopos legatos ad eum misit, (16) qui tabulas Confessionis suæ deferrent, simulque pretiosa ex auro, gemmisque mirifici operis vasa Sancto Petro offerrent: eæ tabulæ adhuc in Actis Conciliorum insertæ leguntur, in quibus ille quatuor œcumenica se probare Concilia profitetur; tria vero capita Concilii Chalcedonensis, nempe scripta Theodori Mopsuesteni Episcopi, Theodoriti Cyrensis, & epistolam Ibæ ad Marim anathemate, licet auctoribus jam extinctis, ferienda, tanquam à Catholica veritate remota contendit; quin etiam proximis Gilimeris literis vehementius irritatus Vandalicum bellum suscipere statuit. Consilium inde suum cum à plerisque improbari audiret, tristem Africanæ expeditionis à Leone, duce Basilisco, susceptæ exitum horrescentibus, & summam expediendi negotii difficultatem proponentibus, aliquantulum de studio rei militaris instruendæ remisit; mox somnio quodam egregiam victoriam portendente in spem ab Episcopo quodam erectus ad pristinas cogitationes, apparatusque se retulit, atque omnia ad eam rem necessaria militum, navium, armorum, commeatuum, & instrumentorum subsidia expedire perrexit, ac totius belli summam Belisario tradidit, duci ea tempestate præclaro, nuper post pactas cum Persis (17) inducias ex Oriente reverso. Eodem anno, qui fuit Imperii ipsius quintus, novum pestilentiæ genus Orientem invasit, (18) à Græcis bubonis, à Latinis inguinariæ dictæ, quæ orta in Æthiopia sensim inde totum terrarum Orbem pervasit, quibusdam civitatibus ita prostratis, ut prorsus exhauserit; quibusdam vero ita affectis, ut afflatu tantum ipso terruerit, nulla certa ratione neque in adoriendo, neque in dimittendo servata; nam alios ineunte hyeme, alios senescente vere, alios adulta æstate, aut autumno invasit, atque in quibusdam oppidis domos omnes attigit, in quibusdam nonnullas, quæque familiæ priore anno integræ fuerunt, solæ sequenti contabuerunt; quin etiam sæpe qui ex infectis urbibus evadebant, postquam inter sanos venissent, soli peribant, neque vero eadem omnes ægritudo tentavit; in quibusdam enim morbus à capite incipiens oculos sanguine, & faciem tumore afficiebat; deinde ad guttur accedens vitam eripiebat; alii ventris profluvio interibant, in aliis bubones erumpebant, & febres vehementes accedebant; nonnulli biduo, aut triduo sana mente moriebantur, nonnulli vero de potestate dejiciebantur; erant qui semel affecti iterum incidebant, aliis morbum consuetudo attulit, aliis attactus, aliis solus fori aditus. Quin etiam quidam integri proximis exitium importabant, alii licet cum ægris, mortuisque versati, morbum tamen, licet cupientes, nancisci non poterant, atque hac tanta malorum varietate hic morbus post orbibus quibusdam sæpius revocatus homines in plurimos post annos misere laceravit. Per eosdem dies Amalasuenta Regina Theodoricum Francorum Regem bello provocavit, ac victoriam, Re-

(15) Is postremo die præsent. anni ordinatur. Repete quæ de Bonifacii II. morte superius dicta.

(16) Legationis causa ea fuit, quod Monachi Acæmetæ negantes, *Unum de Trinitate Incarnatum, & Carne passum, & B. Virginem vere & proprie esse Dei genitricem*, turbas excitalient, misso Cyro, & Eulogio, qui partes suas tuerentur apud Apostol. Sedem. adversus hos Justinianus Legatos suos Romam misit; an. tamen sequ. Justiniani quæsitis satisfecit Joannes II., ut patet ex Literis ejusd. Pont. ad Avienum, Liberium, aliosque, & ex iis ad Justinianum datis *VIII. Kal. Apr. Justiniano A IV., & Paulino Coss.*, an. sc. 534, ubi Acæmetas communione privat, ut ad saniorem redeant mentem, & *Unum de Trinitate passum Carne* dici posse affirmat. Videant qui Scythas Monachos vellicant immerito, an hi erratam propositionem illam mordicus propugnarint.

(17) Non h. an., sed sequ., teste ipsomet Justiniano in fin. L. 2. ff. de Confirm. Digest., initam pacem sub tertio suo Consulatu, affirmante; hinc recte Marcellin. in Chron., Aug. III. Cons., ait: *Post diuturnum, immanemque laborem contra Medos Romanis gestum sudoribus, tandem per Rufinum Patric., perque Hermogenem Mag. Offic. . . . . pax cum Parthis depacta est.*

(18) Ex Procop. l. 2. Bell. Pers. 22., & Evagr. l. 4. 29. post secundam, & tertiam Chosrois in Romanos expeditionem, *biennio post captam à Persis Antiochiam*, lues Byzantium invasit, an. sc. Chr. 541., aut sequ., obscure enim quoad annum utrum ex his, uterque loquitur. Sed antea fortasse per Orientem grassabatur, orta ab Ægyptiis, Pelusii incolis, eod. Procop. teste, & per quatuor menses Byzantii sævilt. Evagrius autem auctor est, *duobus & quinquaginta annis* grassatam, universum prope terrarum Orbem devastasse. Mirandos illius effectus L. ap. Procop. l. c.

Rege mortuo, (19) nobilem reportavit; quoniam autem & caussa, & series belli parum est explorata, verba ipsa Cassiodori, unde hoc hausimus, afferemus, nihil neque de nostra conjectura addentes, neque de aliena narratione demeotes; is, cum de virtute, rebusque Amalasuentæ loqueretur, sic post multa intulit: *Franci etiam tot barbarorum victoriis præpotentes, quàm ingenti expeditione turbati sunt? lacessiti meruerunt cum nostris inire certamen, qui præcipitiis saltibus prælia semper gentibus intulerunt: sed quamvis superba natio declinaverit conflictum, vitare tamen proprii Regis nequivit interitum; nam Theodoricus ille diu potenti nomine gloriatus in triumphum Principum nostrorum languoris potius pugna superatus occubuit, ordinatione credo divina, ne nos aut affinium bella pollurerent, aut juxta productus exercitus vindictam aliquam non haberet; macte procinctus Gotthorum omni felicitate jucundior, qui hostem regalem capitis cædis, & nobis nec unius ultimi facta subducis.* Addit inde, eandem etiam Regem Burguodionum ad obsequium adduxisse, sic enim subjicit: *Burgundio quin etiam ut sua reciperet, devotus effectus est, reddens se totum, dum accepisset exiguum, elegit quippe integer obedire, quàm immunitus obsistere, tutius tunc defendit regnum, quando arma deposuit, recuperavit enim prece, quod amisit in acie. Beatam te, Domina, laude multiplici, cui divino beneficio necessitas tollitur cunctæ certaminis, quando adversos Reipublicæ aut cælesti felicitate vincis, aut tuis imperiis spontanea largitate conjungis. Ecce felix Domina, quod habet eximium uterque sexus, implevit; nam & gloriosum Regem nobis edidit, & latissimum imperium animi fortitudine vindicavit.* 533 Sequeoti anno, Justiniano Augusto jam tertium Consule, Theodebertus Rex Francorum, (20) qui Theodorico Regi patri suo soccesserat, honestam belli in Hispaniam transferendi caussam nactus, noo omisit. Hujus sororem Crothildem Amalaricus Rex Gotthorum in matrimonio habens, gravibus adeo contumeliis afflictarat, ut aliquando ad Ecclesiam procedentem, quia Catholicæ addicta fidei erat, sordibns aspergendam curarit, atque ad extremom sæve adeo pulsaverat, ut vestem hausto sanguine macularet; quibus de rebus Theodebertus à sorore commonitus cum exercito io Hispaniam transiit, atque, urbe obsessa, Amalaricum fugientem, atque in Ecclesiam se salutis caussa recipientem adeptus, vita exuit, ac thesaurum, & Crothildem secnm abduxit, quæ in itinere periit: inde in Galliam reversus, regionem trans Rhodanum, quam Amalaricus ab Athalarico receperat, sibi adjunxit, Gotthis victis in Hispaniam ad Theudam, qui tyrannidem exercebat, trepido agmine transeuntibus. Eodem aono Justioianus bellum in Africa Vandalicum iniit, cujus principio opportune ad animos certæ spe victoriæ concitandos Pudentius Præfectus Tripolim oppidum in Africa prodidit, & Godas se Sardiniam traditurum, si auxilia summitterentur, ostendit; cumque Eulogius magna cum manu militum accessisset, in ea imperium occupavit. Belisarius autem, paratis rebus io tempore omnibus, cum Antonina uxore Constantinopoli solvit, salutari precatione ab Epiphanio urbis Episcopo ona cum tota classe, atque exercitu ad felicem à Deo impetrandam victoriam expiatus, ac locia aliquot in itinere tactis, tandem io Siciliam adiit: unde aquam, equos, commeatum, & res alias necessarias ex fœdere sumpsit, & coosilia hostium per Procopium Cæsariensem hujus historiæ artificem exploravit. Ceterum certior factus, Gilimerem exereitum tantum adversus Godam ad recuperandam Sardiniam comparare, ac, relicta Carthagine, apud Hermionem (21) quatuor dierum itinere procul à litore agitare, erectiore animo è Sicilia cessit, ac tertio, quàm Constantinopoli discesserat, mense ad Africam classem applicuit, (22) ac locum quinque dierum via Carthagine distantem egregie adversus omnem hostilem impetum communivit: iode, immissis militibus, Syllectum oppidum (23) in litore Carthagioem versus locatum per insidias cepit; mox oniversum exereitum ad Carthaginem oppugnandam, (hæc enim sola muris cincta urbs io Africa erat, reliquis præsidii caussa jampridem novo consilio à Genserico oudatis,) ducere instituit, classe lenta se navigatione subsequi jussa, ac Lecto, (24) & Adrumeto præteritis Græsam oppidum (25) renuit. Gilimer, ubi hostilem adesse sensit exercitum, extemplo Ammatam fratrem, qui Carthagine erat, per literas monoit, ut Hildericum occideret, ac sese cum Vandalis advenieoti Belisario ad Decimom soburbanum (26) objiceret. Gibamundum vero fratris filium cum

(19) Non hoc anno; Turonensis enim l. 3. 23. obiisse scribit *vicesimo tertio Regni sui anno*: sed illud inierat prope finem an. 511., ut alibi; non igitur ante an. 534. mortem oppetiit.

(20) Ita Procopius, Bell. Goth. l. 1., errore Librariorum; Gregor. enim Tur. l. 3. 9., & 10. habet, Childebertum arma movisse in Amalaricum. Idem habet Victor Tunun, post Consulatum tamen Lampadii, & Orestis, an. nempe 531., cui Amalarici nex consignanda, quem non Childebertus, sed miles quidam occidit, ut Gregorius c., & Victor, quibus suffragatur Isidor. in Chr. Neque in Hispania, ut Gregor. refert, sed intra Galliarum septa, ut Procopius; in Gallia Narbonensi, ut Victor, Barcinonem fugiens interfectus à *Franco angone*.

(21) Est in Provincia Byzacena, *à littore quatridui distans*, inquit Procop. Bell. Vand. l. 1. 14. Est & Hermæa, Mercurii promontorium Plinio, & Livio, in ora, inter Carthaginem, & Adrumetum.

(22) *Pridie Festi S. Cypriani*, inquit Procop. l. 2. Bell. Vandal. 10., die sc. 15. Septemb., *Justiniani Aug. anno Imperii septimo*, ex eod. Proc., cum *circa Solstitium æstivum* Byzantio solvisset.

(23) Ad mare prope Carthaginem. Procop. l. c. 16., qui ait, cum illius mœnia pridem diruta fuissent, cives domorum parietibus ob Maurorum incursiones undique munitis, murorum speciem constituisse, ibique omnibus humanitatis artibus se gessisse erga Afros Belisarium, idem Procop. testatur.

(24) Leptim dicit Procopius hæc narrans c. 17. l. c., eaque *Leptis minor* appellata à Ptolom. *liberum oppidum* Plin., cum quo Jubæ controversia, & finitimum bellum, de quibus Cæsar l. 2. 38. Civil. Leptis autem Magna post Ginyphum fluvium Ptolomæo est; eaque Urbs Regionis Syrticæ.

(25) Grassen appellat Procop. l. c. 17., *stadiis* 350. Carthagine dissitum, ubi Regis Vandalorum Palatium erat, & horti amœnissimi, quos ibidem describit Procop.

(26) Cujus meminit Procop. Bell. Vand. l. 2. 17., *quod Carthagine stadiis LXX. distat*.

eum alia manu à latere jussit adoriri: ipse sibi cum suis impressionem à tergo ascivit; itaque Belisarius, postquam ad Decimi angustias pervenisset, facile Gilimeris copiis intercipi, ac deleri consilio potuit, nisi Ammatas ante pugnandi horam, deteriore militum parte assumpta, cum Joanne Belisarii duce præcedente immature congressus, partam victoriam, ac prope præsentem interpellasset; nam ejus casu perterriti milites non ipsi solum præcipiti se fugæ mandarunt, sed reliquos etiam, qui subsequebantur, terga dare majoris mali timore perculsos compulerunt, quam cladem Gibamundus etiam cumulavit, qui cum Hunnis congressus, omnibus suis amissis, aufugit. Interim Belisarius locum septuaginta stadiis procul à Decimo confirmavit, atque, exercitu ad rem strenue gerendam verbis incenso, relicta in castris uxore, cum parte militum ad lacessendum prœlio Gilimerem processit: qui vero primi Decimum pervenerunt, terram cadaveribus stratam aspicientes, & rei gestæ exitum audientes, Belisarium propere advocarunt. Cum autem eodem tempore Belisarius, & Gilimer cum suis uterque copiis diversis è partibus ad Decimum accessissent, leve de occupando interjecto colle inire certamen, quo potiti Vandali, impetu facto, Romanos terga vertere, & in vicum se recipere septem inde distantem stadiis coëgerunt. Gilimer autem ubi in campum degressus, Ammatæ fratris cadaver est conspicatus, ingenti dolore ictus animum ab hoste ad sepulturam avertit, ac, spatio Romanis ad se comparandum concesso, pulcherrimam alteram rei bene gerendæ occasionem amisit; quin etiam certamine à Belisario provocatus, impetum sustinere non potuit, atque una cum Vandalis in Bulæ campum (27) Numidiam versos abiit. Ea re Belisarius excitatus postridie Carthaginem cum omnibus suis intendit iter, & sequenti nocte, cum eò pervenisset, extra urbem sub tentoriis mansit, quamquam comiter, ut introiret, à civibus invitatus; nam & advenienti exercitui portas aperuerunt, ac lumina, & ignes tota urbe ad vias illustrandas accenderunt, Vandalis, qui remanserant, ad Templa progressis; & classi adventanti, ferreis cathenis retractis, liberum in portum aditum præbuerunt: inde cum jam dilucesceret, omnes suos sub signis, tanquam ad prœlium instructos in urbem induxit, ac, nullo (quod timuerat) sese hoste objiciente, in regiam profectus, in sede Gilimeris consedit, tum in Delphico (28) epulatus, prædam omnem jussit exponi, tanta in omni imperio modestia adhibita, ut in magna trepidatione, summoque tumultu civitatis nemo nihilominus tabernas occluserit, aut mercari volenti aliquid venale abnuerit; post hæc Vandalos ad Templa profectos in fidem recepit, ac muros urbis dirutos reficere, urbemque munire adversus omnem belli, quæ cieri posset, tempestatem instituit. Interim Zazon Gilimeris frater in Sardiniam cum classe invectus Caralim tenuit, atque oppido repente capto Godam extinxit, ac Gilimerem de re à se prospere gesta per literas docuit, quas qui attulerunt, à Romanis militibus capti in manus Belisarii pervenerunt. Cyrillus, qui Constantinopoli Godæ subsidio veniebat, Zazonis victoria cognita, Carthaginem cursum deflexit. Gilimer autem, cum victus in Bulæ campo consisteret, haudquaquam se deseruit: verum, petito à virtute præsidio, rusticos Afros ad Romanos, qui per agros dispersi vagabantur, opprimendos immisit, promisso aureo nummo pro cujusque capite ad se delato, ac Vandalos, & Mauritanos, quos potuit, ad arma secum capienda concivit, & Zazonem cum suis copiis ad se, relicta Sardinia, evocavit, quæ cum ad tempus expleta essent, cum his omnibus adversus Carthaginem iter suscepit, proditione se urbe potiturum confisus, Hunnis, qui cum Belisario erant, ad transitionem faciendam magnis præmiis, & pollicitationibus invitatis. Quæ cum omnia Belisarius certis nunciis explorata haberet, muros urbis reficere maturavit, & Hunnos muneribus ab iniquis capiendis consiliis avocavit, ac demum suis omnibus ad præstandam in prœlio fidem, virtutemque pristinam incitatis, adversus Gilimerem contendit apud Tricaranum (29) septusginta stadiis longe à Carthagine castrametantem; ibi Gilimer summo sibi confligendum certamine ratus, puerorum, ac fœminarum impedimentis in medium munitionum conjectis, suos ad constantiam in pugna adhibendam hortatus est, pariterque Zazon etiam suos: inde in ulteriore ripa amnis intercedentis aciem, Romanis parando prandio occupatis, instruxit; qua re animadversa, Belisarius & ipse in citeriore positus instruxit suos. Cum per aliquot horas prœlium à neutra parte inciperetur, demum Joannes cum paucis equitibus Belisarii jussu amnem transgressus, in hostes procurrit, verum à Zazone repulsus gradum retulit; idem, cum, majore numero assumpto, iterum institisset, iterumque cessisset, ad extremum cum magna exercitus parte invectus non solum Zazonis copias loco motas occidione occidit, sed ipsum etiam Zazonem delevit: qua re cognita, Belisarius reliquum exercitum repente eduxit, ac Vandalos adortus fuga in castra compulit, ac, mortuis spoliatis, receptui cecinit: silentio inde noctis ad castra aggredienda profectus, tantum omnibus trepidationis incussit, ut Gilimer, ascenso equo, cum paucis Numidiam versus fugam petierit: Vandali vero cum pueris, & mulieribus,

(27) Bullanum campum quoque Procopius vocat Bell. Vand. l. 1. 25. *Haud procul à Numidiæ finibus in planitie Bullæ situm, quo ab Urbe Carthagine quatridui iter est expedito.* Est Bulla Regia Plin. l. 5. 3. *liberum oppidum*, quæ Bulla solummodo appellatur ab August. Retract. l. 7. 29., à qua campus nomen accepit.

(28) Locus erat, quo Gilimer convivio Principes Vandalorum excipere solebat, quemque Romanos ita appellasse, auctor est Procop. l. c. 21., quia in ea parte Romani Palatii, ubi Epulares tori Imperatoris erant, tripus erat, in quo Cæsarei pincernæ calices reponebant. Tripodem autem, quia Delphis primo visa dicebatur, Delphicam Romani appellabant; unde loquendi consuetudine, ut & Byzantii, & ubicumque Cæsareum est Cœnaculum, *Delphica* vocatur. L. Procop. l. c.

(29) Tricamarum Procop. dicit Bell. Vand. l. 1. 2., *unde stadiis CXL. Carthago distat*, & alibi plurib. in locis.

bus, quò cuique commodum fuit, abire contenderint. Romani castris potiti, hostes, quotquot nacti sunt, ferro straverunt, solis pueris, & mulieribus conservatis, quos in servitutem abripuerunt. Ceterum tanta in castris pecunia est inventa, quanta nunquam antea fuerat visa, ut quæ ex dispoliatis Romanorum provinciis per nonaginta quinque annos (30) fuerat acervata. Gilimerem inde fugientem Joannes insequutus, ac post dies decem & octo adeptus, casu ab amico fallenti infestæ sagittæ ictu, dum avem peteret, interfectus, spatium dedit ad elabendum. Belisarius Gilimerem persequens, Hipponem usque progressus, postquam eum in montem Puppuam (31) in extrema Numidiæ confugisse, nec facile expugnari posse amicorum Maurorum præsidiis fultum accepit, quòd hyems ingravescebat, & Carthagine res suspensas reliquerat, eò sibi recedendum putavit, ac promptos milites cum duce Phara ad eum per hyemem obsidendum immisit. Gilimer paulo ante, quàm Classis Romana in Africam perveniret, rebus suis timens, legatos in Hispaniam destinarat, ut societatem belli contra Romanos cum Theuda Rege contraherent; eos in Hispaniam progressos Theuda benigne excepit, ac satin salvæ res Gilimeris essent? rogavit, nam oneraria navis eodem die, quo Belisarius Carthaginem introierat, è portu profecta, ac secundo vento delata clam totius eum rei gestæ monuerat. Legatis inde salva esse omnia confirmantibus, sui caussam adventus exegit: inde, illis ineundæ societatis gratia eum se adiisse dicentibus, subjecit, ut litus Africæ repeterent; futurum enim, ut ibi quo statu res Gilimeris essent, cognoscerent. Ad id legati inepta, ut rebantur, oratione offensi conticuerunt; postridie autem cum eadem petentes idem responsi tulissent, rati novi aliquid in Africa post suum abitum accidisse, nihil tamen adversi de Carthagine suspicantes, discessere, atque in Romanorum manus non longe à Carthagine lapsi, atque ad Belisarium ducti omnia, ut acta erant, exposuere. Jam Jurisconsulti mandata Imperatoris exhauserant, ac Juris Institutiones, & Digesta legum confecerant, quibus operibus nihil aut ad usum populorum uberius, aut ad gloriam Imperatoris esse magnificentius potuit. Id ita esse Justinianus etiam arbitratus, tertium hunc Consulatum suum longe victoriæ Africanæ splendore fulgentem, simul etiam memorabili horum librorum editione insignem posteris relinquere voluit, ac mense Novembri Institutiones, Decembri vero Digesta vulgavit, edicto proposito, ut hæ leges vim haberent à tertio Kal. Januarias, (32) III. Consulatu suo, quo sibi Deus concessisset, ut victoriam nobilissimam, Carthagine Africaque recepta ex Vandalorum gente referret, & ut illæ tantummodo Romæ, Constantinopoli, & Beryti exponerentur, quod, ut idem ipse Justinianus inquit, jam & à retro Principibus fuerat constitutum. Per eosdem dies in Italia regia Gotthorum discordia laborare, atque intestinis seditionibus rem ad Justinianum occulte inclinare instituit, ex quo bellum exarsit, quo demum universa Italia misere conflagravit. Amalasuenta ab Athalarico puero prava juvenum consuetudine depravato, & à tribus proceribus Gotthis nimiam suam potentiam ægre ferentibus incitato jampridem non solum despiciebatur, sed occulte à Gotthis ad insidias petebatur; qua re prærepta, ut erat alto consilio prædita, ipsos ante de medio tollere, quàm tolleretur, constituit; itaque primum eos, Præfecturis datis, in Calabriam ablegavit, deinde fidos, promptosque satellites, qui eos ferro opprimerent, destinavit; incertum autem facinoris exitum reformidans, nuncium ad Justinianum misit, significans, se transire ad eum velle, filii pro arbitratu regendi desperatione adactam, ac navim auro onustam in portum Dyrrachii misit eo consilio, ut si nex inimicorum suorum processisset, navim continuo revocaret, sin irritus conatus cecidisset, ipsa cum thesauro in Græciam properaret: ubi vero mox inimicos suos magna felicitate peremptos audivit, subito navim Dyrrachio revocavit, ac Ravennæ se confirmavit. Se- 534
quens annus Justinianum Augustum IV., & Paulinum (33) habuit Consules. Paulinum evexit Athalaricus, extat enim decretum ejus, quo se illum per XII. Indictionem Consulem constituere scribit; quin etiam per eosdem dies Cassiodorum Præfectum Prætorio fecit. Joannes Pontifex, (34) cum VI. Kal. Junias migrasset è vita, Rusticum Agapetum Archidiaconum nactus est successo-

(30) Non nonaginta sex, ut Marcellinus perperam habet, nisi error in numeros irrepsit; Carthago namque à Genserico capta mense Octobr., an. 439., ut alibi observatum; unde post ann. 95., eosque incompletos, capta Urbs, ut Procop. l. 2. de Bell. Vand., qui rei gestæ tempus ignorare non potuit, cui Justinianus ipse consentit l. 1. de Offic. Præf. Præt. Africæ, qui præsenti an. constitutus fuit, eum, Justiniani sanctionem de Confirmat. Digestor., Pandectis præfixam, certum sit, editam esse an. 533., in cujus fine mentio est Præfecti P. Afr. Fuit autem is Archelaus, ex L. 1. Cod. Justin., de Off. P. P. Afr., circa finem anni præd. data.

(31) In finibus Numidiæ mons situs verticem admodum præruptum, & inaccessum habens, arduis eminentibus undique scopulis, quem Mauri incolebant Gilimero amicitia juncti, ex Procop. l. c. 4., qui subdit: *Montem extremum insidet Medenus urbs antiqua, ubi Gilimer se cum comitatu continebat*.

(32) Auct. Chr. Alex. sub Consulat. Justiniani A. IV., & Paulini Jun. inquit: *His Coss. Justinianeus Codex renovatus est, adjunctis novis post priorem Codicem Constitutionibus; jussusque est, antiquato priore, suam obtinere vim sive auctoritatem à IV. Kalendar. Januar. Indictionis XIII.*, idest à die 29. Decembr. an. Chr. 534., ut legitur quoque in L. de Emendat. Cod. præfixa Cod. Justinianæo, data *XVI. Kal. Decemb.* iisdem Coss. Indictio autem XIII. Kal. Septembris præd. anni inchoatur; non autem currentis.

(33) Is Venantii filius an. 507. Consulis, & Frater Decii eadem dignitate ornati an. 529. Junior dicitur in Chron. Marii, quia alter Paulinus an. 498. Consul processit: ex eadem stirpe videtur uterque proinde esse.

(34) Repete quæ supra de obitu Bonifacii II., ubi dictum, Joannem II. postrema die Decembr. anni 532. ordinatum fuisse: atqui hic sedit *annos duos, menses quatuor, dies viginti sex* circiter, ex Anastasio; mense igitur Maji Joannes vita functus anni 535. Post paucorum dierum Interpontificium, quos sept. Anastasius, sex Gotfridus Viterb. in Chr. numerat, electus Agapetus, natione Romanus.

cessorem. Belisarius interim milites ad reliquam recuperandam Africam misit, (35) aliosque ad Sardiniam, & ad Ebusam, Majoricam, & Minoricam Insulas, & in Siciliam ad Lilybeum recipiendum: omnibus omnia ex sententia processerunt, iis, qui missi fuerant Lilybeum, exceptis: hoc enim à Vandalis olim opera Amalafredæ mercatus habendi caussa occupatum Gotthi verbis Amalasuentæ edocti suum esse, non Vandalorum dixerunt, Græcosque tanquam hostes, longe ab Insula repulerunt. Interim Pharas Gilimerem in monte Puppua diligenter obsedit, atque à Mauris dejectus locum sibi custodiendum suscepit, ut, nullo alimento invecto, hostes fame debilitati ultro ad deditionem accederent, ad quam etiam Gilimerem, fide incolumitatis data, & spe præmiorum ostentata, invitavit, quod ille se facturum abnuit, atque ab eo panem tantum, spongiam, & cytharam postulavit, cujus postulati, ut novi, rationem curiosius inquirenti nuncius hanc reddidit; panem requiri dicens, quod postquam montem illum insedisset, panem coctum nullum vidisset; spongiam, ut Lacrymas, quibus conficiebatur, abstergeret; cytharam vero, ut præsentem calamitatem flebilibus modis, haudquaquam ejus artis ignarus, leniret; quæ ubi cognovit Pharas, hominis miseratione permotus omnia misit. Gilimer inde, cum, appetente jam vere, expugnationem timeret, atque intestinorum dolore intolerabili laboraret, Pharæ se consilium sequi velle, ut se Justiniano dederet, indicavit. Cujus rei nuncio Belisarius, ut qui hominem vivum ad Justinianum ducere cuperet, eximie delectatus, confestim Cyprianum ad rem conficiendam misit, ac, Gilimere per eum in potestatem adducto, propere Justinianum admonuit, ac redeundi potestatem petivit; nam Majestatis ab obtrectatoribus accusatus, eorum occurrere machinationibus exoptavit. Justinianus, his cognitis, optionem ei dedit, seu redire domum, seu manere in Africa vellet. Ille vero, reversionis consilio expedito, cum Gilimere, & Vandalis captivis ex Africa solvit, Salomone adversus tumultus, qui à provincialibus movebantur, cum magna exercitus parte relicto; eò vero ut venit, omnibus honoribus, qui victoribus unquam tributi ducibus fuerant, est exceptus, præcipue spolia hostium per mediam urbem incedens more triumphantium prætulit, atque ex propria domo pedibus ad circum, & ex circo ad Palatium Imperatoris processit; erant autem spolia sedes Regis, & vehicula Reginæ, aurea pocula, & alia mensæ regiæ instrumenta, argenti magna vis, aliaque supellex à Genserico nuper Roma ex Palatio Imperatoris avecta, in qua quoniam multa erant Hierosolymis captis quondam ablata, Justinianus eòdem reportari oblata religione præcepit. Inter captivos Gilimer purpurea veste indutus una cum omnibus propinquis suis, & Vandalis, qui proceritate corporum, & oris pulchritudine præcellebant, præcipue spectaculum præbuit, is, postquam in circo constitit, & Justinianum in celso throno sedentem, & populum circumsistentem aspexit, fortuna sua ad rationem revocata, illud Salomonis effudit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, atque ipse pariter una cum Belisario jussus ab iis, qui purpuram Imperatoriam sustinebant, Imperatorem suppliciter adoravit: ea perfecta pompa decretum est, ut Belisarius more majorum triumphum iterum ageret, ac postero anno Consulatum administraret. Gilimerem (36) Patricium Justinianus fecisset, si ab Arrianis deficere voluisset, ceterum summis aliis honoribus decoravit. Hilderici vero filios, & nepotes, tanquam ex Valentiniani sanguine genitos & ipse, & Augusta comiter, ac liberaliter habuerunt. Recepta Africa, lux aliqua recuperandæ Italiæ est objecta, opportune illud quidem, si sine ipsius consequi exitio, ac pernicie potuisset. Præerat tum Etruriæ Theodahatus Amalafredæ olim Reginæ filius, (37) homo literis egregie eruditus, atque imprimis disciplinæ Platonicæ studiosus, verum plus, quam ferre Tuscorum animi possent, avarus, ac congerendæ, spoliandis populis, pecuniæ cupidus; hic, cum se odio flagrare apud Etruscos, atque Amalasuentam eo nomine intelligeret, cupiditate prodendæ Justiniano Tusciæ, atque Italiæ relinquendæ, accensus est, eo animo, ut, cum ingentem vim pecuniæ recepisset, & Consularem dignitatem adeptus esset, reliquum ætatis Constantinopoli degeret. Hæc illo animo volutante, oportune legati à Justiniano ad Pontificem novum Agapetum venerunt, (38) de concordia reconcilianda inter Ecclesias missi, quibus ille occulte conventis, voluntatem ut suam ad Justinianum deferrent, mandavit. Per eosdem dies Athalaricus luxuriæ, ac temulentiæ deditus morbo læthifero est oppressus, cujus periculi Amalasuenta à medicis certior facta subito res circunspicere suas cœpit, &, quod, mortuo filio, se Gotthorum odium sustinere posse diffideret, iterum salutis suæ caussa re-

(35) Cyrillus in Sardiniam destinatus, qui camdem, & Corsicam vectigalem Imperio R. fecit: alii missi ad Cæsaream Mauritaniæ, aliique ad Gaditanum fretum, à quibus capta Cæsarea, Septum, Majorica, & Minorica, omnisque Vandalica ditio subacta. Gilimer autem obsessus à Duce Phara, post tres menses, *hyeme jam exeunte*, se dedidit. L. Procop. Bell. Vandal. l. 2. 5. Anonymus Ravennas l. 1. n. 3. observat, Vandalos à Belisario victos in interiorem Africam se recepisse, & deinceps numquam comparuisse.

(36) *Gilimeri* autem, inquit Procop. l. c. 5., *loca quædam in Galatia non contemnenda ad habitandum simul cum omnibus suis propinquis dedit* Justinianus.

(37) Theodorici quondam Regis ex sorore Amalafreda nepos, à Procopio dicitur in Tuscia fuisse, *ubi privata vita degens in propriis laboribus erat*; cujus doctrinam laudat Procopius, sed addit, rei militaris rudem omnino fuisse, & ab industriis, strenuisque semper remotum vixisse. V. quæ Cassiodor. Variar. l. 10.

(38) Nulli hoc anno mitti potuere Legati ad Agapetum mense Junii anni 535. Pontificem electum, ut alibi demonstratum est. Præterea prima Justiniani epist. ad Agapetum recens Pontificem nuncupatum notatur, *Flavio Belisario V. C Cons.*, ubi immo legendum, *Post Consulat. Belisarii V. C*, cum enim data sit, *Pridie Iduum Martiarum*, neque an. 535., sed sequenti scripta; mense namque Martii an. 535. nondum Pontifex erat Agapetus. Quare si Amalasuenta cum Legatis Justiniani egit, Legatos ad Joannem II. missos intellige.

A regnum tradere Justiniano decrevit. Interim Alexander à Justiniano Legatus Ravennam multis de rebus missus accessit, ac, concilio impetrato, Gotthis spectantibus omnibus, literas reddidit, quarum hæc erant verba; Lilybeum, quod nostrum erat præsidium, captum vi retines; milites, ac barbaros, qui à nobis in Campaniam transfugerunt, & ab Uliare Neapolis Præfecto suscepti sunt, non restituis. Gratianam vero urbem Illyricam nihil ad te pertinentem extremo milites tui incommodo affecerunt; hæc quo jure à te facta sint, scire avemus; ad quæ illa respondit: Imperatorem opibus, justitiaque præstantem puero orbo, atque ægrotanti præsidium, non exitium ostentare
B oportet. Lilybeum ille, & transfugas repetit, ac militum nostrorum in hostes euntium injuriam queritur civitati sociæ per imprudentiam factam: ego vero peto ab eo, ut in memoriam revocet, quibus eum semper officiis prosequuti simus, nuper autem, quemadmodum classem ejus adversus Vandalos contendentem equis, commeatibus, atque omnibus rebus necessariis instruxerimus; quibus detractis, neque Africa adiri, neque tanta parari victoria potuit, simulque animo reputet, quam æquum sit, Athalaricum, quem ob collata beneficia præmium aliquod victoriæ expectare oportebat, Lily-
C beo, quod ditionis est suæ, exuere properare. Hæc illa palam legatis Imperatori renuncianda respondit, clam vero quærentibus, (sic enim à Justiniano acceperant,) cur ad se, sicut ostenderat, non transisset, se facturam, si filius vita cederet, atque Italiam illi concessuram, spopondit. Theodahatus autem Alexandrum Demetrii socium nactus, familiaritate contracta, & ipse intimum animi sui sensum aperuit, ac Tusciam Justiniano traditurum, si sibi apud eum præmium esset, ostendit; uterque inde eorum domum reversus Justiniano renunciavit legationem; quibus rebus cognitis, ille mire lætatus, è vestigio Petrum natione Il-
D lyricum, hominem disertum, Thessalonica in Italiam jussit adire, atque hæc ipsa primo quoque tempore explenda curare. Interea Etrusci assiduis Theodahati rapinis exacerbati, ipsum de repetundis apud Amalasuentam postularunt, atque ab ea exerceri quæstionem ejusmodi poposcerunt; qua re cognita, Amalasuenta hominem coram adesse jussit, ac judicio constituto convictum ab accusatoribus condemnavit, ac sua cuique ablata restituere compulit. Subiit inde cogitatio animum, præstare, ut post mortem filii, quæ, sæviente morbo, non longe credebatur abesse, ipsum ad regnum proveheret, atque opes suas illius erga se studio
E confirmaret; itaque, accersito illo, cum sibi infensum existimaret, hac oratione demulcere contendit: se, quod illum judicio condemnasset, justam afferre caussam posse, ipsum enim Gotthis purgatum esse voluisse, ut filio mortuo, cum nemo præter eum ex Theodorici genere superesset, cum posset sine aliqua Gotthorum criminatione provehere: id autem se pro explorato facturam, si ipse mores mutaret, & jurejurando affirmaret, se titulo regni contentum sibi administrationem imperii permissurum. Quod ubi Theodahatus audivit, extemplo in speciem omnem animo offensionem abjecit, ac, tanto beneficio accepto, perpetuo fore se in ejus arbitrio, ac potestate sanctissimo se sacramento adegit, atque ita Athalarico mortuo, (39) jubente Amalasuenta, à Gotthis ad regnum est evocatus. Hoc anno, ut scribit Procopius, Sol sine radiis, perinde ac Luna, prodigiose refulsit, ac magna ex parte deficere visus est; itaque neque bella, neque fames, neque pestilentia hominibus defuerunt. Epiphanio Episcopo Constantinopolis mortuo, (40) Theodora Augusta in ejus locum Anthemium, sive Anthimum Episcopum Trapezuntis suffecit, hominem secum contra Chalcedonense Concilium sentientem, quæ res postea Ecclesiam non mediocriter perturbavit.

## THEODAHATUS REX.

Regno vero ad Theodahatum delato, Amalasuenta ad Senatum Ro. literas misit, in quibus ipsa se post filii obitum regnum ad Theodahatum transtulisse, significavit, virum non tam generis splendore fulgentem, quam virtutis, & doctrinæ laude præstantem. Theodahatus autem cum ceteris in rebus Amalasuentæ prudentiam extulit, tum præcipue in eo, quod ante se legibus, & judicio subjecisset, quàm ad regni culmen eveheret, ac suam prius conscientiam expiasset, quàm censuram regni mandaret, eodem etiam modo uterque legatos cum literis ad Justinianum miserunt, novum Regem sublectum in ipsius orbitate regiæ nunciantes, ac pacem cum decessoribus suis constitutam iisdem sanciri conditionibus postulantes. Theodahatus autem Magistratus aliquot in insequentes annos declaravit, atque eis juris æquabilitatem per literas, quæ cum superioribus apud Cassiodorum leguntur, (41) summopere commendavit: inde, veteribus simultatibus animo repetitis, omne suum studium ad ulciscendam ipsam, cui omnia debebat, Amalasuentam, convertit; itaque propinquos inimicorum ejus reduxisse ab exilio non contentus, necessarios etiam morte affecit, atque ipsam demum per caussam conservandæ inter Gotthos concordiæ in lacus Vulsiniensis insulam relegavit, ibique firmo custodiri præsidio jussit, cum nondum legati ad Justinianum missi in Græciam pervenissent; veritus autem,

(39) Cum per octo annos regnasset, ex Procop. l. 1. Bell. Goth. 4., *tabe exesus* occubuit: mense autem Septembr. 526. Regnum suscepit ex Anonymo Vales. & Chronographo Cuspin.

(40) Epiphanius an. sequ. obiit *die V. Junii*, ut Theophanes habet, & ex historiæ serie liquet; Agapetus enim Pont. an. 536. Constantinopoli degens Anthimum Sede illa dejecit, *cum mensibus decem tenuisset*. Et quidem Pontifex ibi erat mense Februarii, & Menas *III. Idus Martias factus est Episc.* C. P. ut in Cod. Vaticano Epp. SS. PP. p. 45. legitur, relato a Card. Norisio, in Dissert. Hist. De Uno ex Trinitate, & cet. c. 10.

(41) Variar. l. 10. epp. 19. 20., & 21., apud quem extant & litteræ a Regina Gudelina ad Justinianum missæ post Amalasuentæ necem. Lege Procop. l. 1. de Bell. Goth. 4., & Jornan. Rer. Get. 59. In balneo strangulata fuit Theodahati jussu.

tem, ne eam rem Justinianus iniquo animo ferret, Liberium, & Opilionem Senatores summisit, qui se nihil durius in eam consuluisse, licet gravissime provocatum, docerent, atque Amalasuentam in eandem, quam ipse, sententiam scribere compulit. Petro legato proficiscenti Justinianus mandarat, ut palam cum Amalasuenta de caussa Lylibei tractaret; secreto autem de ratione Italiæ prodendæ cum ipsa, & Theodahato conficeret. Petrus autem, cum in Græciam accessisset, obvius Oratoribus Amalasuentæ factus de Theodahati provectione, inde, cum Apolloniam pervenisset, à legatis Theodahati de Amalasuentæ relegatione cognovit; quibus rebus Justiniano nunciatis, ibi, donec nova mandata acciperet, sibi subsistendum putavit. Justinianus, his acceptis, Petro mandavit, ut Amalasuentam ad fugam in Græciam capessendam impelleret; Theodahato vero, & Gotthis ut justam suam adversus eos iracundiam aperiret. Ex legatis Theodahati unus Liberius syncere, ac vere omnia, ut acta erant in Amalasuentam, exposuit; alter vero Opilio Theodahatum crimine frustra nisus est liberare. Interim Gotthi Amalasuentæ inimici Theodahato persuaserunt, præsens vitæ ejus periculum imminere, nisi Amalasuentæ vitam eripuisset: itaque permissu ejus ad Insulam, in qua erat, venerunt, atque eam nece straverunt, quæ res maximum Italis, Gotthisque mœrorem intulit; erat enim fœmina, ut diximus, omnibus virtutibus ad alliciendos, & retinendos hominum animos ad miraculum exornata. Petrus in Italiam profectus, cum Amalasuentæ necem audisset, Theodahato, & Gotthis aperte denunciavit, Justinianum nullam fœderis cum co icti rationem in posterum habiturum, & necem Amalasuentæ armis persequuturum. Theodahatus autem tanta væcordia fuit, ut cum interfectores ejus in honore haberet, tamen id eos injussu suo fecisse contenderet. Quibus de rebus omnibus Justinianus ubi certior fuit factus, bellum adversus eum paravit, quo deinde Gotthorum in Italia imperium concidit, atque ipsa Italia omnis atrocissimarum calamitatum exempla persensit, quarum expositione hæc historia terminabitur, ac Mundum Illyrici Præfectum Dalmatiam eorum provinciam invadere jussit: Belisarium
535 vero Consulem cum classe, & copiis Africam versus cursum intendere; sed, ubi Siciliam attigisset, in eam commeatus petendi caussa descendere, &, si facultas daretur, Insulam occupare, atque in potestate retinere; quod si rem effici, aut tentari non posse censeret, in Africam occulto consilio maturare. Literas deinde ad Reges Francorum misit, quibus injuriam Amalasuentæ eorum affini factam, & cupiditatem vindicandi suam exposuit, eosque, ut sibi communibus armis adessent, rogavit ad communes hostes Arrianos delendos, quos par esset credere, aliquando exemplo Vandalorum concepti odii acerbitatem in Catholicos effusuros; simul etiam munera, præmiaque ingentia, si in bujus belli societatem venirent, promisit, quibus Franci illecti armis se affuturos spoponderunt. His rebus in hunc modum in Gotthorum perniciem constitutis, res inde prospere geri est cœpta.

Mundus in Dalmatiam progressus, secundo cum Gotthis, qui ibi erant, prœlio decertavit, ac caput provinciæ Salonam in potestatem adduxit. Belisarius autem in Siciliam provectus primo adventu Catanæ oppidum cepit; deinde, translato Syracusas bello, urbem haud magno negotio ad deditionem adduxit, quo facto, multæ aliæ ultro se dediderunt. Panormus, quòd munitione, præsidioque valido teneretur, difficiliorem habuit expugnationem, ad extremum tamen & ipsa egregio ducis consilio venit in ditionem; nam, classe intra portum invecta, & muro à parte maris, qui propugnatoribus erat vacuus, oppugnato, cum jactis anchoris, naves firmasset, sagittarios ad malorum fastigium sustulit, qui altitudine sua urbis propugnacula superabant; unde ex alto hostes sagittis undique icti, atque languidiores, & timidiores desperatione tuendæ urbis effecti, urbem, nulla mora interposita, dediderunt; ita Insula brevi in potestatem Justiniani concessit. Belisarius cum ceteris in rebus secunda fortuna usus est, tum in ea vel maxime, quod, Sicilia in potestatem redacta, postremo Consulatus die Syracusas ingressus est; magno plausu Siculorum exceprus ingentem vim nummorum acclamanti populo sparsit, atque ibi per hyemem mandata Justiniani operiens mansit; hæc autem ubi Petrus legatus audivit, instare acrius, & Theodahato graviora minari, nisi Justiniano satisfecisset; quo ille metu perculsus, atque attonito similis, voce amissa, non aliter, ac si bello captus esset, remotis arbitris, Petrum seducit, & se, si pacem habuerit, hæc omnia Justiniano præstiturum promittit: in primis se Sicilia universa cessurum, illique coronam auream trecentarum librarum in singulos annos daturum, Gotthorum tria millia ad ejus arbitrium summissurum, ipsius aut Senatus injussu neminem aut vita, aut facultatibus multaturum, neque ad Patriciatum, aliamve dignitatem aliquem producturum, sed eam potestatem ab Imperatore postulaturum, Populum Romanum in solemnibus acclamationibus prius nomen Imperatoris, deinde Theodahati in omnibus locis, quibus res tulerit, proditurum; statuam nullam sibi, nisi altera Imperatori ponatur, poni passurum, ita ut dextram Imperator, lævam ipse obtineat; atque, his compositis, Petrum dimittit. Illo inde profecto, metus incessit, ne, si conditiones illas Justinianus abnueret, bello se protinus oppugnaret, quare Petrum jam mare transgressum revocavit, ac præsentem, num conditiones illas Justinianum accoprurum putaret, rogavit, Petro vero ambigere se dicente; Quod si non accipiet, inquit, qui rerum exitus erit? tum Pettus, Armis res erit decernenda. Theodahato vero id parum æquum esse innuente: Atqui cur non est æquum, inquit, ut sua quisque studia persequatur, & ut tu mortem hominibus insontibus infers, sic ille Imperio suo vicinas regiones adjungat? Quibus verbis Teodahatus permotus, Italiam sponte se dimissurum ostendit, in idque & ipse, & Gudila uxor ejus sacramentum concepit, Petrumque jurejurando adegit, ut prius primas conditiones Justiniano exponeret; deinde, si eas respuisset, ad secundas

trans-

transiret: veritus inde, si sine magni viri auctoritate res ageretur, ab Imperatore ne sperneretur, in eam legationem Agapetum Pontificem (42) destinavit: recusanti vero, ac difficultates domesticas afferenti, & ipsi, & Senatui ita scripsit, ut se eos, & uxores liberosque eorum gladio peremptürum minatus sit, nisi Imperatorem ab exercitu in Italiam traducendo averteret; quamobrem Agapetus, legatione pro Italiæ salute suscepta, vasa sacra pro necessario comparando viatico oppignoravit, atque iter ingressus in Græcia claudum, & mutum maximo astantium stupore sanavit; inde X. Kalen. Maji (43) Constantinopolim adiit, ibi à Justiniano, & cuncta civitate pro Sedis dignitate receptus, comiter omnes ad se adeuntes tractavit, uno Episcopo Anthimo excepto, quem propter hæresim à salutatione summovit. Post autem in colloquium cum Imperatore congressus, priores conditiones proposuit cum his literis, quæ sunt apud Cassiodorum: *Quanto studio vestram amicitiam expetam, Serenissime Princeps, primum ex Petro legato vestro, deinde ex Agapeto, homine sanctissimo, cognoscetis, quem virum Sacerdotio clarum, & doctrinæ laude conspicuum meam ad vos voluntatem deferre oravi, Deo confisus, fore, ut suis ille meritis & vobis maxime placeat, & mihi, quod peto, à Vestra Serenitate obtineat.* Quibus conditionibus à Justiniano repudiatis, alteras has cum his literis protulit, quarum Procopius meminit: *Ad regnum ego non alienus accessi, siquidem ex Rege avunculo natus sum, verum rei militaris imperitus, ac bellicorum tumultuum insuetus, ut qui me diu in literarum studiis exercuerim, atque in eis studium meum omne consumpserim, ex quo mihi turpe esse existimo, pro terrestris imperii possessione dimicationem vitæ, libertatisque subire. Quamobrem, si mihi prædia, unde me alere honorificè possim, elargieris, totius tibi Italiæ administrationem remittam, &, cui tu jusseris, tradam.* Qua conditione accepta, Justinianus Athanasium, & Petrum ad eum legavit, atque ita rescripsit: *Sapientem te esse antea fama deferente acceperam: nunc re ipsa doctus intelligo, cum ancipites belli vitare casus decreveris, quos qui non horruerunt, plerumque fortunæ ludibrium præbuerunt; quod vero nos amicos potius experiri, quàm hostes, volueris, haudquaquam tui te consilii pœnitebit; nam omnia, quæ postulas, impetrabis, tu cum Athanasio, & Petro pacta conficies, Belisario vero possessionem Italiæ trades.* Legatis præterea mandavit, ut pactis sacramento firmatis, Theodahato prædia Imperatoris, quæ Patrimonium (44) dicerent, assignarent, eumque in manus Belisarii Italiam permittere procurarent. Per eosdem dies rogatus Agapetus à Justiniano, ut Anthimum ad salutationem admitteret, omnino se facturum negavit, nisi Catholicam ille confessionem exprimeret, ac suam sedem repeteret: neque enim fas esse, ut in sede Constantinopolitana, pravæ fidei, atque alienæ Ecclesiæ Episcopus resideret. Theodora vero Augusta pro eo se interponente, & varie preces, minasque miscente, nunquam de suscepta dimoveri sententia potuit; quin etiam de criminibus ejus ab Episcoporum, & Monachorum libellis edoctus illum communione, atque officio, quousque resipisceret, exuit, eo nomine, quod contra leges Ecclesiam invasisset, & à Catholicis defecisset, atque eos libellos Justiniano exequendos porrexit, quod ubi Anthimus sensit, pallium Imperatoribus reddidit. Agapetus vero Menam ei suffectum (45) fidem Chalcedonensis Concilii amplectentem, (quod adhuc Romanus Pontifex nullus effecerat) manus impositione sacravit. Inde, Pelagio Diacono apocrisario (46) apud Justinianum instituto, dum profectionem adornat, adversa tentatus valetudine X. Kal. Junii (47) Constantinopoli obiit. Tum Augusta Anthimi, & Eutychianorum vicem solicita, Vigilium ipsius Diaconum advocavit, ac Pontificatum ei, & centenaria decem auri spopondit, si se Anthimum restituturum, fidemque ejus confirmaturum repromitteret, quod ille summo animi studio sanxit, atque inde Romam cum cadavere Agapeti discessit. Interim, dum hæc aguntur, Grippa, & Asinarius Gotthorum duces magnis cum copiis se in Dalmatiam contulerunt, ac cum Mauricio Mundi filio ex insperato occurrente congressi ancipiti prœlio decertarunt; nam & Gotthorum primores, & fortissimus quisque occubuit, & Romani ferme omnes una cum Mauricio duce desiderati sunt: qua clade audita, Mundus pater confestim accurrit, ac Gotthos in fugam actos facile profligavit, verum & ipse cupidius insequutus, vulnere à fugiente quodam accepto, interiit, quo tempore carmen Sibyllinum ad

id

(42) Cujus Legatio referenda ad an. 536., antecedenti enim mense Martio Pontifex non erat, ut alibi dictum: atqui ab Anastasio dicitur ingressus Constantinopolim *X. Kal. Martii*, vel X. Kal. Maji minus recte, ut ex altera Fidei Confessione à Justiniano A. exhibita Agapeto C. P. degenti, *data XVIII. Kal. April.* liquet; in qua tamen non *Fl. Belisario V. C Cos.* legendum, sed *post Consulat. Belis. V. C.*, an. sc. 536., qua formula is annus notatur.

(43) Ita legitur in Anastasio; sed legendum *X. Kalen. Martii*, ut ex tempore, quo electus Agapetus, & ex secunda Justiniani Confessione Fidei demonstratum superius, quæ data dicitur XVIII. Kal. April. ( *L.* XVII., tot enim ante Kal. is mensis habet ) *post Consulat. Belis. V. C.* L. Quæ Agapetus Justiniano exposuit ap. Procop. Bell. Goth. l. 1.

(44) Tres Principis erant πατριμώνια, seu facultatum genera tria, Largitiones, Privatæ, & Patrimoniales, primæ Fiscum, seu Principis thesaurum, II., quæ privatis Impp. usibus addictæ. Patrimonium vero vocat Procop. l. 1. Bell. Goth. 4., & 6. *χωρία τῆς Βασιλέως οἰκίας, domus Regiæ fundos*. V. Cujacium in Paratitul. l. 1. Cod. tit. 32. 33. 34., & ad Libr. 11. tit. 62.

(45) *III. Idus Martias* an. 536. ex dictis, ut legitur in Codice epp. 243. PP. Romanor. à Siricio usque ad Vigilium, ac quorumdam etiam Impp., Præfector. U., ac Præsidum, una cum Gestis plerisque Ecclesiasticis.

(46) Apocrisarii à Pontifice R. præsertim mittebantur ad aulam Impp., ut Ecclesiarum negocia peragerent, de iisque ad Principem referrent. Mittebantur Apocrisarii etiam à Patriarchis; ut colligitur ex Justiniani Novell. 6. c. 3. iique Responsales negotiorum Ecclesiasticor. dicti ab Hinemaro I. de Ord. Palatii, 13.

(47) *X. Kalen. Maji* defunctus dicitur Agapetus ap. Anastasium, qui cum an. præced., mense Junii ordinatus fuerit, patet menses decem, dies novendecim sedisse, à die sc. tertia Jun. ad vigesimam secundam April. V. quæ alibi de die Ordinationis ejusd. observata.

id usque ætatis obscurum est intellectum, quod erat, fore, ut, cum Africa reciperetur, Mundus cum sua prole periret; ita utrinque magna clade discessum est. Hoc autem ut Theodahatus accepit, Oratores, qui à Justiniano missi cum acceptis conditionibus venerant, negligere cœpit, vel naturali ingenii inconstantia motus, vel à suis spe Italiæ retinendæ inflatus. Petro autem jurganti, ac perfidiam identidem intonanti ferociter respondit, se tamdiu legatis parsurum, dum legatorum officio fungerentur; legatum autem violare tum demum fas esse, cum Regem contumelia provocaret, aut alienum cubile iniret: cui legati, quæ in rem esse visa sunt, responderunt: ( nam quod de tentata aliena pudicitia injecerat, id non ad veritatem, sed ad quærendam honestæ cædis occasionem dixerat ) ac mox Justiniani literas ad Gotthorum principes missas, ipsis jubentibus, recitarunt, in quibus maximæ ille sibi curæ fuisse significabat, ut eos ad suam Remp. moresque traduceret; qua ex re illos non mediocrem voluptatis fructum capturos confideret: quod cum dignitatis amplificatione ad ritus sibi notissimos transituri essent: quibus auditis, Theodahatus omnino se nihil præstare velle promissorum subjecit, ac legatos custodiri cum cura præcepit. Interim Justinianus, rebus Dalmaticis cognitis, Constantianum Regii stabuli Magistrum adversus Gotthos in Dalmatiam misit, Belisarium vero primo quoque tempore transire in Italiam è Sicilia cum omni apparatu bellico jussit. Constantiano Dyrrachii delectum habente, Grippa Salonam recuperavit: inde, eo in portum Epidauri invecto, è vestigio à speculatoribus Constantianum cum infinita multitudine advenisse est monitus: quo nuncio perturbatus, cum mare in potestate Romanorum, & Salonam haud munitam esse videret, nec satis oppidanorum fide confideret, exercitum inde eduxit, & in campis inter Salonam, & Scardonam interjectis castra fecit. Constantianus inde ex Epidauro Lissum (48) advectus, rebus, quas Grippa gesserat, cognitis, Salonam versus navigavit, copiisque in terram expositis, aliquantum quievit: inde quingentis delectis militibus, duce Sisila, missis occupare angustias jubet, atque ipse cum reliquis subsequi pergit: & peditatu, ac classe in portum inducta, urbem ingreditur, murosque ejus reficere, & propugnacula reponere studet. Quod ubi cognovit Grippa, post septimum diem, castris sublatis, exercitum Ravennam reduxit: atque ita nullo negotio Constantianus Dalmatiam, Liburniamque omnem in ditionem redegit, Gotthis, qui in iis locis relicti fuerant, se tradentibus. Romæ nuncio de Pontificis Agapeti morte accepto, XIII. Kalend. Septembris (49) Theodahatus Silverio Subdiacono Ormisdæ, de quo diximus, filio ad

A Pontificatum suffragatus est, cum mortem clero intentasset, nisi ejus ordinationi assensum præbuisset. Sacerdotes autem quidam non subscripserunt, antequam consecraretur, at postquam consecratum viderunt, & ipsi probarunt. Agapeti corpus Romam relatum XII. Kal. Octobris sepulturæ mandatum est. Postero anno, quem post Consu- 536
latum Belisarii appellarunt, Belisarius, jussu Imperatoris, præsidio Syracusis, Panormique relicto, cum omnibus copiis Messana evectus Rhegium navigavit, quò ubi accessit, evestigio omnes ex vicis, qui nudati muris erant, odio Gotthorum, à quibus affligebantur, deditionem fecerunt, quin

B etiam Ebrimius Theodahati gener ultro cum suis omnibus ad eum transiit, qui statim ad Justinianum missus præter cetera præmia etiam Patriciatus dignitate affectus est. Hinc exercitus per Bruttios in Lucaniam terrestri itinere, classe subsequente, deductus: ubi vero in Campaniam ventum est, Neapolis sese objecit, urbs & natura munita, & præsidio Gotthorum valido confirmata. Eò postquam ille accessit, classem ex alto in portum jussit induci, ac, castris ad urbem positis, præsidium, quod in suburbano erat, ad se deditione traduxit; deinde iis, qui in urbe erant, delectos ad se mittere viros concessit, ut ipsi & postulata sua co-

C gnoscerent, & civitati sententiam indicarent. Neapolitani Stephanum spectatæ moderationis virum miserunt, qui ad Belisarium progressus, graviter conqueri cœpit, quod ipse Neapolitanos nulla lacessitus injuria oppugnatum venisset: se Gotthorum præsidio arcem tenente, ita premi, ut deditionis arbitrio careant. Gotthos autem, liberis, uxoribus, & pretiosissimis rebus suis apud Theodahatum relictis, ne id quidem sine sua pernicie posse moliri: cur non ille prius Romam recuperaret, qua capta nullo deinde negotio potiturus Neapolis esset? cui Belisarius, caussa sui consilii prætermissa, respondit, suadens, ut Neapolitani exerci-

D tum Imperatoris pro ipsorum, totiusque Italiæ libertate missum reciperent. Gotthi vero ut aut ad se transirent, honestissimo loco futuri, aut impune domos suas repeterent: quod si has conditiones, inquit, spreveritis, scitote, me pro hoste habiturum, quicumque se mihi primus objecerit: hæc palam renuntianda edidit; secrete autem multa Stephano pollicitus est, si Neapolitanos ad partes Imperatoris traduceret. Stephanus in urbem reversus legationem exposuit: inde una cum Antiocho Syro Neapolis inquilino Neapolitanos ad faciendam deditionem hortari cœpit. Pastor autem, &

E Asclepiodotus Oratores, Gotthorum parte suscepta, nihil novandum esse censuerunt: itaque, consultatione adhibita, Stephanum ad Belisarium remiserunt cum iis postulatis, quæ nunquam eum admissurum putarunt,

(48) Urbs Macedoniæ, in Illyrici confinio, ad ostia Drilonis fluvii, media inter Epidaurum urbem Dalmatiæ, & Aulonam Macedoniæ, media inter Scodram ad Boream, & Dyrrachium in Austrum supra 40. mill. Nymphæo Promontor. proxima. Meminit Lucanus l. 25.

(49) Cum vacasset Rom. Sedes dies *quadraginta septem*, ut Catalogi quidam RR. PP. habent, electus Silverius, de quo falsa scribit Anastasius; Liberatus enim iis temporibus vivens, & Historiæ Breviarium ornans, ubi de Silverii electione agit, nec vim illatam Clero, nec Simoniacam pactionem intercessisse tradit; inquit enim Breviar. 22. *de Agapeti decessu audiens Romana Civitas, Silverium Subdiaconum Hormisdæ quondam Papæ filium* ( ex legitimo matrimonio ante susceptum; alias namque ad tantæ dignitatis gradum prorsus fuisset inhabilis ) *elegit ordinandum*.

runt, petentes, ut ea jurejurando interposito confirmaret: quæ ubi ille cognovit, sine cunctatione præstiturum universa respondit: itaque Neapolitani in eam sententiam inclinarunt, ut Siculorum exemplo exercitum Imperatoris in urbem reciperent, ac servituti Gotthorum libertatem Imperatoris præferrent: quod ut vidit Pastor, in concionem advocatos monuit, ut incertum esse belli Martem considerarent, viderentque, ne salutem suam Belisario majora, quàm præstare posset, pollicenti temere proderent: nam si penes Gotthos victoria erit, illi vos, inquit, tanquam hostes sævissimis tormentis excruciabunt, quod nulla urgente necessitate ab se defectionem feceritis, si penes Belisarium, ipse vos semper, tanquam lubricæ fidei homines, suspectos habebit: sin autem fidem Gotthis præstiteritis, & à Gotthis maxima pòst victoriam beneficia expectare potestis, & ab Imperatore servatæ fidei veniam sperare debetis: neque vero Belisarius ad has conditiones accipiendas venisset, si per vim urbe se potiturum speraret, cui ad suam defensionem nihil rerum opportunarum deesset: qui, si æquius agere vellet, Theodahatum, & Romam prius aggredi debuisset: nam tum Neapolitani sine fidei jactura deditionem fecissent: quibus dictis simul Judæos produxerunt, qui nihil in urbe deesse asseruerunt, quod ad ejus defensionem usui esset, & Gotthos, qui se mœnia tutaturos dixerunt. Quibus rebus Neapolitani inducti Belisarium discedere ab urbe jusserunt: quare Belisarius urbem oppugnare constituit: ac primum, scalis ad muros admotis, in urbem transcendere contendit, verum, licet sæpe tentasset, cum magno militum detrimento semper recessit: neque enim adiri urbs à mari poterat, & à terra situs difficultas, atque acclivitas omnem proficiendi materiam adimebat; itaque, oppugnatione omissa, aquæductum, qui aquam in urbem deferebat, ad usum ejus impediendum intercidit: verum & ea parum civitati nocuit, quod urbs puteis abundaret, unde aquæ affatim hauriretur. Interim Neapolitani nuncios ad Theodahatum miserunt, rogatum, ut sibi primo quoque tempore subveniret: quod ille sive propter insitam ingenii tarditatem omisit, sive propter victoriæ desperationem, quam ex adversis rerum futurarum signis conceperat: his de rebus Belisarius in magnis rerum angustiis versabatur; neque enim Neapolitanos ad se defecturos sperabat, & difficultatem expugnandæ urbis in dies augeri videbat: simulque verebatur, ne, si res longius traheretur, omittenda sibi obsidio esset, ut in Theodahatum, Romamque, ita urgente necessitate, contenderet: itaque, multis irruptionibus frustra tentatis, exercitui profectionem indixit: quo minus vero remanserit, nova oblata rei bene gerendæ occasio attulit caussam. Isaurus quidam, ut aquariam disciplinam cognosceret, aquæductum ab ea parte, quæ perrupta fuerat, ingressus, cum totum oculis perlustraret, in petram quandam incidit ibi à natura locatam, quæ ab architectis tantum perforata fuerat, quantum ad labentis aquæ transitum satis esset: ea mole semota, animadvertit, per ipsum aquæductum viros incedere armatos commode posse: itaque inde profectus, per amicum consilium suum ad Belisarium detulit, atque præmiis ab eo ad rem aggrediendam impulsus silentio noctis cum ministris ad locum reversus, petram illam sensim elimando, & abradendo, ne factum strepitu proderetur, ita consumpsit, ut miles armatus ea transire facile posset: qua re perfecta, Belisarius imminens urbi exitium cernens, si armatus eam exercitus inivisset, Stephanum evocatum sic est alloquutus, ut incommoda omnia, quæ in expugnatione captarum urbium, etiam invito duce, patienda essent, exponeret, cædes, rapinas, incendia, servitutes, contumelias, ceteraque mala, quæ hostilis inferre libido in victoria solet; ea vero cum Neapoli imminere videret, se misericordia tangi, atque eos magnopere ad deditionem hortari. Stephanus, quæ audiverat, suis lacrymans retulit, verum, obstinatis ad fidem Gotthis præstandam animis, nihil profecit; qua re cognita, Belisarius consilium irruptionis cum strenuis ducibus contulit, atque ipse omnia ad urbem invadendam necessaria præparavit. Primis ergo tenebris Præfecti, quibus hoc negotium datum erat, cum quadringentis armatis ad os aquæductus venerunt, verum à plerisque periculo agnito derelicti, re irrita, ad Belisarium redierunt, quibus increpitis ducentos ille alios dedit, qui magno animo se omnia facturos, quæ strenuis viris essent digna, dixerunt. Interim Bessas sermonem cum Gotthis, qui proximam aquæductui turrim custodiebant, instituit, ut eo colloquio animos eorum ab omni incedentium per aquæductum strepitu avocaret, atque ut ad Belisarium multa præmia relaturi se conferrent, clamare; illi vero Bessam illudentes, Belisario, & Justiniano probra ingerere. Romani, cum jam per aquæductum in urbem pervenissent, quod superne intectus esset, & cocto ex latere celsos fornices haberet, ubinam essent, ne conjectura quidem assequi poterant, neque inde descensus patebat; ulterius inde progressi ad locum venerunt, ubi aquæductus aperta testudo erat, domui cuidam humiliori subjecta à sola anicula paupere habitatæ: ibi, agitatis de invadendo consiliis, miles unus, armis positis, manibus & pedibus enitendo in eam pervenit, ac mulierem clamorem edere volentem mortis periculo intentato exterruit, ac restem validam ad oleæ superstantis truncum alligatam militibus ipsis porrexit, qua illi statim arrepta ad unum omnes incolumes evaserunt, ac quarta vigilia ad muros urbis progressi, custodes duos incautos obtruncant, atque, ut compositum fuerat, tuba signum rei perfectæ edunt, quo accepto, Belisarius in id intentus scalas statim muris à terra applicuit, atque eos è vestigio capit: inde ad eos, qui ad mare pertinebant, conversus, Judæis acriter resistentibus, nihil profecit; ubi vero illuxit, qui intraverant, Judæos à tergo adorti exterritos fugarunt, atque apertis portis Romanum exercitum receperunt; qui vero ad portas Orientales dispositi fuerant, cum scalas non haberent, fores portarum à custodibus destitutas incenderunt, & pariter urbem ingressi sunt. Urbe ex omni parte capta, passim cædes, incendia, dire-

ptionesque sunt factæ, (50) quousque Belisarius edixit, ut ab Neapolitanis jam ditioni suæ subjectis abstinerent, & qui Gotthos vicissent, ne se vinci ab iracundia sinerent, bona sibi haberent; uxores, & liberos, quos cepissent, viris, & parentibus redderent; ita omnes statim sine injuria restituti sua domicilia cum auro abscondito receperunt. Gothi benigne tractati. Pastor urbis defendendæ auctor supplicio acriore repentina morte correptus est. Asclepiodotum socium ejus populus conviciis impetitum, deinde obtruncatum fœdissime laceravit, atque eodem furore adactus cadaver Pastoris palo suffixit; hunc exitum Neapolitana obsidio post diem vicesimum habuit. His rebus cognitis Gotthi, qui circum Romam erant, mitari primum, quod Theodahatus adeo ignavia obtorpuisset, ut nullo modo his tantis malis occurreret; deinde suspicari, ne is Italiam Belisario prodere cogitaret; itaque, consilio capto, in locum non longe à Circejis (51) se contulerunt, ibique convocati, omnibus probris in Theodahatum congestis, Vitigem Regem sibi depoposcerunt, virum non summo loco natum, sed rebus militiæ bene gestis spectatum: qua re audita, Theodahatus exanimatus repente Roma Ravennam se contulit. Vitiges autem extemplo Optarum Gotthum privata Theodahato simultate infensum cum parata satellitum manu immisit, qui illum aut vivum ad se adduceret, aut morte afficeret; is profectus, atque illum in itinere in solo resupinatum adeptus, tanquam victimam, interfecit. (52) Eodem anno Justinianus, prout Pontifici Agapeto promiserat, damnationem Anthimi sibi confirmandam suscepit; itaque Orientis Episcopis advocatis, cum nonnulli etiam ex Italia ab Apostolica Sede prius missi adessent, Concilium (53) habuit in ædibus S. Mariæ Dei Genitricis prope magnam Ecclesiam, cui Menas Episcopus urbis præsedit, ibi VI. Nonas Majas, cum Episcopi, & Abbates Orientis eosdem libellos, quos Agapeto adversus Anthimum obtulerant, edidissent, placuit, ut Anthimus adesse intra certos dies juberetur, negotiumque ejus conquirendi certis Episcopis datum est. Pridie Nonas, convocato iterum Concilio, cum Episcopi se reperire illum potuisse negarent, novus ad se sistendum dierum terminus est præscriptus, aliisque Episcopis ejus inquisitio data, atque hoc idem tertium, cum VI. Idus convenissent, est factum. Ad extremum, cum XII. Kal. Junias jam quartum convocati nusquam Anthimum reperiri, neque ad dicendam caussam jam ter citatum occurrere animadverterent, sententiam in eum tulerunt, in qua Agapeti auctoritatem sequentes, ipsum communione, Ecclesia, & nomine Catholico spoliarunt, eo nomine, quod contra sacras leges Ecclesiam invasisset, & decreta Catholica respuisset, præcipue autem Menas sententiam in eum tulit, cui reliqui subscripserunt. Inde pridie Nonas Junias, cum iidem Episcopi in eodem loco coissent, Theodorus Imperatoris Referendarius (54) quosdam libellos Episcoporum, Abbatumque contra Severum, Petrum, & Zoaram hæreticos Euthychianos Justiniano porrectos protulit, quibus recitatis, Patres summo consensu eos anathemate perculerunt, Mena item Episcopo sententiam pronunciante: quibus rebus cognitis, Justinianus VIII. Idus Augusti edictum & ipse edidit, in quo sententiam Agapeti, & Concilii primum contra Anthimum, deinde contra Severum, Petrum, & Zoaram confirmavit, atque Anthimum in urbe esse Constantinopolis vetuit. Ex quibus rebus declaratur, falsos esse eos, qui Justinianum Eutychis hæresim approbasse, (55) & pro Anthimo cum Agapeto jurgasse, memoriæ tradiderunt, adversus ipsa Conciliorum acta, quæ illi aut non legerunt, aut lecta certe posthabuerunt. Inde III. Kal. Octobris Petrus Hierosolymorum Episcopus, (56) suorum Episcoporum Concilio habito, hæc eadem omnia confirmavit.

(50) Mirum quod Procopius humanitatem Belisarii erga Neapolitanos celebrare velit, Bell. Goth. l. 1. Auct. Miscellæ testatur, ipsum deinde à Silverio Papa acerrime fuisse reprehensum, & pœnitentiam subire compulsum ob cædes Neapoli fœdissime perpetratas.

(51) Circæi, Circæum Ciceroni, & Straboni, urbs Latii inter Asturam, & Terracinam, in ora littorali. Apud *Regeta*, locum ab Urbe Roma 280. stadiis dissitum Rex creatus Vitiges dicitur à Procop. l. 1. Bell. Goth. 10., Dalmatis evocatas, vir strenuus, bellicisque sudoribus ubique spectatus.

(52) Ita Procop. l. c. 9., mense circiter Augusto, cum Anastasius in Silverio P., qui die VIII. Jun. Pontificatum init, scribat: *Post menses vero duos nutu divino extinguitur Theodatus Tyrannus, & elevatur Rex Vitigis.*

(53) Cujus Acta V. To. 2. Concilior. Actione autem I. habetur, congregatum Concilium ἐν τῷ μεσαύλῳ τῷ δυτικῷ, in occidentali sc. atrio. V. quæ Vales. in Not. ad L. 4. Evagr. 3., & Ducang. in Gloss. med. Græcit. ait exponens vocem τὸ αὐλή.

(54) Qui supplicum preces ad Principem recitabat, ejusque mandata Judicibus insinuabat, ut ex Novella 113., 124. in l. 2. Cod. de Offic. ejus, qui vic. ali. judic. V. Procop. Bell. Pers. l. 2. 23. Apud Francos Referendario commissa annuli Regii cura, ut habet Gregor. Tur. l. 5. Hist. 3., & l. 10. 19., & Flodoard. Hist. Rem. l. 2. 2.

(55) Nonne Aphthartodocetarum hæresim sub finem vitæ adoptavit? & SS Patriarchas Eutychium C. P., & Anastasium Antiochenum, Sedibus pulsos exules abegit, impietati suæ obsistentes? L. Evagr. l. 4. 40., factum emollire quamvis conantem. V. Theoph. An. Incarnat. 557. secund. Alex., Cedren., & Auct. Miscell. Oscitatur plane in suo *Vigilio dormitante* Crakanthorpius c. 20. id negans.

(56) Ad hoc Concil. 45. Epp. convenere, cujus Acta extant To. 2. Concilior. Habitum vero fuit XIII. Kalen. Octobr., Indictione 14., ut ibid. habetur. In Actis vero desideratur quæ adversus Severum, Petrum, Zoaram in eadem Synodo lata damnationis suis sententia.

LI-

# LIBER DECIMUSOCTAVUS,

## *Qui est Regni Gotthorum in Italia tertius.*

### VITIGES REX.

INnterim Vitiges Rex cum Gotthis, qui secum aderant, Romam perrexit: ibi, nece Theodahati perspecta, Theodisclum filium ejus statim in custodiam tradit, atque oratione ad Gotthos habita docet, se Ravennam petere velle, & bellum in Gallia cum Francis conficere, ubi major pars Gotthorum sit occupata; atque, eo finito, in Belisarium se convertere, quod iter pro fuga non esse accipiendum, cum commodi, non metus caussa suscipiatur. De Roma non esse, cur laboretur; nam Romanos fidelem operam præstituros, & se firmo Gotthorum præsidio relicto ad eam adversus omnem impetum defendendam celeriter reversurum. Hoc à Gotthis consilio collaudato, Silverium Pontificem, & Senatum, ac Populum ad fidem erga Gotthos tuendam hortatus est, justissimo Theodorici Imperio memorato, atque, eis in hæc verba sacramento adactis, & quatuor Gotthorum millibus custodiæ urbis cum Laudere Præfecto relictis, cum cetero exercitu Ravennam contendit, multis Senatorii ordinis obsidum loco secum adductis; quò ubi pervenit, ut Imperium magis stabiliret, Matasuentam Amalasuentæ filiam, virginem eximiæ pulchritudinis, uxorem sibi despondit, & Gotthos ex omni Italia contractos armis instruxit. Paulo ante Theodahatus, cum citimam Galliæ portiunculam (1) Francis se remissurum, & aureorum viginti millia traditurum, si sibi adversus Belisarium auxilio essent, spopondisset, rebus nondum absolutis, erat mortuus; itaque Gotthi adhuc, duce Martia, illam regionem tenebant. Hos igitur Vitiges cum se nec tuto suis subsidio venire, neque satis adversus Francorum impetum roboris videret habere, si ipse Romam cum universo exercitu se reciperet, primoribus adhibitis ita disseruit: præstare, ut Francis Galliam, & promissam à Theodahato pecuniam darent, quàm committere, ut se cum Belisario jungerent, facile enim post partam victoriam amissa recuperari omnia posse, atque ita extemplo legatos, qui Galliam, & pecuniam traderent, ac societatem cum Francis componerent, misit, hi fuere reges Childebertus, Theodebertus, & Chlotarius, qui, partitis inter se pecuniis, amicitiam pepige-

A runt, ita tamen, ut clam se summissuros ex alienigenis subsidia dicerent: nam aperte arma adversus Romanos sociare non posse, quod paulo ante promisissent, Imperatori se auxilia præstituros. Quibus rebus confectis, legati Romam redierunt: & Vitiges Gotthos, ac ducem Martiam ex Gallia revocavit. Dum hæc à Gotthis aguntur, Belisarius Neapolim, itemque Cumas præsidio confirmavit: neque enim ullus alius munitus erat in Campania locus. Romani vero eundem Romæ exitum fore, qui fuerat Neapoli, veriti, Silverio Pontifice cohortante, Fidelium Mediolanensem, Athalarici quon-
B dam Quæstorem, ad Belisarium miserunt, monitum, se, si propius accessisset, urbem tradituros: quo nuncio accepto, ille via Latina iter ingressus est, Appia ad lævam dimissa. Hoc cognito, Gotthi, qui se propter paucitatem defendere urbem non posse videbant, permittentibus Romanis, Ravennam abierunt, Leudere Præfecto præ pudore præsentis fortunæ manente: contigit autem, ut eodem die Gotthi porta Flaminia exirent, & Belisarius Asinaria exercitum induceret: is vero fuit IV. Idus Decembris, (2) ut Evagrius, & Anastasius scripsit. Belisarius ingressus, Leuderem Præ-
C fectum, & claves portarum urbis ad Justinianum propere misit, atque è vestigio mœnia multis in locis collapsa sarcire instituit: & propugnaculis prominentioribus factis à lævo latere muri structuram aliam excitavit, &, ne ab ea parte, dum sui cum hoste contenderent, ab iis, qui ad sinistram mœnia oppugnarent, peti posset, fossam circa muros altiorem perduxit. Romani ut singularem Belisarii in extruendis propugnaculis solertiam mirifice collaudabant, sic maxima admiratione afficiebantur, si obsidionem timeret, cur sibi urbem ineundam putasset, & quonam pacto in angustiis rei frumenta-
D riæ in urbe longe à mari remota obsidionem laturus esset, in tam lato præsertim murorum ambitu, & urbe hostilibus tam facile incursibus patente. Quæ ubi Belisarius accepit, omnia ad tolerandam obsidionem necessaria præparavit: nam & frumentum ex Sicilia advehendum curavit, atque in publica horrea contulit: & Romanos ex agris in urbem omnia comportare coëgit, ac murorum ambitum ad Tiberim usque munivit. Interim Samnium, Calabria, & Apulia, ac demum etiam Beneventum in po-

(1) Sed si hæc Galliæ *portiuncula* fuerat à Theodato promissa, quam deinde cessit Francorum Regibus Vitiges, ejus magnitudinem nosce ex eo, quod omnis Ostrogothorum Ditio cis Alpes posita Francis accessit, quæ Italiam ad Orient., Rhodanum ad Occas., mare Mediterraneum ad Merid., & nuperrimos Burgundiæ fines ad Septentr. respiciebat, & quatuor Galliarum Provincias, Narbonensem II., Alpes Maritimas, Alpes Grajas, & Viennensem II., præter Deensium, & Vivariensium Civitates in Vienn. II. sitas, excepta quoque Septimania, quæ sub Visigothis, & Britannia Armorica Comitibus suis subjecta.

E (2) Ita Anastasius in V. Silverii, qui solus diem notavit, decimam nempe Decemb. Prætermisere Procopius, & Evagrius: ambo tamen cum scribant, Romam *sexagesimo anno* postquam à Barbaris capta fuerat, recuperatam à Belisario, non 537. sed præcedenti in Romanorum rediit potestatem, cum quo concurrit annus ille sexagesimus; hinc corrigendus Procopii textus, Bell. Goth. l. 1. 14., itemque Evagrii l. 4. 19., ubi subdunt undecimo Justiniani Imp. anno evenisse Belisarii in Urbem ingressum, legendumque, *decimum Imperii sui* cum ageret annum. Vitium illud plerosque decepit, qui in an. sequentem id conjecere.

potestatem Belisarii deditione venerunt: quo pacto Italia tota à freto Romam usque juris Romani effecta est. Tuscia inde ejus jussu per Massagetas duces, (3) Narnia per Bessam, Spoletum, & Perusia, & alia circumjecta loca per Constantinum recepta: quibus nunciis exterritus Vitiges, Unilam, & Pissam Præfectos cum valido exercitu eis objecit: qui non longe à Perusia cum Constantino congressi, post ancipitem pugnam, amissis omnibus, in potestatem ejus venerunt. Vitiges, dum Martiam cum Gothis ex Gallia opperitur, Asinarium, & Uligislaum Præfectos in Dalmatiam cum maximis copiis misit, datis mandatis, ut ex locis Savo propinquis barbaros excirent, & Salonam invaderent, ac classe summissa oppidum terra, marique circumsederent. Asinarius in Saviam (4) profectus barbaros conscripsit, Uligislaus, solis Gotthis adhibitis, in Liburnia apud Scardonam cum Romanis conflixit, & in oppidum Burnum (5) fuga se referre coëgit. Constantinus autem de apparatu Asinarii certior factus Salonæ timens, omnes, quæ in præsidiis erant, monuit, ut se fossa munirent, atque ad ferendam, si admoveretur, obsidionem se comparavit. Asinarius inde cum Uligislao conjunctus accessit Salonam, & castris ad urbem locatis, & militibus in naves impositis urbem terra, marique cœpit oppugnare. Romani vero, eruptione ex urbe facta, in naves invecti alias in fugam egerunt, alias demerserunt, quasdam etiam una cum militibus in potestatem redegerunt, quare Gothi obsidionem urgere eo acrius instituunt.

537 Postero inde anno, quem post Consulatum Belisarii secundum (6) appellabant, Vitiges cum universo exercitu equitum, peditumque centum quinquaginta millibus iter Romam Februario mense (7) intendit, tanta urbis potiundæ fiducia, ut obvios rogaret, num Belisarium Romæ deprehensurus esset; neque enim illum se expectaturum putabat: ejus adventu cognito, Belisarius Bessam, & Constantinum ad se venire, relictis in oppidis Tusciæ præsidiis, jussit: ob id Constantinus, parvo Perusiæ & Spoleti præsidio constituto, mature discessit. Bessas autem, dum lentius agit, in suburbanis Narniæ à præcursoribus Vitigis deprehensus prœlium conserit, mox ab ingruente multitudine pressus Narniam se recipit, ac, militibus quibusdam custodiæ relictis, cum reliquis Romam ire contendit. Vitiges unum Belisarium petens, Perusiam, Spoletum, & Narniam sibi non putavit attingenda, ac per agrum Sabinum ad pontem Anienis accessit, tribus passuum millibus ab Urbe distantem, ad quem Belisarius turrim constituerat, ac præsidium imposuerat, ut aliquantisper incursum hostium retardaret, quoad Romani ex agris in urbem necessaria comportarent: noctu vero qui in præsidio pontis erant, multitudinem Gotthorum conspicati, clam eruptione facta, in Campaniam secesserunt: itaque sequenti die Gotthi, refractis turris foribus, transierunt. Belisarius autem hujus irruptionis ignarus cum mille equitibus ad pontem pergere cœpit, locum exploraturus, ubi castra commodius collocaret: atque ita ex inopinato in hostes incidit pontem trajicientes, atque invitus cum nonnullis eorum manum conseruit: cum autem equo insigni veheretur, Gotthi à transfugis eum Belisarium esse edocti, omnes in eum jaculari, hortantibus se invicem singulis, instituerunt; ille vero se in omnes partes convertens, quos obvios habebat, obtruncabat: quo minus autem hostium telis obrueretur, armigeri ejus prohibuerunt, qui prælatis clypeis convolantes undique sagittas exceperunt, & supervenientes Gotthos umbone propulsaverunt; hoc in certamine Gotthi non minus mille hominum, eorumque fortissimorum desiderarunt. Belisarius etiam multos, eosque præstantes, inprimisque Maxentium armigerum perdidit, fortuna in eo secundissima usus, quod ab omnibus petitus nullo vulnere sit affectus. Romani Gotthos equites usque ad castra fugarunt, inde à peditibus integris, equitibusque adjunctis repulsi sese in collem proximum receperunt, atque inde dejecti equestri prœlio facto, Gotthis in terga hærentibus, ad portam Salariam pervenerunt, quam custodes aperire detrectarunt, veriti, ne simul cum suis hostes reciperent, neque enim Belisarium, ut qui cruore oblitus esset, internoscere despiciendo è turribus poterant: præsertim vero cum eum in acie cecidisse, primi nuncii detulissent. Cum autem Gotthi, confluentibus auxilio suis, fossam transire, & Romanos invadere statuissent, Romani sub murum, & in citeriore parte fossæ globum fecerunt, ac, Belisario duce, uno agmine in hostes incurrerunt, atque repentina per tenebras impressione adeo perculerunt, ut omnes in fugam se dederint, quos Belisarius non magno spatio insectatus, in urbem ilico se recepit: prœlium oriente Sole cœptum in noctem usque productum est. Belisarius, militibus omnibus in muros contractis ignes multos fieri, & per totam noctem vigilias agi jussit, ac mœnia lustrans, singulis portis aliquem è primoribus præfecit, &, ne loco injussu suo moverentur, præcepit. Inter hæc Vitigis jussu Satrapa quidam ad portam Salariam progressus, Romanis perfidiam, & imprudentiam objectavit, quod à fortissimis Gotthis

(3) *Massagetas, sive, ut jam vocitant, Hunnos*, habet Procop. Bell. Vandal. l. 1. 11., quos omnes equites sagittarios fuisse tradit. Horum duces Sinnonem, & Balam fuisse Vandalici belli tempore idem testatur, *generosissimos, & fortissimos Viros*. Ægam quoque nominat Massagetam Belisarii Domesticum, Roman. militum Ductorem.

(4) Hæc Savia Pannoniæ, pars nempe australis Pannoniæ, Savum fluvium versus, ab ortu in occasum extensa, inter inferiorem Pannoniam ad Boream, ac Dalmatiam ad meridiem, ubi modo Sclavonia proprie dicta, cum boreali parte Croatiæ.

(5) Non in Dalmatia, ut legitur in Thesau. Ling. Lat., oppidum namque est Illyrici Mediterranei, ex Plin., & Ptolom. in Liburnia, in qua Scardona urbs maritima in Dalmatiæ confinio.

(6) Idest anno secundo; sicuti in Occidente Acta publica hac alia formula aliquando subscripta: *Post Consulatum Paulini III.*, anno nempe tertio.

(7) *Mense* tamen *Martio* cœpta Urbs à Gothis obsideri, teste Procop. l. 1. Bell. Goth. 24. Obsidionem *per annum, & dies novem* durasse, idem prodidit, quam L. ap. Procop. l. 6.

tbis ad imbelles Græculos defecissent, qui se tueri non possent. Belisarius vero Romanos hortatus est, ut bonum animum haberent, & Gotthos celeriter eversum iri sperarent, in quo multis risum excivit, considerantibus, ipsum ægre ex eorum manibus evasisse, &, cum multum noctis processisset, atque adhuc jejunus esset, vix ab Antonina conjuge, & suis, ut aliquid cibi sumeret, est inductus. Postridie Gotthi obsidionem urbis instituerunt mense Martio, Procopio, atque Anastasio testibus: habebat ambitus urbis portas quatuordecim, (8) & portulas quasdam; hanc cum Gotthi pro magnitudine circumdare universam non possent, sena castra ad portarum intercapedines posuerunt: septima vero ultra fluvium Neronianis in campis fixerunt; his Martia dux præpositus est, ceterisque singulis singuli. His actis, omnia opera, quibus aqua in urbem inducebatur, intercidi sunt cœpta. Belisarius autem custodes in muris disposuit, muros ab utraq; parte Tiberis extruxit, ac sibi Pincianam, & Salariam portam custodiendam assumpsit, quod ab ea parte facilior esset urbis oppugnatio, & Romanis inde in hostes exitus pateret. Prænestinæ Bessam, Flaminiæ Constantianum præfecit, quam prius inædificatam ingenti mole obstruxerat; intercisis aquæductibus, non solum usus aquæ ad potum, sed etiam ad molenda frumenta ademptus est, accedebat, quod neque jumenta ad versandas ejus muneris caussa molas suppetebant, quud vix necessarios ad bellum equos tolerarent, huic incommodo Belisarius hoc remedii attulit. Sub fornice pontis ad Janiculum pertinentis lembos cum molis collocavit, easque vi aquæ per angustum decurrentis volvi instituit: qua re animadversa, Vitiges magnos arborum stipites, & cadavera Romanorum nuper interfectorum flumine demisit, atque eis in scaphas deferendis molarum machinas labefecit. Belisarius autem, ne detrimentum ex ea re acciperet, ferreas cathenas à ponte suspensas in utrasque ripas transmisit, atque ita omnia, quæ flumine devolvebantur, aggerata detinuit, ac postea in terram attraxit, atque ita hostium conatus elusit. Balnearum tamen usui, & aquæ potui non potuit subveniri, itaque, cum neque curari, neque lavari, neque potare multitudo posset, ac præterea mœnibus custodiendis invigilare assidue cogeretur, atque agros, & tecta sua uri à Gotthis ex mœnibus prospectaret, ægre ferre cœpit, quod tantis malis insons afficeretur; itaque Belisario liberius maledicere, quod sine idoneo præsidio ausus esset cum Gotthis bellum suscipere, atque eadem etiam senatores ei exprobare: quibus rebus cognitis, Vitiges, ut res Romanas majore tumultu misceret, oratores in urbem misit, qui ad Belisarium, præsentibus Senatoribus, & exercitus ducibus, ita loquuti sunt: Si viribus suis confisus hoc bellum intulisset, posse eum è muris Gotthorum copias cum suis comparare, si audacia, fore, ut brevi temeritatis suæ pœniteret; proinde ne Romanos diutius miseros haberet, quos Theodoricus florentissimos esse & beatissimos voluisset, nec Regi Italorum, atque Gotthorum resisteret, cum ipse inclusus, ac de se solicitus Romæ sederet. Vitigem liberam ipsi abeundi potestatem permittere, Romanis venia proditionis facta, pristinam benignitatem spondere. Quibus Belisarius, belli arbitrium non in eorum esse potestate, sed sua: se autem daturum operam, ut Gotthi vix locum inter senticeta ad caput occulendum reperiant; se, cum Romam cepit, alienum nihil occupavisse. Gotthos prædonum more eam cepisse, atque, invitis pristinis possessoribus, tenuisse; falli autem, si se eam recuperaturos sperent, ejus certe voti, vivente Belisario, compotes non futuros. Romanis tacentibus, neque ad ea, quæ de proditione illi dixerant, respondentibus, Fidelius vir antiquæ virtutis Gotthos irrisit, & ea, quæ dixerant, refutavit. Legati in castra reversi roganti Vitigi, quo animo esset Belisarius, nunquam eum metu cessurum asseruerunt: hac ille spe destitutus animum ad oppugnationem urbis adjecit, itaque turres ligneas construxit, quæ murorum altitudinem adæquabant, atque eis ad angulos rotas subjecit, à bobus quòcunque ipse vellet, adducendas, scalas multas paravit, quæ ad pinnas usque pertingerent, arietes ingentes expedivit, quibus admotis muros vehementius verberaret; ligna, arundines, & cetera ejusmodi congessit, ut fossas æquaret, & per eas ad muros machinationes adduceret: inde post viginti dies has promovere machinas cœpit, ac Romanos conspicantes ipsarum novitate, ac magnitudine obstupefecit. Belisarius vero instructam aciem cum machinis adventantem prospectans, in risum prorupit, ac quiescere milites, donec signum accepissent, præcepit: postquam illi fossæ appropinquarunt, ipse primus in armatum quendam hostium ducem arcum intendit, ac, gutture jaculo trajecto, ad terram stravit, inde in alterum jaculatus pariter morte affecit, ex quo animus Romanis, & spes futuræ victoriæ ex tam felici principio accessit; inde, signo dato, sagittas jacere exercitum innuit universum, itaque, cadentibus repente bobus, machinæ constiterunt, ex quo Gotthorum consilium ludibrio fuit, qui se boves impune ad muros putarunt posse adducere. Hac ratione propulsus à mœnibus Vitiges, ingenti Gotthorum manu ibi relicta, quæ telis in propugnacula jaciendis Belisario recedendi potestatem adimeret, ad alteram muri partem circa portam Prænestinam, quam Vivarium appellabant, reliquos duxit, machinis, arietibus, ac turribus aliis eò secum adductis, quæ dum aguntur, alia manus ex altera parte portam Aureliam, quæ S. Petri jamtum dicebatur, invasit, hoc modo. Erat extra portam moles Hadriani ad lapidis jactum procul à mœnibus, quæ porrectis muris eorum quasi pars effecta turris altissimæ speciem referebat: hanc levi præsidio Constantianus tenebat, quod murus subterlabente flumine non poterat oppugnari. Cum autem audisset, hostes flumen transire velle, muro diffisus, qui ad fluvium erat, cum paucis eò accurrit, majore parte ad portam, & molem custodiendam relicta. Gotthi vero portam, & molem sine machinis invaserunt:

(8) L. Pitisc. in voce *Porta* p. 189., & seqq., ubi fuse de Portis Urbis Romæ disserit.

runt: scalas inde afferentes multitudine sagittarum custodes deterruere, prætentisque scutis Petsicis, ad mœnia successere, & sub porticum ædis Sancti Petri furtim venere: inde, cum de improviso apparuissent, itarem aggrediuntur, ut Romani ne balistaquidem uti in eos possent; tum validius incumbere, ac crebris sagittis propugnacula lacerare, & scalas admovere: ita circunventi qui de mole pugnabant, ac de se soliciti, statuis ipsius molis diffractis, ingentia fragmenta in hostium capita devolverunt, atque ita oppugnationem remittere coëgerunt, atque ingenti clamore propellentes, ac tormentis insectantes in magnum tumultum conjecerunt. Constantianus autem, fugatis eis, qui transitum amnis tentarant, pedem retulit. Ad portam Pancratianam cum Gotthi pervenissent, propter loci acclivitatem nihil profecere. Flaminia non est tentata, ut præcipiti loco sita. Non longe à Pinciana erat muri pars lapidum laxata compage soluta, ab imo ad summum scissa, & reliquo muro modo prominentior, modo retractior, quam cum instaurare Belisarius vellet, restitere Romani, S. Petrum ejus curam suscepturum asseverantes: ea pars à Gotthis intacta miraculo omnibus fuit. Apud Salariam Gotthus quidam proceræ staturæ haudquaquam inter suos obscurus arbori propinquæ insidens, cum sagittando propugnacula divexaret, notabili casu oppressus est; siquidem tormento à Romanis ad lævam turris ex improviso locato trajectus arbori, veruto in stipitem altius descendente, affixus est: qua re conspecta Gotthi exterriti extra sagittæ jactum recessere, neque amplius molesti propugnaculis extitere. Bessas autem, Paraniusque, ubi Vitigem acrius è regione Vivarii insistentem videre, Belisarium statim sui auxilio evocaverunt, cujus adventu, & oratione milites recreati fuit: erat ab ea parte locus planior, & ad invadendum opportunior, muro ita dissoluto, ut lateres haud multum in sua compage consisterent: huic verò muro alium veteres sine propugnaculis adjecerant, atque intra cum leones, & alias bestias conjecerant, unde Vivarium dicebatur; hunc igitur exteriorem murum suffodi Vitiges jussit, quod, eo occupato, facile se potiturum mœnibus urbis invalidis confidebat, quod ut Belisarius sensit, paucis in propugnaculis relictis, quicquid roboris erat, apud se tenuit, & ensibus tantum instructos ad portas traduxit, & Cyprianum in Gotthos Vivarium (9) irrumpentes immisit, quibus obtruncatis, & reliquis in angustiis, dum evadere tentarent, tumultum agentibus, Belisarius apertis portis copias universas emittit, atque omnes in fugam præcipites agit, & postremos carpendo concîdit, ac, ceteris in castra compulsis, machinis incendium intulit, quæ flamma altius excitata majorem hostibus pavorem incussit: eadem fortuna ad portam Salariam dimicatum est; ex ea enim erumpentes Romani, fugatis, cæsisque hostibus, etiam machinas incenderunt; ita ab omni parte à muris abscessum est, ex Gotthis triginta millia desiderati, multo plures vulnerati, nocte sequenti utrinque vigilatum. Gotthi mœsti pro castris stationes habuerunt, Romani in muris alacres triumpharunt, & partis hostium spoliis Belisarium in cœlum laudibus extulerunt. Belisarius literas ad Justinianum misit, in quibus, rebus, quas gessisset, expositis, (quoniam majorem partem in Siciliæ, & Italiæ præsidiis reliquisset,) sibi tantum quinque hominum millia relicta esse docuit, se vero oppugnari ab hostibus hominum sexaginta millibus: rogare, ut arma, & supplementum mitteret, quo paribus viribus adversus hostes posset consistere, idque eum cum dedecoris fugiendi caussa, tum Romanorum salutis gratia enixe facere oportere: Romæ urbis amplissimum ambitum esse, neque nisi maximo hominum numero custodiri posse; Romanos, obsidione procedente, facile animos mutaturos, aut necessitate, & fame adactos ad hostem transituros: se vero non nisi morte cessurum. Postridie vero edixit, ut Romani uxores, & liberos, & imbellem multitudinem, ac servos ad urbis custodiam non necessarios Neapolim transportarent, non enim se posse ex diutina obsidione consuetudinem in præbendo commeatu servare, sed dimidiatam solummodo annonæ portionem in dies singulos divisurum, pro reliqua vero pecuniam præbiturum; omnes paruerunt, atque alii mari, alii via Appia in Campaniam contenderunt, neque enim ullum ab ostibus periculum erat, cum totam urbem non cingerent, nec parva manu abscedere à castris auderent; alii ex Campania in Siciliam, aut quò cuique commodius fuit, sunt avecti, inde cohortes militibus semiplenas ex civibus licet imbellibus supplevit, & onera custodiarum subire vigilando præcepit. Theodora Augusta à Vigilio de Silverio Pontifice ante suum adventum creato certior facta, quod à Vigilio elicuerat, id ipsum à Silverio quoque contendere non dubitavit, ut, Mena Episcopo dejecto, Anthimum restitueret, quod ubi Silverius accepit, licet horroris plenus, nequaquam se commissurum, ut hominem legitime condemnatum reduceret, dixit: quo responso illa incensa, mandata ad Belisarium misit, ut Silverium de Sede excogitata caussa dejiceret, atque ei Vigilium subrogaret, ita, dolo in caput Silverii composito, Marchus scholasticus, & Julianus prætorianus repente crimen in Silverium detulere, nempe ipsum literas ad Vitigem scripsisse, ut ad portam Asinariam juxta Lateranum veniret, nam se ei urbem cum Belisario traditurum; quibus productis, Belisarius, cum VI. Idus Majas (10)

XV.

(9) Romæ erat circa Castrum Prætorium, de quo Procop. Bell. Goth. l. 1., sed extra Castri muros, ubi nunc parietinæ quædam fenestratæ altissimæ videntur eo modo ædificatæ, quo Procop. scribit fuisse Vivarii muros, quæ ipsis Castrorum mœnibus, nunc mœnibus Urbis sunt propinquæ. L. Nardin. Rom. Vet. 4. 2. De Vivariis L. Athenæum l. 12. 19. narrantem, Samium Tyrann. Polycratem canes ex Epyro Molossos, & Lacænos, ex Scythia, & Nasso capras, oves ex Mileto, & Athenis, sues ex Sicilia collegisse. V. quoq. Plin. l. 10. 50., l. 8. 51., & 57.

(10) *Idibus Maji*, habet Anastasius. Recte A. N. id consignat præsenti anno, quo Urbs à Gothis acriter obsidebatur, ut Anastasius, & Procop. Bell. Goth. l. 1., 25., quos male intellexit Baronius ad an. sequ. hæc gesta referens, quibus suffragatur Marcellini continuator, *Indictione XV.*, *iterum post Consulatum Belisarii*, eadem referens.

XV. Indictione in ædes Pincianas se contulisset, eo nomine Silverium ad se vocavit, sed clam in auctoritate esse Augustæ præcepit. Silverius autem, imperio ejusmodi detrectato, abiens, in Basilicam S. Sabinæ se contulit, deinde Photio Antoninæ filio misso, interposito incolumitatis sacramento, revocatus, licet dissuadentibus amicis, repetiit. VI. inde Kalend. Junias jam tertium accersitus, licet apertas jam cernens insidias, adiit; verum tum solus ab Belisarium ,& Antoninam est intromissus: eò vero ubi venit, dum ab Antonina de proditione conflata (11) interrogatur, Subdiaconus primæ regionis pallium de collo ejus abripuit, &, Pontificio ornatu detracto, Monachi vestimentum injecit, quo facto, Sixtus regionis sextæ Subdiaconus egressus foras Clero nunciavit, Silverium Pontificatu se abdicasse, & Monachum induisse, proinde se ad alium Pontificem subrogandum pararent, inde post sex dierum spacium (12) Vigilius Belisarii suffragatione suffectus est. Silverius autem Pataras in Lyciam relegatus est, hujus mali auctorem Vigilium fuisse sensit Silverius, cum biduo ante, idest VIII. Kal. Junii, scripsit ad eum (13) ipsum, Bonifacio vivente, Sedem ejus ambisse, tum vero novum scelus in Sedem Apostoli cam inducere tentare, ut, se depulso, locum suum invadat. IX. inde Kal. Decemb. Amatori Episcopo (14) de statu suo quærenti sic respondit: *Quibus malis affictus sim, exponere omnia nequeo, in primis Patricia mihi infesta erat, quod non restituebam Anthimum suis meritis ab Agapeto decessore meo Ecclesia Constantinopolitana depulsum, jussu etiam ejus exorti sunt testes, qui ea mihi crimina intulerunt, quorum insons sum. Cum autem multi de illa accusatione laborarent, timuit Belisarius, & me ad se pacate adire jussit pro quibusdam Ecclesiæ negotiis in Palatium Pincianum, & ad primum, ac secundum velum retinuit omnem clerum, ac populum, qui mecum erat, & me solum, ac Vigilium Diaconum meum introire permisit, quem retentum, & ante Patriciam deductum miserunt in exilium, in quo ego sustentor pane tribulationis, & aqua angustiæ, ego propterea non dimisi, nec dimitto officium meum, sed cum Episcopis, quos congregare potui, eos, qui talia erga me commiserunt, anathemate perculi, & una cum eis Apostolica, & Synodali auctoritate statui, ne quis eo modo decipiatur, quo ego deceptus sum, similiter Sanctorum Patrum decreta confirmans, decrevi nec falsos, nec inimicos accusatores, aut testes adversus Episcopos admitti oportere, neque eis obesse posse.* Hoc crimen proditionis, quod in Silverio fictum fuit, in quibusdam Senatoribus locum invenit, quos ut suspectos, teste Procopio, Belisarius ejecit, claves portarum, atque custodes earum in singulos menses mutavit, & singulis noctibus alios, aliosque vigilibus ipsis præfecit, & milites ad fossas excubituros canes secum habere voluit, ut nemo vel è longinquo mœnia invasurus lateret. Per eosdem dies fuere, qui Gentilium revocare consuetudinem voluerunt, ut Janum in bello aperirent, qui ad pœnas conquisiti deprehendi non potuerunt. His incommodis Vitiges inflammatus Ravennæ Senatores Romanos, quos obsidum loco habebat, interimi jussit, ex quibus nonnulli in Liguriam evaserunt, hinc Portum oppidum nullis stationibus custoditum occupavit, &, mille hominibus in præsidio relictis, ad castra revertit; ita, cum ab ea parte per Tiberim commeatus sublata subvectio esset, ( neque enim ab Hostia navigatio idonea erat, ) naves ad Antium onera exponere cogebantur, quod iter unius diei distabat ab Hostia; atque inde magno labore ad urbem referebantur, hæc viginti diebus Vitiges ab urbis oppugnatione perfecit. Interim Martinus, & Valerianus Constantinopoli militum supplementum adducentes, ad Belisarium pervenere, quorum maxima pars Hunni erant, Sclavini, (15) & Antæ trans fluvium Istrum habitantes; eorum adventu erectus Belisarius Gotthos levi excursione lacessendos putavit, ac Trajanum ducem cum ducentis equitibus scutatis adversus eos jussit exire, & ad eum progressos proximum tumulum occupare, &, si ab hostibus peterentur, sagittis eos propellere; quibus deficientibus, fugam capessere, & sese ad urbem recipere, nam tormenta, & artifices in muris paratos habebat, qui illos avidius insectantes sagittis conficerent. Trajanus egressus mandata om-

(11) De hac suspicione, Belisarii, & Antoninæ nequissimæ fœminæ opera, adversus S. Pontificem concepta Liberatus in Brev. loquitur, & Procopius l. c. 25., quam veram fuisse perperam Marcell. Continuator affirmat; artes enim perditas Theodoræ Augustæ, ejusque genio indulgentem Belisarium, Vigilii, & Constantinopoli, Ravennæ, & Romæ nefaria molimina, simoniacam labem, & cet. universa clamat Antiquitas, rerumque eventus Silverii innocentiam aperte declarant. V. Liberat. c. 22.

(12) Procop. l. 1. Bell. Goth. 25. post exilium Silverio indictum in Græciam, subdit, Vigilium paulo post ad Pontificatum evectum: Liberat. 22., narrato eodem exilio, ait: *A suis*, Silverius, *ulterius non est visus. Et altera die Belisarius convocatis Presbyteris, & Diac.*, & cet. mandavit, *ut alium sibi eligerent Papam*, unde Pagius conjicit postero die ad deposit. Silverii electum Vigilium, eumque ordinatum deinde die 22. Novemb. Sex tamen dies Sedem vacasse tradit Anastasius, scribens in V. Vigilii, hunc ordinatum *X. Kal. Decemb.*

(13) Styli barbaries, falsa Consulatus nota, (Apione quippe Cos. ea ep. data) emendieatæ ex ep. Felicis II. ad Acacium sententiæ, quæque de Vigilio narrantur, cruentis sc. manibus sanguine Leviticum affectasse munus, decessoribus suis subrepsisse, Senatus justitia repressum, aliæ Scripp. silentibus, sententia anathematis, Italis, non Asianis subscribentibus Episcopis, Episcoporum Concilium, aliaque ejusmodi, suppositionis indicia sunt manifesta: quodnam enim tempus suppetere poterat Silverio statim in Vigilii manus tradito, ut in Palmariam, vel Pontiam Insulam deportaretur?

(14) Epistola Silverii ad Amator. Augustodunen. Ep. præter mendacem Consulat. notam, & styli horrorem, decerptas sententias ex Legibus Arcadii, & Honorii, SS. Leone, atque Gregor., & Bonifacio Mogunt. complectitur. Neque hoc tempore Amator Augustoduni, sed Agrippinus erat Episcopus ab an. 525. usque ad Concil. Aurelian. III., cui interfuit, an. 538. celebr., quo an. mense Junii mortuum Silverium inferius ostendetur.

(15) Qui in Illyricum migrantes Selavoniæ nomen dedere; horum, præter Procop., meminit quoque Priscus in Excerpt. narrans, eorumdem centum fere millia in Thraciam irrupisse, ac eam, pluresque alias Regiones spoliasse.

omnia diligenter explevit, ita ex Gotthis ad urbem procursantibus non minus mille occisi. Paucis post diebus Mundilam, & Diogenem cum trecentis equitibus egredi, atque hostem ad se attrahere eodem artificio jussit, atque ita non minus tum quoque hostium ex mœnibus interfecit; tertiò Oilandum cum trecentis delectis emisit, atque ita tum quoque rem ex sententia gessit; his tribus eruptionibus Gotthorum quatuor millia absumpta sunt. Hunc morem Vitiges imitatus, equites quingentos emisit, quibus ad locum editiorem non longe ab urbe progressis, Belisarius Bessam cum mille delectis viris objecit, atque à tergo adortus, multis obtruncatis, ceteros in campum descendere compulit, & adverso prælio pugnantes cæcidit, pauci, qui in castra redierunt, ab Vitige tanquam ignavi, socordesque increpiti; post tertium inde diem trecentos delectos ex omnibus castris emissus Martinus, & Valerianus cum mille & quingentis egressi exceperunt, &, prælio equestri facto, in fugam versos ad unum occiderunt, quibus ex cladibus ingens in castris Gotthorum pavor est ortus. Romani vero Belisarium laudare, ac pro miraculo virtutes ejus suspicere, quod paucis multos deleret; inde Gotthi neque muris insultare, neque Romanos insequi, sed eos tantum à castris arcere. Post hæc Belisarius Romanorum id petentium voluntate commotus universi prælii fortunam experiendam censuit, atque idem etiam Gotthi tot adversis eruptionibus fessi cupiebant; itaque, re utrinque constitutis, Belisarius Romanos ita est alloquutus; se, non quod hostium vires timeret, aut militum virtuti diffideret, hucusque prælium distulisse, sed quia ex incursione agendo res prospere succedebat; nunc quoniam eos summa pugnandi cupiditate ardere videret, se eorum studium non moraturum, ac satis se scire, maximas copias ab exiguis virtute sæpe devictas, orare, ne pristinam militiæ gloriam, & spem victoriæ alacritate sua ostentatam minus constanter, fortiterve pugnando corrumpant: atque his dictis, inter portam Pincianam, & Salariam exercitum eduxit, paucis in campos Neronianos cum Valentino equitum Præfecto præmissis, qui initium pugnæ facerent, neque hostium castris appropinquarent, sed tantum se assidue impetum facturos ostenderent; opifices autem, & rei bellicæ rudes cum rejecisset, ne in medio paventes certamine omnia perturbarent, hos tamen omnes ultra portam Pancratianam supra Tiberim collocavit, ut ibi quiescerent, donec signum accepissent. Ab altera parte Vitiges ad suos loquutus, mala omnia, quæ illis patienda essent, si penes Romanos victoria esset, exposuit, atque exemplum eis Vandalorum proposuit, qui, regno amisso, in servitutem una cum conjugibus, & liberis essent abstracti; victoriam eos relaturos, si virtutis pristinæ memores morti libertatem prætulerint, nam ipsos non solum multitudine, sed etiam fortitudine longe præstare; Græcos autem majora viribus Gotthorum inflatos malis audere: atque, his dictis, inde aciem ad prælium instruit, peditibus in medio, equitibus in cornibus collocatis. Prima luce utrinque concursum est, ubi Romana res superior fuit, & Gotthi sagittis icti cadebant, sed tamen, in locum cadentium succedentibus propere aliis, nulla inclinatio fiebat, demum Gotthi, multis amissis, in castra compulsi se receperunt. In Neronianis autem campis Gotthos sæpe Romani, Valentino duce, lacessiverunt: verum illi haudquaquam se commoverunt, turbam opificum imbellem timentes, ac milites strenuos, qui opifices essent, rati, eosque insidiarum tempus quiescendo expectare arbitrati, inclinante in meridiem Sole, à Romanis repente irruentibus tandem pulsi in proximos colles se subduxerunt, atque inde, cum aliquantisper quievissent, Romanos in castra se recepisse sua conspicati, ex improviso eruptionem fecerunt, & in turbam inconditam, atque in avehenda præda impeditam incurrerunt, eamque partim conciderunt, partim castra sua deserere compulerunt. Dum hæc in Neronianis campis geruntur, alter Gotthorum exercitus quàm proxime castra scutis munitus, dum se ab invadentibus Romanis tuetur, magnam equorum edidit stragem; qua ex re Romani alii vulneribus acceptis, alii equis amissis, prælii ardorem remiserunt; qua re animadversa, Gotthorum equites ex dextro cornu in hostes invadunt, & Romanos ad peditatum se referre compellunt, quem impetum cum sustinere pedites non possent, uno cum equitibus agmine diffugêre, atque, hostibus incumbentibus, cecidere. Pigripio duce in acie post multas res fortiter gestas occiso, Tarmutus dux alter vulneribus plenus aufugit, atque ad portam Pincianam progressus, ibi procubuit, & sublatus à commilitonibus post duorum dierum spatium expiravit: ea re perculsi Romani custodias intentius egere, & portas occlusere, & suos tumultuosius ad portas refugientes, ne simul hostes reciperent, exclusere, quos insequuti usque ad fossas Gotthi, ubi Romanos suorum jam pereuntium auxilio exire viderunt, in castra se receperunt. Romani inde ab summo prælio abstinentes, ad equestres collusiones se retulerunt, atque ita felicius rem gesserunt, cum equitatum pedites sequerentur; hoc modo Bessas, cum in medium processisset, tres equites Gotthorum fortissimos stravit, reliquos in fugam dedit. Constantinus, cum sub vesperam cum Hunnis in campos Neronianos exisset, hostium multitudine circumventus ad pedes cum suis descendit, atque in angustas ad Stadium (16) ferentes vias se recepit: unde Gotthis magnam impune cladem intulit; nam, dimidia suorum parte amissa, fugæ se dare sub occasum Solis coëgit. Post aliquot dies Peranius per Salariam portam egressus, cum, fusis Gotthis, ipse converso impetu fugaretur, Romanus miles in foveam profundam delabitur: unde, cum nec vocem edere, quia in proximo Gotthi erant, auderet, neque ullo pacto suo nixu evadere posset, ibi noctem unam animi anxius mansit; postridie,

(16) Locus in Gymnasiis, ubi populus athletas certantes spectabat, quem Vitruvius post Xystum (de quo alibi) collocat l. 5. 11. Primum autem in Italia à Domitiano constructum, auctor est Sveton. Domit. 5. num. 3., ubi ait, *excitavit & Stadium*.

die, Gotthis rursus in fugam actis, Gotthus A simili casu in eandem fossam est lapsus: ibi ambo in communi periculo socii facti fidem inter se dederunt, se invicem servaturos; deinde ambo vociferari validissime instituerunt; qoibus auditis., cum proximi ad foveam accurrissent, eujusnam ea vox esset, rogarunt, tum Gotthus, Romano de industria subticente (nam ita utrique placuerat) patria lingua respondit, se nuper in eam ex fuga foveam deeidisse, & ut restem demitterent, obsecrare. Illi, demisso fune, eum Gotthum se attrahere ducerent, Romanum traxerunt, ae, caussa calamitatis accepta, inde etiam Gotthum eduxerunt, qui eum suos de fide Romano dati docuisset, enm B impune dimittendum euravit; hinc sæpe utrinque equites exire, & prœlium commissum ad singulare eertamen deducere, fortuna semper Romano favente. Jam Romani ab re frumentaria laborare incipiebant; itaque Gotthi enixe curare cœperunt, ne quid rerum necessariarum in urbem inveheretur, præsidio equitum inter duos aquæductus, qui via Latina sunt, posito, atque munito: eum autem frumenta jam maturescerent, Romanorum audacissimi equis insidentes, & alios vacuos secum trahentes, noctu in segetes haud procul urbe ruebant, desectasque jumento imponebant, atque hostium præsidium fallendo in urbem defere- C bant, ingentique pretio primoribus Romanorum vendebant; ceteri humiliores homines ex herbis vitam quærebant, quales intra mœnta sponte nasci solent, quibus etiam abunde suppetentibus equos alebant; quidam etiam farcimina ex carne morientium jumentorum confecta vendebant, quibus præsidiis deficientibus, Romani, ineunte Autumno, non solum inedia, sed etiam pestilentia laborare cœperunt, (17) qua re cognita, Gotthi à prœlio eum eis eommittendo se abstinuerunt. Per eosdem dies Attalus cum militari stipendio Constantinopoli Tarracinam accessit, qua re audita, Belisarius Martinum, & Valerianum in campis D Neronianis, & à Pancratiana porta equites sexcentos emisit, qui eum occurrentibus Gotthis manum conseruere; cumque utrisque laborantibus subsidia subvenissent, acriore pugna facta Gotthi saucii in castra compulsi: quæ dum fiunt, Attalus cum pecunia Gotthis in certamen aversis, incolumis ab equitibus Belisarii exceptus in nrbem pervenit. Duobus malis, quæ bumana superare natura non potest, fame, ac pestilentia fatigati Romani, petiere à Belisario, ut prœlio uno de summa rerum decerneret, neminem ei se subtracturum; neque enim ad tantas ultra perferendas miserias, aut vires, aut animum superesse. Belisarius eos eonso- E latus, pugnam se differre in adventum exercitus, & classis, qnam Constantinopoli expectabat, respondit, ac proinde, ut malorum acerbitatem subirent, & pugnæ ardorem in id tempus eontinerent, oravit: inde Procopium, à quo hane historiam seriptam tanta diligentia sumpsimus, in Campaniam ad frumentum devehendum, & milites, equitesque colligendos misit, equitesque emisit, ut rerum necessariarum in hostium castra eonvectionem, atque excursionem impedirent, & laxata in urbe penuria eos obsiderent potius, quàm obsidionem perferrent. Antoninam eonjugem Neapolim, ut à tumultu remotior esset, Magnum, & Sinditem duces Tibur, aliosque Albam in præsidium destinavit. Valerianum cum Hunnis prope ædem S. Pauli à Gotthis inviolatam, atque juxta fluminis ripam eonsidere ad hostium excursiones eoërcendas præcepit, atque muros tueri sine eruptione eonstituit; igitur, cum Gotthi necessaria convehere in castra non possent, & ipsi in pestilentiam ineiderunt, quæ magnam vim hominum sustulit. Procopius in Campania milites quadringentos eontraxit, & frumenti maximum numerum in naves imposuit, & una cum Antonina classis euram suscepit. Constantinopoli vero Neapolim pervenerunt tria millia Isaurorum, (18) Paulo, & Conone ducibus; ad Hydruntem (19) vero Thraces equites octingenti, Joanne duce, quos ut incolumes in urbem Belisarius adduceret, prœlio sibi lacessendos hostes à porta maxime aversa putavit; itaque, Flaminiæ portæ mole summota, per Pincianam Trajanum, & Diogenem eum equitibus mille emisit, jussos, ut hostes irritarent, atque ad se insequendum usque ad muros attraherent; quo facto Gotthi provocati è castris omnibus prodiere, atque hos simulatam fugam capientes insequuti, usque ad muros venere, quibus conspectis, Belisarius repente exercitum Flaminia porta eduxit, atque inopinantes adortus ad castra præcipites egit, quæ quo minus eaperet, magna intercedente fossa effectum est. Gotthi inde de victoria desperare cœperunt, partim à pestilentia, partim à Romanis ita afflicti, nt ex magna multitudine ad paucos essent redacti, & verius jam obsidionem paterentur, quàm inferrent, omnibus rebus necessariis interclusi; ubi vero auxilia Romanis Constantinopoli venisse didicerunt, majora etiam, quam essent, fama referente, futuros casus reformidantes, de solvenda obsidione consilium habuerunt, atque ea de re legatos ad Belisarium miserunt, qui in bune modum verba fecerunt: Hoe bellum neutri parti prospere eecidisse, si elades utrinque acceptæ, & viri strenui amissi spectarentur: duces

(17) *Æstivo Solstitio ineunte*, inquit Procop. l. 2. Bell. Goth. 2. cur autem Em. Baronius ad an. 539. illam refert? Anno siquidem 538. Gothi ab Urbe obsidenda discessere, dicente Procopio l. 2. Bell. Goth. 24. *Jam annus circa vernum Æquinoctium se vertebat, in obsidione contritus totus cum diebus praterea novem, quando Gothi castris suis omnibus incensis prima luce, se in viam dederunt.* Atqui Urbs oppugnari cœpta mense Martio an. 537., ut alibi dictum.

(18) In Isauris parum erat collocandum præsidii, quorum vires satis imbecilles visæ sunt in pugna cum Persis, ipsomet Belisario duce, in qua (ut Procop. scribit Bell. Pers. l. 1.) omnes cum ducibus suis cæsi, *cum in hostem arma ne tollere quidem* ausi fuerint; siquidem *ab agricultura* ad ignota sibi belli discrimina transierant, & præ imperitia *districti haerebant*.

(19) Hydruntum Plinio, & Livio l. 36. 21. in Hierosolym Itinerario *Odronto*, nunc *Otranto*; cujus Cic. l. 16. ep. 9 ad Tironem, & Lucan. l. 5. v. 375. meminere; unde brevior in Græciam tractus ad Apolloniatum civitatem, eodem Plinio observante. Est Urbi cum portu.

A ces autem propriæ gloriæ salutem subjectorum præferre debere, atque ita omnes è medio difficultates removere; se venisse, ut de bello dissolvendo agatur, ea præbendo, quæ utrisque sint profutura. Jussi inde dicere, quæ peterent, addiderunt, se injuriam passos à Romanis, quod cùm societate cum eis copulati fuissent, armis sint appetiti. Gotthos Italiam Odoacri, non Romanis eripuisse, idque Zenonem Imperatorem jussisse partim, ut terram suam exoneraret, partim ut Odoacrem alienis armis, ac viribus vindicaret, Italia in potestatem adducta, se leges, ac Rempublicam Romanam servasse. B Theodoricum leges nullas novas tulisse, neque religionem violasse, Templa Romanorum in summo honore habuisse, atque omnibus, qui ad ea confugerint, pepercisse, Magistratus Romanis tantum, Gotthorum nemini detulisse, Gotthos Consularem dignitatem, licet donati ab Imperatore fuissent, respuisse; contra vero Romanos injuste facere, qui Odoacri Italiam inique possidenti permiserint, Vitigi vero optimo jure tenenti adimere velint; quamobrem æquum censere, ut ipsi abeant, & quæ sua sunt, sibi relinquant. Quibus Belisarius, falli eos vehementer, atque errare; nam Zenonem Thedoricum misisse, ut Odoacrem Italia pelleret, non ut sibi Italiam vindicaret; neque enim C ejusmodi ingenio fuisse, ut tyrannum tyranno præponeret, atque eam provinciam tyrannide liberatam sibi subjiceret, Theodoricum parta victoria ingratum se præbuisse: in eodem crimine esse, qui aliena eripiunt, & qui erepta non reddunt: se Italiam Imperatori traditurum, non alteri proditurum: neque injussu ejus de bonis ejusdem staturum: mitterent legatos ad eum, qui hæc deferrent, atque interim res in induciis essent: se ad hæc paciscenda esse paratum. His acceptis, legati ad Vitigem redierunt: inde, legatis ultro citroque sæpius missis, de induciis agitatum. Interea Isauri classem ad portum applicuerunt, & Joannis D milites Hostiam pervenerunt: atque utrique ibi se adversus infestos incursus hostium confirmarunt: cum autem flumen ab hostibus servaretur, per flumen onera subvehi non poterant: accedebat, quòd bobus labore confectis, neque via, quæ est à Portu Romam, trahendi facultas erat; nam altera, quæ est ab Hostia, propter paludes adiri nullo modo poterat: itaque majores lembos delegerunt, & altius circumquaque contabularunt, ut nautæ, vectoresque sauciari non possent, ac, sagittariis, oneribusque simul impositis, prosperum nacti ventum navigarunt, simul militibus, qui in altera erant ripa trahentibus, atque Isaurorum navibus subsequentibus: ubi vero ad locum quemdam spirare ventus desiit, remis nixi rem prospere confecerunt. His repetita sæpius navigatione invectis, nautæ discessere: jam enim hyems imminebat. Datis inde invicem obsidibus, trium mensium induciæ pactæ, cum eo, ut interim ab excursionibus ocium esset, & legati Constantinopoli expectarentur. Eo anno (20) Constantinopoli Justinianus templum magnum Sanctæ Sophiæ dedicavit: quod olim à Constantino Maximo ædificatum, & nuper conflato in seditione incendio consumptum ipse tanta operis magnificentia restituerat, ut se vicisse in eo officio vel ipsam Salomonis gloriam prædicaret. Theodora vero Augusta Romam misit, qui Vigilium Pontificem monerent, ut Anthimum, quemadmodum promiserat, Ecclesiæ suæ restitueret. Cui Vigilius respondit, se haudquaquam adduci posse, ut hominem hæreticum, & ab Agapeto, ac Silverio decessoribus suis damnatum restitueret: quod illa ægre tulit, sed ultionem in aliud tempus reservavit. Postero anno Jo- 538
anne, & Volusiano Consulibus, (21) dum res in induciis erat, Antoninæ gener Hildigerus cum magno equitatu ex Libya Romam pervenit. Gotthi vero, Vitige non invito, oppida Portum, & Centum-cellas ad mare, & Albam in continenti ultro deseruerunt, quòd, mari à Romanis occupato, unde alerentur, non erat. Quibus locis statim à Romanis occupatis, Vitiges per legatos se per inducias injuria affectum expostulavit: eaque nisi redderentur, se impunitam rem nou permissurum ostendit: quos Belisarius illusos dimisit: &, cum circa urbanos vicos equites in hiberna misisset, Joannem Vitaliani sororis filium cum suo equitatu Albam in Picenum ire jussit, monitum, ut, postquam solutas audisset inducias, repente in agrum Picenum excurreret, & Gotthos cum familiis in servitutem adduceret, ac loca munita occuparet. Per eosdem dies (22) Dacius Episcopus Mediolanensis, atque ejus civitatis primores ad Belisarium venerunt, petentes, ut modicum ad se præsidium mitteret, nam Mediolanum, & totam Liguriam ad eum defectionem esse facturam. Constantianus Maxentio pretiosum pugionem abstulerat: qua re Maxentius ad Belisarium delata jus sibi reddi postulabat. Cum autem Constantianus ea de caussa Romam profectus pugionem reddere juberetur, us-

que-

E (20) Conflagrarat Ecclesia illa an. Chr. 532., die circiter 17. Januar., ex quo interfluxere ad ejusdem Dedicationem *anni quinque, menses undecim, & dies decem*, teste Theoph., dedicata enim fuit h. an. die 27. Decemb., ut Teoph. ait cum Continuatore Marcellini. Prior addit, peracta Encænia *procedente supplicantis Populi cœtu, Patriarcha Menna in Imperatoris curru sedente, & ipso Imperatore inter plebem procedente*. De hoc Templo à Constantino M. excitato alibi dictum: *singulariter in Mundo constructum* à Justiniano, inquit Continuator c.

(21) Joannes Cappadox, Ethnicus, & apud Justinianum plurimum pollens, de quo fuse Procop. in Hist. Arc., Bell. Pers. l. 1. 25. isque Auctor fuit cædis Eusebii Ep. Cyziceni. Solus autem absque Collega Consul processit, ut Veteres Fasti omnes. Onuphrius autem, aliique Volusianum Consulem h. an. agnoverunt decepti falsa subscriptione epistolæ Vigilii ad Eutherium, (Lege, *ad Profuturum*) quæ in Concilior. Collectionib his verbis clauditur: *Dat. Kal. Mart., Volusiano, & Joanne VV. Clariss. Coss.* At vetustissimi Codices Colbertini, ap. Baluz. T. 1. Novæ Collect. Concilior. p. 1468., Joannem solummodo exhibent.

(22) S. Dacii Legatio ad Belisar. non hoc anno, sed in præced. fine evenit, teste Procopio l. 2. Bell. Goth. 7. dicente, contigisse anno tertio belli Gothici, *jam anno se ad Brumale Solstitium circumagente*, ac postquam trimestres induciæ Romanos inter & Gothos statutæ; magisque decipitur Bollandus ad diem 14. Januarii scribens, an. 539. Dacium Legatum ad Belisarium venisse.

quo adeo ira est incitatus, ut acinace Belisarium appetierit: quare comprehensus jussu Belisarii est occisus. Manentibus adhuc induciis, Gotthi insidias occulte moliti sunt: quippe silentio noctis homines per aquæductum intercisum immiserunt: qui cum ad medium urbis venissent, & locum eum, unde aliàs in curiam descensus erat, Belisarii providentia obstructum reperissent, lapide quodam extracto, infecta re, discesserunt. Quoniam autem lumen per aquæductum visum à vigilibus Romanis audivit, licet illi lupi oculum se vidisse jactarent, explorari aquæductum præcepit: speculatores, cum lucernarum, & facum vestigia reperissent, & locum notassent, unde lapidem extraxissent, dolum hostium retulerunt: itaque post aquæductus intentiore cura est custoditus. Ubi dolus Gotthis non processit, vis tentata est: quippe hora prandii præter opinionem ad portam Pincianam venerunt, ut, dum omnes aversi in cibum essent, muros invaderent; quos ubi vidit Hildigerus, cum suis occurrit, eosque in fugam convertit: clamore autem excepto cum Romani ad muros advolavissent, Gotthi in proxima castra se receperunt. Ne vi quidem felicem eventum adepta, Vitiges iterum ad fraudem se contulit. Fratres duos Romanos, qui ædes prope Sanctum Petrum habebant, pecunia data, corrupit, ut vinum custodibus ejus loci donarent, & potantibus eis singulis poculis medicamentum ad soporem inducendum, quod ipse dedisset, infunderent: & in altera fluminis ripa lembos cum militibus præparavit, qui, custodibus somno captis, flumen traicerent, & admotis scalis in muros ascenderent: atque in eam occasionem exercitum universum instruxit: sed res ab altero fratre Belisario prodita effectum non habuit: alter frater naso, & auribus defectis ad castra Gotthorum dimissus spem eorum infirmavit. His rebus solutas inducias Belisarius interpretatus, ad Joannem in Picenum misit, ut mandata conficeret: ita ille cum equitibus mille circumvagatus, universa populari, liberos, uxoresque Gotthorum in servitutem adducere, atque omnia ferro, flammaque vastare instituit: & Liteum Vitigis avunculum ad hæc mala prohibenda progressum occidit, ejusque copias delevit. Inde præterito Auximo, (23) & Urbino, quòd munita oppida essent, Ariminum accessit, idque, Gotthis metu abeuntibus, cepit: qua re audita, Vitiges in timorem Ravennæ amittendæ adductus, (jam enim trium mensium induciæ exierant,) Roma discedere, & se Ravennam referre constituit, ac, castris omnibus incensis, legatorum reditu non expectato, abire cœpit. Procopius, & post eum omnes anno continuo, & novem dies urbem obsessam scripserunt. (24) Quo constituto, cum cœpta obsidio Martio mense fuisset, sane apparet, eandem Martio quoque mense solutam esse: quod monui, quia verba Procopii ingentibus involuta tenebris sunt. Belisarius, ubi dimidiam hostium partem pontem Milvium transisse animadvertit, Pinciana porta egressus, eos, qui nondum transiverant, invasit, ac, prœlio commisso, multos occidit. Quo tumultu dum primus quisque pontem evadere nititur, in angustias adducti gravissime conflictantur, & à Romanis impulsi in flumen sese ex ponte demittunt. Tandem his elapsus angustiis Vitiges item Ravennam versus intendit, & cum præsidia in oppidis Tusciæ imposuisset, Clusio, Urbeveto, (25) Tuderto, & in Piceno Petra, Auximo, Urbino, & Monteferetro, ad recuperandum Ariminum maturavit: quo cognito, Belisarius Hildigerum, & Martinum cum mille equitibus præmisit: qui in itinere, Petra expugnata, Anconem accesserunt, &, præsidiariis assumptis, tertio die Ariminum pervenerunt, & Joanni mandata Belisarii ediderunt: atque, ibi relicto peditatu, cum armigeris recesserunt. Non multo post Vitiges Ariminum progressus oppugnationis caussa ligneam turrim urbis mœnia altitudine superantem instituit, eamque non boum, ut ante, sed hominum auxilio movit, ac ea proxime muris admota per noctem quievit: ea nocte Joannes urbe cum fabris egressus, fossam è regione turris effodit, & terram muros versus egessit: quod ubi postera Vitiges sensit, eam fascibus adductis explevit, & turrim promovit, sed fascibus subsidentibus, &, loco ex egesta terra acclivi facto, ad muros admovere non potuit: hac re animadversa, Joannes milites suos eduxit, ac tanto Gotthorum cum detrimento cum eis conflixit, ut posthac Gotthi à murorum oppugnatione destiterint. Interim Belisarius iis, qui ad se Mediolano venissent, mille militum, duce Mundila, dedit: qui cum portu solvissent, Genuam pervenerunt; inde, lembis in plaustra impositis, ut iis Padum traicerent, terra iter fecerunt: quo trajecto, ad Ticinum accesserunt, & cum Gotthis occurrentibus adeo prospere conflixerunt, ut, eis fugatis, oppido prope potiti sint. Inde Mediolanum cum tota ferme Liguria concessit in ditionem: qua re cognita, Vitiges maximas copias in Liguriam misit, & Theodebertus Rex Francorum mille Burgundiones, qui se sua sponte venisse dicebant, summisit: nam Francos mittere noluit, ne fœdus cum Imperatore fregisse diceretur. Ab his omnibus Mediolanum obsideri est cœptum, (26) & commeatus in urbem comportatio impedita.

Mun-

(23) Ita antiquum nomen Urbi in Mediterraneis Piceni, ex Cæsare, Civ. l. 1. 12., Vellejo Paterc. l. 1. 15., & Plut. in Pompejo p. 621. Ausimum dicitur in Tabula, & ap. Balbum de Limit. habetur, ager Ausimatis. Est autem prima ab Æsi civitas.

(24) Repete, quæ superius dicta de tempore obsessæ Urbis, ubi Procopii verba referuntur. Auctor vero N. verba Procopii, rerumque ab eo narratarum seriem recte intellexit, consignans h. an., & mense Martio solutam obsidionem: si quæ vero obscuritas in Procopio ipso, hæc ex insigni transpositione in textu oritur, quam V. apud Pag. ad an. Chr. 538. num. 2. 3., & seqq., eamque mendosam esse ordo ipse eventuum Procopianus luculenter ostendit; quod si advertisset Cointius, non conjecisset in an. 537. Gothorum discessum ab Urbis obsidione.

(25) Urbiventum dixit Procopius l. 2. B. Goth., Plinio Herbanum videtur fuisse inter Hetruriæ oppida memoratum ab eod., supra quod ad Clanem quoque flumen est Clusium. De Urbeveto L. Paul. Diac. l. 4. 33.

(26) Hoc quidem an., postquam autem Belisarius præsidium misisset, teste Procopio l. 2. Bell. Goth. 13., qui eâdem obsidione narrata statim subdit, cum hyeme exiisse annum Gothici

Mundilas, quas secum adduxit copias, in vicina Liguriæ oppida Comum, Novariam, & alia, quæ deditionem fecerant, misit; ipse vero cum trecentis tantum Mediolani substitit, ex quo cives ipsi murorum custodias agere invicem sunt coacti: quo cognito, Belisarius Martinum, Uliaremque cum non modica militum manu subsidio misit. Inde, cum se æstas in Autumnum vertisset, paucis Romæ ad custodiam relictis, adversus Vitigem Ariminum obsidentem contendit, atque in itinere Tudertum, & Clusium deditione recepit. Vitiges autem milites ad obsidendam Anconam misit, quibus ut se Conon Præfectus vidit circumsederi, urbe ad prœlium egressus non sine magno damno se recepit, ac Gotthos mœnia adortos vix repulit. Interim venit Narses (27) homo eunuchus, sed acer, ac prudens, cum quinque Græcorum millibus, & duobus millibus Herulorum à Justiniano Belisarii auxilio missus, & cum eo ad oppidum Firmum copias junxit: quo facto, Belisarius Aretium Auximum misit, quod à Gotthis tenebatur, jussum, ut intra castra se contineret, neque prœlio hostem lacesseret, ac literis Joannis certior factus, omnium rerum necessariarum summam Arimini penuriam esse, consilio habito, ex Narsetis auctoritate cum exercitu terra Ariminum iter intendit, ac classem mari subsequi jussit. Hunc vero ut Gotthi, qui in obsidione erant, ex collibus descendentem videre, & ab altera parte classem adventantem audivere, soluta obsidione, fuga Ravennam se contulere. Castris statim ab Hildigero captis, Joannes, & socii macie confecti occurrerunt, qui cum accepissent, se Narsetis consilio obsidione exemptos, Narseti se, non Belisario vitam debere fatebantur, eumque eximiis laudibus, Belisario exæquantes ferebant, quos Belisarius ita appellavit, ut nihil adhuc effectum esse doceret; nam Vitigem cum multis hominum millibus Ravennæ consistere, Urajum Mediolanum acrius obsidere, Auximum firmissimo præsidio teneri, Francos in Liguria cum Gotthis societate conjunctos versari, quamobrem placere, ut copiæ aliæ Auximum, aliæ Mediolanum mittantur. Narses autem, qui favore militum Joannis inflatus obedire Belisario detrectabat, utilius sibi videri respondit, ut Ravenna, & Æmilia recuperaretur. Qua re Belisarius indignatus literas Justiniani protulit, quibus ipsum pecuniæ custodiam habere, non exercitibus præesse jubebat, ac sibi soli belli administrationem mandabat. Qua re constituta, Peranium ad Urbevetum obsidendum misit, ipse Urbinum accessit, & se Narsetem, ac Joannem subsequi imperavit: eò vero ubi venit, legatis, quos de deditione miserat, repudiatis, urbem oppugnare constituit, quod consilium Narses ita respuit, ut protinus inde Ariminum se retulerit. Tertio post die, aqua ex fonte, qui unicus Urbini erat, repente evanescente, Gotthi exterriti, subito deditionem fecerunt, ea conditione, ut, incolumitate accepta, Justiniano stipendia facerent. Qua re audita, Narses Joannem Cæsenam ducere jussit, qui ab ea depulsus Forum Cornelii prodiit, ac, cedentibus Gotthis, Æmiliam universam recepit. Belisarius ineunte hyeme, Urbino recepto, & Auximo, ut ad expugnandum difficillimo, relicto, Aretium cum magna parte exercitus Firmum hibernatum dimisit: ipse vero Urbevetum processit, Peranii verbis inductus, qui Gotthis eum locum tenentibus necessaria defecisse nunciabat: ex quo in spem venerat, si ad eam necessitatem Belisarium quoque in se venientem vidissent, sese è vestigio dedituros. Belisarius autem, castris positis, urbem lustravit, ut cognosceret, sicunde oppugnatio institui posset: quam rem magnam habere difficultatem judicavit: ratus tamen, eos fame domitos in ditionem esse venturos, substitit: at Gotthis non omnino necessaria deerant, tametsi parcius iis uterentur, quàm naturæ necessitas postulabat; nam in singulos dies tantum cibi sumebant, quantum satis valeret, ne inedia interirent; postquam autem cibariorum inopia premi cœpere, madefactis aqua coriis vesci instituêre, vana spe à Præfecto Arbila sustentati. Interim Martinus, Uliaresque à Belisario Mediolanum missi, cum ad Padum pervenissent, de transitu consultantes, tempus consumebant. Hoc cognito, Mundilas Mediolano Paulum quendam ad eos destinavit, qui hostes frustratus, cum ad ripam venisset, nullo invento lembo, amnem tranavit, atque eos ad flumen trajiciendum sine intermissione concivit, quantum momenti in ea urbe ad victoriam esset, ostendens. Martinus autem se statim subsequuturum esse pollicitus, non tamen loco se movit, excusans, quod exercitus multitudinem Gotthorum, & Burgundionum, quæ erat in Liguria, extimesceret, & ut ad se Joannem, & Justinum cum suis copiis ex Æmilia mitterent; nam conjunctis viribus hostes non reformidaturum. Belisarius id præcepit, sed Joannes, & Justinus nihil se Narsetis injussu facturos dixerunt; itaque cum Narses rogatus à Belisario mandasset, ut irent, Joannes navibus ex maritimis locis contrahendis se

thici belli tertiam. Obsidio longius quidem extracta, quam A. N. putavit, qui & hoc eod. anno Mediolani deditionem, & Romanorum strages à Gothis editas evenisse putat; cum tamen Procopius c. 21. eadem narrans scribat, annum quartum belli Gothici exiisse; unde & Continuator Marcellini ad an. 538., Joanne sc. Cos., Orajum Vitigis Nepotem Mediolanum longa inedia attrivisse, ait: ad an. vero 539., Appione nempe Cos., tradit, Gothos Mediolanum ingressos diruisse muros, prædaque potitos necem Romanis omnibus intulisse.

(27) De quo Corippum Grammaticum Africanum in laudib. Justin. l. 3., & 4. in fin. locutum fuisse plerique existimarunt: at Narses, de quo Poeta, sub Mauricio Dux militum fuit, tantoque Persis terrori fuisse dicitur, ut Persarum infantes vix audito Narsetis nomine contremiscerent. L. Theophylact. in Historia Mauriciana, & Theophan. ad an. 6. Justini Jun. Duo alii imperante quoque Justino Narsetes memorantur à Procop. l. 2. Bell. Goth. 13., & quidem Persarmeni; ait enim Procop. Erat *Narses Spado, & Sacrarum Largition. Comes*, & cet., atque hic Narses de quo in præsenti loquitur A. N., cujus gesta in Italia adversus Gothos Marius Aventicensis recenset ad an. secundum Justini Jun., & Paul. Diac. l. 2. 4. Fuit etiam *Narses alter*, (verba sunt Procopii c.) *qui ex Armeniis Persæ subditis ad Romanos transfugerat olim cum Aratio fratre*: hic autem Aratii, & Isacii frater in Persico bello occubuit sub Justino, ut auctor est Procopius l. c. 25.

se tradidit, atque interim in morbum incurrit. Dum autem Mediolanenses auxilium frustra sibi mitti expectant, interim propter ciborum inopiam canibus, & muribus, & ceteris obscœnis, quæ nunquam esui fuere mortalibus, vescebantur: quo cognito, Urajas legatos ad Mundilam misit, pollicens omnibus incolumitatem, si se dedere vellent, cui ille respondit, se facturum, si eadem civibus quoque impunitas foret, ac militibus ad concionem vocatis ita loquutus est, ut eos ad prœlium fortiter capessendum, & mortem pro libertate obeundam adhortaretur; quam orationem cum miles nemo acciperet, conditionibus, quæ ferebantur, acceptis, deditionem fecerunt, quarum nullam Gotthi servarunt; nam & milites cum Mundila Præfecto in custodias tradiderunt, & urbem solo æquarunt, & trecenta millia virilis sexus, nulla ætatis ratione habita, occiderunt, & fœminas servorum loco Burgundionibus donarunt. Reparatum autem, qui fuerat auctor defectionis, minutatim concisum votandum canibus objecerunt. Burgentinus ejusdem culpæ particeps, cum in Venetiam, atque inde in Dalmatiam profugisset, postremo ad Imperatorem se contulit. Martinus, Uliaresque Romam se recepere. Eodem anno Vitiges verens, ne Belisarius, ineunte vere, Ravennam invaderet, Bacchem Longobardorum Regem pecunia oblata ad socianda arma solicitavit, eaque re non impetrata, legatos ad Chosroëm Persarum Regem de renovando Justiniano bello misit, atque obtinuit, (28) itaque Belisarium Justinianus sibi revocandum putavit, &, legatis Vitigis dimissis, se legatos missurum de fœdere componendo promisit, quos Belisarius, cum ad se prius venissent, non ante dimisit, quàm Gotthi Justiniani ad se legatos dimisissent. Eodem anno frumentum in agris Italiæ sua sponte maturavit, sed minore, quàm ante, copia, ut quod neque satum, neque humo contectum esset, sed propter nimiam maturitatem in terram excidisset. Hinc inopia Mediolani subsequuta, Cassiodorus Vitigis Regis nomine scripsit ad Dacium Mediolanensem Episcopum: *Sanctitatem vestram petimus, ut de horreis Ticinensibus, & Dertbonensibus panici speciem, sicuti à Principe jussum est, tertiam pensionem esurienti populo ad viginti quinque modios distrahi sub nostra ordinatione faciatis*: scripsit

A etiam Dacius ipse, tanta tum in Liguria ciborum penuria laboratum, ut matres famis impotentes rabiem ejus in liberos exercuerint. Hæc penuria cum Æmiliam quoque oppressisset, incolæ, propriis sedibus relictis, in Picenum abierunt, majorem ibi copiam propter maris opportunitatem se inventuros sperantes. Tusci eadem de caussa inopia pari afflicti in montibus panem è glandibus commolitis confectum esitarunt: unde vulgatis morbis plerique absumpti sunt. In Piceno non minus quinquaginta millia hominum perierunt, & extra Ionicum sinum multo plures: nam, deficiente cibo, omnes maciem, ac pallorem eximium contrahebant:

B fel autem nimium abundans, cum corpora ipsa vi sua infecisset, haudquaquam sinebat suo pristino cursu venas defluere: cutis præterea obdurata corio persimilis erat, utpote ossibus ipsis inhærens, & colore livoris in nigredinem commutato: unde homines facibus exustis similes videbantur, eorumque facies stupida, & torvus, ac furiosus aspectus erat: passim igitur moriebantur partim inedia, partim saturitate: nam, calore omni extincto, quem natura intus exusserat, si quis eos fortasse ad satietatem explevisset, quòd ingestos minus digererent cibos, celerius interibant. Fuere qui, fame cogente, se invicem conficerent. Feminæ

C etiam duæ viros septemdecim interfectos absumpserunt: hæ namque, cum solæ domi, ceteris mortuis, superfuissent, divertentibus ad se peregrinis, & per noctem dormientibus interfectis vescebantur: cum autem eum numerum oppressissent, octavus decimus somno excitatus, conatis earum præcognitis, eas necavit. Vigilius Pontifex monitus est à Belisario, ut Anthimum restitueret, & duo promissa centenaria (29) redderet: quorum alterum timore Romanorum, alterum avaritia obcœcatus se facturum negavit. Justinianus autem precibus Episcopi Patarensis adductus, jussit, ut Silverius Romam reduceretur, & judicio de literis ab eo scri-

D ptis constituto, si veras eas fuisse probatum esset, in quacumque ei civitate esse liceret, si falsas, ut Sedi suæ, expulso Vigilio, redderetur. Silverio in Italiam reverso, Vigilius ne sedem amitteret, veritus se omnia, quæ promiserat præstiturum, Belisario affirmavit, si sibi Silverium tradidisset: (30) ita Belisarius Silverium duobus Vigilii defensori-

(28) Procop. l. 2. Bell. Persic. 2., Legatos missos ad Chosroen duos *Ligures Sacerdotes pecunia ad id magna inductos*, eosque Regi significasse, Justinianum Terrarum Orbis Universi Imperio inhiare, & everso Gothico Regno in Persas arma moturum. Sed Persæ non ante annum 539. bellum cœpere; nam Procop. c. 4. ait: *Placuit* (Persis) *inferre primo vere Romanis arma. Erat autumnus, agebatque annum Imperii Justinianus XIII.*, qui in præfat. Chr. annum incidit. Quod notandum, cum A. N. annum cœpti belli Persici non exprimat.

(29) Quæ singula centum librarum ponderis erant, ex Isidoro l. 14. Origi. c. 24. Ita & Centenarium æris usurpatur L. 3. Cod. Theod. de Collat. æris; ap. Paul. quoque Vvarnefridi l. 3. de Gest. Langob. 12., aliosque. Auri centenaria passim memorant Scriptores Byzantini, Theophanes, Procop, Nicetas, & cet Quæ centenaria persolvere renuit Vigilius fortasse non quia obcæcatus avaritia, ut A. N. inquit, sed quia Leges Ecclesiasticas non ignorabat, quibus Simoniæ piaculum acriter perstringebatur, & quemadmodum mutato animo Anthimum restituere noluit, ita & promissis solvendæ pecuniæ non stetit; cœpit enim se pœnitere præteritorum criminum, ut mox dicendum.

E (30) Liberatus hæc tradit cum Anastasio, licet ille in Palmariam, hic in Pontiam insulam relegatum Silverium tradat, quod ex utriusque insulæ vicinia ortum. Silverii vero mortem, quam Liberatus Vigilio, Antoninæ Belisarii uxori Procopius adscribit, Hist. Arc. I., ubi de eadem locutus subdit: *Fuit illi minister sceleris quidam ex famulis, Eugenius nomine, qui & commissi contra Silverium piaculi* (illatæ sc. mortis) *satelles fuerat*. Ex modo autem loquendi frequenter à Procopio usurpato, ferro, aut alia consimili arte necatum colligitur: inedia attritum tradit Liberatus ex aliorum dicto: sed potior Procopio fides, qui videre id potuit.

foribus (31) tradidit: à quibus in Palmariam, sive Pontiam insulam deportatus, ibi inedia maceratus XII. Kal. Julii (32) expiravit, ut Liberatus in Libro de Conciliis
539 tradidit. Appione inde Consule sine Collega, Belisarius ignarus eorum, quæ in Liguria accidissent, exacta hyeme cum in Picenum duceret, cladem Mediolani cognitam magno dolore animi tulit, & Uliarem in suum venire conspectum vetuit, remque, ut acta fuerat, ad Justinianum scripsit: qui postea, Narsete revocato, solum Belisarium bello præfecit. Heruli vero, profecto Narsete, negantes se militare Belisario velle, cum abirent, in Urajæ exercitum inciderunt, ac, pro pace redimenda, captivos, ac prædam reliquam tradiderunt, accepta pecunia jurantes, se nunquam in posterum Gotthos oppugnatum venturos. Post hæc Belisarius, consilio Auximi, ac Fæsularum recipiendarum explicito, Cyprianum cum idoneo militum numero ad Fæsulas misit, ipse Auximum sibi deposcens Joanni negotium dedit, ut curaret, ne Urajas Mediolano egressus in se rediret: qui Derthonam nullis mœnibus cinctam nactus, ibi castra posuit, Auximum vero, ubi robur Gotthorum in præsidio erat, profectus, Gotthos ex alto in suos dispersos sub noctem, dum castrametatur, se inferentes cum magno utriusque partis detrimento sustinuit, &, quoniam expugnari urbs non poterat, obsidionem admovit: multa inde, eaque eventu vario prœlia facta, dum Gotthi ad pabulandum in agrum non longe à muris irent, quo nec carere illi, nec prohibere hi poterant. Cum autem post aliquot dies inclusi ad alimentorum inopiam devenissent, nuncium decepto hac arte Belisario emisere: quippe clamorem, ut in capta urbe, maximum ediderunt, ac Romanos, quid id rei esset, incertos ab exploratione viarum ad custodienda castra traxerunt; sic nuncius Ravennam profectus Vitigi, ut sibi subsidio veniret, literas reddidit, quibus ille se mature venturum spopondit, sed tamen non præstitit, Joannem, ne se à tergo adoriretur, metuens, simulque Belisarium, penes quem Romanorum esse robur sciebat, neque propter inopiam necessaria subministrare exercitui poterat, cum Romanis mare obtinentibus ex Ancona, Sicilia, & Calabria commeatus abunde suppeterent. Fæsulis à Cypriano, & Justino circumsessis, Gothi eruptione facta repulsi sunt: inde inclusi adeo diligenter asservati sunt, ut exire non possent, sed tamen frustrati custodias, nuncium ad Vitigem implorantes auxilium emiserunt. Vitiges Urajæ mandavit, ut cum exercitu, quem habebat in Liguria, in Picenum transiret, qui, trajecto Pado, proxime Romanos consedit, nec tamen ab ullo prœlii initium factum est. Interim Franci (33) afflictas Gotthorum vires audientes, cupiditate occupandæ Italiæ exarserunt, ac fœderis cum Gotthis, & Romanis icti obliti, cum centum hominum millibus, Theodeberto Rege duce, in Liguriam descenderunt, ac, Pado transmisso, ad castra Gotthorum venerunt, qui eos tanquam socios (34) auxilio venisse rati, hilariter exceperunt; verum mox castris exuti Ravennam se trepido agmine contulerunt. Franci binis castris, sed sine milite, potiti, res necessarias inventas brevi absumpserunt, & carne bovilla, & aqua Padi repleti, (neque enim aliud in iis locis esculentum, aut potulentum erat,) statim dissenteriæ morbo correpti sunt, ac tertia pars perierunt. Belisarius ubi Francos adesse, & Joannem, Martinumque victos fugam cepisse audivit, literas ad Theodebertum scripsit, monens, ut fœdus servare, neque Imperatorem bello lacessere vellet: quibus lectis, Theodebertus pudore captus, multis ex suis amissis, domum repetiit. Gotthi, qui Auximi obsidebantur, Burgentio Romano custode corrupto, alteras ad Vitigem literas miserunt, necessitates suas exponentes, quod ne herbam quidem circa pomœrium attingere sine sanguine possent; quibus Vitiges respondit, se adhuc Francorum incursione deterritum subvenire non potuisse, verum se in tempore non defuturum: quo venire cunctante, iterum Burgentium miserunt, se tantum ad quinque dies sustinere posse significantes, quibus idem quoque responsum est datum. Belisarius autem miratus, hostes tandiu sine deditione se sustinere, Valeriano explorandi negotium dedit, qui Sclavinum quendam virum aerem, ac validum aliquem ex hostibus capiendum misit: ille vero in collem, ubi quotidie pro pa-

(31) Defensores Ecclesiarum passim memorantur in Conciliis African., iique ex ordine Clericorum. V. Codic. Canon. Afric. 97., Conc. Milevit. II. c. 16, & cet. Defensores Eccl. Rom. præter pauperum curam Ecclesiæ defensioni, & utilitati invigilabant. V. formulam Defensoris constituendi ap. Gregor. M. l. 4. ep. 25, l. 7. ep. 66., Cassiodor. l. 9. 15. Mittebantur insuper à R. P., ut Apostolicæ Sedis præsidium implorantibus præsto essent, ut ex Gregor. c. l. 1. Dial. 4., l. 4. ep. 4, & passim alibi: curabant item R. E. patrimonia, ex eod.

(32) Ita Anastasius, & recte h. an., hinc decipiuntur qui ex pseudoepist. Silverii ad Vigilium (de qua superius), ad an. 540. Silverii obitum retulere, conjiciendum in annum 538., ut ex Anastasio ipso, Orderico l. 2., & Luitprando constat. Repete quæ alibi de die, & tempore Ordinationis Vigilii dicta.

(33) A. N. feliciter assecutus est Procopii mentem, huic anno consignans Francorum in Italiam expeditionem; is enim l. 2 Bell. Goth. 25. referens gesta an. quinto Belli Goth., qui anno præsenti respondet, eamdem narrat. L. Marium Avent. ad Consulat. Appionis, & Continuatorem Marcellini; ex quibus patet, quintum belli Goth. annum non convenire cum an 540, sed cum præcedenti, iisque Chronologis facem præferentibus anni Procopiani usurpati pro annis belli Gothici numerandis facile intelliguntur, quamvis in Procopii textu quædam præpostere narrari videantur, Librariorum errore, cujus alibi mentio fuit.

(34) Francos tunc non modo fœdifragos fuisse tradit Procop. l. 2. Bell. Goth. 25., verum etiam, eos, ponte occupato, (Padi scil. ad Ticinensem urbem) quos ibi invenere Gothorum liberos, & uxores immolasse, eorumque corpora in fluvium tamquam belli primitias projecisse tradit, idque ex superstitione fecisse. Sed impium hunc ritum non Francis tribuit Agathias scriptor coævus l. 2. Hist., sed Alemannis plerisque, qui Theodeberto subditi erant, quique in re publica administranda Francorum politiam servabant; at erant falsorum Numinum cultores. L. eumd. Agathiam l. 2., ubi quam religiose in Italia se gesserint Franci invenies, Alemanni vero quam erga Templa irreverenter, utpote ethnici.

pabulo pugnabatur, profectus, Gotthum pabulatum egressum ex insidiis comprehendit, ac robore superior in castra vel reluctantem detulit, qui rogatus, qua spe Gotthi dedere se recusarent, quæ per Burgentium Romanum acta essent, aperuit, cujus indicio Burgentius captus, atque confessus in conspectu hostium est crematus. Erat fons procul ab urbe lapidis jactu, unde Auximates aquam hauriebant: hunc eis usum adimere inde cupiens Belisarius, simulata oppugnatione urbis architectos cum dolabris ad demoliendum opus immisit: hostes vero ubi se illudi senserunt, in eos, qui fontis opus deturbabant, se converterunt, & cum Romanis auxilio suorum accurrentibus prœlium atrox commiserunt, in quo multi utrinque, sed plures ex Romanis ceciderunt, & ferme Belisarius vulnus accepit: dirempto prœlio, compertum est, ne lapidem quidem unum ex structura fontis esse excisum propter miram artificum in ea compaginanda solertiam. Inde Belisarius, ut eos fame conficeret, vigilias agi diligentius jussit: ex quo ad extremam eos rerum omnium difficultatem adduxit. Interim Fæsulani inopia cibariorum compulsi, & auxilii desperatione debilitati, pacta incolumitate, Joanni, & Justino se tradiderunt: qui, præsidio ibi relicto, Auximum contenderunt. Quo facto, Belisarius Gotthorum duces, qui, Fæsulis captis, ad se transierant, Gotthis ostendit, &, ut tandem insanire desinerent, monuit: qua re exterriti petierunt, ut, salvis corporibus, ac fortunis, sibi Ravennam abire permitteret: quod illo abnuente, demum eo descenderunt, ut, parte bonorum tradita, Justiniano stipendia facerent: atque in hæc fide data, partitisque rebus, Auximum Romanis est deditum. Hac parta victoria, Belisarius inde Ravennam animum contulit: ac primum Magnum cum modico exercitu præmisit, ut alteram ripam Padi asservaret, ne Gotthi commeatum subvehere possent: deinde alteram Vitali custodiendam dedit, mox ipse Ravennam accessit. Interim Gotthi contractas in Liguria naves rebus necessariis repleverunt, ut eas Pado Ravennam adducerent; sed deficiente, (quod nunquam ante acciderat,) aqua, detenti cum oneribus à Romanis oppressi sunt: inde flumen navigabile factum: eaque res miraculi loco est habita. Hac de re Gotthi flumine, marique interclusi statim laborare ab re frumentaria cœperunt: quibus rebus cognitis, Theodebertus Rex Francorum legatos ad Vitigem misit, verbo, ut societatem jungeret, re, ut, eis deceptis, loca Italiæ occuparet: qua re prærepta, & suos quoque Belisarius misit: tum, Concilio Ravennæ instituto, Franci ita loquuti, se mittere Vitigis auxilio quinquies centena millia ex fœdere: petere autem, ut secum jungantur adversus Romanos, qui pares esse non possint. Romanos barbaris omnibus esse infestos: si inter se convenerit, barbaros posthac summa concordia Italiæ imperaturos. Deinde Romani ita subsequuti; se multitudine Francorum non perterreri, ut qui scirent, virtutem haudquaquam multitudine superari. Imperatorem certe nunc militum numero antecedere: quàm sancte fidem colant Franci, Burgundiones, Thuringos, & ipsos demum Gotthos docere posse: rogare autem illum, per quem Deum fidem suam sint firmaturi, cum eum, per quem juraverint, violaverint? Utrisque auditis, Vitiges ex suorum consilio cum Imperatore potius sibi paciscendum, quàm cum Francis, putavit. Itaque Gotthi, & Romani pacis componendæ caussa inter se sine metu congredi cœperunt. Belisarius tamen diligenter cavere, ne quid Ravennam commeatus inveheretur: &, cum horrea plena frumenti Ravennæ esse didicisset, cive quodam corrupto, illi incendium inferri curavit; fama tamen fuit Matasuentæ imperio deflagrasse: eo facto, Gotthi à Deo potius se, quàm ab hominibus oppugnatos duxerunt. His actis Gotthi, qui Alpes tuebantur, Sitige duce, ad Belisarium defecerunt. Urajas autem, cum ex Alpium, & Liguriæ præsidiis quatuor millia collegisset, eaque ad Vitigem adduceret, Sitigem, qui defecerat, & Romanos, qui receperant, circumsedit; qua re cognita, Joannes, & Martinus circa Padum sedentes Romanorum auxilio accurrêre, & ab Uraja exercitum avertêre. Jam Belisarius Vitigem, & Gotthos in urbem compulerat, cum legati Constantinopoli venerunt, ut cum Gotthis pax his conditionibus fieret: Ut Vitiges dimidium opum regiarum sibi haberet, & Transpadanis locis præesset, alia omnia Imperator teneret Vitigem hanc pacem amplectentem Belisarius ægre tulit, quod hoc modo victoria integra è manibus eriperetur, & legatis ad se Ravenna reversis negavit, se sua manu conditiones illas esse confirmaturum; ea re audita, Gotthi sub nomine pacis insidias sibi conflari dixerunt. Qua voce offensus Belisarius, omnibus suis convocatis, rogavit, num pacem hanc Gotthis dare, an bellum jam profligatum conficere, interesse magis Reipublicæ existimarent? Tum principes in sententiam Justiniani descendentes jussu Belisarii scripto mandarunt, pacem esse faciendam, quod hostes expugnari non possent. Interim Gotthi fame conflictati à Vitigis se removere imperio instituerunt, ut qui pessime rem gessisset, & suam ad Imperatorem defectionem differret: in primisque timere cœperunt, ne victi tandem Ravenna Constantinopolim transferrentur; itaque, consilio habito, Belisarium Regem Italiæ appellare constituunt, & occulte ad eum, ut imperium suscipere velit, mittunt. Belisarius injussu Imperatoris se id negavit facturum, ut qui à tyranni nomine abhorreret, & se nihil innovaturum sacramento interposito promisisset, atque hoc idem etiam consilium Vitiges approbavit. Tum Belisarius convocatos principes rogavit, num præclaram rem censerent esse, Vitigem, Gotthosque in ditionem venire, & eorum bona prædæ esse, & Italiam Romanos recuperare? illi præclarissimam esse responderunt, idque ut expleretur, precati sunt: itaque Vitiges, & Gotthi, cum præ fame se diutius sustinere non possent, legatos ad Belisarium miserunt, palam de deditione loquuturos, clam vero de fide salutis accipienda, &, ut Belisarius, Regno accepto, Ravennam iniret, acturos. Belisarius, ceteris rebus omnibus pro Gotthorum arbitriu confirmatis, de Imperio suscipiendo se apud Vitigem, & Gotthorum

pri-

A primores juraturum ostendit: atque Bessa, Joanne, Narsete, & Arerio sibi infensioribus alio per speciem parandi commeatus ablegatis, ipse cum reliquo exercitu Ravennam contendens, naves frumento, & rebus necessariis oneratas confestim ad Classem Ravennæ portum deduci jussit, atque inde urbem intravit. Gotthorum uxores, quæ Romanos corporis magnitudine excellere audierant, ubi eos exiguæ staturæ viderunt, de eis contemptim loqui, & viros suos conspuere, atque eis pusillos viros ad ludibrium ostentare, & socordiam, atque animi mollitiem identidem objectare, quòd tantulis hominibus concessissent. Belisarius Ravenna B potitus, (35) Vitigem honorifice custodiri mandavit. Gotthos verò circumpadanos in agros singulos dimisit, nihil inde hostile metuens, quod maximam exercitus sui partem ibi collocavit. Regiam pecuniam cum cura asservavit, ut ad Imperatorem deferre posset. Gotthorum neminem spoliari permisit. Gotthi ceteri sua præsidia dediderunt. Ildobaldus Veronæ Præfectus, eum ad tradendam Veronam misisset, tamen hac de caussa non tradidit. Justinianus enim sive multorum vocibus Belisarium de affectata tyrannide (36) criminantium motus, sive bello à Chosroe Persarum Rege (37) renovato coactus, per eos dies Belisarium in Græciam C revocavit, atque Italiam Bessæ, Joanni, & Constantiano administrandam concessit. Hac re audita, Gotthi, qui Belisarium regnum suscepturum putaverant, ubi discessum parari, & se destitui cognoverunt, in Picenum ad Urajam ex sorore Vitigis genitum convenerunt, &, præsenti complorata fortuna, ipsum sibi regem delegerunt. Urajas eam dignitatem aspernatus est, vel quia ex infortunata Vitigis familia, & apud Gotthos contempta esset, vel quia impietatis crimen horreret, si viventis avunculi principatum invaderet: suasit autem, ut Ildobaldum Visigotthum ad regnum veherent, virum præstantem, atque industrium, qui D Thenda Visigotthorum in Hispania Rege avunculo uteretur. His dictis assensi, Ildobaldum ad se Verona evocarunt, & ad se profectum purpura induerunt, & regem maximo cum plausu salutarunt. Tum ille, se suadere dixit, ut legati ad Belisarium mittantur, qui rogarent, num veteribus

A stare conditionibus vellet? & se ab eo destitui quererentur: si assentiretur, Ildobaldum ad eum accessurum, & vestem regiam positurum, eumque tamquam Regem Italiæ veneraturum: quibus respondit Belisarius, se, Justiniano vivente, numquam regium nomen laturum; atque inde Constantinopolim cum Vitige Rege, & Matasuenta uxore ejus, prædaque ipsa regia redire contendit.

## ILDOBALDUS REX.

Postero inde anno, qui fuit quingentesimus quadragesimus à Christo nato, Ju- 540
B stino Germani filio Consule (38) sine collega, Justinianus Vitigem ad se deductum cum uxore honorifice excepit, & Gotthos pro eximia corporum magnitudine, ac specie miratus, gazas regias in Curia Senatoribus visendas exposuit. Belisarium omnibus honoribus prosequutus, triumphare non permisit. Erat tamen in omnium ore, ut qui duas victorias retulisset, quales nemo ante vidisset, & reges duos captivos adduxisset, & opibus ærarium locupletasset; itaque populus eum studiosè intuebatur in forum quotidie prodeuntem, aut se de foro recipientem, Vandalorum, Maurorum, & Gotthorum ingenti caterva stipatum: ad C hæc magnitudo, & pulchritudo corporis eum honestabat, & mira comitas, ac facilitas acceptiorem omnibus reddebat. Interim Præfecti Italiæ omnia ad privatam utilitatem referre, & subjectos libidini militari permittere, nec milites dicto audientes habere: Ildobaldus autem, postquam audivit, Belisarium Ravenna profectum esse, Gotthis, & Romanis rerum novarum studiosis accitis, quæ ad firmandum imperium pertinerent, curavit, & dominationem Italiæ Gotthis recuperare constituit; cumque à principio mille tantum milites haberet, Gotthos in Picenum ex Liguria, Venetiaque contraxit. Interim Alexander à Justi- D niano missus in Italiam venit, atque Italos falsis quæstionibus de pecunia regia aversa, & fraudibus in Theodoricum Regem commissis implicuit, ac militum labores etiam maximos præmiis exilibus compensavit, quo factum est, ut brevì Italos Imperatori infensos reddiderit, ac milites à periculis in

(35) Hoc quidem anno obsessa Ravenna, qui quintus Belli Gothici a Procopio numeratur: sed anno sequ. dedita Belisario, captusque Vitiges, Procopius enim his narratis, & Ildibaldi electione in Regem, subdit: *Belisarius Byzantium profectus est; & cum hyeme annus quintus exiit hujus belli, quod Procopius scripsit*. Unde Continuator Marcellini ad Consulatum Justini anno sequ. gestum, refert Belisarii ingressum Ravennam, cap- E tum Regem cum Regina, cunctasque opes, & cet., cui plane suffragatur Marius ad eumd. Justini Consular.

(36) Ter Belisarius hujus criminis postulatus. Primò in Africa post Gelimerum debellatum, teste Procop. Bell. Vandal. l. 2. 8., & Hist. Arcan. 18., & quidem falso, ut ipse testatur; unde hujus accusationis nulla habita ratione, triumphus ei decretus a Justiniano, quem Procopius carpit, quod ex Africa Belisarium revocasset. Secundò an. 542., de qua Procopius idem, Hist. Arc. c. 3., cum Chosroem insequi noluit Callinico potitum. Tertiò tandem an. 562., quo initæ adversus Justinianum popularis conjurationis conscius habitus fuit, ex Theoph. l. c.

(37) Bellum Persicum hoc narrat Procop. l. 2. B. Pers. 5., & seqq., quem L.; gestum autem an. 541. Continuator Marcellini, & Marius in Chr. testantur. Et Procopius ipse ibid. scribit: *Jam exacta cum hyeme anno Imperii Justiniani Aug. XIII. Chosroës Cabadis filius magno instructus exercitu in Rom. fines* primo vere irrupit *pacem perpetuam aperte solvens*. Ad id bellum raptim missus Germanus Justiniani nepos dicitur a Procopio, cum præsto non esset Belisarius, qui proinde ex Italia nondum C. P. adierat, quo tempore cœptum Persicum bellum.

(38) Germanus nepos erat Justiniani ex fratre, cujus nomen ignoratur, cujus filius Justinus hic dicitur à Procop. l. 3. Bell. Goth. 32., *prima lanuginis adolescens, & nuper ad Sellam Consularem* evectus: nullatenus tamen confundendus cum Justino Juniore Augusto, qui filius fuit Vigilantiæ sororis Justiniani; unde & Joannes Biclariensis in Chr. utrumque distinguens ait, Justinum h. an. Consulem consobrinum fuisse Imper. Justini.

in bello subeundis averterit. Itaque, cum odiis erga Imperatorem certareot, Gotthis occasionem crescendi dedere, quod videns Vitalis, qui in Venetia cum Romania, & Herulis versabatur, veritus, ne Ildobaldus auctis viribus in se contenderet, ipsum adortus est: verom, pugna apud Tarvisium parum secundo successu edita, multis amissis, in fugam conversus est. Qua ex victoria mox Ildobaldi oomen apud Jostinianum, & eeteros celebrari cœpit. Inimicitiæ inde inter Urajam, & Ildobaldum temere concitatæ rem Gotthorum exurgentem afflixeruot. Uxor Urajæ balneum ingressa, uxorem Ildobaldi non tanquam reginam coluerat, quòd se ipsa minus culta & ornata erat: itaque Ildobaldus ab uxore solicitatus, Urajam de majestate coarguit, ac comprehendi jossum ultimo supplicio affecit: atque ex ea re in odium Gotthorum incurrit, iodigoantium, quòd Urajas oimis levi de caussa esset extinctus. Accessit inde, quòd Ildobaldus Urajæ uxorem Gottho cuidam conjugio copulavit, ac Bessam graviter offeodit: itaque Bessas, quòd mulierem deperiret, in sui factum contumeliam ratus, iracundia, ac dolore eo processit, ut, gratum se facturum Gotthis existimans, Ildobaldum ioter epulas adortus necarit. (39) Eodem anno Belisarius (40) in Persidem profectus impetum Regis Chosrois repressit. (41) Constantinopoli Severus Antiochiæ, & Julianus Halicarnassi Episcopi, cum Alexandriam profugissent, (42) quæstionem de corruptione Corporis Christi primi intulerunt: quæ postea Ecclesiam per aliquot annos vehementissime, ipso etiam Imperatore infecto, exercuit.

## ARARICUS REX.

Basilio inde Consule (41) sine Collega, 541
Rugi, qui & ipsi cum Gotthis erant, ubi Ildobaldum occisum viderunt, reliquis invitis Gotthis, Araricum Regem extuleruot. Baduillas autem, cognomento Totilas, Ildobaldi oepos, homo summa solertia præditus, audita Ildobaldi morte, misit Ravennam ad Constantianum, traditurum se Tarvisium pollicens, si sibi, & comitibus suis salus præberetur. Cui Coostantiaous jorejurando se fidem præstiturum respondit. Re composita, dies indicta est, qua milites Constantiani Tarvisium reciperentur. Gotthi vero Ararici imperium iniquo animo ferebant, ut qui bello cum Romanis gereodo parum idoneus esset, ac magnarum rerum occasionem interpellasset: itaque omnes uno animo ad Totilam Tarvisium mittunt, eumque ad Regnum suscipiendum accendunt, sperantes se, illo Regnum obtinente, Italiam posse recuperare: quibus Totila respondit, se defectionem ad Romanos constituisse: si verò Araricum in tempore sustulissent, illorum voluntatem noo neglecturum esse. Quibus rebus auditis, Gotthi Ararico insidias compararunt. Romanis interim quiescentibus, & Gotthos quietutos arbitrantibus, oeque propterea in eorum actiones observandas intentis, Araricus Gotthos convocavit, & ad pacem hortatus, ut ad Justinianum de prioribus conditionibus confirmandis mittereot, auctor fuit, atque ex eorum coosensu legatos misit, spondeos, si se Patricium faceret, totam illi Italiam traditurum. Legatis autem profectis, Gotthi, Ararico per dolum extincto, Regnum ad Totilam detulerunt.

(39) Is necatus exeunte anno belli Gothici sexto, ex Procopio, veris initio, l. 3. Bell. Goth. 1., qui, narrata Ildibadi Regis morte, subdit: *Hyemisque exitus ann. sextum clausit istius belli*: atqui annus sextus B. Goth. in an. sequ. incidit, quo occisum Ildibadum inde quoque colligimus aperte, quod Eraricus Ildibado successit in Regno *per menses quinque*, affirmante Procop. ibid., quibus exactis interfectus fuit, & Totilas *ex compacto* Rex creatus: Sed, ut recte A. N., Totilas an. 541. Regnum obtinuit; eodem igitur Ildibadus occisus veris initio, ut Procopii verba demonstrant.

(40) Anno sequ. expeditio Belisarii adversus Persas consignanda; anno siquidem currenti pacem inière Persæ cum Romanis, cujus conditiones cum ratas habuisset Justinianus, Chosroes Daram, etsi irrito conatu, obsedit; unde Justinianus pacta exequi noluit, Romano nomine indigna, & Belisarium, Byzantii *traducta hyeme, ineunte vero summo cum imperio belli, una cum Ducibus, qui ipsum secuti fuerant ab Italia redeuntem*, adversus Persas misit. Procop. Bell. Pers. 14.

(41) Nihil hac secunda expeditione profecisse Belisarium constat ex Procop. l. c. 19., cum enim Daræ iniret cum ducibus de hostili solo invadendo consilium, Chosroës Petram urbem maritimam Colchidis ad littus Euxini Ponti expugnavit; Belisarius autem Nisibim expugnare non potuit; unde Procopius ipse Hist. Arc. 2., res Orientis Belisarii culpa faustum exitum non habuisse scribit, qui ad Ctesiphontem usque, nemine impediente, pervenire potuisset. Verum nulla Belisarii culpa id evenisse suadetur, sed ob exercitum febribus laborantem; & quia Theodora Aug. in Antoninam ejus uxorem propensior, hanc cum Viro suo Byzantium accivit, probe sciens, eamdem à Belisario ob adulteria in custodiis habitam.

(42) Fuga Severi, & Juliani ad an. Chr. 518. pertinet ex Evagr. l. 4. 4., & Theoph. ad an. Incarnat. secund. Alex. 511., qui Kal. Sept. an. D. 518. inchoatur, & Timotheo Alexandrinam sedem regente quæstio mota de Corruptibili, & Incorrupt. Exarsit autem contentio magis sub Bonifacio II. R. P. circa an. 531., ut alibi ex Liberato Brev. c. 19. demonstratum.

(41) Is ultimus privatorum fuit, qui Consul ordinarius procederet: memoratur a Procop. Bell. Goth. l. 3. 20. Junior dicitur in Fastis, quia ex eadem fortasse stirpe Basilii Importuni, an. 509. Consulis.

# LIBER DECIMUSNONUS,

*Qui est Regni Gotthorum in Italia quartus.*

## TOTILAS REX.

TOtilam verò Regem ereatum, virum manu, consilioque promptum, simul Joannes, Bessas, Vitalis, & ceteri, qui relicti ad defensionem Italiæ fuerant, audiverunt, Ravennam subito convenerunt, ubi Constantianus, & Alexander sedebant: atque agitatis consiliis decreverunt, Veronam extemplo ducere, eamque cum Gothis ibi morantibus in potestatem redigere, deinde adversus Totilam in Picenum redire. Sic igitur præfecti undecim exercitum duodecim hominum millium Veronam adduxerunt, ac castra prope urbem stadiis sexaginta locarunt in iis campis, qui Mantuam versus patent. Ibi vero cum essent, custodem portæ pecuniæ magnitudine ad exercitum in urbem recipiendum inducunt: ac statuta nocte centum delecti viri, Artabaze quodam Armenio duce, præmissi portam, custode ex composito aperiente, occupant, ac mox milites, qui in muris custodias agebant, obtruncant, atque exercitum propere advocant. Quod ubi Gotthi sensere, repentino casu perculsi per aversas portas urbe se ejecere, atque in rupem imminentem evasere, unde facile urbem, & campos omnes, quæque in iis agerentur, despicere poterant. Post paulo præfecti Romani ab Artabaze acciti ad urbem procedere cum copiis incœperunt: verum in itinere, altercatione inter illos de præda Veronensi dispertienda coorta, frustra temporis aliquid consumpserunt: itaque Gotthi, luce orta, ex alto paucitatem hostium, qui urbem inierant, & longinquitatem eorum, qui ad eam accedebant, conspicati, animos, quos desponderant, colligunt, atque incitato cursu urbem per easdem portas, unde exierant, repetunt, ac Romanos trepidos in murorum propugnacula se referre compellunt, & se acriter tuentes non minore impetu, quàm iracundia, circumsistunt. Interim præfecti, divisa, quam parituri non erant, præda, ad portam venerunt: verum, postquam eam clausam, & hostes summa se ope defendentes repererunt, nihil ultra tentandum rati, celeri inde se fuga proripuerunt: & suos de muris pugnantes, &, ne se desererent, obsecrantes, superante misericordiam metu, destituerunt. Illi vero, postquam suos abire, nec preces suas, surdis in tanto periculo auribus, audire viderunt, firmato animo, saltu sese ex mœnibus dejecerunt: ex quibus qui forte molle in solum prolapsi sunt, corpore inoffenso, Artabaze duce, ad castra Romanorum pervenere: quos verò loca aspera exceperunt, ad unum omnes, membris prope collisis, interiere. His successu parum prospero actis, Romani trajecto Pado, sese Faventiam retulere. Quibus auditis Totilas erectus, quos potuit, Gothos accivit, &, quinque hominum millibus confectis, adversus eos ire contendit: ubi vero ad flumen, quod illi transeundum erat, accessit, suos sic alloqui cœpit: longe se diversa ratione pugnare, ac Romanos; nam illos victos facile bellum posse redintegrare auxiliis ex Italia, atque ex Græcia accersendis, sibi si quid durius ea dimicatione contigerit, fore, ut nomen Gotthorum simul cum omni spe reficiendarum virium concidat, ut qui ex hominum centum millibus ad quinque redacti sint. Ildobaldum, cum arma Romanis intulit, non plus, quàm mille hominum, & in Piceno oppidum unum tot undique hostium locis vallatum habuisse. Gothis tamen eo bello victoribus non solum milites, sed etiam imperium accrevisse: si eadem uti virtute voluerint, pro certo habere, se Romanos funditus eversurum: quare hortari illos, ut patriam fortitudinem præstent, & constanter, ut in summa necessitate, decertent. Interim præfecti Romani diversis inter se certando sententiis tempus terebant, Artabaze frustra suadente, ut hostes flumen transeuntes invaderent. Totilas autem, trecentis viris trans amnem missis, qui in tempore Romanorum tergis insisterent, flumine sine impedimento trajecto, raptim in eos duxit. Romanis obviam progressis, atque acie utrinque instructa, Ularis Gotthus, vir ut corporis, sic animi robore nobilis, equo insidens, atque armatus in medium processit, & Romanos ad singulare certamen identidem provocavit: cui, ceteris quiescentibus, Artabazes occurrit; ita, nulla interposita mora, equis utrinque concitatis infestis hastis inter se concurrerunt: prior Artabazes dextrum Ulari latus transfixit, atque equo labentem, sed hasta se, quæ à tergo petræ adhæserat, sustinentem, adacto sæpius in viscera ferro, confecit, sed dum incautius ferit, cuspide hastæ ferrea, quam Ularis adhuc tenebat, in faucibus vulneratus, sanguine sine intermissione fluente, post triduum obiit. Commisso inde inter exercitus prœlio, in ipso tumultus ardore trecenti post terga Romanis apparuere, ac majoris multitudinis opinione allata, tantum terroris intulere, ut in fugam se dederint, quos insectati Gotthi, alios promiscua cæde straverunt, alios captos in custodias conjecerunt, & signa omnia, (quod aliàs nunquam acciderat,) ademerunt; præfecti, ut in summo timore, præsidiis, quæ quisque loca obtinuit, confirmarunt. Hac re secundo adventu administrata, Totilas non multo post copias adversus Justinum Florentiam misit, hisque Beldam, Rodoricum, Uliaremque præfecit, qui eò progressi, urbem obsidione cinxerunt. Hoc ubi Justinus sensit, confestim, quia nullos convectos commeatus habebat, Ravennam ad Principes misit, rogatum, ut sibi necessario suo tempore opitulatum venirent: itaque Cyprianus, & Joannes exercitum protinus Florentiam adduxere, ac Gotthos ab obsidione in locum diei itinere

ab

ab urbe distantem, qui Mucialla (1) dicebatur, recedere compulere; inde, Justini copiis sibi adjunctis, & paucis ad custodiam urbis relictis, in eos movere; Joannem ad lacessendos hostes præcedentem ut Gotthi viderunt, sibi diffisi continuo è campis se in collem proximum subduxerunt. Prœlio inde commisso, Romani fortiter pugnare cœperunt, insignem sine dubio victoriam relaturi, nisi falso rumore de Joannis nece dispersο perculsi turpem fugam arripuissent; quo in tumultu desiderati multi sunt, reliqui, cum se in oppida conjecissent, ea, quasi obsidionem expectantes, neque in campum prodire audentes, præsidiis munierunt. Captivos Romanos Totilas tam humaniter habuit, ut plerique illius se militiæ sponte devoverint. Hæc hoc anno apud Veronam, Faventiam, & Florentiam acta.

542 Proximo verò, qui, ut ceteri sequentes, post Consulatum Basilii dicitur (2) (neque enim Consules posthac creati facile inveniuntur (3)) Totilas rebus bene gestis elatus alia loca sibi adorienda putavit; itaque Cæsena, & Petra oppidis occupatis progressus in Tusciam, cum, multis locis tentatis, neminem ad se traducere potuisset, Italiam peragrare decrevit, ac Tiberi transmisso, neque finibus Romæ tactis, in Campaniam adiit. Ibi audita Sancti Benedicti Abbatis sanctitate, &, ut prophetico spiritu plenus futura prædiceret, veritatis explorandæ consilio capto, spatharium suum (4) regio ornatu, & comitatu præmisit, qui se regem esse assereret. Quem ut Sanctus Benedictus prospexit, dolo agnito: depone, inquit, fili quod geris, nam tuum non est, qua re sibi nunciata confusus ipse venerabundus accessit, atque de rebus suis consuluit, & vaticinio ab eo accepto (*) placatus discessit. Post paulo Benedictus, cum Monachis leges, ac disciplinam dedisset, & Maurum, ac Faustum in Galliam, Placidum vero in Siciliam ad Monasteria condenda misisset, (5) XII. Kalen. Aprilis obiit: (6) Totilas inde profectus in Samnium, Beneventum nullo negotio redegit in potestatem, ejusque diruit muros, ne forte exercitus ex Græcia veniens id oppidum occuparet, atque inde Gotthos infestos haberet: animo inde Neapolim converso, cum multa Neapolitanis pollicitus nihil proficeret, urbi obsidionem admovere decrevit, quam Conon cum Isauris, Romanisque mille custodiebat: castris autem ad urbem positis, militum partem ad Cumas, & alia loca recipienda misit, quibus cum numero ingenti pecuniarum potitus, præclari illud exempli edidit, (7) quod mulieribus nobilibus captis abstinuit, easque libertati restituit, quo facto eximiam sibi apud Romanos humanitatis famam, ac modestiæ comparavit; Bruttii inde, & Lucani, nemine resistente, subacti. Inde Apulia, Calabriaque potitus, publica tributa diligenter exegit, & vectigalia sibi asciscendo, omnia perinde, atque Italiæ dominationem adeptus, administrare pro arbitrio instituit. Exercitibus Italicis magnum stipendii numerum Justinianus debebat: eaque de caussa Romani milites bonis Italorum manus injecerant, eosque in extremam rerum privatarum desperationem adduxerant; milites autem nec ducibus suis obediebant, & libentius in urbibus, quàm in castris, agebant. Constantianus namque Ravennam tenebat, Joannes Romam, Bessas Spoletum, Justinus Florentiam, Cyprianus Perusiam, & ceteri cetera, uti quisque ex fuga opportuna salutis sibi præsidia compararat. Quibus rebus auditis, Justinianus solicitus Maximinum Præfectum Prætorio Italiæ in Italiam misit, ut ceteris ducibus præesset, & militibus stipendia solveret, & classem Thracibus, Armeniis, Hunnisque plenam adjecit, qui in Epirum profectus, atque otio, & desidiæ deditus idoneum rei gerendæ tempus contrivit: post eum vero Demetrium Magistrum equitum destinavit, qui cum in Siciliam venisset, Cononemque, & Neapolitanos arctius

(1) Nunc *Mugello*, teste Celso Cittad., ager Florentinus, à Florentia 14. mill. pass. Bononiam versus.

(2) Ita Continuator Marcellini, eademque formula utitur Justinianus in Novell., & Romani quoque PP. in epp. suis. Victor vero Tunun. hoc an. habet: *Post Consulat. Basil. V. C. anno II.*, & anno sequ ponit: anno tertio, (peculiari numerandi ratione) & sic deinceps. Consulibus porro creandis exhinc parum intentus Justinianus, ut satis indicat Procop., Histor. Arc. 26.

(3) Usque ad an. 567., qui hac formula notatur: *Justino Augusto solo Consule*; unde Corippus l. 1. de laudib. Justini, eumdem sic populum compellantem inducit:

*. . . . . . . . . . . Nomenque negatum*
*Consulibus Consul post tempora cuncta novabo,*
*Gaudeat ut totus Justini munere mundus;*
*Dona Kalendarum properant vicina mearum.*

Hunc Consulatum Justini dicto an. gestum memorant Fasti Heracliani, Auct. Chron. Alex., & Marius.

(4) Riggonem Totilæ Spatharium memorat Gregor. M. Dial. l. 2. 14. De eorum dignitate in Imperio Constantinop. alibi dictum.

(*) Vaticinium fuit, Totilam *novem annis* regnaturum, *decimo* autem functurum vita, ex S. Gregor. c. 15., quomodo autem completum fuerit dictum, inferius, ubi de an. obitus Totilæ, constabit.

(5) Hoc an., vel sequ. Flodegarius Archidiaconus, & Harderadus Vicedominus ab Episcopo Cenomanensi missi ad S. Patriarcham, ut Regulam, Monachosque transmitteret, teste Fausto S. Mauri socio in ejus Vita, quam L. in Secul. 5. Bened. cum Observationib. præviis P. Mabillonii. Non autem fidendum nimis Odoni Glannafoliensi, qui nono seculo eamdem Vitam interpolavit.

(6) *VII. Kal. April.* obiisse S. Patriarcham verba Fausti supra cit. manifeste indicant, in Pervigilio Paschatis, quod anno obitus S. Benedicti incidit in diem vicesimum septimum mensis Mart., unde die præcedenti mortuus, non quidem hoc an., sed 544., ut Anonym. Bened., S. Medardi Suessionensis Monachus, in Chron., quod extat To. 2. Spicileg. Dacheriani, & alter Anonymus in Chron. Arcanensis in Calerensi pago Monasterii, To. 1. Biblioth. Labbeanæ. A. vero noster Martyrologia secutus est ad XII. Kal. Apr. Sanctiss. Patris Natalem diem referentia, Bedæ sc., Usuardi, Adonis, & cet., qui Faustum ab Odone eo in loco vitiatum putarunt, ubi in Vigilia Resurrectionis è vivis excessisse dicitur Benedictus.

(7) Ex quo enim cum S. Benedicto locutus fuerat *minus crudelis fuit*, teste Gregor. M. Dial. l. 2. 15. Recte autem h. an. Campaniam, & Samnium ingressus dicitur Totilas, & occupasse Beneventum; non vero an sequ., ut plerique existimarunt; Procopius enim ad an. 8. Belli Goth. id refert, qui in præsentem incidit: & Continuator Marcellini conjicit in annum post Consulat. Basilii V. C. II.

A ctius obsideri audisset, (8) auxilium ferre conatus est. Itaque, multis navibus ex Sicilia contractis, frumentoque, atque aliis rebus completis, ex insula solvit, hostibus speciem præbens, eas ingentibus copiis esse refertas, ac terroris inferendi caussa Neapolim cursum intendit, sed urbem transgressus ad portum Romanum accessit, atque ibi novos conscribere milites studuit: verum omnes tanquam à Gotthis victi, atque ab eis timentes arma contra eos capere abnuerunt; quare cum iis tantum, quos ex Græcia duxerat, Neapolim se retulit, quem Cononis jussu Demetrius alter, genere Cephallen, Neapolis Procurator, celeri lembo ad-
B vectus, quantum potuit, ad rem gerendam incendit. Totilas autem de exiguitate copiarum Demetrii certior factus cum aliis navibus ante præparatis occurrit, atque, impetu in eum repente facto, in fugam avertit, atque alios occidit, alios vivos in potestatem adduxit: soli evaserunt, quibus in navium lembos primo incursu licuit desilire, inter quos Demetrius fuit classis Præfectus; naves autem omnes cum oneribus, & Demetrio Cephallene captæ; cui ob immodicam ejus in Totilam verborum procacitatem lingua, manusque præcisæ sunt. Tandem Maximinus classem quoque suam appulit Syracusas, atque ibi terroris incutiendi caussa quievit. Quo cognito, Conon
C extemplo misit oratum, ut sibi primo quoque tempore ad opem ferendam, jam necessariis rebus egenti veniret: ille, quanquam præ timore Syracusis pedem efferre noluit, classem tamen Herodiano, Demetrioque, ac Phassæ cum copiis omnibus Neapolim adducendam concessit: classis, hyeme jam sæviente, ubi Neapolim appropinquavit, vehementi suborto vento, ad littus ejecta est, in quo hostes stationem habebant; itaque, irruentibus eis, omnes aut occisi, aut capti, aut demersi sunt. Demetrius Præfectus inter ceteros in potestatem pervenit. Herodianus, & Phassas, quia longe à castris ho-
D stium ejecti sunt, evasere. Totilas Demetrium reste collo implicita ad muros urbis adductum monere Neapolitanos jussit, ne inani spe auxilii sustentati obsidionem diutius paterentur, sed statim urbem dederent, & se tot ærumnis eriperent, neque enim Imperatorem ulla posthac submittere subsidia posse, & cum hac classe vires ejus omnes infractas esse. Neapolitani rerum necessariarum inopia conflictati, ac Demetrium tam indigna patientem conspicati, spe omni salutis abjecta, sese ad luctum, & complorationem verterunt: qua re animadversa, Totilas iis, qui erant in propugnaculis, evocatis dixit, se ad eos venisse, non ut crimen
E eorum aliquod vindicaret, sed ut eos servitute eximeret, & pro beneficiis sibi hoc bello datis, & calamitatibus acceptis gratiam referret; nam ipsos solos Italorum maximam erga Gotthos benevolentiam ostendisse: ceterum pudore se maximo affici, quod eos nunc obsidere una cum hostibus cogeretur; neque vero eos à Gotthis, quia ab eis obsiderentur, alienos gerere animos oportere, neque ab eis timere, qui ad liberandos ipsos, non ad perdendos accesserint; nam se in eorum etiam gratiam Cononem Præfectum, & ceteros milites dimissurum, si, tradita sibi urbe, discesserint. Hæc dicta & Neapolitani, & milites approbarunt; ut tamen fidem Imperatori servarent, triginta dierum spatium ad deditionem faciendam petierunt; quo transacto, neque ullo subsidio misso, urbem se tradituros spoponderunt. Totilas, ut spem auxilii omnem præcideret, trium mensium se daturum ostendit, dummodo pactis starent, quæ si fallerent, protinus se muris oppugnationem, à qua adhuc temperaverat, admoturum. His pactis, Neapolitani, quod famem tolerare in dies magis sævientem non possent, non expectato spatio, Totilam cum Gotthis in urbem receperunt. Jam an- 543
nus alter inierat, (9) cum Totilas Neapolim in deditionem accepit: tum vero mira benignitas ejus erga captos eluxit. Nam Romanorum, qui inediæ diuturnitate afflicti erant, curam prope paternam suscepit; veritus enim ne, si se repentino cibo ad satietatem replessent, continuo interirent, ne quis urbe abire posset, inhibuit, ac cibum parcius, quàm pro appetentia, præbuit: ubi vero vires eos recepisse vidit, patefactis portis abire, quò quisque vellet, permisit. Cononi pariter, & militibus animo suo obsequendi libertas data, ii naves ingressi, Romam iter intenderunt: verum, reflante vento, cum tenere cursum nequirent, rursus in magnam solicitudinem inciderunt, verentes, ne iterum in manus Totilæ devenirent, atque ab eo quasi pactæ fidei sacramento soluto, aut pœnitentia tacto aliquid detrimenti acciperent. Quod ubi Totilas animadvertit, statim universos ad se vocavit, & consolatus eos, nova fide data, securo esse animo jussit, & suo exercitui se immiscere, & quibus egerent, coëmere permisit; sæviente autem adhuc vento, equos, jumenta, & viaticum elargitus auctor fuit, ut terra contenderent, ac comites dedit, quò tuto adirent. Neapolis inde muros dejicere cum cœpisset, ne arx Romanis adversus Gotthos in posterum esset, malens se campo cum Romanis, quàm dolo, confligere, tamen partem intactam reliquit; quendam virum strenuum, qui se virgini stuprum intulisse confitebatur, in carcerem, ut ultimo supplicio afficeret, condidit: qua re perspecta, Gotthi vicem ejus soliciti ab ejusmodi proposito deterrere conati sunt, quibus ille respondit, ejusdem ingenii esse, delicto se obstringere, & delictorum supplicia impedire; om-

(8) Neapolim diuturna obsidione pressam Procop. scribit, usque ad initium Veris anni sequ., quo tempore se dedidere Neapolitani; ipse namque Procopius l. 3. Bell. Goth. c. 7., Totilam narrans Urbe potitum, subdit: *Simul hyems, simul annus VIII. hujus belli à Procopio scripti decessit*. Nonus igitur annus ejusdem belli incœperat, qui anno 543. respondet; unde Procopianos belli Gothici annos recte assecutus hic A. N., inferius scribit: *Jam annus alter inierat, cum Totilas Neapol.* & cet. Errant igitur, qui cum Baronio annum octavum ejusd. Belli copulant cum an. 543., cum ex Procopii verbis diserte constet cœpisse annum nonum quo tempore urbs dedita: nec eodem anno 542. obsidio, atque deditio evenit.

(9) Hac formula notatus: *Post Consulatum Basilii V. C. II.*, vel juxta Victorianam loquendi rationem: *Post Consulatum Basilii V. C. anno III.*

omnino autem aut hunc pœnas dare, aut Gotthorum Rempublicam interire necesse esse, postquam Theodaharus æquitatem divitiis posthabuerit, Deum Gotthis minus propitium esse factum: præstantius autem esse, justitiam custodire, quàm negligendo invidiam concitare, neque enim qui virginem violaverit, probe se gerere in certaminibus posse. Quibus auditis, illi hominem repetere destiterunt; ipse vero, violatore necato, bona ejus virgini violatæ largitus est. Hi tum erant Totilæ mores. Contra vero Romani Præfecti res subjectorum diripiebant, contumelias inferebant, in præsidiis scorta habebant, ac passim luxui, & temulentiæ serviebant, quos imitati milites neque eorum imperatis obediebant, & se in omne flagitium demittebant: itaque miserrima evaserat Italorum conditio, ut qui ab utroque exercitu gravissime premerentur, agris à Gotthis, supellectile à Romanis exuti, ex quo Gotthorum jam teneri desiderio cœperant. Quibus rebus Constantianus, simulque ceteri Præfecti permoti literas ad Justinianum scripserunt, docentes, se non posse Gotthis resistere. Totilas autem literas ad Senatum Romanum misit, (10) quibus, beneficiis Gotthorum, & injuriis Romanorum erga illos expositis, absurde facere illos dixit, cum præsto sint, qui illorum ulcisci injurias velint, non pati, se tantis incommodis liberari: eos debere occasionem quærere, qua veniam violatæ fidei apud Gotthos obtineant; eam vero optimam esse, si, fine belli non expectato, sibi consuluerint, &, emendatione adhibita, superiora delicta sarciverint. His literis per captivum allatis Joannes responsum dari prohibuit; quod videns Totilas, secundas, itemque tertias misit, sanctissimo se jurejurando devinciens, se nihil mali Romanorum alicui allaturum. Literæ incerto nuncio allatæ noctu publicis in locis affixæ sunt, quibus postera luce lectis, Præfecti Presbyteros quosdam Arrianos ejus criminis suspectos habuerunt, atque urbe continuo expulerunt. Qua re cognita, Totilas, exercitus parte in Calabriam missa, Hydruntem tentari, &, si non traderetur, obsidione circumdari jussit; ipse vero cum reliqua ad circumjecta Romæ loca deducere institit, &, ut addit Marcellinus, urbes Campaniæ muris cinctas vastavit, ac præcipue Tibur obsedit, pestilentia Italiam sævissime populante. Hæc vero ubi Justinianus cognovit, licet Persico bello urgeretur (11), tamen Belisarium inde evocavit, atque ei iterum Ita-
544 liam destinavit. Postero vero anno Belisarius, paucis militibus secum Constantinopoli eductis, omnem Thraciam circumivit, pecuniaque effuse præbenda juniores, ac voluntarios multos excivit. Huic jussu Justiniani Vitalis aderat Illyricorum præfectus, nuper ex Italia, militibus Illyricis ibi relictis, reversus. Utrique igitur, cum ad hominum quattuor millia contraxissent, Salonam petierunt, eo consilio ut inde Ravennam contenderent, atque ex ea Gotthis bellum inferrent; nam neque per Romanum agrum tuto transire, neque per Calabriam, & Campaniam iter faciendo hostes fallere, neque eis inferre vim longe robore impares poterant. Interim qui Hydrunte obsidebantur, commeatibus deficientibus, de deditione colloquuti cum obsessoribus sunt, quæ cum convenisset, dies ei rei peragendæ est constituta: tum Belisarius, commeatibus in naves, qui satis ad annum essent, impositis, Valentinum Hydruntem misit, ac, primis custodibus abductis, quos morbo, & fame contabuisse comperiebat, recentes, quos adduxisset, sufficere alios jussit; sic enim, commeatu suppetente, urbem facile in potestate mansuram cogitabat. Valentinus secundum, ac validum nactus ventum, quarta ante præstitutam deditioni diem nocte pervenit; &, portu sine custodibus invento, nemine resistente, oppidum init. Gotthi namque deditionem sequuturam pro certo habentes, excubias segnius, ac negligentius agitabant. Itaque, ut classem adversus se venire infestam viderunt, repente obsidionem trepidi reliquerunt, ac translatis aliò castris, rem ad Totilam detulerunt. Inde Valentinus, imperio Belisarii expleto, Salonam cum exercitu rediit. His actis, Belisarius Polam classem applicuit, atque ibi per aliquot dies lustrandi exercitus gratia mansit. Interim Totilas, ut Belisarii copias ad liquidum exploraret, fidis nunciis literas adulterinas Boni Genuæ Præfecti nomine scriptas ad eum perferendas dedit, atque, ut terrestrem, maritimumque apparatum ejus cognoscerent, jussit. Petenti Bono, ut sibi auxiliatum in maxima necessitate veniret, Belisarius renunciari mandavit, se cum universo exercitu propediem affuturum: illi, lustratis omnibus, ad Totilam reversi, non admodum magnas ejus esse copias retulerunt: quæ dum aguntur, Totilas Tibur, quod ab Isauris tenebatur, proditione recepit, atque in cives omnia crudelitatis exempla edidit: inde, Tiberi occupato, Romanos annona flumine devehenda interclusit. Belisarius interim cum universa classe pervenit Ravennam, ac Gotthos, & Romanos, qui ibi erant, sic appellavit: Non nunc primum quæ prudenter, ac fortiter gesta essent, nequitia, & segnitie esse corrupta, quibus ut emendatio adhibeatur, in primis Justiniano curæ esse, qui,

(10) Quas an. 544. datas non est cur dicat Baronius; anno enim nono (qui an. 543. respondet) belli Got. scriptas Procopius tradidit l. c., eodemque anno à Romanis Ducibus Arianos Sacerdotes Urbe pulsos, & Gothorum exercitum Romam adire jussum. Quod confirmat Arator versibus præfixis Carmini heroico, quo Apostolorum acta celebravit:

*Mœnibus undisonis bellorum incendia cernens,*
*Pars ego tunc populi tela parentis eram.*

Aratoris autem liber Romæ susceptus fuit à Vigilio Papa *VIII. Id. April. post Consulat. Basilii V. C. tertio, Indict. 7.*, anno nempe 544., postquam anno super. in Urbe trepidatum ob adventum Gothici exercitus, ut ly *Tunc* ap. Arator. c. innuit.

(11) Cum enim Justinianus præcepisset Martino Magistro Milit. per Orient. aliisque Ducibus, ut in Persarmeniam irruerent, Romani id exequentes *hostili impetu fracti effuse omnes fugerunt*; ut auctor est Procop. l. 2. Bell. Pers. 24., & 25., subdens: *Acceperunt Romani tum cladem magnam, nec parem huic unquam antea*. Quod prœlium h. an. evenisse testatur Continuator Marcellini, Indict. VI., post Consulat. Basil. an. II. Fuit autem tertia hæc Chosrois in Romanorum ditiones irruptio, quam Procop. narrare incipit l. c. c. 20.

qui, victoria, quæ erat in manibus, de Persis omissa, se iterum in Italiam miserit. Ceterum, cum ipse ad opem eis ferendam paratus sit, officii eorum esse, ne sibi tam necessario tempore desint, Gotthos amicos, cognatosque suos ab Totilæ amicitia revocare debere: id si facere in animum induxerint, propediem eos, & pace optatissima fruituros, & non minima præmia ab Imperatore consequuturos, sin minus, haud dubie sibi hostium loco futuros. His dictis, Teramunthem armigerum cum Vitali, & Illyricis in Æmiliam misit, ut ea loca tentaret, qui Bononiam progressus, præsidio se tradente, oppidum tenuit: verum mox ab Illyricis subita consternatione domum abeuntibus est relictus, quod dicerent, se stipendio, & rebus necessariis esse fraudatos; qua re cognita, Totilas magnam subito militum manum ad recuperandam Bononiam misit, quos Vitalis cum Teramunthe in præparatas insidias lapsos ita excepit, ut, magno numero interfecto, reliquos in fugam conjecerit; Teramunthes inde Auximum, quod à Gotthis obsidebatur, à Belisario missus, oppidum ingressus, præclara quædam egit: mox viribus suis diffisus consilium relinquendi oppidi habuit; itaque Totilas rei non ignarus exercitum ita admovit, ut eorum ad ducentos, dum exirent, occiderit. Pisaurum, (12) & Fanum initio belli Vitiges prope deleverat, ne cui esse Romanis usui possent; hoc cognito, Belisarius amicos Pisaurum immisit, qui portarum altitudinem, & latitudinem metirentur, mox fores ad eam dimensionem constructas, atque eò navibus missas, portis aptari præcepit, & muri quod dirutum erat, lapide, limoque resarciri mandavit. Quam rem Totilas impedire conatus, ut frustra se tendere sensit, Auximum exercitum reduxit, ac, cognita tenuitate copiarum ejus, partem militum in Picenum misit, qui Asculum Firmumque circumsederent. Belisarius autem ex suis armigeris duos cum Bessa misit Romam, adjectis mandatis, ut urbem intenti custodirent,
545 neque in hostem erumperent. Sequenti vero anno, postquam sensit, se Firmanis, Asculanisque opem ferre non posse, Joannem Vitaliani filium ad Justinianum cum literis misit, rogatum, ut pecuniam, milites, atque arma mitteret, sine quibus se tanto bello finem imponere posse diffideret; literæ in hæc verba erant conscriptæ: In Italiam veni neque viris, neque armis, neque pecunia satis paratus, quibus demptis, rem præclare nemo unquam administraverit. Thraciam, & Illyricum obeundo milites aliquot contraxi, sed inermes plane, atque imbelles; qui porro in Italia sunt milites, haudquaquam satis ad hoc bellum instructi sunt; nam & hostes, ut à quibus sæpe victi sunt, timent, neque propter contumaciam prioribus annis contractam imperatis nostris obediunt; nos autem neque propter debita eis stipendia acriter aliquid eis pro imperio mandare audemus, neque, occupata à pristinis hostibus Italia, pecunias exigere pro arbitrio possumus. Si Belisarium in Italiam tantummodo mittere animus fuit, bene habet: ego in media Italia sum; at si victoriam de hostibus ferre, voluntas est, res ad id necessariæ sunt comparandæ, neque enim sine auxiliis bene res geri bellica potest. Joannes cum his mandatis Constantinopolim profectus, uxore virgine nobili ducta, tempus nuptiis operam dando continuit, ac nihil mandatorum peregit. Interea Totilas Firmum, & Asculum adduxit in potestatem, atque inde in Tusciam profectus, Spoleto, Asisioque admovit obsidionem. Spoleto præerat Herodianus, Asisio Sifridus, homo genere Gotthus, sed Romanorum studio præcipue deditus. Herodianus cum hostibus colloquutus, triginta dierum inducias pepigit cum eo, ut si nulla interim à Belisario auxilia mitterentur, oppidum cum civibus, ac militibus traderet, filiamque pro futura deditione obsidem dedit; ubi vero præscriptum tempus venit, neque auxilia Romanorum apparuerunt, ex pacto oppidum tradidit. Sifridus autem, facta cum suis in hostes eruptione, multis amissis, & ipse occubuit: itaque Asisiates, duce amisso, consilii inopes statim deditionem fecerunt. Post hæc Totilas ad Cyprianum misit, rogans, ut Perusiam traderet; à precibus inde ad minas, nisi paruisset, se contulit, quas ubi negligi vidit, varie animum ejus versando, pecuniæ quoque vim ingentem se daturum, si sibi obsequeretur, ostendit: ad extremum, ubi postulata sua recusantem vidit, Uliarem armigerum ejus pecunia corrupit, ac per eum dolo necavit, atque, his rebus ex sententia administratis, Romam demum se contulit; eamque subito obsidendi caussa corona militum cinxit, interim agricolis per totam Italiam terram sine molestia colere, ac sibi tributa, fructus dominis dare permissis. Adventum Totilæ cognitum Præfecti Artasires, & Barbatio non tulerunt, ac statim, licet improbante Bessa, eruptione facta, compluribus cæsis, reliquos fugaverunt; verum cupidius eos multæ viæ spatio insequuti cum in insidias incidissent, majore suorum parte amissa, vix evaserunt, quo factum est, ut in posterum ab eruptionibus, licet vehementer ab hostibus lacessiti, se abstinuerint. Interim urbem fames, ut ante, ingens invasit, neque enim ullæ per obsessores in urbem invehi fruges poterant, atque omnino interclusæ res maritimæ erant; nam Gotthi Neapoli potiti, minoribus navigiis omnes insulas appetebant, ac quinam eà navigarent, diligentius observabant, & naves omnes è Sicilia in portum Romanum tendentes cum oneribus intercipiebant. Placentia, ut inquit Procopius, omnium tum urbium Æmiliæ præstantissima, atque ad Padum loco, præsidioq; munita sola erat in Romanorum potestate relicta: hanc igitur Totilas, transmisso exercitu, quacumque ratione capi mandavit. Gotthi vero, ubi Placentiæ appropinquarunt, per legatos, ut se dederent, comiter tentaverunt: postquam comitas non processit, non procul ab urbe castra posuerunt, &, quòd Placentinos rebus necessariis laborare didicerant, obsidione circumsteterunt

(12) Colonia fuit ex Livio l. 39. 44. Et deductionis annum notavit Vellej. l. 1. 15. dicens: *Cn. Manlio Volsone, & Fulvio Nobiliore Coss. Bononia deducta Colonia, abhinc annos ferme* *CCXVII. & post quadriennium, Pisaurum, & Potentia.* Plin. l. 3. 14. scribit: *Pisaurum cum amne*, ejusdem nempe nominis.

runt. Romæ multi in suspicionem proditionis vocati: inter quos Cethegus (13) Senator egregius, qui ob id urbe profectus adiit Centumcellas. Interim Belisarius vicem urbis Romæ, atque adeo totius Italiæ anxius, ut qui Ravenna nihil eò afferre subsidii in tantis copiarum angustiis posset, Romam proficisci constituit, & circumjecta urbi loca occupare, ut ex propinquo suis laborantibus auxilium ferret; jam enim, quòd à principio Ravennam tenuisset, pœnitentia subibat, quòd, se ibi incluso, hostes liberius Italiam peragrassent: itaque, Justino cum paucis in Ravennæ præsidio constituto, inde cessit, ac Dalmatiæ oram legens Dyrrachium adiit: ac, missis ad Justinianum de præsentibus rebus literis, ibi exercitum submittendum expectavit. Justinianus Isaacem Armenium (14) cum exercitu ex barbaris, Romanisque conscripto Dyrrachium destinavit, Narserem vero eunuchum ad solicitandos Herulos misit: quare Herulorum multi Narsetem sequuti, in Thraciam hibernatum venerunt, ut proximo vere ad Belisarium se conferrent. Belisarius autem Valentinum, & Phocam cum magna militum manu ad Romanum portum custodiendum, & Gotthos crebris eruptionibus fatigandos misit. Hi profecti Bessæ, qui urbem tenebat, clam nunciandum curant, se impressionem facere in hostem velle, proinde monere, ut fortissimum quemque ex urbe emitteret, ubi primum se incurrisse audisset: &, licet Bessa hoc consilium improbante, cum quingentis in castra invecti paucos quosdam interfecerunt, ac, nemine auxilio ex urbe prodeunte, integri omnes, ac, nemine amisso, se receperunt: post paulo ad Bessam eadem miserunt, ipsum ignaviæ, quòd occasioni defuisset, insimulantes: quibus Bessas respondit, se ob gratiam nequaquam in aciem cum hostibus prodituturum: neque secius secundam irruptionem facere statuerunt: verum, cum majore animo, quam consilio, incurrissent, sese in insidias immiserunt, quas Totilas à milite alterius ducis Nocentii monitus præparaverat: ac magna suorum jactura mortem oppetierunt, pauci se in portum incolumes recepere. Ad cetera mala, quibus jampridem premebatur Ecclesia, hoc quoque novum accessit. In Palæstina doctrina Origenis olim condemnata reviviscere cœpit, (15) qui censuerat, animos ante corpora existere, deque corporibus in corpora commigrare, finem suppliciorum aliquem fore, dæmones in pristinum statum aliquando restitutum iri, corpora nostra non eadem resurrectura. (16) Cum autem hanc pestem serpere videret Eustachius Hierosolymorum Episcopus, (17) sectatores hujus opinionis omnes ex Monasterio, quod Nova Laura (18) dicebatur, ejecit, ac Constantinopolim Rufum, & Cononem Abbates hac de re misit: quibus fautorem se præbuit Pelagius Diaconus, Vigilii Pontificis apocrisarius, cum peterent, ut is capita quædam ex libris Origenis, tanquam rectæ fidei contraria, condemnaret: id autem Pelagius ea re maxime fecit, ut Theodoro Episcopo Cæsareæ Cappadociæ noceret, qui tum in aula Imperatoris gratia, atque auctoritate florens, has opiniones sibi defendendas susceperat: itaque, jubente Justiniano, damnatio promulgata est, cui Menas Episcopus Constantinopolitanus subscripsit: eaque ad Vigilium Pontificem Romam missa, ejus quoque subscriptione firmata est. Damnato iterum post mortem Origene, Theodotus Cæsariensis dolore incensus quæsivit, num fas esset mortuos anathemate jugulare? cui Eutychius Diaconus pro Amasiensi Episcopo dicendi locum nactus, respondit, licere: nam Regem Josiam non modo Sacerdotes, qui dæmones colebant, viventes trucidasse, sed etiam mortuorum sepulchra effodienda curasse. Quo dicto Cæsariensis exacerbatus dam-

(13) Qui Consul admodum adolescens processit an. 504., eratque Probini filius, an. 489. Consulis, teste Ennodio in Paranesi Didascalica.

(14) Is Narsetis, & Aratii frater erat natu minimus, qui cum fratres, matremque ultro ad Romanos transfugisse audiret, *Bolum castellum* agro Theodosiopolitano finitimum Romanis tradidit, admissis noctu porta clam aperta militibus, & Byzantium adiit, teste Procop. Bell. Pers. l. 1. 15.

(15) Doctrina Origenis in Concil. Alex. jam ante damnata, ab Anastasio item S. Pontif., in Concilio Cyprio, aliisque, post S. Sabæ mortem iterum emersit, Nonno auctore Originianæ Scolæ paradoxis jam diu imbuto, ut tradit S. Cyriacus Anachoreta, ap. Auctor. Vitæ S. Cyriaci, quæ Græce, ac Latine extat in Analect. Græcis editis a Monach. Congregat. S. Mauri Benedictinis. Obiit autem Saba mense Decemb. *Indict. decima*, an. sc. Chr. 531., ut inquit Cyrillus Mon. in ejus V., quam Græce, Latineque edidit Cotelerius in Monumentis Eccl. Græcæ, apud quem L. quæ posterioribus annis cum Nonno Theodorus, & Domitianus Origenianæ sectæ asseclæ moliti sunt.

(16) Quamvis voce tenus corporis resurrectionem alicubi adstruxerit Origenes, *carnis tamen Resurrectionem* revera negavit, teste S. Hierony. ep. ad Pammachium, Pamphilo in Apolog., & Methodio in Libro de Resurrect., cujus extat epitome ap. S. Epiphan. Hær. 64., & Phot. Cod. 234., & liquet ex l. 2. Origenis ipsius Periarchôn, c. 3., necnon Comment. ad Psalm. L, ubi addit, qualecumque corpus in Mundi fine receptura sunt animæ, orbiculatum illud fore, figuram omnium perfectissimam, & rerum cœlestium propriam, novoque illi corpori convenientem. L. Justiniani Tractatum ad Mennam. V. etiam quæ differit Huetius, l. 2. Origenianor., de Origenis erroribus.

(17) Victor Tunun. in Chr. Post Consulat. Basilii anno XII., qui respondet anno Chr. 550., ait: *Macarius Hierosolymitanus Episc. ejicitur, & eo superstite Eustochius ordinatur*. Quo autem tempore Justinianus dictari curavit damnationem in Origenem, ut loquitur Liberat. 23., Petrus erat Hierosolymorum Antistes, cui Macarius successit ad an. usque 552., quo ei suffectus Eustachius, ex Victore superius c. Liberatus autem ibidem diserte tradit, Origenis damnationi, cum aliis Patriarchis Petrum Hierosolymit. subscripsisse. Quæ igitur hic narrat A. N. ad an. Chr. 543. circiter referenda. V. quæ tradunt Pongerus Mon. Ben. in V. S. Cyriaci, Analect. Græc., & Card. Norisius in Differt. de V. Synodo.

(18) S. Saba cum Maximam Lauram (ita desertus locus, disjunctis ab se invicem cellulis ab Anachoretis habitatus) excitasset, rigidioris disciplinæ instituta aversati sunt Monachi, & aliò divertere Saba compulsus fuit: eo autem restituto, Eliæ Patriarchæ Hierosolym. mandato, Monachi discedentes prope Torrentem Thecuæ dejectas cellulas restaurarunt, alteram Lauram ædificantes, Lauram Novam appellatam. L. V. S. Sabæ, & S. Cyriaci. Ex hac autem officina Origenismus prodiit tenebris jam diu sepultus.

damnationem in Theodorum Mopsuestenum Episcopum mortuum, atque à Catholicis Concilio Chalcedonensi laudatum hoc modo molitus est. Subscribente Justiniano contra Acephalos pro Concilio Chalcedonensi accedens Cæsariensis dixit, posse eum Acephalos ad Ecclesiæ communionem adducere, si Theodorum Mopsuestenum, Theodoritum Cyrensem, & Ibam Edessenum à Concilio Chalcedonensi receptos damnaret: nam hoc pacto eos sine detrectatione Chalcedonense Concilium tanquam purgatum approbaturos. Cui Justinianus assensus, libello edito, (19) eos damnavit, atque Episcopos, qui tria capita Concilii Chalcedonensis respuerent, omnibus muneribus affecit, qui dissentirent, in exilium egit, ut Liberatus literis prodidit; quæ res tantum in Ecclesiam tumultum invexit, ut post aliquot annos generali disquirenda Concilio fuerit. Huic incommodo alterum est adjunctum. Romani quidam Vigilium Pontificem (20) apud Justinianum accusarunt, quòd Silverium decessorem suum abdicandum curasset, quòd Romanos male habuisset, & quòd mortem homini attulisset; nam Notarium ipsius alapa ab eo percussum interisse, & filium cujusdam viduæ obtritum calcibus expirasse: quibus criminibus auditis, Theodora, occasione ulciscendi arrepta, Anthimum Scribam suum Romam misit, jubens, ut quocumque in loco Vigilium inveniret, præterquam in Basilica Sancti Petri, comprehenderet, & impositum in navim ad se adduceret; qui veniens, comitatu assumpto, Vigilium in æde Sanctæ Cæciliæ decimo Kalendas Decembris, (nam eo die Sanctæ Virginis natalitia celebrantur,) munera populo erogantem offendit, & captum ad Tiberim extemplo deduxit, atque in navim in Græciam avehendum imposuit: qua re animadversa, populus magnopere doluit, ac continuo subsequutus est, ut precationem acciperet, eaque accepta, respondit: *Amen*, ac continuo navis amota est. Hoc unum inter maxima Justiniani crimina fuit, quod exemplo plurimum Ecclesiæ in posterum obsuit. In Siciliam inde devectus Vigilius, officium tamen suum non deseruit: nam & per mensem Decembrem, ut moris erat, factis ordinationibus in urbe Catanensi vacavit, & Ampliatum Presbyterum, & Vicedominum suum, & Valentinum Sanctarum Rufinæ, & Secundæ Episcopum, ut Lateranum custodirent, & Clerum administrarent, remisit, & cum iis magnum frumenti numerum impositum navibus ad sublevandam civitatis inopiam destinavit. Harum navium adventu præcognito, Gotthi priores in Portum venerunt, & se intra mœnia condiderunt, ut eas accedentes invaderent: quas custodes, qui erant in mœnibus, conspicati, è propugnaculis, veste alte sublata, signum nautis ad se prodeuntibus dederunt, ne prope accederent, sed aliò cursum dirigerent: illi vero lætitiæ sui adventus signum illud esse putantes, prospero flante vento, Portui successerunt: itaque barbari omnes repente ex insidiis erumpentes, naves cunctas, nemine defendente, ceperunt, & Valentinum Episcopum cum Romanis correptum ad Totilam deduxerunt, ac, ceteris obtruncatis, navibusque remulco cum oneribus tractis, abierunt. Valentinus à Totila quibusdam de rebus rogatus, cum mendacii esset convictus, ambabus manibus est multatus. Vigilius è Sicilia deductus Constantinopolim in Vigiliis Dominicæ Nativitatis (21) urbem ingressus est: quem obvius Justinianus tanta comitate excepit, ut lacrymas, osculaque reddiderit: plebs autem honoris ejus caussa usque ad ædem S. Sophiæ psallens incessit: *Ecce advenit dominator Dominus*. Postero autem anno, solicita- 545
tus iterum ab Augustis, ut Anthimum restitueret, se facturum negavit, minantibusque illis dixit: Video, me non ad Justinianum, & Theodoram venisse, sed ad Diocletianum, & Eleutheriam: facite, ut libet; digna enim factis recipio. Hæc dicentem percussit eum alapa quidam, qui aderat, inquiens: *Homicida nescis quibuscum loqueris? nescis, te Silverium Pontificem occidisse, & filium viduæ calcibus allisisse?* Tum fugiens (22) in ædem S. Euphemiæ columnam altaris amplexus est. Inde ejectus per totam ut-

(19) Edictum contra Tria Capitula (de quibus alibi) post discessum Pelagii promulgatum fuit à Justiniano. Ille vero anno 544 Romam reversus fuerat; eique successerat Stephanus Diac. Apostolicæ Sed. Apocrisarius, qui edicto subscribere renuit; Pelagius autem Romæ degens, Origenistarum hostis acerrimus, sicut & Episcopi Africani edicto acriter restitere. Verum itaque h. anni initio illud emanasse, sed non sibi constant quæ uno tenore A. N. hic refert velut ui n tempore gesta, quo Pelagius Constantinopoli Apocrisarii munere fungebatur. L. Liberat. l. supra c.

(20) Post Silverii mortem Cleri electione Pontifex renunciatus novos induit spiritus Catholicæ Religioni tuendæ pares: neque recensitæ ab Anastasio causæ, quas A. N. exscripsit hic, ut CP. accerseretur, fuere, neque vis illata Pontifici, quam narrat Anastasius; Procopius enim l. 3. Bell. Goth. 6. inquit, *Vigilius R. P. Byzantium Imperatoris accitu venit ex Sicilia, ubi jamdiu degerat professionis illius causa*. Vid. item Tun. Post Consulat. Basil. an. IV., qui ex ejusdem supputandi modo, est an. D. 544, aperte scribit, à Justiniano *subtiliter* accitum Regiam Urbem, *ut sub specie congregationis eorum, qui ab Ecclesiæ suas societate divisi, Tria Capitula condemnaret*. Ecquis sane crediderit, Vigilium ad id vocatum, ut Justiniano indulgeret, male adeo habitum fuisse? Sed non unum hoc Anastasii de Vigilio commentum.

(21) Anastasius, quem hic sequitur A. N., Vigilium Constantinopolim ingressum tradit *in Vigilia Domini nostri Jesu Christi*, ubi videtur Vigiliam Nativitatis Dominicæ significare: sed quomodo Anastasius ipse scribit, *permissum esse facere ordinationem per mensem Decembrem?* Fallitur certè Anastasius. Neque hoc an. Vigilius CP. adiisse videtur, qui diu in Sicilia commoratus, ut ex supra allatis Procopii verbis liquet, & ex Legationibus, quas ibidem excepit, teste Facundo l. 4. 3. CP. venit Vigilius circa finem an. 546., vel init. sequ. Procopius enim l. 3. 6. id refert narrans quæ anno 12. Bell. Goth., is autem annus, ex ejusdem Scriptoris numerandi modo, incipit a verno tempore anni 546. Auctarium Marcellini notat adventum Pontificis in Regiam Urbem mense Januar. *Post Consulat. Basil. VI.*

(22) Quæ hic narrantur, & de Vigilii fuga in Ædem S. Euphemiæ Chalcedonem, ad an. 551. ante *Biduum Natalis Domini* pertinent, ut Epistola Encyclica Vigilii ostendit, *data Non. Februar. Imperante D. Justiniano PP. Aug. an. XXV., post Consulat. Basil. an. XI.* Anno certe sequ. exarsit Justiniani ira in Vigilium, missique qui Pontificem detinerent jussu Imperatoris: fugit autem ille ad

A urbem tractus, atque in carcerem traditus, modico pane, & aqua vitam misere toleravit. Clerus autem Romanus, qui cum eo erat, ad metalla effodienda est amandatus. Eodem anno Romani, qui Placentiæ erant, inopia rei frumentariæ usque adeo laborare fame cœperunt, ut carnes humanas esui adhiberent; quibus malis adacti semet cum urbe hostibus dediderunt. Erat tum Romæ Pelagius Diaconus, qui nuper Constantinopoli profectus cum ingenti pecunia à Justiniano sibi donata, Romam, antequam obsidione cingeretur, advenerat, & in ipsa obsidione pecuniam eam comiter indigentibus elargitus, maximam beneficentiæ laudem
B pepererat. Hunc igitur Romani, cum famis impotentia durius sibi consulere cogerentur, Totilam rogatum miserunt, ut paucorum sibi dierum inducias daret, ea lege, ut si intra id tempus nullum Constantinopoli auxilium accessisset, deditionem urbis, suique perficerent. Quem ut Totilas vidit, ultro alloquutus monuit, ne tria hæc à se postularet; ut Siculis parceret, ut urbis mœnia conservaret, ut servos restitueret, reliqua se liberius indulturum. Cui Pelagius respondit: Quoniam præ te fers, quem erga Romanos, qui adversus te arma ceperunt, animum geras, qui in Siculos nihil tibi adversatos acerbissimum odii virus effundas, legationem ad
C Deum rejiciam, qui supplicum odisse contemptores solet; atque his dictis discessit, quem ubi, irrita legatione, redeuntem Romani videre, repente dolore gravissimo exarsere, ac lacrymarum, sordiumque pleni Bessam, & Cononem appellavere, petentes, ut aut sibi tanquam servis alimenta suppeditarent, aut, si id non possent, manus inferrent, neque honestam mortem inviderent, atque uno ictu Romanos infinitis miseriis liberarent; quibus præfecti responderunt, neque commeatus dare, suæ facultatis, neque manus inferre, suæ pietatis esse. Belisarium autem affirmare, se propediem cum auxilio affuturum. Fames inde gliscens cibos quosdam absurdiores, & à natura alieniores
D assumere compulit. Præfecti vero frumenti maximum numerum sibi, fraudatis sua necessitate militibus, in urbe sepositum primoribus civibus magna pecunia vendiderunt, nam medimnus septem aureis stetit, qui vero non tantas habuere facultates, quarta ejus pretii parte depensa, ac sursure empto, panem ex eo ut sordidum, sic in tanta necessitate suavissimum, confecerunt. Bos aureis quinquaginta à Bessa est venditus, alii equos, alii urticas, atque herbas alias in locis incultioribus emergentes ederunt; qui pecunia caruerunt, domesticam supellectilem pro diurno cibo mutarunt. Ubi frumentum om-
E nino consumptum est, cuncti ad urticas, canes, muresque se contulerunt. Hinc macie extenuati colorem statuarum similem contraxerunt, atque aut incedentes, aut mandentes exanimati sunt: fuisse etiam dicuntur, qui ciborum loco excrementa corporum asciverunt. Vir quidam à filiis quinque rogatus, ut panem præberet, dolore dissimulato, eos se subsequi, tanquam accepturos, jussit, ubi vero ad Tiberis pontem pervenit, in flumen se capite obvoluto præcipitavit, filiis, ceterisque regionis ejus Romanis spectantibus, ac casus ejus diritate attonitis; quidam etiam sævos morsus in sua membra verterunt, quare præfecti ea civium desperatione perculsi iis, qui exire urbe vellent, pecunias tradiderunt, ac, quò luberet, copiam abeundi fecerunt: ita, paucis exceptis, omnes exiere, quorum plerique, arescentibus præ inedia membris passim, nonnulli ab hostibus intercepti, periere. Interim Belisarius cum universa classe Dyrrachio profectus, prospero usus vento, Hydruntem accessit, inde in Portum Romanum provectus Joannem expectare cum exercitu cœpit. At Totilas omnes ad urbem aditus intente observans, ne quid importaretur, quod obsessorum sublevare miserias posset, in parte angusta fluminis trabes longas in utramque ripam pertinentes in modum pontis constituit, ligneasque utrinque turres excitavit, in hisque pugnacissimos viros imposuit, ne lembis ex portu in urbem aditus pateret. Dum hæc autem aguntur, Joannes in Calabriam progressus, Gotthis, qui Brundusii erant, imprudentibus, capti exploratoris indicio, equorum hostilium greges avertit, atque ad castra hostium cursu citato profectus, atque imparatos, & dearmatos adortus, plerosque occidit, inde, Calabris in fide Belisarii confirmatis, Canusium venit (23), ibi à Tulliano quodam Lucano, viro inter suos potenti, conventus est, affirmante Italicos injuriis Romanorum compulsos ad Gotthos defecisse, si pristinam eorum in se benevolentiam recepissent, haud dubie ad auctoritatem Imperatoris se relaturos; neque enim ultro ad barbaros, & Arrianos concessisse. Joanne autem curaturum se omnia, quæ peterent, pollicente, suas mox Tullianus copias junxit, atque ita omnes Italos earum regionum ad auctoritatem Imperatoris redegit. Quibus rebus compertis, Totilas trecentos Gotthos delectos Capuam misit, jussos, ubi Joannem illac transire viderent, occulte sequerentur, ita ut non sentiret, ac cetera sibi curanda relinquerent. Joannes autem veritus ne ab hoste circumveniretur, in Bruttios, Lucanosque recessit, ac Ricimundum ejus regionis custodem ex improviso adortus, trepidum in collem avertit, ac, multis obtruncatis, ad deditionem adduxit, atque inde, transitu ad urbem desperato, in Apuliam recessit. Belisarius autem, tempore Joanne expectando consumpto, veritus, ne Romani victus necessitate adacti facinus aliquod inexpiabile molirentur, commeatus quovis modo in urbem intromittere nixus, talem machinationem instituit: naves duas ex iis, quas Græci acatas dicunt, patentiores inter se tignis revinctis junxit, ac ligneam turrim imposuit, altiorem iis turribus, quæ à Totila

ad Sergii Martyris Altare, cujus columnam apprehendit, secumque traxit, cum vi inde avelleretur, teste Theoph. an. Incarn. secund. Alex. 539., sed hæc non confundenda cum iis, quæ an. 551. evenere. Anastasio autem in *Vigilio* nonnisi caute deferendum, ut alibi dictum, præsertim quoad crimina falso eidem Pontifici imputata.

(23) Ubi perfugium habuere Romani post Cannensem cladem. Canusium, & Cannas Livius, & Procopius palam distinguunt, adeo ut mirari subeat, quomodo Albertus in sua Italia in unum confundat. *Cannæ* namque, ex Floro l. 1. 6, *ignobilis Apuliæ vicus*, sicuti habet & Liv. l. 22. 43., qui c. 54. Canusii valida mœnia commemorat: hodie Canosa, à qua procul plura milliar. cernuntur Cannarum vestigia.

tila in ponte fuerant excitatæ, inde naves ducentas, quas dromadas appellant, in Tiberim jecit, circumvallatas ligneis muris, eisque undique perforatis, ut ex foraminibus petere hostem possent; demum, frumento, rebusque necessariis impositis, militibus manu promptis explevit, inde pedites, equitesque circa fluminis ripas constituit, qui hostium in Portum impetum prohiberent. Isaaci autem intra Portum relicto uxorem Antoninam, & sua cetera commendavit, neque inde abire jussit, ut haberet, quò ab hostibus forte pressus refugeret, ceteris circumjectis locis late ab hostibus occupatis. His ita constitutis, ipse navim unam ingressus est, in qua turrim ligneam construxerat, ac lembum in fastigio collocarat, pice, sulfure, sevo, ceterisque ignis alimentis refertum, ac classem à terra trahi militibus imperavit. Ex altera Tiberis parte Portuensi via pedestri exercitu venire subsidio jusso, nuncium ad Bessam, ut postridie, eductis copiis, castra turbaret hostium, misit, quod ille exequutus non est, utiliorem sibi videns esse obsidionem, cum adhuc aliquid frumenti haberet, quod Senatoribus venderet. Belisarius, & Romana classis, cum propius ad pontem, nullis Gotthis occurrentibus, accessissent, in stationes hostium incidunt, qui ab utroque fluminis latere ad pontis tutelam ferreas cathenas injecerant, ne procedere ad pontem Romani possent, sed, custodibus partim stratis, partim aversis, ad pontem succedunt, atque hostes invadunt, & pontem, defatigatis illis, capiunt. Tum Belisarius, navibus, in quibus turres erant, ad pontem admotis, incendi lembos jubet, & in ligneam Gotthorum turrim materiam eam immitti, quo incendio turris correpta unà cum ducentis militibus flagravit. Ea re Romani alacriores effecti è castris opitulatum suis venere, atque hostibus acrius institere, ac metu territos in fugam egere. Ponte inflammato, jam aditus in urbem erat patefactus, cum rumor ad Portus oppidum perfertur, Belisarium Gotthos superasse, & cathenam in flumine recidisse, & pontem cum turri succendisse, quo permotus Isaaces, ne tantæ expers victoriæ esset, spreto Belisarii imperio, in alteram ripam cum equitibus centum trajecit, & ad hostium castra profectus, Rodoricum ducem, & Gotthos repente adortus sic exterruit, ut castra relinquerent; qui mox animo collecto reversi, Romanos prædæ colligendæ intentos invaserunt, ac, pluribus cæsis, Isaacem cum paucis vivum ceperunt. Hac re audita Belisarius confusus, ac Portum unà cum uxore in potestatem venisse hostium credens, tanto dolore affectus est, ut ne hiscere quidem posset; itaque exercitum protinus reduxit, atque ad Portum ire contendit, ut hostes imparatos opprimeret, & locum recuperaret, quem amissum putaret: ubi vero se opinione deceptum tantam victoriæ amisisse occasionem cognovit, gravi repente febri oppressus est, quæ illum diuturnitate sua usque adeo maceravit, ut ad mortis quoque discrimen adduxerit. Post biduum, Rodorico ex humanis rebus erepto, Totilas tantum doloris concepit, ut statim Isaacem captivum occiderit. Bessas interim frumentum impensius, pretium egentium necessitate augente, vendebat, & murorum custodias negligebat; itaque, nemine muros obeundo custodias invisente, Gotthi mœnibus liberius insultabant. Hac negligentia invitati quaterni custodes Isauri stationes ad portam Asinariam nacti nocte concubia è pinnis ad terram reste se demiserunt, & Totilam adeuntes, excepturos se intra urbem ipsius exercitum spoponderunt, atque promissis ingentibus onerati in urbem per funem reversi Gotthis, quos secum deduxerant, modum rei peragendæ ostenderunt, & custodibus conniventibus remiserunt. Cum Totilas parum Isauris fidens rem differret, illi haud ita multo post eadem monentes reverterunt, atque iterum duos alios ab eo datos, qui omnia perlustrarent, duxerunt, qui reversi priorum simillima retulerunt. Interea Romani milites multi exploratum, quid Totilas ageret, à Bessa emissi Gotthos decem captos in urbem perduxerunt, qui à Bessa rogati, quid Totilas animo agitaret, responderunt, Totilam in spem ingressum, se per Isauros quosdam urbem occupaturum, sed tamen Bessas, & Conon omnia neglexerunt, neque urbis custodiendæ acriorem ullam curam propterea susceperunt. Interim tertiùm Isauri ad Totilam accesserunt, eumque ad rem aggrediendam magnopere incitarunt: tum ille alium sibi cognatione conjunctum speculatum misit, qui reversus eadem, quæ ceteri, confirmavit. Itaque, expedito urbis aggrediendæ consilio, primis tenebris universo exercitu armato ad portam Asinariam prodiit, & quaternos Gotthos prævalidos viros, Isauris ducibus, per funem in muros jubet ascendere. Hi, cum eadem nocte, qua Isauris ipsis custodia obvenerat, evasissent, dormitantibus ceteris, ad fores Asinarias aperiendas descendunt, &, ferreis claustris refractis, aditum patefaciunt, & patentibus portis Totilam cum universo exercitu in urbem recipiunt, eo die, qui XVI. Kal. Februarii fuit, (24) ut Marcellinus adjecit. Totilas ingressus, confestim in unum locum copias omnes coëgit, neque eas vagari permisit, sive hostium insidias veritus, sive, ut inquit Anastasius, ut spatium Romanis daret, quo in Templa confugerent, neque enim avidus eorum sanguinis erat. Tumultu in urbe, ut in tanto casu solet, exorto, Romanorum militum pars maxima cum ducibus ipsis, ut cuique com-

(24) *XVI. Kal. Januar.* legitur in Auctario Marcellini, *Indictione X. post Consulat. Basilii VI*, qui in an. D. 547. incidit. Sed hic purus putusque anachronismus, nec unus in c. Auctario: primo namque quis ejus testimonium Procopio præferet? Procop. autem l. 3. 20. ad an. 12. Bell. Goth. Romam captam à Totila scribit, unde, si dies in Auctario notatus rectè se habet, ad præsent. an., ut A. N., id referendum, non vero ad sequ. Præterea si XVI. Kal. Jan. an. 547. capta Urbs, cœperat Indictio XI. à Septembri ejusd. anni; quod vitium potissimum in Auctario occurrit, ut incipiatur annus a Kalend. Januar., & cum Indictione tunc currenti, ea tamen non mutata in narrandis iis, quæ à Septembri in finem anni evenere. Emendandus igitur & Marius Avent., qui ad an. VI. P. C. Basilii, an. 547. ingressum Totilæ in Urbem ponit, addens, eodem anno Vigilium Pontif. Constantinopolim properasse; quæ ex dictis manifeste falsa.

A commodum fuit, fugam arripuere: pauci quidam Romanis se civibus immiscentes, in Templa perfugium habuere; soli Decius, & Basilius ex patriciis, cum præparatos ad id equos haberent, cum Bessa effugere potuerunt. Maximus, Olybrius, Orestes, & alii quidam in Basilicam S. Petri se recepere; è plebe in urbe tantum quingenti remanserant, qui Templa adeuntes salutem sibi pariter quæsivere, ceteri aut in alias terras, ut diximus, se contulerant, aut pestilentia interierant. Bessam fugisse cum audisset Totilas, neminem insequi voluit, nihil sibi acceptius ab hoste fieri asserens, quàm ut fugam capesseret. Ubi illuxit, nec ulla suberat insidiarum suspicio, idem orandi caussa Templum S. Petri inivit. Gotthi vero hostili more quos obvios habuerunt, nece B straverunt, milites quidem viginti, è plebe autem homines sexaginta. Ineunti Totilæ templum Pelagius Diaconus occurrit, Christi Evangelia in manibus gestans, ac genibus positis supplicabundus: *Parce*, inquit, *o Princeps tuis*: cui ille cachinnans respondit: *Nunc mihi demum supplicaturus advenisti Pelagi?* tum ille: *Maxime*, inquit, *quoniam tuum me servum effecit Deus, verum ab his jam abstine manus, qui tibi in servitutem cessere*. His percitus vocibus Totilas, militibus edicto suis mandavit, ne quem posthac Romanorum occiderent, atque urbem ita diripe- C rent, ut sibi pretiosissima quæque servarent. Magna in ædibus nobilium præda est inventa, sed quam Bessas reliquit magnitudine reliquam antecessit, ut qui nefarium illud frumenti divenditi pretium in Totilæ commoda cumulasset. Rusticiana (25) Boëtii quondam uxor bonis omnibus spoliata eo mendicitatis adducta est, ut ab hostibus panem, ac cetera necessaria corrogaverit, servilibus indumentis induta, quæ egentes sua beneficentia sustentarat; idem & multi alii primores Romanorum fecerunt, neque ea res tum pudori fuit. Rusticianam etiam à Gotthis insimulatam, quod per milites Romanos Theodorici Regis statuas deturbas- D set, Totilas metu, periculoque mortis exemit, atque una cum ceteris fœminis conservavit, quæ res effecit ut nulla vim passa sit. Postridie Gotthis omnibus advocatis ita disseruit: eos eadem se monere, quæ antea; nempe, ut justitiam, ac continentiam colerent, neque enim quidquam Deo acceptius esse: argumentum ex eo sumerent, quod, cum, æquitate posthabita, indigna adversus Italos perpetrarunt, centum millia hominum à septem millibus victi, ac primum imperio, deinde rebus omnibus spoliati sint; postquam resipuerint, paucos, eosque nudos, & ignavos triginta millia delevisse: quamobrem hortari illos, ut in proposita E sententia maneant. Inde, Romanis Senatoribus accitis, exprobravit, quod Theodorico multis ornati beneficiis male gratiam retulissent, ac Græcos in urbem invexissent, identidem eos interrogans, nunquid mali à Gotthis, nunquid boni à Justiniano tulissent? quo imperante, satis constaret, ipsos Magistratibus omnibus spoliatos esse, sæpe ab exactoribus vapulasse, atque in pace non aliter, atque in bello, tributa contulisse. Tacentibus autem Senatoribus, Pelagius, qui aderat, se interposuit, ac pro illorum salute supplex orare instituit, neque ante finem precandi fecit, quàm ille se erga ipsos clementiam suam præstiturum ostendit. His actis, Pelagium inde Diaconum & Theodorum Rhetorem Constantinopolim ad Justinianum cum literis misit, rogans, ut partes apud eum suas agerent, atque omnibus viribus ab eo sibi pacem, atque amicitiam impetrarent; ne, si irrito postulato redissent, ipse urbem diruere, atque in Senatores animadvertere cogeretur. Hi profecti literas reddiderunt, quæ erant in hanc sententiam scriptæ. Quæ urbi Romæ contigerint, ea te arbitror cognovisse; hos viros postulatum mitto, ut bona pacis tibi asciscas, & mihi tribuas, cujus fructus testes locupletissimos habes Anastasium Imperatorem, & Theodoricum Regem, qui, pace servata, bonis omnibus sua tempora cumularunt: si hæc præstiteris, meritò ego te parentem appellabo, & tu me in bello socium obtinebis. Justinianus autem, literis lectis, mandatisque perspectis, respondit, se rebus bellicis Belisarium præfecisse, eique liberam potestatem rerum, quæ ad Totilam pertinerent, dedisse. Interea vero, dum legati ultro, citroque commeant, Tullianus in Lucania, contracta agrestium manu, saltum quendam angustiorem insedit, ne hostes Lucaniæ detrimentum illaturi ea pervaderent; cum Tulliano vero trecenti etiam Antæ (26) erant, ob id ibi à Joanne Præfecto relicti; quæ ubi accepit Totilas, agrestium & ipse multitudinem convocavit, ac, nonnullis Gotthis adjectis, angustias eas invadere jussit, qui profecti, cum inferre vim voluissent, passi sunt, magno ab Antis detrimento accepto, qua re incensus Totilas urbis partem tertiam disturbavit. Pulchriora etiam, & magnificentiora ædificia incendio delere impetus cepit, quod ut Belisarius audiit, has ad eum literas misit: *Ut sapientis fuit, ædificia, quæ ante nulla erant, ad urbium ornamenta construere, sic quæ eas illustrant, evertere velle, hominis ejus videtur, qui prudentia careat, & quem posteris prodere suæ iniquitatis monumenta non pudeat. Roma omnium urbium, quæ illustrantur à Sole, magnitudinem, ac splendorem antecedere existimatur; neque enim unius viri virtute, neque parvi temporis intervallo ad tantum fastigium dignitatis ascendit, sed multi Imperatores, multis annis multisque copiis ex universo terrarum Orbe opifices coëgerunt, qui eam paulatim ædificando virtutum omnium monumentum posteris prodiderunt. Quare hæc tua comminatio sempiternam mortalibus injuriam inferet; nam & virtutis auctoribus præclarum monumentum, & posteris visendum spectaculum adimet. Quin etiam illud considerres*

(25) Plures ejus nominis, ejusdemque generis Rusticianæ. Prima uxor Symmachi Senioris, quam Viro suo doctissimo candelam, & candelabrum tenuisse Sidonius scribit l. 2. ep. 10. ad Hesperium: alia, de qua hic, Symmachi Junioris filia, & Boëtii uxor, de qua Procop. l. 3. Bell. Goth. Fuit etiam Rusticiana cum hac non confundenda, quæ ex Urbe Constantinopolim adiit, clarissima fœmina, ad quam plures datæ à S. Gregor. M. epp., cum Pontifex esset.

(26) Sive Anti, populi Sarmatiæ, Hunnorum genus, teste Jornande, paludem Mæoticam incolentes, quibus devictis Justinianus Anticus cognominatus.

A *eri velim, ex his duobus alterum necessario sequuturum, ut ipse hoc bello aut victus, aut victor discedas: si viceris, & Romam delveveris, non alterius urbem, sed tuam excideris; si victus eris, gratiam apud victorem, eamque non mediocrem inveris, & qui in ceteros clemens fueris, facilius clementiam consequèris, & iniquas illas hominum voculas devitabis, meritas te pro tam egregia urbe deleta pœnas dedisse, dicentium*. His literis semel, atque iterum lectis, totaque re diligenter ad rationem revocata, demum Totilas urbi sibi parcendum constituit, &, remissis legatis, Belisarii consilio se pariturum respondit. Ac, majore exercitus parte in Algidum (27) missa, B ut Belisarii militibus vagandi potestatem adimeret, ipse cum reliqua in Lucaniam adversus Joannem contendit, & nobiles Romanos alios secum deduxit, alios cum conjugibus, & liberis in oppida Campaniæ dispertivit. Urbs Roma, incolis omnibus amotis, prorsus est destituta, memorandum inter pauca exempla humanæ fortunæ ludibrium, ac spectaculum ipsis etiam hostibus, quanquam ab omni humanitate remotissimis, miserandum. Joannes, ut in se venire Totilam sensit, citato agmine ex Apulia Hydruntem se retulit. Tullianus vero ad Joannem cum Antis. Nobiles, qui in Lucaniam venerant, agrestibus, qui cum Tulliano sal- C tus angustias observabant, Totilæ permissu, persuaserunt, ut ad agros suos colendos redirent: ita ulterior Italia ferme tota Gotthorum in ditionem revertit. Tum Gotthi liberius vagari, atque omnia prædando sine metu circuncursare cœperunt, quousque Joannes, cohortibus aliquot emissis, plerosque eorum occidit: quo terrore captus Totilas copias omnes collegit, atque inde Garganum (28) se retulit. Marcianus Cononis miles, cum à Belisario ad Totilam simulata defectione transisset, ab eo benigne acceptus Spoletum cum alijs nonnullis est missus. Gotthi, Spoletum ab Herodiano sibi proditum cum cepissent, muros diruerant, atq; amphi- D theatrum, quod erat in urbe, ita munierant, ut omnes aditus obsepirent, præsidiumque ex Gotthis Romanisque perfugis imposuerant. Marcianus autem, contracta cum nonnullis præsidiariis militibus amicitia, persuasit, ut illustre aliquod facinus adversus barbaros molirentur, atque, opera bene navata, ad Romanos reverterentur: ita, re composita, Perusiam ad ejus præsidii ducem Oldigam Hunnum mittunt, eoque de consilii sui ratione commonefacto, ut Spoletum milites mitteret, rogant. Profectos ubi Spoleto appropinquare Marcianus cognovit, cum militibus quindecim, quos sibi adjunxerat, ducem præsidii occidit, atq; apertis por- E tis, Romanos intra oppidum recipit. Per eos etiam dies Belisarius cum delectis mille militibus Romam ad ejus statum explorandum contendit, ac magnam Gotthorum manum, qui circa urbem in insidiis consederant, in se erumpentem fortiter excepit, ac, plerisque in fugam versis, multisque interemptis, Portum repetiit. Joannes Tarentum à civibus nonnullis introductus inivit, & urbem, quippe magnam, muro se munire posse diffisus, Portum fossa, valloque firmavit, atque intra id spatium oppidanos, incolasque regionis reduxit; locoque præsidio confirmato, Calabris ad transeundum animum addidit. Totilas, cum in Lucania oppidum Acherusiam (29) occupasset, idque trecentorum virorum præsidio communisset, barbaris quibusdam ad ea Campaniæ loca missis, quæ à Romana nobilitate incolebantur, cum reliquo exercitu Ravennam versus intendit iter. Interim Belisarius animum ad recuperandam Romam admovit: itaque, paucis in præsidio Portus relictis, cum ceteris eò accessit, ac partem mœnium à Totila deturbatam lapidibus temere coacervatis, ac nullo cæmento interlitis sepsit, atque exterius ingenti sudium ordine fulsit: ut quando instaurare non posset, saltem aliquam speciem ædificii daret: circa muros vero fossam profundiorem duxit, universo per dies quindecim in id opus exercitu incumbente. Inde Romanos, qui circumjecta tenebant oppida, revocavit: qui partim desiderio urbis, partim copia rerum necessariarum, quas ille abunde invexerat, summo studio redierunt. Nondum fores portis præ paucitate opificum imposuerat, cum Totilas hac de re certior factus supervenit, ac castra super Tiberim posuit: & postridie sub ortum Solis ira fremens murum libere circuivit: qua re animadversa, Belisarius pugnacissimos quosque alios portis, alios muris custodiendis opposuit. Barbari clamoribus Romanos se perterrefacturos, urbemque primo impetu capturos, sperarunt, sed Romani rei indignitate accensi, furore in audaciam verso, supra vires pugnantes ad omnem impetum fortiter excipiendum se incitarunt, atque ex superiore loco barbaros ferientes cædem ingentem fecerunt. Demum, utrisque labore, lassitudineque confectis, prœlium sub occasum Solis dirimitur. Noctem inde Gotthi traduxerunt sauciis curandis, Romani vigiliis in muris, & ad portas per vices agendis, ac tribulis (30) extra portas dissemnandis, ut subitam hostium impedirent impressionem. Postridie Totilas ad oppugnanda mœnia cum universo exercitu rediit. Romani vero alacrius etiam, superiore elati prœlio, restiterunt: accedentes barbaros nonnulli insequi cœperunt, quos longius prolapsos Gotthi erant circumventuri, ne se posthac ad urbem recipere possent, nisi, pe-

(27) Oppidum Latii Tusculo finitimum, unde dictum Algidum, mons, cujus meminit Horat. l. 1. Od. 21., & Algidum nemus, l. 3. Od. 23. Strabo l. 5. p. 163., Dionys. l. 10. p. 647., aliique.

(28) Cujus meminit Mela, atque Plin., ut alibi dictum. Circa montem autem, qui Peninsulæ non mediocrem partem occupat, plura erant oppida, in quibus Collatia ex Plin. l. 3. 11. multa quoque adhuc extant, de quibus V. Leandr. Albert. Ital.

(29) Nulla in Lucania Acherusia (quæ solum palus est Campaniæ Misenum inter, & Cumas, de qua Plin. l. 3. 5., & Strab. p. 168.) reperitur: *Acherontiam* autem L. quam memorat Procop. l. 3. bell. Goth. 23. quamque Agerentiam Paul. Diac. l. 2. Langobardor. 21. dixit; quæ Lucaniæ Urbs est, in Apuliæ confinio.

(30) Tribuli ex Vegetio l. 3. stimuli ferrei sunt quadrangulares, qui in bello adversus equitatum præsertim spargebantur, & in quodcumque latus incumbentes, infestum semper protendunt aculeum. Murices Latini dixere. L. Valer. Max. l. 3.

A periculo cognito, Beliſarius, emiſſis aliquot
è ſuis, eos ſervaſſet. Hoc damno non con-
tentus Totilas poſt aliquot dies tertiam op-
pugnationem inſtituit: turpiterque item à
muris repulſus, cum in fugam ſe contuliſ-
ſet, multos è ſuis deſideravit: vehementer
à reliquis increpitus, quòd Romam ſemel
captam non funditus deleviſſet, ne quando
à Romanis recipi poſſet, atque ipſis in ea
recuperanda tantum laboris exhauriendum
eſſet, oblitis, quantis nuper eum laudibus
extuliſſent, quòd murorum parte dejecta
urbi clariſſimæ pepercíſſet. Soluta inde obſi-
dione Tibur receſſit, omnibus Tiberis pon-
tibus deturbatis, Milvio excepto, quem
B propter urbis propinquitatem demoliri non
potuit: idque oppidum paulo ante à ſe ever-
ſum reficere cœpit; ibique omni depoſita
pecunia manſit. Beliſarius ferratis foribus
portis impoſitis claves earum ad Juſtinia-
num cum literis rem geſtam ſignificantibus
547 deſtinavit. Poſtero anno Totilas magnum
militum numerum Peruſiam obſeſſum miſit.
Hi, cum deficere Romanis neceſſaria acce-
piſſent, ad Totilam miſerunt precatum, ut
cum univerſo exercitu propere ad ſe con-
tenderet, quo maturius Peruſia potiretur.
Totilas autem cum ſuos eum deſugere la-
borem videret, oratione habita eos cohor-
tatus eſt, ac ſimul rationem rerum à ſe ge-
C ſtarum omnium reddidit: & miſſo Peruſiam
exercitu arctiorem eam obſidionem effecit.
Joannes cum fruſtra Acheruſiam (31) obſi-
deret, Senatum Romanum, qui in Campa-
nia erat, ſibi ſervandum putavit: quippe
cum delectis equitibus, ſuo haudquaquam
enunciato conſilio, in Campaniam neque
die, neque nocte itinere intermiſſo perve-
nit. Hac re præcognita Totilas ad eos eri-
piendos equites delectos immiſit. Hi cum
Minturnas (32) perveniſſent, equos deſati-
gatos curarunt, ac præmiſſis nonnullis Ca-
puam, & vicina loca exploratum, eodem
forte die Capuam, quo Joannis equites, ac-
ceſſerunt. Ibi commiſſo prœlio penes Ro-
D manos victoria fuit. Gotthi pauci Mintur-
nas ſe receperunt, qui in præſidio erant,
cum pleroſque ſaucios, & cruore perfuſos
viderent, repente fugam arripuerunt: & ad
Totilam profecti innumerabilem eſſe hoſtium
multitudinem ad tegendam fugæ ſuæ turpi-
tudinem nunciarunt. Capuæ Senatores pau-
ci reperti, ſed matronæ ferme omnes: nam
urbe capta Romani cives Portum ſe contu-
lerant, mulieres captivæ factæ erant. Cle-
mentinus quidam nobilis redire noluit, quia
præſidium quoddam Neapoli proximum Got-
this tradiderat. Oreſtes vir Conſularis præ
equorum inopia vel invitus remanſit. Joan-
nes nobiles viros cum ſeptuaginta militibus,
qui à Totila, ad quem tranſierant, ſe ad
E Romanos receperant, in Siciliam miſit.
Hinc iratus Totilas magna mole adverſus
Joannem contendit, paucis militibus in præ-
ſidio ejus loci, in quo erat, relictis. Joan-
nes in Lucanos regreſſus erat ad contrahen-
dos milites, ſpeculatoribus dimiſſis, ne qua
in ſe repente irruptio fieret; ſed Totilas per
avios montes, & difficiles, quà ipſum ven-
turum Joannes ſuſpicari non poterat, iter
ingreſſus, nocte intempeſta ſupervenit: ac
repente adortus, ipſum in proximos colles
refugere compulit, ſed Joannes, centum
militibus amiſſis, Hydruntem pervenit inco-
lumis. Totilas, Romanis direptis caſtris,
abiit. Interim ex multis ducibus, quos Ju-
ſtinianus à Beliſario fatigatus in Italiam
cum militibus miſit, Bacuvius, Sergiuſque,
(33) & poſt hos Verus cum Herulis trecen-
tis, Varazeſque cum militibus octingentis,
venit. Verus autem omnium primus Hy-
druntem cum acceſſiſſet, cum Joanne mo-
rari noluit, ac, navibus dimiſſis, terra
Brunduſium adiit, atque ibi caſtra fecit.
Qua re cognita, Totilas vires ejus, aut ve-
ſaniam experturus ſupervenit, atque, impe-
tu facto, ipſum cum Herulis in ſylvam pro-
ximam compulit, ac mox cum reliquis in-
ter ſenticeta deliteſcentem oppreſſurus fuit,
niſi forte Varazes dux in litus exceſſiſſet,
quo viſo territus Totilas, ſublatis caſtris,
inde receſſit. Heruli inde cum Vero, & Jo-
anne Tarentum acceſſere. Valerianus autem
Armeniorum præfectus Conſtantinopoli cum
haſtatis, peltatiſque mille amplius juxta ſi-
num Ionicum veniens, miſſis trecentis mi-
litibus ad Joannem, oſtendit ſe primo vere
ei affuturum. Beliſarius, Conone ad urbis
cuſtodiam conſtituto, in Siciliam navigavit,
ut inde Tarentum iret, & ſe cum ceteris
copiis jungeret; ſed à tempeſtate Crotonem
rejectus, ibi cum conjuge manſit, ac milites
ſaltus quoſdam occupare ad parandum com-
meatum præcepit: qui milites Gotthos ade-
pti in fugam verterunt: mox à Totila, cum
negligenter locum tuerentur, oppreſſi ſunt,
quorum fugientes quidam Beliſarium mo-
nuerunt, Totilam in propinquo eſſe: quo
nuncio ille ictus ſtatim conſcendit, ac ſo-
lutis anchoris, Meſſanam eodem die perve-
nit. Totilas inde Romanos Roſciani, dedi-
turos ſe rei frumentariæ difficultate opina-
tus, obſidere inſtituit. Poſtero anno Juſti- 548
nianus pedeſtres in Siciliam copias miſit,
& Valeriano, ut ad Beliſarium ſe conferret,
mandavit: qui, trajecto freto, ſtatim pro-
ceſſit Hydruntem. Per eoſdem dies Beliſa-
rius Antoninam conjugem miſit Conſtanti-
nopolim, ad Theodoram Auguſtam oran-
dam, ut bellum copiis majoribus gereretur.
Qui vero Roſciani (34) obſidebantur rerum
neceſſariarum inopia conflictati, pacti cum
Totila ſunt, ſe, rebus ſuis ſalvis, intra
certum dierum ſpatium, nullo ſubmiſſo
Conſtantinopoli ſubſidio, deditionem oppidi
eſſe facturos. Milites à Beliſario ad cuſto-
diam urbis Romæ relicti Cononem ducem,
facta conſpiratione, obtruncarunt, crimine
oblato, quòd frumentum cum ſui jactura
& mercaretur, & venderet: Sacerdoteſque
quoſdam ad Juſtinianum miſerunt, petitum,
ne cui fraudi illius perpetratio facinoris
eſſet,

(31) Acherontiam L. ex ſupra traditis.

(32) Minturnæ vetus colonia, ad Lirim paulo ſupra oſtium, cujus mentio ap. Liv. l. 9. 25., & 10. 21., unde Paludes Minturnenſes dictæ, C. Marii latibulum. Vellej. l. 2. 14., & Cic. in Piſon.

(33) Is certe eſſe videtur, qui Africæ præpoſitus à Juſtiniano, multarum calamitatum auctor ibi extitit, narrante Procop. Bell. Vandal. l. 2. 22., qui ſubdit c. 24. in fin., inde evocatum ab Imperat., & in Italiam cum exercitu miſſum.

(34) Ruſcianum, & Ruſcia dicitur quoque, ut ap. Procop. l. 3. B. Goth. 28., ubi affirmat Thuriorum navale, in Bruttiorum finibus. Roſcianum legitur in Itiner. Anton.

effet, sed ejus in perpetuum memoria deleretur, & debita stipendia solverentur. Interim Belisarius cum Joanne, & aliis ducibus, majore jam contracta classe, Roscianum ad eam solvendam obsidionem contendit: præsidiarii vero ubi classem ex alto advolantem viderunt, spe maturi auxilii fulti se dedere, licet die deditionis instante, abnuerunt; verum naves, sæva repente oborta tempestate, aliò aversæ, atque adeo etiam dispersæ, cum capere litus non possent, Crotonem delatæ sunt. Belisarius inde, postquam omnes naves ex salo, & fluctibus coierunt, iterum Roscianum navigationem intendit, sed sagittis à Totila, telisque à litore repulsus, naves procul in mare reducere est coactus; itaque, desperata egressione, iterum Crotonem accessit, ibi vero, consiliis de bello agitatis, decretum est, ut Belisarius Romam rediret, ac, constitutis rebus, annonam in urbem inveheret, Joannes, & Valerianus, equis, virisque in terram expositis, terrestri itinere in Picenum concederent, atque hostes ab oppidorum obsidione averterent: sic enim Totilam ab obsidione Rosciani se remoturum. Joannes cum militibus mille profectus est. Valerianus terrestre periculum veritus, Anconam navigavit; sed ne ita quidem Totilas Rosciani obsidionem reliquit, sed duo millia militum in Picenum suorum auxilio misit, qui vero Rosciani obsidebantur spe omni Romani auxilii deturbati misere ad Totilam, qui actorum veniam postularet, &, salute pacta, semet dedituros promitteret: eam conditionem Totilas accepit, supplicio tantum de uno duce Chalazaro sumpto, quod pactis prioribus non stetisset; militibus, qui sibi navare operam vellent, sua bona concessit, reliquos nudatos emisit, ex his octoginta Crotonem profecti sunt. Antunina Constantinopolim profecta Theodoram Augustam (35) vita functam invenit; itaque, Justiniano convento, petiit, ut Belisarium ex Italia revocaret, idque obtinuit: (36) nam Justinianus Persarum armis solito vehementius urgebatur. Belisarius evocatus cum discessisset, in itinere Perusiam à Gothis captam audivit; hac re animadversa, Vigilius Pontifex cum omnibus Italicis Episcopis, qui

A Constantinopoli erant, Justinianum impensius obsecravit, ut omnes vires suas conferre ad liberandam Italiam vellet, quibus ille respondit, id sibi præcipue curæ fore: erat enim, ut inquit Procopius, tum sedandis seditionibus Ecclesiarum Orientis intentus. Hæc dum à Gotthis, regnante Totila, pro retinenda Italia omnibus viribus gerebantur, alii quoque barbari diversis in partibus Imperium lacerarunt; nam Franci multa in Venetia oppida occuparunt, cum neque Romani ea tueri possent, neque Gothi tantas opes haberent, ut ea recuperare valerent. Gepidæ Sirmium, & quædam Dalmatiæ loca sibi vindicarunt, quæ Imperator

B proxime Gothis ademerat. Longobardi nonnullis castellis ab eo in Norico, Pannoniaque donati, sedibus suis exciti supra Istrum, & prope Gepidas consederunt, ac Dalmatiam, Dyrrachium usque populabundi peragrarunt, multosque captivos fecerunt. Heruli, cum alia Dalmatiæ loca, tum maxime circa Singidonem habitarunt, & Illyricum omne incursaverunt. Demum Longobardi, & Gepidæ, collatis inter se armis, legatos ad Justinianum amicitiam postulatum miserunt, (37) illi Rege Andoino, (38) hi Chorisino. Longobardi obtinuerunt ea conditione, ut postquam auxilio suo Gepidas devicissent, opem sibi adversus Gotthos in Ita-

C liam ferrent. Qua re cognita, Gepidæ pacem cum Longobardis fecerunt. Sequenti anno Totilas universum exercitum Romam 549
reduxit, eamque corona cinctam obsidere incœpit: hanc Diogenes à Belisario relictus cum tribus hominum millibus tuebatur, qui ut erat vir acer, & prudens, urbem frumento, & aliis rebus necessariis repleverat, & post diligenter Gotthos à murorum oppugnatione propulsavit; idque eos sæpius conatos acerrime repulit: itaque Gotthi Portum occuparunt, atque inde arctiorem Romæ obsidionem fecerunt. Dum autem Justinianus ducem in locum Belisarii mittere cunctatur, ac Liberium Urbis Præfectum

D designat, atque aliis sese negotiis implicat, iterum Roma, quæ teneri potuisset, amissa est. Isauri quidam, qui ad portam Capenam (39) excubabant, alii exemplo Isaurorum, qui Asinariam prodiderant, ducti, partim sti-

(35) Ita Procop. ad an. 14. Belli Gothici, qui cum præsenti anno concurrit; unde minus recte Baronius hoc ann. mortuam Theodoram affirmat, & tamen annum numerat quintumdecimum ejusd. Belli. *Cum pietate obdormisse* Theophanes prodidit an. incar. sec. Alex. 540. incertum an id dixerit consueta in Principes reverentia, an vero quod male factorum revera ipsam pœnituerit; mense Junio obiisse Theoph. scribit. Victor Tunun. morbi genus posteris commendavit di-

E cens: *Theodora Aug. Chalcedon Synodi inimica canceris plaga corpore toto perfusa, vitam prodigiose finivit*. Procopius addit, *postquam in summa fortuna per annum unum & viginti ac menses tres vixerat*; qui eam pluribus insectatur in Histor. Arcana.

(36) *Facillime* Antonina *impetravit, cum ad hoc Justinianum Aug. impelleret bellum Persicum*, Procopio teste, Bell. Goth. l. 3. 30. Chosroës enim de universa Lazica Imperio suo adjicienda cogitaverat; unde Gubazes Lazorum Rex Justiniani auxilio implorato, Dagisthæum Ducem cum valida ope obtinuit, qui cum Lazis simul Petræ obsidionem aggressus irrito conatu, palam fecit se imparem ei bello administrando futurum. L. Procop. l. 2. Bell. Pers 28., & 30.

(37) Jam ab anno 527. *Haudoin Longobardos in Pannoniam duxerat*, ut testatur Sigebertus in Chr. ad eumd. an., addens, *in qua habitarunt quadraginta duos annos*, ad an. usque 568., quo in Italiam venere. Totidem annos in Pannonia commoratos prodidit Paul. Diac. l. 1. de Gest. Langobard. 22., inde autem irrupere in Dalmatiam, & Illyricum h. anno, non omnino relicta Pannonia.

(38) Audoinus, sive Haudoin an. 543. obiit, qui Langobardos in Pannoniam duxerat, cumque Alboinus filius excepit, teste Sigeberto in Chr. hic autem Langobardos in Italiam an. 568. duxit. A. N. secutus est Procopium, qui loco Alboini, Andoini nomen nobis obtrusit: sicuti & l. 4. Hist. Goth. 25. Gepædum Reges confundit, Cunimundum præteriens, ejus loco Thorisinum ponens, ubi Gepædum Regni finem describit.

(39) A Capena Urbe, quam Italus Rex ædificavit, ex Solino. Porta Appia nuncupata, ut Frontin. l. de Aquæd. Item triumphalis, per quam triumphantes plerumque in Urbem invehi solebant. Hodie Porta S. Sebastiani.

A ſtipendia debita ſibi non ſoluta cauſſati, quàm occultiſſime in colloquium cum Totila venerunt, & urbem ſe illi prodituros, profeſſi ſunt. Ubi vero dies ad rem conſtituta acceſſit, ejuſmodi Totilas dolum molitur. In Tiberim prima noctis vigilia naves duas longas immiſit, hiſque viros acres impoſuit, monitos, ut adverſo flumine navigarent, & ubi quàm proxime muros veniſſent, quanta vi poſſent, elangorem buccinis ederent: ipſe interea hoſtem fruſtratus, ad portam Capenam paratum exercitum duxit, atque alios in inſidiis collocavit, ad eos, qui noctis tenebris tuti evaderent, capiendos, quos juſſit interfici. Qui in navibus erant, poſtquam muro appropinquarunt, B tubis canere cœperunt, cujus rei novitate Romani attoniti, & metu periculi majoris exterriti temere cuſtodiis relictis omnes eò convolavere, eam muri partem ab hoſtibus invadi arbitrati. Soli Iſauri in ſua ſtatione manſere, atque hoſtibus portas aperuere. Tumultu hoſtili comperto multi Romanorum per diverſiſſimas portas urbe ſe effudere, ſed qui Centumcellas abierunt, ab inſidiatoribus trucidati ſunt. Diogenes ſaucius in tutum evaſit. Paulus Cilix cum Diogene cuſtos urbis conſtitutus cum equitibus quadringentis ad molem Hadriani confugit, ponte, qui fert ad Templum Sancti Petri, C præoccupato. Poſtridie autem ſub lucem Gotthi in ponte cum Romanis pugnam commiſerunt, & licet, Romanis acriter prœliantibus, ſuperiores erant, tamen propter anguſtias cum conferti, preſſique pugnarent, multi cadebant; qua re cognita, Totilas receptui cecinit, & ſuos quietem capere juſſit, hoſtes ſe fame domiturum exiſtimans. Paulus inde cum quadringentis equitibus inedia laborans eam noctem inſomnem traduxit, poſtridie equos interficere, atque eorum carne ſe ſuſtentare decrevit; ſed ſtatim inſoliti cibi nauſea affectus rem in ſerum diei diſtulit. Poſt autem, cum varia conſilia volutaſſent, hoſtem invadere D ſtatuerunt, ferro potius mori, quàm fame cupientes. Qua re præcepta, Totilas veritus, ne deſperatione adacti inſignem aliquam ſibi cladem afferrent, has conditiones obtulit, ut, relictis equis, armiſque, Conſtantinopolim incolumes irent, neque arma poſthac Gotthis inferrent, aut, iiſdem retentis, ſibi una cum Gotthis ſtipendia facerent. Secunda conditio eſt accepta, quod inſidias in itinere Conſtantinopolitano timerent. Paulus tantum, & Mindus Iſaurus, uxorem, liberoſque ſe Conſtantinopoli habere affirmantes, viatico a Totila commeatuque donati, abiere. Trecenti Romani, qui ad Templa confugerant, fide accepta, E ſeſe ad Totilam contulere. Totilas legatos ad Regem Francorum miſerat, (40) filiam in matrimonium poſtulatum, quam conditionem ille reſpuerat, eum neque nunc Regem Italiæ eſſe, neque in poſterum fore, inquiens, ut qui urbis captæ tenere poſſeſſionem nequiverit, ſed à ſe deletam hoſtibus habendam permiſerit. Quo reſponſo permotus Totilas, recepta urbe, commeatus importari, ſarcirique omnia imperavit, quæ à ſe vel incendio, vel ruina deleta fuiſſent. Romanoſque & nobiles omnes, quos in Campaniam emiſerat, revocavit, ac ludis equeſtribus editis luſtravit exercitum, quem in Siciliam erat ducturus, ac quadringentas naves ad pugnam comparavit, lemborumque vim magnam, quas ex Oriente venientes cum viris, oneribuſque exceperat. Stephanum inde Romanum ad Juſtinianum miſit, oratum, ut ſecum fœdere jungeretur, atque arma adverſus alios hoſtes converteret, quem Juſtinianus ne in conſpectum quidem admittere voluit. Qua re cognita, Totilas bellum ſibi redintegrandum putavit, ac Centumcellas obſidionem applicuit, ac, miſſis Oratoribus, Diogenem Præfectum, num ſe dedere vellet, tentavit; quo negato, milites ad prœlium provocavit, monens eos, neque ſubſidium ab Imperatore accepturos, neque poſthac bellum cum Gotthis adminiſtraturos, nam urbem captam in ſua poteſtate eſſe: itaque iiſdem, quibus Gotthi, conditionibus ſecum militaret, aut quò vellet, incolumis ſe conferret. Diogenes neutrum horum probavit, ſed ſe miſſurum nuncium ad Juſtinianum dixit, qui, ſi intra certos dies nullum auxilium ſummiſiſſet, ſe dediturum. Hæc conditio placuit, eaque, obſidibus utrinque datis, firmata eſt. Totilas, obſidione ſoluta, in Siciliam iter ſuſcepit, Rhegium in Calabria pertentavit, ſed fortiter repulſus, exercitus parte in obſidione retenta, alteram ad oppugnandum Tarentum miſit, idque negotio nullo recepit; eodemque tempore Ariminum ab iis, qui in Piceno erant, Gotthis proditione receptum. His cognitis, Juſtinianus Germanum ſororis filium (41) ducem adverſus Totilam deſtinavit, quæ fama in Italiam perlata ut Gotthorum animos conſternavit, ſic Romanorum erexit; nam ejus nomen apud omnes erat celeberrimum. Inde, mutato conſilio, pro Germano Liberium, de quo diximus, ire decrevit, quem diſceſſum parantem poſt etiam conſilio mutato retinuit. Quæ dum aguntur, Verus dux non longe à Ravenna cum Gotthis congreſſus, non parvo cum ſuorum damno in prœlio occubuit. Totilas ubi vidit Rheginos fortiter pugnantes deditionem recuſare, relicta in obſidione ad commeatus impediendos ingenti militum manu, in Siciliam trajecit, ac ſtatim Meſſanam invaſit: cui obviam extra mœnia venit præfectus Dometiolus, ac, certamine inito, pari virtutis laude in urbem ſe recepit. Gotthi inde, nemine reſiſtente, Siciliam populati ſunt: qui vero ad Rhegium aſſidebant, tandem Rheginos fame domitos in deditionem acceperunt: quæ res Juſtinianum impulit, ut ſtatim claſſem cum pedeſtri exercitu, Liberio rurſus belli ſumma conceſſa, ſummiſerit: poſt autem, quoniam effœtæ ætatis erat, & rei bellicæ imperitus, ei revocato Artabanem (42) Thraciorum militum

(40) Verba Procopii ſatis indicant hanc Legationem miſſam, antequam Totila Urbem iterum occuparet, & reſponſum Regis idem evincit, quem Procopius non nominat: ſed is Theodebertus fuit. An. igitur 547. quo Theodebertum obiiſſe infra dicetur, ea Legatio conſignanda, ante captam denuo Urbem à Totila.

(41) De quo repete quæ ſupra.

(42) Erat is Joannis filius, Arſacides, de quo fuſe Procop. Bell. Perſ. l. 2. 3., & alibi. Præfectus militum in Africa cum eſſet, obtinuit à Juſtiniano, ut Byzantium rediret, ex Procop. l. c. c. ult. in fin., eum adverſus Gontharim proſpere pugnaſſet.

tum ducem substituit, eumque, classe à Liberio accepta, in Siciliam transire præcepit: summæ tamen belli gerendi Germanum præfecit, eumque ingenti pecunia data ex Thracibus, Illyriisque copias idoneas conscribere jussit. Germanus maxima cupiditate ardebat, quemadmodum modo Africam, Stoza tyranno (43) res novas moliente, servarat, sic Italiam adversus Gotthos vindicare: nam Matasuentam Amalasuentæ filiam, & Theodorici Regis neptem, Vitige marito priore mortuo, sibi matrimonio copulaverat, &, cum secum eam duceret, Gotthos adversus eam arma laturos non putabat: itaque & publica, & privata pecunia magnis conscriptis copiis, ingentes vires in bellum attulit: nam præstantissimi bello viri ceteris ducibus fastiditis, eum sequuti fuerant, Germanique ipsius filii belli miro studio incitati, & barbari multi aut pecunia, aut amicitiæ nomina dederant. Quibus rebus in majus in Italiam nunciatis, Gotthi pavere cœperunt, atque animo hæsitare, utrum adversus Theodorici genus arma ferre deberent. Romani vero, qui cum Gotthis inviti militabant, ad Germanum miserunt, qui nunciarent, se, ubi primum Italiam attigisset, ac castra locasset, nulla interposita mora, ad eum transituros: milites autem, qui Ravennæ, & aliis locis omnibus impositi fuerant, ut in spem bonam ingressi, omnia sibi diligenter custodienda duxerunt: quinetiam ceteri, qui ex fuga adversorum præliorum passim dissipati fuerant, postquam Germanum in Italiam tendere acceperunt, agmine uno se in Istriam contulerunt, ibique Romanum exercitum expectarunt. Diogenes, cum pacta dies adesset, quo Centumcellas tradere deberet, oppidum haudquaquam in sua esse potestate dixit, cum Germanus adventaret ab Imperatore summissus: si suos sibi obsides non reddat, se quos ab illo acceperat, repente intercempturum: atque ita ad oppidum tuendum se præparavit, Germanum expectans in diem cum exercitu affuturum. Theodebertum Regem Francorum mortuum (44) excepit filius Theodobaldus.

550 Cum autem quingentesimus quinquagesimus jam annus iniisset, dum Germanus in Illyrico exercitum contrahit, Sclavinorum (45) vis maxima, trajecto Istro, ad Naissum oppidum venit eo animo, ut, quemadmodum ex captivis eorum est cognitum, Thessalonicam penetrarent, atque ipsam cum finitimis locis omnibus occuparent. Quæ postquam Justinianus accepit, periculi magnitudine territus, ad Germanum scripsit, ut in Italiam transmittere cunctaretur, sed Thessalonicæ, aliisque locis auxilium ferret. Sclavini vero, mutato consilio, in Dalmatiam flexere: qua re audita recreatus Germanus in secundum ab illo diem Italicam expeditionem indixit: neque ita multo post morbo tentatus interiit. Quo nuncio accepto, Justinianus Joannem una cum Germani filiis exercitui illi jussit præesse: hi vero in Dalmatiam hibernaturi proficiscuntur; nam fretum trajicere, Gotthis mille naves habentibus, arduum videbatur. Liberius nondum audito, successorem sibi mitti, classem Syracusas à Gotthis obsessas applicuit, atque, impetu in hostes facto, in portum descendit, & cum universa classe muros subivit. Artabanes inde, cum in Cephalleniam pervenisset, ubi Liberium Syracusas contendisse accepit, eò cursum intendit: verum, postquam Calabriæ propior fuit, repentina tempestate coorta, ab adversis ventis dispersæ ita sunt naves, ut aut litori appulsæ in hostium venerint potestatem; aut vi ventorum impulsæ in Peloponnesum, unde discesserant, sint rejectæ; aut certe, solutis compagibus, periere: paucæ tantum evaserunt, inter quas ea, qua Artabanes vehebatur, Melitam, (46) diffracto malo, appulsa est. Liberius autem neque militibus, neque commeatibus satis instructus Syracusis Panormum, frustratus hostem, accessit: Totilas autem, Gotthique, omnibus Siciliæ locis direptis, ingenti equorum, pecorumque abacto numero, & frumento, aliisque cujusvis generis frugibus exportatis, in Italiam summa celeritate se retulit. Joannes vero, dum hæc agerentur, & Imperatoris exercitus in Italiam venit, ubi hiemare constituit, ut exacta hyeme inde Ravennam concederet. Constantinopoli contentio de tribus capitibus Concilii Chalcedonensis paulo ante à Justiniano damnatis adhuc Ecclesiam fatigabat, neque res tanta componi posse sine generali Concilio videbatur: harum turbarum concitor erat Theodorus Episcopus Cæsariensis, ut diximus, qui contra illa differendi finem non faciebat: neque monitis, atque objurgationibus Vigilii Pontificis, qui adhuc in urbe erat, aures præbebat: itaque Vigilius (47) Episcopis Africæ, Illyricique adhibitis, quos offensos constabat, una cum Justiniano Concilium habuit, Mena Episcopo Constantinopolitano,

&

(43) Hunc Germanus in Numidiam redeuntem insecutus, acerrimo commisso prœlio, fugavit, quod Africanæ seditioni finem imposuit; Stozas enim in Mauritaniam concessit, nec deinceps arma movit, L. Procop. Bell. Vandal. l. 2. 17.

(44) Non est in hunc an. differendus Theodeberti obitus; Gregor. enim Tur. l. 4. Hist. ait: *à transitu Theodeberti Senioris usque ad exitum Sigiberti, supputantur anni XXIX.* atqui convenit inter eruditos, Sigebertum an. 575. mortuum; anno igitur 547. vita cessit Theodeb. Fredegarius Gregorii Epitomator eumdem annorum numerum exhibet, adeo ut illum interpolatum immerito opinetur Duchesnius. Emendandus Marius Aventic. in Chr., ejusdem mortem conjiciens in Post-Conf. Basilii an. VII., an. nempe 548.

(45) Irruptio hæc refertur à Procop. l. 3. Bell. Goth. 40., ea narrante, quæ acta sunt an. 16. ejusd. Belli; unde recte h. an. consignatur, contra ac plerique fecere, in an. sequ. illam conjicientes, in quibus Baron. Sclavenos magna Romanorum clade pugnasse, idem Procop. auctor est, postquam Germano defuncto gener ejus Joannes successerat, simulque late populatos, ad Muros longos, qui Byzantio diei itinere paulo amplius distant, pervenisse.

(46) Melitæ portum laudat Diodor. Sic. l. 5. 12., ubi & urbem bene ædificatam prædicat, omnisque generis artifices, & in his linteaminum subtiliorum textores; quod artificium à Phœnicibus accepisse tradit, primis insulæ colonis.

(47) Quæ hic narrantur ab A. N. ante an. 548. gesta, ut liquet ex Theoph. ad an. Incarnat. sec. Alex. 539., qui Kal. Sept. an. Chr. 546. incipit: præsertim quia an. 548. Vigilius in Synodo septuaginta Epp. celebrata, singulorum suffragiis sigillatim scripto ad se delatis *Judicatum* dedit ad Mennam, quo Tria Capitula damnabat.

& Dacio Mediolanensi, & aliis Græcis, Latinisque Episcopis, atque ipso in primis Theodoro præsentibus: in quo statuit, ne usque ad Concilii decisionem quidquam de supradictis capitibus tentaretur. Venerat autem Constantinopolim ad Vigilium Dacius Ecclesia Mediolanensi propter fidem exactus, ut scribit in Dialogo S. Gregorius. Haud tamen propterea quievit Theodorus, sed libellum trium capitum damnationem continentem quibusdam Episcopis Græcis recitavit, ut ab eis assensum eliceret: quare increpiti omnes à Vigilio ad promerendam simulata satisfactione gratiam advolarunt.

551 Non destitit inde postero anno Theodorus Justinianum adversus Vigilium incitare: quo factum est, ut Justinianus edicta quædam (48) contra Vigilium proposuerit; quibus cognitis, Vigilius, cum in ædibus Placidianis esset, atque una Episcopi Græci, & Latini, inprimisque Dacius Mediolanensis adessent, prohibuerunt, ne quis prævaricationi communis constituti præberet assensum. Vigilius autem dixit: *Rogate Justinianum, ut, edictis sublatis, commune decretum expectet, dum Episcopi Latini hac re offensi ad Synodum veniant: ac, vi omni adempta, suas sententias exponant: quòd si preces vestras audire noluerit, vos nulli rei exhibete assensum, quæ ad divisionem attineat: quòd si hoc forte feceritis, scitote, vos, tanquam prævaricatores Beati Petri Apostoli, per ministerium vocis meæ suspensos esse*. Theodorus autem, & quidam alii Episcopi, pontificia auctoritate neglecta, ad Ecclesiam, unde edicta pendebant, venerunt, &, adjectis aliis prævaricationibus, Missarum solemnia celebrarunt: & quasi parum esset, primæ Sedis Episcopum contempsisse, Zoilum Episcopum Alexandrinum ex Diptychis exemerunt, & Apollinarem perversorem intulerunt. Quibus rebus adductus Vigilius una cum Episcopis Italicis XIX. Kal. Septemb. convenit, Dacio Mediolanensi, Joanne Marsicano, (49) Zachæo Scyllaceno, Valentino Sylvæ-candidæ, Florentio Matellicatensi, Juliano Signino, Romulo Numanate, Dominico Calliopolitano, Primasio Amiternino, Verecundo Lonensi, (50) Stephano Ariminensi, Paschasio Arretino, Jordane Cortonensi, atque eos Episcopos officio Sacerdotali, communione Catholica, & potestate Episcopali privavit: item Menam Episcopum, & Suffraganeos ejus, qui his assensissent, sacra communione suspendit, donec resipiscentes sibi satisfecissent. Extat epistola Vigilii ad Theodorum in hanc sententiam hoc anno data. Hæc vero non modo ab eis non emendata, sed gravioribus etiam aliis adversus Sedem Apostolicam injuriis cumulata sunt: itaque, cum in ædem S. Petri fatigatus confugisset, quæ in eos voce publice ediderat, IX. Kal. Septemb. scripto confirmavit, ac Menam Episcopali dignitate privavit: alios vero communione suspendit, ac tabulas damnationis cuidam tradidit conservandas, ut si quam ipse vim passus esset, aut morte occubuisset, mox in celeberrimis locis proponeret. Ineunte autem vere, Joannes Salona movere in Italiam adversus Gotthos constituit, sed à Justiniano vetitus est, jubente expectari Narsetem: hunc namque ei bello præfectum destinaverat: erat autem is eunuchus ex cubiculo, & chartulario (51) ad Patriciatum evectus, vir acer consilio, bellique peritus. Narses igitur, ingenti pecunia, atque exercitu à Justiniano acceptis, iter ingressus in Thraciam venit. Philippis vero Hunnorum in provinciam incursu se tenere per aliquot dies coactus est: inde eo liberatus tumultu iter est persequutus. Interim Totilas, hoc apparatu audito, res Romanas ita disposuit: urbis curam Romanis nobilibus, Gothisque nonnullis tradidit, reliquos suspectiores in Campaniam misit, pœnitentiam præ se ferens, quod ante aliquid ad urbis eversionem molitus esset: trans Tiberim vero multos, tanquam mancipia, ad habitandum traduxit, publicis, privatisque ademptis pecuniis: longas præterea naves militibus impletas prædatum in Græciam misit, quæ Corcyram, & circunjectas insulas, & Epiri oram universam populatæ sunt, & naves Romanorum multas, in primisque quæ necessaria ad Narsetis exercitum deferebant, ceperunt. Milites item ad expugnandam Anconem cum peritissimis ducibus misit, eisque naves quadraginta septem dedit, ut terra, marique Anconis obsidionem urgerent. Obsessæ Anconæ post multos dies annona defecit; quod ut Valerianus, qui Ravennæ erat, cognovit, cum ipse subvenire non posset, Joannem, qui Salonæ erat, certiorem fecit. Joannes, periculo Anconæ cognito, necessitatem eam Imperatoris mandato prævertendam ratus, triginta octo naves militibus, commeatibusque replevit, atque omnibus rebus ad bellum navale pertinentibus instruxit, & Salona profectus ad Romanam classem accessit, ad quam non multo post etiam Valerianus cum duodecim navibus venit: qui duces cum

in

(48) Præter prius edictum, de quo supra, alterum à Justiniano emanavit adversus tria Capitula præscripti an., Theodoro instigante; cujus edicti causa tumultus Constantinopoli ingens est ortus, quem L. in Libello Cleri Italiæ, & ep. encyclica Vigilii. Prodiit autem secundum hoc edictum mense Julii; nam post triginta dies ab edicti subscriptione testatur Vigilius se à communione removisse Theodorum: damnatio autem Theodori scripta est die 14. Augusti, quam L.

(49) Est Marsorum populus in Latio Mediterraneo, & Marsicana Ecclesia modo etiam Episcopalis. Zachæus Scylacii Mediterraneæ Calabriæ ulterioris. Valentinus Sylvæ Candidæ, Latii Urbis, qui nuper a Gothis captus fuerat, ut ex Procopio retulit superius A. N. Florentius Matelicatensis, Matelicæ nempe Ep., insignis in Piceno oppidi; hodie vero subjecti Camerti Episcopo. Romulus Numanates à Numana veteri Piceni civitate, nunc parvus vicus prope Sirollum: recte Numanates dicitur, non vero Numentanensis.

(50) Sunt qui Veremundum Episc. Lucensem dicendum putant: at Veremundus hic Nicensis fuit Episcopus in Provincia Byzacena, à Justiniano ad Synodum una cum Primasio avocatus, Vigilio adhæsit, ut auctor est Vict. Tun., post Consulat. Basil. an. XI.

(51) Chartularius hic intelligitur *sacrorum cubiculorum*, de quo Novell. 8. 8., & Nov. 25., qui Codicillos Imperatoris asservabat. Erant autem & Chartularii numerorum militarium, Nov. 117. 11., & L. 19 C. de erogat. milit. annonæ l. 12., qui in acta referebant nomina militantium, & defunctorum militum. V. Leonem in Tacticis c. 4. §. 31. Chartularii dignitas Ecclesiastica ap. Joann. Diac. memoratur, & Gregor. M. l. 4. ep. 23., & 24.

in unum coiſſent, communicatis conſiliis, ad alteram partem Anconis, ubi Senogallia eſt, appulerunt, quorum adventu cognito, Gotthi naves longas quadraginta ſeptem, quæ ſibi ad manum erant, delecto milite complent, &, reliquis copiis ad Anconæ obſidionem relictis, in hoſtes ducunt; ubi vero in conſpectum venere, utrique naves à curſu parumper continuere, ac ſuos verbis ad prœlium accendere incœpere. Joannes autem in primis, quantum momenti eſſet ad victoriam in eo retinendo præſidio docuit, præſertim ad commeatus invehendos, ſine quibus bellum geri non poſſet; nam ab Hydrunte Ravennam nullum aliud præſidium ſupereſſe: in Ancona igitur ſpem omnem reſidere, ut ex Dalmatia ſolventibus Romanis in Italiam trajicere, & tutum in locum egredi liceat. Gotthorum autem duces multa verba de temeritate, ignaviaque Græcorum fecerunt, & ut ſæpius ſuperati, nunc de integro vinci facile poſſent. Quibus utrinque dictis, navale prœlium eſt initum haud ſecus, quàm ſi pedeſtri decertaretur; nam proras in ſe converterunt, ſagittiſque jaciendis pugnarunt, & qui viribus prævalebant, pede collato, manum conſeruerunt; atque è tranſtris perinde, ac patenti in campo, confligentes comminus ſe gladiis petierunt, ſed Gotthi incompoſiti, & ſolutis ordinibus decertabant, nam aut naves ita disjunxerunt, ut hoſti opportunas efficerent, aut ita inter ſe condenſarunt, ut ſemet pugnando impedirent; itaque imperitia ſua victi cladem ingentem acceperunt: undecim enim tantum naves evaſere; reliquæ in poteſtatem Romanorum venere, viri aut interfecti, aut cum navibus ipſis demerſi, aut vivi capti, qui in undecim erant, ad terram appulſi, navibus incenſis, ad caſtra Anconem ſe contulerunt, ac, clade ſuis expoſita, tantum terroris incuſſerunt, ut repente caſtra reliquerint, & Auximum ſe receperint. Romani duces Anconam profecti, caſtra diripiunt, urbemque commeatibus complent, atque inde Valerianus Ravennam, Joannes Salonam repetunt. Interim, Liberio domum revocato, Artabanes Gotthos in Sicilia relictos obſedit, eoſque aut in aciem tractos devicit, aut in maximam rei frumentariæ difficultatem redactos ad deditionem adduxit: itaque his territi Gotthi à prœlio abhorrebant, &, ſi quod Romanis ſubſidium adveniſſet, plane de ſe actum exiſtimabant, neque aut in Italia ſe permanere, aut à Juſtiniano impetrare veniam poſſe: Totilam enim ſæpe nuncios ad eum miſiſſe, ſignificatum, maximam Italiæ partem à Francis occupatam, reliquam ab humano cultu deſertam eſſe. Sicilia, & Dalmatia, quæ ſolæ integræ remanſiſſent, Romanis Gotthos ceſſiſſe; fœdere ſe cum illo, ſi id gratum ſit, jungi, & in omnibus rebus obſequi velle. Juſtinianum autem, qui Gotthorum nomen inviſum haberet, atque eos ex Imperio Romano pellere ſtatuiſſet, legatos ſine reſponſo ad Totilam remiſiſſe. Interim Theodebertus Rex Francorum (52) Cottias Alpes, & loca Liguriæ, ac Venetiæ quædam ſibi ſubjecerat; nam, cum Gotthi oppida quædam in Venetia, & Romani quædam alia ad mare permiſiſſent, reliqua ipſe ſuæ ditionis effecit: fervente autem Romano cum Gotthis bello, inter Gotthos, Francoſque convenit, ut interim ſua utrique pacate tenerent, nec quidquam hoſtiliter tentarent; quod ſi quando contigiſſet, Juſtinianum à Totila ſuperari, tunc utrique ſtatuere liceret, prout Reipublicæ expedire judicaviſſet. Theodeberto inde mortuo Theodobaldus filius ſucceſſit, ad quem Juſtinianus legatum Leontium miſit, ut ſecum adverſus Totilam ſocietatem iniret, & Italiæ locis abſtineret, quæ ille occupandi libidine tenebatur, qui, cum multa diſſeruiſſet, nihil profecit. Theodobaldus ſe fœdere Gotthico teneri, quo minus cum eo ſocietatem coiret, reſpondit: loca Italiæ, quæ ille occupaſſe argueretur, non Romanis eripuiſſe, ſed Totila poſſeſſore palam prodente accepiſſe, quarum rerum cognitionem judicibus ſe permittere paratum, deque ea re legatos Conſtantinopolim miſſurum eſſe. Interim Totilas Gotthorum primores cum claſſe emiſit, qui primum Corſicam, deinde Sardiniam, nemine reſiſtente, ſui juris fecerunt. Quam rem ubi didicit Joannes, qui tum forte in Africa exercitui præerat, propere claſſem in Sardiniam cum militibus miſit, qui profecti caſtra ad Caralim poſuerunt, ut eam obſiderent; nam oppugnare, præſidio Gotthorum reſiſtente, non poterant: verum, eruptione à Gotthis repente facta, magno detrimento accepto, in fugam conjecti ſunt. Qui prœlio ſuperfuere, receptu ad naves facto, Carthaginem redierunt, atque ibi ineunte vere majore cum apparatu reverſuri hiberna egerunt. Orto novo inter Gepidas, & Longobardos bello, Juſtinianus cum Longobardis (53) petentibus ſocietatem inivit, atque ex fœdere exercitum eis contra Gepidas miſit; verum nemo, niſi Amalafrida, profectus cum ſuis acceſſit, nam ceteri Juſtiniani juſſu circa Ulpianam in Illyrico remanſerunt ſeditionis comprimendæ cauſſa, quæ ab Epiſcopis erat excitata. (54) Gepidis ſuperatis, (55) ac

(52) De cujus mortis anno ſuperius dictum, quique præter Theodobaldum duas quoque filias habuit. Theodobaldus hic eſt, quem VVlderradam duxiſſe uxorem, VVaconis Langobardorum Regis filiam, Agathias tradit l. 2.

(53) Juſtinianum cum Gepædibus fœdus iciſſe, ſcribit Procop. l. 4. B. Goth. 25. ſed cum hi poſt initum fœdus Sclavenorum agmen Iſtum fluvium tranſportaſſent, Imperator Langobardis auxilia adverſus illos miſit, quod an. 17. B. Goth., præſenti ſc., eveniſſe Procopius affirmat.

(54) De Ulpiana alibi dictum. Epiſcopi Illyrici, accepto Vigilii *Judicato*, ſtatim Synodum indixere, ſuſcepta Trium Capitulorum defenſione, teſte Victore Tun., poſt Conſulat. Baſil. IX., diſſidia namque inde oriebantur, quod plerique eorumdem Capitulor. damnationi obſiſtebant, ut ſartatecta ſervaretur Chalcedonenſis Concilii auctoritas, quæ, iis damnatis, lædi videbatur: è contra ea damnari poſſe alii putabant, inconcuſſa remanente ejuſdem Concilii Doctrina Fidei, ut ex Hiſtoria Trium Capitulor. liquido conſtat.

(55) Ita porro bellatum, *ut non modo victi ſint Gepidæ, ſed & pars magna interfecti*, inquit Procop. l. 4. Hiſt. Goth. 25. Ad internecionem uſque deletos, ut vix nuncius ſupereſſet, ſcribit Paul. Diac. l. 1. de Geſt. Langobard. 27. In eo prœlio Cunimundus Gepid. Rex occiſus, & Roſimunda filia captiva abacta; fallitur itaque Procop., Thoriſinum Gepædibus cladis tempore præfuiſſe narrans.

ac prope deletis, Alboinus Rex Longo-
bardorum legatos misit ad Justinianum,
qui rem prospere gestam nunciarent, simul-
que expostularent, exercitum ad se in tem-
pore ab eo non esse missum, cum ipse in-
gentem suorum multitudinem ad Narsetem
misisset. Terræ motu ingenti Græcia tota
concussa est. Crotoniatæ una cum præsidio,
quod erat in arce, à Gotthis obsessi, cum
necessariarum rerum inopia premerentur,
clam ad Artabanem in Siciliam miserunt,
se, nisi celerrime opem sibi latum venisset,
hostibus ipsos, & præsidium dedituros, ne-
552 que aliquid impetrarunt. Sequenti anno Ju-
stinianus omnibus de rebus, quæ ad Croto-
nem gererentur, certior factus, Thermopy-
larum custodibus imperavit, ut confestim
in Italiam navigarent, & Crotoniatis auxi-
lio essent, cujus imperio illi obsequuti, pro-
sperum nacti ventum, de improviso ad Cro
tonis portum pervenerunt, quos ubi Gotthi
viderunt, soluta obsidione, alii in portum
Tarentinum se receperunt, alii intra Scyllæ
fretum delati mox abierunt: quo nuncio
icti Præfecti Tarenti, & Acherusiæ (56)
cum Præfecto Hydruntis Romano coloqu-
ti, ac salutem suam, militumque suorum
pacti, se, suos, atque oppida dediderunt.
Narses, idoneis acceptis à Justiniano pecu
niis, quibus & milites conducere, & debita
stipendia pendere, & alias belli necessitates
sustinere facile posset, tandem Salona di-
scessit cum eis mandatis, ut bellum, quod
adhuc negligentius erat gestum, omni ope
conficeret, & Gotthos Italia pelleret: quare
magnas sibi virorum, armorum, pecunia-
rumque copias compararat, atque in eam
expeditionem animum, atque alacritatem
ingentem afferebat; nam ad eum exercitum,
quem adducebat ex Illyrico, ille etiam ac-
cedebat, cui Germanus præfuerat, & quem
Joannes regebat, & quem Alboinus Longo-
bardus ex fœdere summittebat, præter He-
rulorum, atque Hunnorum ingentem ma-
num: multique alii liberalitate Narsetis exi-
mia ad illum sequendum erant inducti; ubi
vero in Venetiam venit, ad Francorum du-
ces misit, ut sibi per ea loca transitum da-
rent, quod illi se concessuros negarunt, in
speciem jactantes, quod Longobardos Got-
this infestos secum adduceret. Ea de re
hærente consilio Narses Italos præsentes,
quid opus facto esset, consuluit: cui illi re-
sponderunt, nisi Franci eà transitum præ-
beant, neque Ravennam, neque Veronam
posse contendere; nam satis constare, Tejam,
virum acrem, cum delecto Gotthorum ro-
bore Veronam obtinere, ut quoad posset,
ipsum transitum prohiberet. Et quidem
Tejas, ubi Veronam pervenerat, aditibus
universis obstructis, loca omnia circa Padum
impervia fecerat, ac sic seipsum compararat,
ut invasurus statim Romanum exercitum
esset, si forte transitum pertentasset. Hoc
autem Totilas ita statuerat, satis certus, Ro-
manos per Ionici sinus litora iter facere non
posse, fluminibus ea tempestate exundanti-
bus, nec trajectionem patientibus, neque
A Narsetem eam copiam navium habere, qua
totum simul exercitum transmittere in Ita-
liam posset, &, si per vices exposuisset,
eos facile se à reliquis sejunctos posse dele-
re. Tum Joannes Vitaliani filius regionis
ejus peritus admonuit, ut cum universo
exercitu secundum æstuarium iter faceret,
cum in sua fide essent, qui maritimam oram
incolerent, & aliquot naves se subsequi ju-
beret, lemborumque vim maximam, qua
occurrentia flumina pontibus sternere, ac
statim transmittere posset. Hujus igitur se-
quutus consilium Narses, cum omnibus co-
piis Ravennam pervenit: in transitu vero
ad insulam, quæ erat in æstuario, nomine
B Rivoaltum (57), adiit, atque ibi Deum pre-
catus, duo Templa se facturum, si se hujus
victoriæ fecisset compotem, vovit. Raven-
nam vero ubi pervenit, cum duo Mediolani
creati Episcopi seditionem in urbe cierent,
licet Francis omnia tenentibus, utrumque
adesse Ravennam jussit: ibi cum per novem
dies maneret, ab Usdrila Gottho, qui Ari-
mini præerat, literæ ad Valerianum vene-
re, quibus denunciabat Romanis, ut ali-
quando tandem æquo se campo Gotthis
ostenderent, neque se spe longiore suspen-
sos tenerent, illud spectaculum summo ani-
mi studio expectantes. Barbari irrisa inso-
lentia Narses, Justino Ravennæ in custodia
C relicto, cum universo exercitu Ariminum
ire contendit. Quò ubi venit, pontem in-
tercisum, & Gotthos ex altera parte ad re-
sistendum paratos invenit: verum, cum qui-
dam ex iis, qui Narsetem sequebantur, in
hostes protinus sagittam jecisset, & equitem
quendam interemisset, tantum Gotthis ter-
rorem incussit, ut trepida fuga intra urbem
se receperint: inde, cum alia porta alii re-
centes exissent, Heruli se objicientes primo
congressu Usdrilam præfectum occiderunt,
& caput ad Narsetem retulerunt. Narses,
Usdrila cæso, exercitum, flumine ponte
constrato, Arimino non tentato, provexit:
neque enim præsidiis expugnandis tempus
D terere, ac consilia suscepta interpellare vo-
lebat, & Flaminiam versus ad lævam iter
flexit: nam ad dexteram Petra (58) erat ab ho-
stibus occupata, quæ omnia ea loca Roma-
nis infesta reddiderat. Totilas certior de
iis, quæ in Venetia acciderant, factus, Te-
jam, & ejus copias expectando Romanorum
in locis quietus se continebat: ubi vero quæ
expectabantur, advenere, cum reliquo exer-
citu idoneum in locum hostibus occursurus
contendit: quo in itinere cum Usdrilæ ca-
sum cognovisset, & Romanos Ariminum
præteriisse audisset, Tusciam omnem hos
conquirendo emensus ad Apenninum perve-
nit, atque ad Taginam vicum castra fecit.
E Quo eodem haud ita multo post Narses ad-
venit, ac non longe stadiis centum in ipsa
planicie constitit ei loco propinqua, in quo
Camillus quondam Gallos occidione occi-
derat, ita ut adhuc ejus cladis monumenta
extarent: ac statim nuncios ad Totilam mi-
sit, monitum, ut aut pace agenda sibi con-
suleret, aut, si belli avidior esset, ut diem
præ-

(56) *Acherontiæ* legendum ex alibi dictis.
(57) De quo alibi, ubi de Æstuarii insulis sermo fuit.
(58) Videtur esse Pertusa Petra ad Metaurum infra Urbinum, de qua Victoris Epitomator in Vespas. ait: *Tunc cavati montes per Flaminiam sunt prono transgressu, quæ vulgariter Pertusa Petra vocitatur*. Meminit Procop. Bell. Goth. l. 4. 28. L. description. ap. Claudian. VI. Consulat. Honor. à v. 500.

prœlio constitueret: quibus Totilas jam insolens factus certare se velle respondit, atque octavum diem pugnæ præstituit. His auditis, Narses dolum agitari suspicatus, perinde se paravit, quasi in aciem postridie descensurus: neque sua ipsum suspicio fefellit; nam ille proximo die cum universo exercitu paratus ad confligendum in conspectum se dedit: cui sic statim occurrit Narses, ut nisi duplici sagittæ jactu ab eo abesset: erat ibi brevior collis, quem ambo occupare studebant, quòd utrisque utilis erat in pugna futurus: sed Narses anteverrit, ac nocte intempesta, missis quinquaginta peditibus, occupavit, quos, ubi diluxit, Totilas conspicatus, equitum turma immissa, propellere studuit. Romani vero in unum conglobati, loco scutis obstructo, una constitere, ac Gotthos ter immissos propulere Inde utrique suos advocatos cœpere alloqui; Narses quidem, Gotthos prædones esse, Imperatori rebelles, & ut numero, sic virtute inferiores, qui defectione ab Imperatore facta tyrannum sibi è turba constituerint, & Imperium Romanum latrocinio lacerarint: demum Romanos pro æquitate, proque justitia, illos, cum nihil posteris prodere possint, pro nulla Republica, cum legibus inter se diffidant, certaturos. Totilas autem suos admonuit, se eo die summo certamine dimicaturum, neque amplius locum hortandi eos ad rem gerendam habiturum: nam ipsos aut victores, aut victos ex prœlio abituros; si vicerint, eum finem fore belli à Romanis patiendi; si victi fuerint, nullam spem futuram redintegrandi belli: quare eos neque sibi, neque rebus suis parcere oportere, ut qui victi nulli posthac sint futuri: socios Romanorum Herulos, Hunnos, Longobardos non constanter pugnaturos; neque enim mercedem vitæ antelaturos. His dictis, inde acies utrinque instructæ sunt. Narses profundissimam phalangem fecit, sed fronte extenuatam, & oblongam. Lævum cornu ipse cum Joanne circa collem tenuit, & cum his simul quidquid erat in Romano exercitu roboris: sequebantur inde præter Hunnos hastati alii, peltatique milites. (59) Dextro in cornu Valerianus, Joannesque, Fagas, & Dagisteus cum ceteris Romanis constiterunt: pedites sagittarii utrinque latera texerunt: in media acie Longobardi, Herulique, ac ceteri barbari collocati ex equis descendere jussi, & peditum officio fungi, ut ad parendum paratiores essent: in lævo autem cornu postrema Narses tenebat, & Romani positi in fronte erant, equitum in ea quinque millibus constitutis, è quibus mille, & quingentos præmonuit, ut Romanis auxilio essent, si qui forte terga vertissent: reliquis vero præcepit, ut cum primum peditatum hostium incitatum vidissent, tergis insisterent, ac dubios redderent. Eodem modo & Totilas suas copias instructas produxit, atque uterque suas acies obeundo verbis, vultuque ad patriam virtutem præstandam accendit: cum autem aliquot horas ex adverso acies constitissent,

A neutra tamen ex parte cœptum est prœlium, utrisque ab hoste id primum iniri expectantibus. Interim ex parte Gotthorum miles, Ducas nomine, magnam bellicæ industriæ famam adeptus, equo in hostem incitato, proxime ad Romanos accessit, &, qui viritim secum confligeret, provocavit: erat autem is ex eorum numero, qui ex Romano exercitu primi ad Totilam ultro concesserant. Tum Armenius quidam è Narsetis militibus ei se objecit, quem ut Ducas vidit, prior equum impulit, ut ventrem illi lancea transfoderet: cujus impetum Armenius, equo subducto, vitavit, atque in eum conversus dextrum in ejus latus telum infixit, eumque

B moribundum ex equo dejecit. Tum Totilas medium in campum processit, non pugnaturus, sed rem extracturus, quousque equitum duo millia, quæ in propinquo erant, advenirent: cupiens autem se hostibus ostentare, qualis, quantusque esset, armis auro cælatis indutus, equoque insignis magnitudinis, & magnifice phalerato vectus, & purpurea, regiaque veste ornatus processit: in medio autem campo ut artem equestrem ostentaret, equum vario modo calcaribus concitando in orbem freno agiliter egit, obequitandoque telum in auras apte diverberavit, & ipsum id rursum ad terram delatum, momentoque temporis exceptum vi-

C bravit, & idem alternatim per manus transtulit, & se super equum supinavit, & vicissim ad terram, & in latera inclinavit, atque hæc ludicra peragendo à prima luce ad multum diei dedita opera tempus extraxit: inde ad Romanos misit, colloqui se cum Præfecto velle, antequam prœlium iniretur. Narses autem illudi se ab eo hoc artificio arbitratus, colloquium recusavit. Interim equitum duo millia venerunt, quæ curare corpora Totilas jussit: quibus cibum capientibus, extemplo in aciem prodiit, incautos se invasurum Romanos ratus, id, quod eum fefellit: etenim Narses id ipsum suspicatus, quod evenit, suos, ut in armis parati sta-

D rent, & armati cibum caperent, impetum expectantes hostium, imperabat: haud tamen eodem ordine constitere, quo ante: nam in speciem lunaris circuli se contraxerant. Gotthi vero post equites locati erant, ut, si equites ab hostibus pulsi fuissent, intra peditatum reciperentur, unaque rursus in hostem redirent, mandato accepto, ne quo telo, præterquam pilo, uterentur; inconsulte, ut creditum est, cum Romani omni genere teli ferirent. Commisso prœlio, Romani equites, & pedites, ut necesse erat, in unum coierunt, & alibi à tergo hostem circumvenerunt, alibi in se venientium impetum exceperunt, ac clypeis propulsarunt.

E Gotthorum equitatus, suo post terga peditatu relicto, pilis confisus, cum se temere in hostem inferret, mediaque in acie versaretur, suæ temeritatis pœnas mox luit: nam, dum se in confertos hostes proripiunt, non advertunt, se intra octo millium hominum peditatum pervenisse: unde, cum sagittis undique peterentur, jam de se desperantes, ut

(59) A Pelta brevi scuto, cujus formam describit Xenophon ap. Julium Pollucem l. 1. 10. Hoc scuti genere utebantur Amazones, Macedones, Afri, Hispani, Cretenses. Peltati inde, & Peltastæ, de quibus Diodor. 15. p. 480., milites nuncupati. Peltam item in Græciam, amotis grandioribus clypeis, (quales erant Herculis, Achyllis, Ajacis, Æneæ, ex plurimis in iis sculptis rebus, ut tradunt Homerus, Hesiodus, Virgil.) primum invexisse Iphicratem, auctor est Cornel. Nep. in ejus Vit.

ut ab utroque cornu sagittariorum inter se coëuntium circumventi, paucis evadentibus, ceciderunt, maxima vi hominum, equorumque amissa: erat tamen par in omnibus studium, atque alacritas animi ad pugnandum: inclinante inde in vesperam die, repente utrique loco moti exercitus sunt, Gotthorum ad fugiendum, (60) Romanorum ad insectandum: non enim Gotthi Romanis insequentibus converso impetu restiterunt, sed præcipiti fuga, & suamet multitudine proturbati sibi consulere contenderunt: itaque, cum equites ad suos se pedites retulissent, fugam, & pavorem auxere, &, turbatis eorum ordinibus, cum trepidanter omnia facerent, plerique ab Romanorum equitatu oppressi cecidere, nec pedites ad suos se equites receperunt, neque uno agmine constiterunt, ut eos servarent, sed cum equitibus simul & ipsi effuso cursu se in fugam proripuerunt. Romani præterea milites fugientium pavore confisi passim obvios trucidarunt, ne oculos quidem præ terrore tollentes. Gotthorum sex millia desiderata sunt: multi se dediderunt, demum omnes necati non solum Gotthi, sed etiam omnes, qui ad eos ultro transfugerant; ceteri aut delitescendo, aut fugiendo evaserunt, ut quisque aut equum nactus est celerem, aut pedibus valuit, aut fortuna; cumque jam nox omnia obtenebrasset, demum & Totilas cum quinque militibus fugit, quem insequuti sunt nonnulli, quanquam quisnam esset, ignari, ex quibus Asbadus Gepida ipsum adeptus, ut telo feriret, invasit, quem ut vidit adolescentulus ex Totilæ familia: Quò canis, inquit, irruis dominum tuum percussurus? at ille nihil territus, quanta maxima vi potuit, in Totilam telum intorsit, & à Sipuardo Totilæ comite in pede vulneratus consistere est compulsus. Sipuardum autem mox alter Asbadi comes percussit, reliqui quatuor Asbado in castra referendo intenti cursum intermittunt. Totilas lethali vulnere affectus, stadiis octoginta quatuor confectis, cum ad Capras (61) venisset, mense Augusto ex vulnere moritur, atque à suis comitibus terra reconditur. Hic Totilæ exitus fuit, postquam annos undecim (62) inter Gotthos regnavit, & res magnas, ac memorabiles gessit, qui ut repente à fortuna elatus fuerat, sic inopinato quoque ab ea ictu depressus est. Romanis occasum Totilæ ignorantibus fœmina Gotthica indicavit, & locum, ubi sepultus fuerat, demonstravit; itaque, effosso loco, cadaver extraxerunt, eoque cognito, iterum condiderunt, & rem Narseti nunciarunt. Narses victoria lætus gratias Deo egit, deinde Longobardorum facinora sibi vindicanda putavit, quos constabat ædificia sociorum incendisse, & mulieres in Templa refugientes constuprasse; itaque pecunia donatos ad proprios fines dimisit, Valeriano, & Damiano cum suis copiis ducibus datis, qui eos usque ad fines Romanorum perducerent. Longobardis autem excedentibus, Valerianus ad Veronam castra posuit, ut eam in potestatem adduceret. Gotthi, qui in præsidio erant, subito casu perculsi polliciti sunt, se urbem haud ita multo post dedituros. Qua re accepta, Franci omnia Gotthorum in Venetia præsidia occuparunt, ac pacta de Verona tradenda turbarunt, atque Romanos ex terra sibi debita pellere contenderunt. Ita Valerianus, re infecta, discessit.

## TEJAS REX.

Gotthi inde, qui è prœlio evaserunt, Pado trajecto, (63) cum iis, qui in Piceno erant, Tejam sibi Regem asciverunt, qui, vindicatis sibi pecuniis à Totila in Piceno depositis, statim Francos socios sibi adjungere, & Gotthorum reliquias ad se contrahere instituit. Qua re cognita, Narses Valeriano negotium dedit, ut Padum diligentius custodiret, ac Gotthos coire vetaret: ipse cum cetero exercitu Romam iter intendit, atque in itinere Spoletum, Narniamque recepit, & præsidio relicto, muros refici jussit, ac missa militum manu, Perusiam ad deditionem adduxit. Gotthi vero, qui Romam custodiebant, ubi Narsetem in se adventare didicerunt, sese, ut strenue occurrerent, præpararunt: cogitantes inde se paucitate sua muros omnes tueri non posse, breve admodum ædificium circa Hadriani molem comprehensum, ac priori muro annexum in arcis formam mox redigunt, eòque pretiosissimis rebus collatis, diligentissime defensarunt, atque urbis muros destituerunt; mox invadentium hostium facturi periculum, paucis in arce relictis, ad mœnia subierunt, quorum ambitum ne ipsi quidem Romani poterant comprehendere. Quare, cum Romani sparsim, ut cuique licuit, aggrederentur, Gotthi pro viribus restiterunt. Sed dum Narses, sagittariorum vi magna promota, unam murorum partem oppugnat, alteram Johannes, aliam Philimutus cum Herulis suis invasit: inde alii subsequuti, muros viriliter impugnabant. Gotthis autem ad eas partes, quæ premebantur, accurrentibus, Dagisteus jussu Narsetis, ad partem unam, quæ vacua defensoribus

(60) Narrat Evagrius l. 4. 23., Narsetem ad prœlium se, suosque præparasse, fusis ad Deum precibus, aliisque pietatis officiis; eique Deiparam Virginem apparuisse, planeque tempus præscripsisse ad manus cum hostibus conferendas, cœlitus antea accepto signo. Hæc autem evenere circa mensem Junium; Augusto enim mense *triumphales nuncii, & victoriæ monumenta Roma Constantinopolim delata fuere*, ut inquit Theophan., an. Incarn. secund. Alex. 544. Kal. Sept. an. Chr. 551. inchoato.

(61) Pagus Hetruriæ apud montem Alverniam, non procul ab ortu Tiberis, ab Aretio 12. mill. pass. ad Boream, à Callio Urbe Umbriæ 10. in occas., non longe à Clusio. Meminit hic Procopius l. 4. 29.

(62) Ita Procop. l. c., & quidem an. 541. Ildibado successit, ut alibi ostensum, mense circiter Augusto, ut ex iis colligitur, quæ ab eod. Procop. narrantur anno VII. B. Goth. Anno 542. Cassinum adiit, ubi S. Patriarcha Benedictus novem annos regnaturum, moriturum decimo, vaticinatus fuit, ex S. Gregor. M. l. 2. Dialog. 15. Obiit hoc anno; proindeque impletum esse vaticinium, verba ipsa Procopii confirmant; jam enim annum, & aliquot menses Regni exegerat Totilas, cum S. Benedictum invisit.

(63) *Urbem Ticinum, circumjectaque loca* occuparunt Gothi, ut scribit Procopius l. 4. 33. B. Goth, & Rege Teja sibi adscito, ad Theodobaldum Francor. Regem ad belli societatem, ingentem pecuniæ copiam polliciti, legatos miserunt, sed irritò, ut ait Procop. ipse l. c. c. 34.

ribus erat, signa intulit, &, scalis muro admotis, nemine defendenre, ascendit, & nullo negotio cum suis ingressus portas pro arbitrio aperit. Quod simul Gotthi sensere, statim alii se in arcem, alii Portum recepere. Narsete inde ad arcem progresso, Gotthi, fide pro salute accepta, semet cum arce tradiderunt, vicesimo quarto (64) Justiniani Imperii anno; qua in potestatem radacta, Narses claves ad Justinianum misit. Gotthi fugientes spe omni recuperandæ amplius Italiæ destituti, Romanos, in quos in itinere inciderunt, crudelissima obtruncarunt, & è Romano exercitu, quos offenderunt, pro hostibus usi necarunt: qui vero in proximis præsidiis erant, Romanis, qui è Campania in urbem se referebant, manus intulerunt. Tejas autem trecentos Senatorum filios, quos Totilas obsidum loco trans Padum miserat, interfecit. Ragnares Præfectus Gotthus, qui Tarentum tuebatur, à Bacuvio Romano Hydruntis Præfecto victus Acherusiam elapsus: Tarentum in potestatem Romanorum redactum. Narses Roma potitus, Portum, atque inde in Tuscia Nepet (65) recepit. Tejas, ut qui se imparem viribus esse Romanis videret, ad Theodobaldum Francorum Regem misit, qui magnam illi pecuniam polliceretur, si secum arma adversus Romanos consociaret; quam ille conditionem respuit, Italiam sibi potius vindicare, quam Gotthis, cupiens. Totilas cum magnam vim pecuniæ in Piceni oppido munito Petra condiderat, tum maximam Cumis deposuerat, quibus Aligernum fratrem cum Herodinno præfecerat. Harum pecuniarum potiendarum cupidus Narses exercitus partem ad Cumarum obsidionem misit, ipse Romæ, ut eam instauraret, remansit, atque alios ad Centumcellas recipiendas destinavit. Tejas Cumis timens, Francorum desperatis auxiliis, perinde suos instruxit, ac si esset protinus in hostem ducturus. Qua re accepta, Narses Joannem Vitaliani, & Philimutum cum suis copiis in Tusciam contendere jussit, ut iter illud custodirent, quod in Campaniam ducit, & Tejæ transitum impedirent. Tejas autem, breviori omisso ad dextram itinere, longis circuitibus per Ionici sinus oram hostes frustratus in Campaniam venit. Cujus rei certior factus Narses Joannem, & Philimutum à Tuscia revocavit, & Valeriani copias, quæ Petram receperant, accersivit, & alias aliunde contraxit, & cum universo exercitu in Campaniam adiit. Ad Vesuvii montis radicem amnis est, nomine Dracon, (66) cujus pontem Gotthi præoccuparunt, ac statim impositis turribus, & machinis munierunt: cum flumine interjecto communis iniri pugna non posset, crebris tamen è ripis jaculationibus sagittarum se invicem incessebant. Sæpe etiam singulari certamine res gerebatur, Gottho Romanum provocante, & pontem transeunte. Ita duo ibi menses consumpti, sed, ut in loco maritimo, Gotthi ibi plurimum poterant; nam navibus necessaria subvehebant, quas tamen naves Gotthi hominis proditione ceperunt, quibus aliæ ex Sicilia, aliisque Imperii locis accesserunt. Narses inde turres contabulatas supra fluminis ripas construxit; quare Gotthorum animos usque adeo fregit, ut rerum necessariarum inopia pressi in proximum montem confugerint, quem Lacteum (67) appellabant, quos Romani præ loci iniquitate consequi nequiverunt. Inde Gotthi, cum ciborum satis in monte non invenissent, uno agmine omnes de improviso in hostem eruperunt. Qua iruptione Romani perculsi, nondum instructis ordinibus, ut quisque in re trepida potuit, obviam ivit, impetumque sustinuit. Gotthi, equis dimissis, in densiorem phalangem se collegerunt, quos imitati Romani, & ipsi, globo facto, se instruxerunt, atque infestis animis concurrerunt: alii mortis contemptum, alii virtutis ostentare indolem cupientes: prœlium oriente Sole inceptum; in eo Tejas, prælato clypeo, vibratoque telo, primus omnium ante aciem constitit, quem ut Romani viderunt, in eum omnes uno agmine ruunt, qui sibi virtutis aliquid, & virium vindicabant, eumque partim telis, partim missilibus certatim petunt: illa clypeo se protegendo, & tela excipiendo in Romanos invadens, multos obtruncat, cumque præfixum undique telis scutum videret, alterum, eo deposito, proximo armigero porrigente, arripit; sic usque ad tertiam diei partem pugnans, cum duodecim jam scuto affixa pila gestaret, nec movere id posset, neque hostem propellere, haudquaquam loco motus dextra obvios feriens, leva in se venientes repellens, aliud sibi scutum dari clamavit, quod dum commutat, parte pedis inferiore nudatus, ad vulnus accepit, quo statim moribundus procubuit, (68) cujus caput nonnulli statim præcidunt, atque hastæ præfixum exercitibus utrisque ostendunt, ut Romanis animos adderent, Gotthis autem timorem inferrent, qui tamen ne hac quidem jactura territi usque ad noctem pugnarunt: prœlio dirempto, utrique in reparanda in diem pugna eam noctem egere; ubi illuxit, in certamen eodem modo reversi usque ad vesperam dimicarunt, nec tamen alteri eorum cessérunt, licet magna utrinque clades esset accepta, sed crudelius efferati institerunt, Gotthis optime scientibus, ultimum id esse

eum

(64) L. vicesimo sexto; teste Procopio l. c. c. 33., oppugnatam enim tunc Urbem is scribit, statim subdens: *Sic Roma sextum capta est illo Principe*. Et quidem paulo post devictum Totilam, ut auctor est Theophan. ad ann. Inc. secund. Alex. 544., Kal. Octob. an. 551. inchoatum, qui captæ Urbis nuncium mense quoque Augusto CP. perlatum una cum monomentis victoriæ prodidit.

(65) Ita Plin. vocat l. 3. 5., eodemque modo legendum ap. Livium vult A. N. ad Liv. 6. 9. Patercul. l. 1. 14. habet Nepe: colonia fuit, jure etiam municipii usa, ex Vet. Inscript. ap. Gruter. p. 441. n. 7.

(66) Fluviolus Campaniæ in Picentium confinio, ex Vesuvio monte oriens, ac juxta Noceriam urbem in Sarnum fluens. Meminit Procop. l. c. 35.

(67) Symmachus l. 6. ep. 18. inquit: *Nam Stabias ire desiderant, ut reliquias longæ ægritudinis armentali lacte depellant*. In hoc tractu montem hunc memorat Procop. l. c., *quem Romani*, inquit, *Lactis montem Latine vocant*, a copia illa, & salubritate lactis. Nunc *monte di Lettere* ab urbe cognomine, cui insidet, qui *monte Lattaro* potius dicendus ex Holstenio.

(68) Et cum eo Ostrogothorum in Italia desiit Regnum, quod ultrà annos sexaginta non est protrahendum, cum cœperit an. 493., quo Odoacer è vivis excessit.

A eum Romanis certamen, Romanis fœdum existimantibus, si non parta victoria discessissent. Demum Gotthi se victos confessi, primores ad Narsetem miserunt, affirmantes, se non dubitare, sibi cum Deo certamen esse, atque in posterum inter se malle, quàm cum Romanis confligere, hisque conditionibus pacem petere; ut liberi cum ceteris Gotthis viverent, & libere suas terras regerent, & tributa Romanorum Imperatori penderent. Narsetem super hoc consilio hæsitantem Joannes Vitaliani admonuit, ut conditionem acciperet, ne cum desperatis hominibus novum certamen iniret: satis ei esse debere, quod victoriam ex Gotthis retulisset; itaque hæc accepta conditio est. Dum hæc geruntur, Gotthi mille numero è castris Ticinum, & loca trans Padum vicina uno agmine petierunt; ceteri jurejurando, fideque interposita pacta confirmarunt. Agathias scribit, (69) icto fœdere Gotthos, qui cis Padum incolerent, in Tusciam, & Liguriam, & quòcunque tulit animus, contendisse. Hæc mense Februario sequenti an- 553
no perfecta sunt.

# LIBER VIGESIMUS,

## *Qui liberatam Gotthis, & constitutam Italiam continet.*

B HOc libro, qui fastigium huic operi divino auxilio imponet, liberatam Gotthorum dominatione Italiam, eandemque Narsetis Patricii opera resurgentem, ac sese in antiquum statum, dignitatemque pristinam paulatim restituentem complectemur. Etenim, Gotthis à Narsete duobus insignibus prœliis superatis, ac post Reges occisos ad accipiendas pacis, obsequiique conditiones adactis, nullum postea regnum eorum in Italia fuit, rerum omnium summa ad Imperatorem Orientis delapsa; itaque ipsa posthac, tanquam Orientalis Imperii provincia, per eundem Narsetem Justiniani Augusti ducem est gubernata, per quem in libertatem quoque fuerat vindicata.

C Ceterum dum hæc in Italia aguntur, Constantinopoli res Ecclesiæ, quæ diu fuerant cum maxima bonorum offensione jactatæ, demum ad aliquam concordiam fuut adductæ: quippe damnato, ut supra diximus, Mena Episcopo, Vigilius Pontifex intempestivam Justiniani iracundiam veritus, in ædem S. Euphemiæ Chalcedonem, Templi potius, quàm dignitatis, religione se defensurus confugit. Kalendis autem Februariis (1) ab eodem per judices missos rogatus, ut urbem, accepto fidei sacramento, repeteret, respondit, se in eam ædem confugisse non pro ratione pecuniæ, sed pro offensione Ecclesiæ, cui si pax redderetur, se, nullo sacramento interposito, exiturum, sin minus, inde vestigium non moturum; post autem in gratiam à Justiniano receptus & ipse Menam in communionem recepit, (2) quo tempore Encænia Templi Apostolorum (3) à Theodora refecti III. Kal. Julias, nempe in ipsis Apostolorum Natalitiis, celebrata, atque ipsorum Reliquiæ à Mena in curru aureo circumvectæ sunt. Post paulo mortuo Menæ Eutychius est suffectus, quod nuper Theodoro commode admodum respondisse fuerat visus. Inde Concilium, quod ad opiniones Origenis, & tria capita Concilii Chalcedonensis discutienda Justinianus, Vigilio Pontifice (*) permittente, indixerat, est coactum. Præsedere in secretario Ecclesiæ Constantinopolis Eutychius Episcopus Constantinopolitanus, Apollinaris Alexandrinus, Domninus Antiochenus, & Eustochius Hierosolymitanus, atque alii ad centum sexaginta quin-

D

(69) Is Historiam Gothicam Procopii prosequitur, ut in Præf. testatur, apud quem L. Tejæ mortem, Gothorumque cum Romanis pacem l. 4., qui est supplementum postremi anni B. Goth. à Procopio descripti.

(1) Exemplaria quædam mendose habent in epist. Encyclica Vigilii: *Dominico die, idest Kal. Februarii*; ubi tamen legendum: *Dominico die, idest V. Kal. Februar.*, ut recte alia emendatiora præseferunt; anno namque 552., quo hæc evenisse mox constabit, dies Dominicus in præfat. diem incidit. Hæc autem Legatio missa fuit an. 552, quo Justinianus chartam quoque ad Vigilium misit, mendaciis, injuriisque refertam *pridie Kal. Februar.*, postquam responsum dederat Pontifex, se Ecclesia non egressurum, nisi & cet. Diluit, confutavitque Vigilius falso objecta crimina, scripta Encyclica, quæ his verbis terminatur: *Data Nonis Februar., imperante Domino Justiniano P. P. Aug. an. XXV., post Consulat. Basilii an. XI.*

E

(2) Excommunicationis sententiam tulisse in Mennam Vigilium certum est; illam autem minime vulgandam censuit Pontifex, ne Imperatoris animum exacerbaret, Theodoro præsertim omnia ex arbitrio faciente, sperans Ecclesiæ concordiam reddi posse, ut eventus ostendit. Hoc vero an. Mennas jam obierat, mense Augusto; sedit enim an. sexdecim, & menses sex, ex Niceph. in Chr., ordinatus autem fuerat mense Martio anni 536. Theophanes quoque an. Incarnat. secund. Alex. 544., qui Kal. Sept. an. Chr 552. inchoatur, habet: *Eodemque tempore Menas Epist. CP. defunctus est, in cujus locum suffectus Apocrisarius Amaseæ Presbyter*, & cet. *eo ipso die, quo Menæ cadaver in sacris Adytis expositum jacebat. Augusto mense triumphales nuncii, & victoriæ monumenta Roma Constantinopolim delata, Narse nimirum* & cet. Ex quibus magis intelligitur, ab A. N. hic narrata ad an. praecod. esse referenda.

(3) Theoph. non hoc an., sed an. Incar. sec. Alex. 542., Kal. Sept. an. Chr 549. inchoato hæc tradit, apud quem tamen per errorem dicitur Julii mensis die 28., cum legendum sit *XXVIII. die Junii*, ut ap. Anastas., Nicephor. l. 17. 26., & Auctor. Miscell. Templum SS. App. ad Hormisdæ Aulam, ubi olim Justiniani adhuc privati domus fuerat, idem Imperator primus construxit, auctore Procop. l. 2. de Ædific. 4.

(*) Eutychius Mennæ suffectus Vigilium rogavit, ut Concilium celebrari sineret, data ad eundem ep., à se, ab Apollinari Alexandr., Domno Antiocheno, & Elia Thessalon. subscripta, quibus respondit Vigilius VIII. Idus Januar. his verbis: *Annuimus, ut de Tribus Capitulis, ex quib. quæstio nata est, fiat regulari Conventu*, & cet.

Digitized by Google

quinque. Vigilius, licet in urbe esset, noluit interesse. (4) Ibi Justiniani recitatæ literæ sunt, quibus primum Origenis opiniones, deinde tria capita Concilii Chalcedonensis disquirenda proposuit. Etenim Concilium Chalcedonense, ut scripsimus, Theodorum Episcopum Mopsuestenum laudaverat, & Theodoritum Cyrensem, Ibamque Edessenum Episcopos, postquam Nestorio, & Eutycheti renunciarant, Ecclsiis suis, unde à Concilio Ephesino prædatorio pulsi fuerant, restituerat. Quæ tria capita cum novo Episcoporum judicio essent commissa, illi, re cognita, dictisque sententiis, decretum in hæc verba fecerunt: *Si quis non anathematizat Arrium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem, & Origenem* (5) *cum impiis eorum scriptis, anathema sit*. Item: *Si quis defendit Theodoram Mopsuestenum, qui dixit alium esse Verbum Deum, & alium Christum*. Item: *Si quis defendit scripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem exposita sunt, & primum Ephesinum Sanctum Concilium, & Sanctum Cyrillum, vel duodecim ejus capitula*. Item: *Si quis defendit epistolam Ibæ ad Marim Persam, quæ negat Deum Verbum de Sancta Genitrice, semperque Virgine Maria incarnatum hominem factum*. Atque ita, tribus capitibus præcipue condemnatis, (6) in præsens Ecclesiastica est composita controversia. Nominatur autem hoc Concilium ab aliis Constantinopolitanum secundum, ab aliis Concilium generale quintum, ab aliis quinti Concilii actio quinta, (7) ab aliis Concilium de tribus capitibus Concilii Chalcedonensis. De quo sic scripsit Sanctus Gregorius Pontifex ad Patriarchas: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur, in quo Theodorus personam mediatoris Dei, & hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur; & in quo scripta quoque Theodoriti, per quæ Beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur*; & ad Secundinum: *Nos anathemate plectendos ducimus, qui de fide Synodi Chalcedonensis aliquid minuere, vel aliquid in ea addere præsumunt; nam Synodus, quæ post eam generaliter facta est, idcirco à nobis recipitur, quia ejusdem Synodi in omnibus sequax honorem illius, auctoritatemque custodit*. Ivo etiam in decreto ex Beda hæc refert: *Sozomenus Theodoritum nimiis laudibus efl̄rt, atque ad diem obitus sui magnum Doctorem Ecclesiæ perhibet. Quare si quis ejus historiam recipit, Synodo, quæ Justiniani temporibus de tribus capitulis facta est, contradicit*. Atque de Constantinopolitano quidem Concilio secundo hæc hactenus, nunc ad Italiam redeamus. In Italia Gotthico bello confecto, statim consequutum est Francicum. (8) Neque enim Narses solidam se liberatæ laudem Italiæ relaturum putavit, nisi, redactis ad obsequium Gotthis, Francos, qui partem Italiæ occupatam tenebant, aut Italia pepulisset, aut certe imperata facere coëgisset. Hoc cum & ipsi Franci sensissent, haud inviti fecerunt, ut se cum Gotthis, qui in Italia, tanquam Romanis obtemperaturi, remanserant, sociarent, pro certo habentes, Narsetem, victis Gotthis, arma in sui exitium idoneo tempore promoturum. Hi vero fuere Leutheris, & Bucellinus, (9) genti Alemanorum Theodobaldo Regi subjectæ Præfecti, qui in spem adducti, fore, ut Gotthorum ope Italiam, ac Siciliam occuparent, cum eis petentibus fœdus, Rege non prohibente, fecerunt, atque ad id exercitum hominum septuaginta duorum millium ex Francis, Alemanisque conflarunt. Gotthi vero oppida, quæ tenebant, munire, atque alienati animi haud dubia signa præbere cœperunt. Hoc vero ut sensit Narses, licet prorsus Francici motus ignarus, continuo belli renovandi consilium expedivit, atque exercitum Cumas adduxit, quod

(4) Porro cum certo sciret Vigilius, se Constantinopoli commorantem omnia in Concilio transigenda prius cogniturum, sua auctoritate firmanda, præsens adesse noluit: noverat, inquam, ex epist. Eutychii Patriar. CP., Episcoporum in R. P. obsequia, ut testantur etiam Patres Mopsuestenæ Synodi in Relatione ad Vigilium; annuit itaque, ut absque sua præsentia prius negocia illa dicsemesenius, præbiturus assensum, si Ecclesiasticæ paci convenirent. Repete hic, quæ alibi de Auctoribus Trium Capitulor. dicta.

(5) Hinc minus recte Petrus de Marca, Differt. de V. Syn putat, Origenianæ causæ negocium cognitum fuisse post damnationem Trium Capitulor., Theophanes enim, & Auct. Chr. Alex. testes sunt, eamdem Synod. præcipue collectam adversus Origenis errores, secundo adversus Tria Capitula. Præterea Theodorus Cappadox Origenis patronus Origenem à V. Synodo damnatum diserte tradit, Patres alloquens Collat. V.

(6) Justam hanc fuisse damnationem, doctrinæ Tribus illis contentæ Capitulis satis ostendit, de quibus alibi, eaque rata habita fuit à Vigilio, postquam compertum fuit id non cedere in injuriam Chalcedonensis Con. neque decretis fidei ibi editis officere: cum antea viderentur plerique velle ejusdem auctoritatem enervare, quod maximum piaculum videbatur; unde servata à Vigilio œconomia, variis temporum, rerumque circumstantiis inspectis, minime improbanda: præsertim cum spes affulgeret conciliandæ concordiæ, & imminentis penæ schismatis præcidendæ causæ.

(7) Fortasse quia Collatione quinta, habita XVI. Kal. Junias, ubi cœptum de Trium Capitulor. causa: recitata nempe, quæ à SS. Patribus scripta contra Theodorum Mopsuestenum: disceptatum, an liceret defunctos anathemate percellere: in examen scripta Theodoreti adducta, & multa ex ejusd. Operibus in S. Cyrillum deflorata, & cet. ad præd. causæ cognitionem pertinentia. Ceterum Concilium hoc auctoritate sua confirmavit Vigilius, ejusdemque decretis per literas consensit, teste Evagr. l. 4. 37., & VI. Synodo in Prosphonetico ad Constantinum Pogonatum Imp.

(8) Hoc certe anno cœptum, eodemque absolutum, cum tamen A. N. illud protrahit ad an. usque seq., quo Leutharim, Buesllinumque victos narrat. Agathias namque l. 2. Histor. refert, ea accidisse mseunte vere, postquam narrasset Libro I. quæ evenerant anis vertium tempus an. Chr. 553., qui fuit decimusnonus belli Gotthici. Continuatos igitur Marcellini perperam eadem conjicit in an. Post Consulat. Basil. XI, an. sc. Chr. 552. notandusque magnus anachronismus Marii in suo Chron., referentis ad an. Post Consulat. Basil. XIV. Indict. 3., an nempe D. 555.

(9) Hunc Bultinum vocat Agathias l. 4., cujus quoque meminit Gregor. Tur., Bucillenum dicens, in eo autem falsus, quod ejus expeditionem temporibus Belisarii consignat. Ambo germani sub Theodebaldo Francorum Rege militabant, Alemannus Leutharis, Francos ducens Bucellinus.

A quod oppidum Aligernus Tejæ Regis frater, supplemento conscripto, tenebat. Romani, cum in collem evasissent, extemplo tela jacere in hostes cœperunt, atque omnia instrumenta bellica oppugnationi idonea protulerunt; quibus Gotthi acerrime restitere, saxa, aliaque in eos missilia retorquentes, ac nullas machinas, quæ ad eos propulsandos valerent, reliquas facientes: deinde multis, sed levibus, prœliis dubio utrinque Marte pugnatum est. Narses autem, ut arcem oppidi deturbaret, fabros in speluncam oppido ad Orientem vergenti subjectam fatidicæ quondam Sibyllæ habitatione insignem immisit: ac fastigium speluncæ excindi, quo arcis fundamenta nitebantur, præcepit: at- B que interim ipse cum exercitu urbem invasit, ut strepitu militari averteret Gotthos à sensu eorum, qui speluncæ lapidem concidebant. Ubi vero murus, saxo comminuto, suffultus trabibus fuit, tum ignem trabibus ipsis implicuit, fulcrisque subtractis, partem oppidi superpositam cum turribus, & propugnaculis disturbavit: ac, valido impetu facto, oppidum inire contendit, sed, Gotthis strenue renitentibus, nihil profectum. Quare cum audisset, Leutherem, & Bucellinum ingentem ad Padum exercitum adduxisse, ut eorum præveniret adventum, Centumcellas, Florentiamque concessit, exercitu non contemnendo ad Cumarum obsidio- C nem continuandam relicto. Fulcarem vero Herulorum Præfectum cum Joanne Vitaliani, Valeriano, & Artabane ducibus, & majore exercitus parte Apenninum trajicere jussit, ac circa Padum consistere, & locis munitioribus tenendis incursum hostium propulsare. Narseti advenienti Florentini, legatis missis, ultro se tradiderunt, fide accepta, se nihil hostile passuros. Idem Centumcellenses, Volaterrani, Pisanique fecerunt. Lucenses autem, obsidibus datis, jurejurando promiserunt, se dedituros, si intra triginta dierum spatium sibi à Francis non fuisset subventum; neque tamen, illo D exeunte tempore, licet à Francis deserti, fidem præstiterunt. Itaque iratus Narses obsides eorum religatis manibus, & capite demisso produxit, ac civibus eorum ostendit, denuncians, se in eorum capita, ni sedederent, sæviturum: ubi vero imminenti suorum morte non permoveri, sed in pertinacia permanere cognovit, cavens eos violare, à quibus nulla injuria lacessitus fuisset, crudelitatis eos specie voluit deterrere: quippe tacito imperio jussit, ut carnifices ictum sine illorum pernicie ligno infligerent, quod collo eorum submissum veste contexerat, ne Lucenses rationem perspicere doli possent: quo facto, illi tamen, ut E edocti fuerant, speciem morientium imitantes, proni ad terram de industria ceciderunt, ac pedibus, ut assolet, calcitrare cœperunt. Lucenses, rei veritate, ut ex longinquo non exacte perspecta, suos tanquam mortuos, comploratunt (nam nobili loco nati erant) & Narseti crudelitatem exprobrare cœperunt. Quibus inclamantibus ita Narses respondit, ut eos caussam dedisse tanto facinori diceret, qui sacramentum fidei neglexissent: quòd si vellent ad fidem redire, obsides se in vitam revocaturum. Lucenses se illudi putarunt, cum illum loquentem de excitandis mortuis audierunt,

A sed tamen, ut æquitatis laudem aucuparentur in eo, quod effici non posse credebant, se illius arbitrio permissuros, si illos superstites cernerent, promiserunt. Tum Narses surgere omnes uno tempore jussit, atque integros, valentesque suis ostendit: neque tamen propterea Lucenses ad fidem præstandam adduxit. Itaque, tam væcordi pertinacia cognita à magnitudine animi consilium petiit, ac sine ulla mercede obsides eis remisit. Illis autem mirantibus, & caussam facti quærentibus, non esse consuetudinis suæ dixit, ut vana quædam ad gloriam revocaret, sed sine obsidibus se effecturum, ut armis in ditionem concederent. Obsides in B urbem reversi Narsetem eximiis laudibus extulerunt, & se ab eo comiter, & liberaliter habitos esse dixerunt; eumque virum esse, qui ad summam æquitatem incredibilem animi magnitudinem adjunxisset, asseruerunt; neque tum tamen cives perpellere ad ejus amicitiam potuere. Præfecti, qui in Æmiliam missi fuerant, cum per aliquot dies in hostili agro ita fuissent, ut eximiam sive ad populandum agrum, sive ad tentanda oppida solertiam adhiberent, demum, re una male gesta, omnem partam gloriam corruperunt: quippe Fulcares Herulorum Præfectus, homo strenuus ille quidem, sed vani, præcipitisque consilii, temere Parmam, C quæ tunc in Francorum potestate erat, accessit. Hac re cognita, Bucellinus, qui stationem ad amphitheatrum non longe ab urbe situm habebat, delectis militibus in insidiis collocatis, illum excepit; ac repentino impetu facto, Herulos perculsos in fugam conjecit. Fulcares autem, cum fugam capessere posset, noluit, justam Narsetis increpationem veritus: atque ita una cum satellitibus suis oppressus interiit. Joannes autem Vitaliani, & Artabanes Præfecti, &, qui evaserant, Heruli, hoc detrimento accepto, sese Faventiam recepere. Hac victoria elati Gotthi (quod adhuc metu intercedente non fecerant) aperte se hostes tule- D runt, atque ex proximis civitatibus Parmam convolaverunt. Quibus rebus cognitis, Narses ingentem animo dolorem concepit, atque ad suos, quos eo nuncio permotos, confusosque videbat, ita dixit; satis se scire, eos non alia de caussa angi, quàm quòd qui vincere consuessent, aliquod incommodum accepissent, non animadvertentes, nimiam felicitatis præteritæ gloriam ea offensione esse emendatam; ceterum eos sibi persuadere oportere, vincere adhuc se posse, nam quamvis multitudine superentur, tamen prudentia antestare: proinde ita se pararent, ut Lucensibus obsessis ne respirandi quidem spatium darent, atque, his dictis, Lucam E urgere acrius cœpit: ad eos vero, qui Faventiam se receperant, misit monitum, ut auctoritati suæ obsequuti, Parmam repeterent, ac Francorum impetum cohiberent: misit autem Stephanum Dyrrachium cum ducentis equitibus, qui caute profectus docuit, nullo modo fieri posse, ut Lucenses subigerentur, si transitus Francis permitteretur, Narsetem in perpetuum iratum illis futurum, nisi se Parmam referrent. Illi, necessitate adactos inde se discessisse, responderunt, quòd ex circumjectis locis tantum commeatus contrahere non potuissent, ut satis alendo exercitui foret, ac præterea pe-

cunia in stipendium defuisset. Tum Stephanus Ravennam profectus, Magistrum militum ad eos adduxit, ac Parmam redire persuasit: & Lucam reversus, Narsetem bono esse animo jussit. Jam Narses Lucensium pertinacia exacerbatus machinas, & tormenta Lucæ mœnibus admovebat, ac propugnacula sagittis, ignibusque petebat, & urbem omnibus detrimentis premebat. Quibus malis Lucenses permoti, simulque obsidum suorum precibus fatigati facile ad deditionem animos inclinassent, nisi à legatis Francorum, qui aderant, ad obsidionem armis propulsandam, & rem prœlio experiendam incitati fuissent. Quare, patefactis portis, eruptionem in Romanos semel, iterumque fecerunt, sed semper cum ingenti detrimento repulsi sunt. Unde, fractis animis, viribusque debilitatis, misere ad Narsetem, ut, venia commissorum concessa, urbem iniret: atque ita post tertium obsidionis mensem dediti venerunt in potestatem. His actis Narses, refectis à labore militibus, Bono cum præsidio Lucæ relicto, Ravennam in hiberna concessit: nam, exeunte jam autumno, per hyemem bellare nolebat: quòd id erat commodius Francis futurum, quorum vires æstate enervatas hibernum tempus confirmat, ac Tribunos militum quiescere, ut ineunte vere præsto essent, præcepit: Ravennæ vero secum trecentos tantum homines domestici obsequii caussa retinuit. Interim Aligernus, qui Cumas tenebat, cum Gotthos passim ad Francos transire videret, ratus Francos per speciem societatis cum Gotthis initæ Romanos primum devicturos, deinde arma in Gotthos conversuros, longe præstantius esse constituit, Narseti, quàm Francis, oppidum tradere, & cum Romanis patriis legibus, quàm alienis cum alienigenis vivere, & Italiam veteribus incolis reddere, quàm recentibus advenis comparare: urgentibus autem obsidionem Romanis dixit, se cum Narsete inire colloquium velle. Ita, permittentibus illis, profectus ad Narsetem, qui Classe castello agri Ravennatis erat, claves illi tradidit, & se fidelem ei operam navaturum spopondit. Eum vero comiter in primis accepit Narses, & se magnis præmiis compensaturum id beneficium dixit: atque exercitum Cumis assidentem urbem jussit inire, & pecuniam recipere, & locum custodire, & par.em ejus in hiberna concedere; Aligernum vero ad Forum Cassii misit, monitum, ut murum conscendens illi sic aperte incumberet, ut ab omnibus facile videretur: sic enim sperabat, Francos, ubi eà transeuntes ipsum vidissent, omnem spem potiundæ pecuniæ, quæ Cumis recondita esset, abjecturos, aut opportunis jam locis omnibus occupatis, aliud de summa belli consilium esse capturos. Aligernus vero, ubi Francos illac transeuntes aspexit, irrisit simul, atque increpuit, quòd serum nimis auxilium attulissent, Gotthorum opibus una cum ducibus jam in potestatem Romanorum adductis: illi vero probra in eum regesserunt, suæ gentis proditorem identidem appellantes, diuque in incerto habuere, bellum ne in præsens omitterent, an cœptis insisterent; demum eo inclinavit sententia, ut progrediendum esse putarent. Herulis de duce in locum Fulcaris asciscendo inter se altercantibus, Narses item se interposuit, ac Sindualdum virtute, factisque clarum suffragatione sua provexit. Inde cum suo comitatu concessit Ariminum, ad quem Theodobaldus cum suis Varnis accessit, & cum eo societatem inivit. Inter hæc Francorum pedites ad duo millia equitibus intermisti in agrum Ariminensem venerunt, eumque diripere, ac passim bovum prædam agere, atque omnia pervastare cœperunt. Quod Narses ex alto conspicatus, ira percitus, cum omnibus, qui apti certamini erant, erupit. Quo conspecto, Franci in unum coiere, ac sagittariorum procellam fortiter excepere, & in densiorem sylvam refugientes, facto ibi globo, se acrius defendere. Ea re animadversa, Narses Hunnos jussit simulatæ se fugæ mandare, ut eos insequentes extra urbem liberos in campos eliceret. Quo facto, Franci veram eam esse fugam arbitrati, avidius insectari cœperunt, rati se Narsetem vivum in potestatem adducturos, & bello finem prospere posituros: ubi vero in campos vacuos, atque à sylva remotos venerunt, tum Romani, conversis equis, jussu Narsetis eos invaserunt, ex quibus equites cursu incitato ad sylvas se recepere, pedites relicti passim supra nongentos strati, reliqui sunt elapsi. Narses Ravennam reversus, omnibus ibi rebus egregie constitutis, Romam demum, postero jam ineunte anno, 554
se retulit, atque veris initio milites undique Romam excitos diligenter in armis exercuit; nam & decurrere eos coëgit, & equum insilire, & armatos saltare, & tubæ clangori audiendo assuescere, ne fortè ex longo hibernorum otio bellicæ consuetudinis obliti, in veris prœliis elanguescerent. Interim Franci liberius vagabantur, ab urbe tamen Roma, locisque finitimis abstinebant; postquam vero in Samnium pervenerunt, ita inter se ipsa prædandi munera partiverunt, ut Bucellinus Tyrrhenum litus, & Campaniam peragrans, per Lucanos usque ad fretum adierit; Leutheris vero Apuliam, & Calabriam populans usque ad Hydruntem processerit. Franci Templis parcebant, Alemani verò, ut prorsus à Christiana religione aversi, in ea potissimum sæviebant, ac sacram supellectilem avertebant, & mortuos ex sepulchris trahebant. Leutheris inde præda onustus consilium domum redeundi cepit, ac, Bucellino fratre relicto, discessit. In Picenum autem cum venisset, ac castra circa Fanum posuisset, Artabanes, & Uldac Hunnus Pisaurensi oppido exierunt, atque exploratores ejus equites adorti cædere incœperunt; qua re perspecta, Leutheris exercitum universum in auxilium laborantium movit, atque ita occasionem captivis, quos plurimos adducebat, aperuit, ut, laxatis vinculis, cum præda ab se parta abirent. Inde Franci itinere continuato in Æmiliam, ac, trajecto Pado, in Venetiam pervenerunt, & Cenetam urbem suæ tunc ditionis tenuerunt, dolore summo incensi, quod post exantlatos labores prædam, quam quæsiverant, amisissent; paulo post etiam pestilentia conflictati (10) damnum gravius acceperunt, cujus

(10) *Vergente* scilicet *jam æstate, & autumno ineunte*, anni vero 553., ut superius demonstratum, quo etiam tempore Agathias tradit morbum pervasisse Bucellini exercitum, subdens,

cujus causam aëri corrupto, & inerti post labores otio tribuerunt. Leutheris propterea insania correptus, atque in rabiem versus, postquam dentibus carnem sibi dilaceravit, & manantem ex vulnere sanguinem degustavit, extinctus est; reliqui omnes aut æstu febris, aut dolore capitis, aut apoplexia, aut mentis excessu agitati periere. Bucellinus autem, qui remanserat, omnibus usque ad fretum oppidis pervastatis, per Campaniam rediens, Capuam versus contendit, ut cum Narsete, quem ibi versari cum exercitu audiebat, acie decertaret, quoniam exercitum item suum pestilentia in dies vehementius absumebat; quod, ineunte autumno, milites uvis, & musto gulæ avidius indulgentes, tumores ventris insanabiles contraxissent, ac plerique repentino casu perirent. Cum autem in Campaniam pervenisset, castris in Casilini amnis ripa munitis, necdum quæ fratri Leutheri acciderant, cognitis, vehementi admiratione capiebatur, quod non ad se exercitum remitteret, atque interdum in suspicionem adducebatur, ne quid ei durius contigisset, sed tamen se sine illo auxilio victoriam de Romano relaturum sperabat, cum ipse triginta millia hominum haberet, Narses autem vix duodeviginti; itaque alloquutus suos, ad prœlium est hortatus, monens, haud parvis de rebus esse certamen, nam illa pugna aut Italia potituros, aut mortem oppetituros. His cognitis, Narses exercitum universum ex urbe adversus eum eduxit, ac castra hosti adeo propinqua posuit, ut & strepitum eorum audire, & vallum prospicere posset. Duobus exercitibus in conspectum adductis, ordines utrinque instrui, præsidia locari, copiæ lustrari sunt cœptæ, spes, ac timor utriusque animos versare, Italiæ civitates in ejus prœlii exitum tacita animorum expectatione suspensæ, de futura vitæ conditione vehementius laborare. Cum autem Narses videret, Francos proximis vicis direptis necessaria importare, eam sibi coërcendam licentiam ratus, Charangem Armenium, virum strenuum, atque prudentem ex ultimis castris in eos immisit, qui equo cum suis invectus vehicula prædatoribus ac vitam ademit, & turrim à Bucellino super Casilini pontem constructam incendit, eisque, qui in præsidio erant, fugientibus, pontem ipsum occupavit. Qua re incensi Franci protinus ad arma concurrunt, & prœlium inire decernunt, licet vatibus Alemanicis triste illius diei augurium prædicentibus, atque in id & ipse Narses suos instruxit. Cum autem equo inscenso in aciem esset proditurus, audiit, Herulum quendam servo necem attulisse, ratusque non ante rem prœlii discrimini committendam esse, quàm illud flagitii vindicasset, homicidam ad se vocavit, ac protinus scelus defendere contendentem morte affici jussit: inde licet iratis Herulis in certamen descendit. Cum autem Sindualdus Herulorum Præfectus se expectari cum Herulis mille cupidis pugnæ jussisset, se operiturum negavit, sed si illi serius ordines suos inirent, coacturum, ut maturarent; ut vero ad locum pugnæ destinatum accessit, aciem instruxit, loco vacuo Herulis, ut inire possent, relicto; interim duo Heruli ad Bucellinum transierunt, atque ira suorum exposita, ut repente Romanos invaderet, tanquam Herulorum præsidio destitutos, hortati sunt. Ea de re Bucellinus propere, ingenti clamore edito, in Narsetem incurrit, & partem Herulis destinatam irrumpens, haud magna cæde facta, usque ad aciem postremam pervasit. Narses autem inflexo cornu equitibus sagittariis præcepir, ut utrinque sagittas in hostium terga conjicerent: quo facto, magna hostium subito strages est consequuta. Hac re animadversa, Sindualdus, & Heruli sese hostibus acie excedentibus objecerunt, atque in fugam actos in flumen præcipites impulerunt. Ita Bucellinus quoque cum toto suo exercitu est deletus; nam ex Francis quinque tantum elapsi, ex Romanis vix octoginta desiderati, qui primam in hostem impressionem fecerant: flumen refertum cadaveribus exundavit. Hunc exitum Francorum expeditio in Italiam habuit, qua post Gotthicum bellum ipsa est Italia lacerata. Narses, auditis eodem tempore quæ Leutheri in Venetia acciderant, tanquam bello Francico prospere absoluto lætus Romam se retulit, ac veritus, ne militum virtus in tanta gratulatione otio, ac lascivia frangeretur, advocatis eis præclaram orationem habuit, qua eos ad continentiam, & modestiam in secundis rebus adhibendam hortatus est, simulque monuit, ut arma tractare ne intermitterent, neque enim verisimile sibi videri, Francos, licet victos, in posterum quieturos. Gotthi vero, qui Francos auxilio juverant, in timorem adducti, ne Romani superioris belli molem in se converterent, in oppidum Cassinum (11) præcipiti in loco situm se receperunt, idque, Ragnare Brittone duce, communiverunt. Qua re animadversa, Narses extemplo cum universo exercitu eò revertit; cumque oppugnationem ex propinquo non posset admovere, obsidione circundedit, dispositis circumquaque custodiis, ne cuiquam aut ingrediendi, aut exeundi pateret potestas, haud magno tamen incommodo eos affecit, quod necessaria ad victum omnia in oppidum convexissent; indignati tamen Gotthi se diutius muris includi, crebras eruptiones fecerunt, ut Romanos ab obsidione averterent, sed, nulla re memorabili acta, hyemem transegerunt. Eodem anno cives Romani (12) desiderio Vigilii Pontificis sui accensi per Narsetem Justinianum orarunt, ut Vigilium, omnesque, qui cum eo erant, Episcopos, & Clericos Ecclesiæ

dens, utriusque expeditionem infelicem exitum sortitam *ob injusta, impiaque eorum facta*, pag. 46., sicque diuturnum bellum à Francis per annos septemdecim in Italia gestum sub Theodeberto, & Theodebaldo adeo infelix fuit, ut post diversa prœlia, ne quidem unam Civitatem Franci retinuerint.

(11) Campsas castellum munitissimum sese Gothos cum Ragnare recepisse, Auctor est Agathias l. 2. p. 49., erat autem Ragnares Hunnus, qui bellum restaurare moliebatur, *ut ex eo celebrior fieret*, Agath. c.

(12) Ita Anastasius; revocatusque Vigilius dicitur, ejusque Presbyteri ex Præconneso, parva Insula Asiæ, & Mysiæ minoris in Propontide, hoc certe an., ut habet Continuator Marcellini, ad an. XIII P. C. Basilii, cui consentit *Constitutum Vigilii pro damnatione Trium Capitulor.*, ap. Baluz. in N. Collect. Concilior. p. 1551., in cujus fine legitur *Post Consulat. Basilii V. C. anno XIII.*

ſiæ tandem, patriæque ſuæ reſtitueret. Qua re cognita, Juſtinianus Clerum, qui cum Vigilio erat, accivit, ac dixit, ſe, ſi Vigilium habere Pontificem vellent, permiſſurum, ſin minus, rogare, ut Pelagium Archidiaconum, qui inter eos aderat, ſubrogarent: illi ſe Vigilio contentos eſſe, ſed poſt exceſſum ejus in ſublegendo Pontifice voluntatis ipſius rationem habituros, dixerunt. Ita Vigilius dimiſſus cum omnibus in Siciliam eſt revectus: verum Syracuſarum in urbe cum eſſet, ſævo calculi dolore oppreſſus V. Kal. Januarias obiit. (13) Concilium Conſtantinopolitanum ut veteres Eccleſiæ diſcordias in Oriente ſedavit, ſic novas, eaſque maximas ſeditiones in Occidente concivit. Multis enim propter inſcitiam viſum eſt, ipſum plurimum de Chalcedonenſis auctoritate diminuiſſe, tribus ejus, ut rebantur, capitibus infirmatis: itaque in Italia Liguriæ, Venetiæ, & Iſtriæ Epiſcopi, (14) quorum principes erant Macedonius Aquilejenſis, Honoratus Mediolanenſis, & Maximianus Ravennas, decretis ejus acceptis, Aquilejæ convenere, ac, re in conſultationem adducta, Concilium illud non obſervandum eſſe ſtatuêre. Scriptum autem eſt hoc in Decreto Ivonis de auctoritate Conciliorum, ex Beda: *Synodus Aquilejæ facta*, inquit, *ob imperitiam fidei quintum univerſale Concilium ſuſcipere diffidit, donec ſalutaribus Beati Papæ Pelagii monitis inſtructa & ipſa huic cum ceteris Chriſti Eccleſiis annuere conſenſit*. Sed hoc annis ſubſequentibus factum eſt. (15) Ineunte inde vere, (16) Ragnares Caſſini
555 obſeſſus à Narſete poſtulavit, ut ſibi colloquii copiam faceret, quòd ſemet ei dedere ſtatuiſſet. Qua facta, eum verba ſuperbiæ, atque arrogantiæ plena jactaret, dignus, qui irrito colloquio dimitteretur, eſt viſus. Ceterum, cum in collem regreſſus non longe à muris abeſſet, illud iniqui admodum, ac ſcelerati inprimis exempli fecit, quòd ſagittam clam in Narſerem occidendi hominis gratia jecit: quæ quanquam irrita cecidit, plurimum tamen periculi ſecum attulit. Quam ob cauſſam Romani iracundia inflammati propere arcus omnes intenderunt, ac, ſagittis in eum certatim contortis, ipſum lethali vulnere affecerunt: ex quo relatus in oppidum poſt biduum mortuus eſt. Illo duce extincto, Gotthi viribus ſuis diffiſi haudquaquam ſibi cunctandum exiſtimarunt, quin ſeſe è veſtigio dederent: itaque, nunciis ad Narſerem miſſis, pacta ſalute, ejus ſe fidei permiſerunt. Ille verò omnes Conſtantinopolim miſit, ne quam materiam relinqueret belli per eos in Italia renovandi. Hactenus res Gotthorum, & Francorum in Italia geſtas Procopium, Agathiamque ſequuti, narravimus: quorum uterque his temporibus vixit, atque eloquentiæ ſtudio floruit, Procopius etiam huic bello interfuit; quibus duobus credere malui, quàm Guidoni, aut Agnello Ravennatibus, quos licet ætate multo inferiores Blondus arcte complexus hæc omnia longe aliter & retulit, & digeſſit: præſertim vero cum eos mihi legere non contigerit. Narſete victoria parta Romam reverſo, corpus Vigilii Pontificis eſt relatum, ac ſolemni pompa via Salaria in æde S. Marcelli ſepultum. Comitiis inde creando ſucceſſori indictis, Pelagius Diaconus haud dubiis totius Cleri ſuffragiis eſt ſuffectus: &, cum non eſſent in Clero, qui conſecrare de more poſſent, novo exemplo ab Epiſcopis, Joanne Peruſino, Bono Ferentinate, & Andrea Presbytero Oſtienſe XVI. Kal. Maji conſecrationem accepit. Cum autem pleriqoe Religioſi, Sapientes, ac Nobiles ab ejus ſe communione ſecernerent, quòd ſeditionis contra Vigilium (17) excitatæ auctorem fuiſſe dicerent, vehementer dolere, atque angi animo cœpit: itaque, conſilio capto, una cum Narſete à Sancti Pancratii æde ad Sancti Petri hymnos, ac can-

(13) Anaſtaſius, qui diem Vigilii emortualem omiſit, ſediſſe ait *annos ſeptemdecim*, *menſes quinque* (in aliquibus Codicib. *ſex*) *dies viginti ſex*; quod certe verum eſſe non poteſt, cum Pontifex fuerit inauguratus an. 537., menſe Novembr. Marcellini Continuatoe ejus obitum refert *Indictione II. Poſt Conſulat. Baſilii V. C. XIII.*, qui & uno tenore Pelagii electionem narrat: Pelagius autem non ante menſem Aprilem an. 555. ordinatus, ut modo convenit inter eruditos; unde ne Interpontificium diutius protrahatur, & Succeſſorum duorum Pontificum Chronotaxis turbetur, ad an. ſequ. initium mors Vigilii differenda.

(14) Hoc Aquilejenſe Conciliabulum aliud eſſe non potuit, niſi quod incentore Paulino celebratum fuit an. D. 557., aut ſequ., quo Paulinus ipſe jam a Mediolanenſi Antiſtita illegitime fuerat ordinatus Aquilejanſis Epiſcopus, ut liquet ex ep. V. Pelagii Papæ, Narſeti inſcripta, vel Valeriano Patricio, ut habet Collectio Romana Holſtenii p. 227. De eodem Conciliabulo ita ſcribit Pelagius ad Narſetem ep. 4. *Cum ſi quid eos de Judicio Univerſalis Synodi, quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam Indictionem actum eſt, forte movebat, ad Sedem Apoſtolicam, quomodo ſemper factum eſt, electis aliquibus de ſuis, qui dare, & accipere rationem poſſent, dirigere debuerunt, & non clauſis oculis, Corpus Chriſti Dei noſtri, hoc eſt S. Eccleſiam, lacerare*. Egit etiam Pontifex cum Narſete, ut Paulinus Aquilejenſis, & Vitalis Mediolanenſis Antiſtites CP. captivi ad Juſtinianum mitterentur, ſchiſmatis pœnas luituri; quod tamen non evenit, cum meliora de ipſis ſperarentur.

(15) Anno certe 557., aut ſequ. ordinatus fuit Paulinus; is enim obiit, teſte Paul. Diac. de Geſt. Langob. l. 2. c5., Alboino Liguriam invadente, *Indictione ingrediente tertia*, duodecimo Sacerdotii ſui anno, anno nempe 569., aut ſequ. Sub Paulino autem Conciliabulum coactum pro defenſione Trium Capitulor. mox dictum eſt. Neque illud confundendum cum Synodo habita etiam Aquilejæ, cujus meminit Beda l. de ſex. Æt. an. VII. Imper. Tiberii Apſimeri, ut pleriqua cum Baronio fecere.

(16) Anni quidem 554., non vero inſequentis: & certe Agathias de vere prioris anni loquitur; Ragnaris enim cæde narrata, ſtatim ſubdit: *ſub idem fere tempus vigente æſtate Byzantii, aliiſque compluribus R. Imperii locis ingens terræmotus eſt factus*, & cet. Atqui hic terræmotus à Theophane narratur an. Incarnat. ſecund. Alex. 546., qui Kal. Sept. an. 553. inchoatur, ubi menſe Aug., *die decima quinta* eveniſſe dicitur, *Indictione ſecunda, illuceſcentis jam Dominici diei poſt mediam noctem tempore*; proindeque an. 554., quo Dominicus dies in diem 15. Auguſti incidit.

(17) Hanc affert cauſam Anaſtaſius, attamen falſam; Pelagius ſiquidem ſemper Vigilio adhæſit, ſocius etiam perſecutionum in Pontificem excitarum, ut ex Victore Tunun., in Chron., colligitur. Ejus autem communionem averſabantur plerique, quod Trium Capitulor. damnationi ſubſcripſiſſet, qua ſe putabant Chalcedonenſi Concilio injuriam irrogari. Unde Anaſtaſio in Vigilii hiſtoria caute admodum deferendum.

cantica canens proceffit, ibique Evangelia,
& Crucem Domini fuper caput fuum po-
nens, in ambonem afcendit, ac fanctiffimum
jusjurandum juravit, fe illius feditionis pror-
fus expertem fuiffe. Inde illud à Clero, Po-
puloque aftante fibi confirmari poftulavit,
ne quis in Ecclefia ab Oftiario ufque ad Epi-
fcopum pecunia, aut promiffis, fed doctri-
næ tantum, ac vitæ meritis proveheretur.
Eodem anno in Gallia, Theodobaldo Rege
Francorum mortuo, (18) magni ejus patrui
Childebertus, & Clotharius hæreditatem
inierunt. Childebertus exactæ jam erat æta-
tis, ac fine liberis. (19) Clotharius quan-
quam viridior, tamen admodum fenex, &
filiis præditus: itaque, moriente mox Chil-
deberto (20), totum Regnum Francorum ad
Clotharium eft delapfum. Idibus Augufti
Conftantinopolis fæviffimo terræmotu quaf-
fata eft, (21) quo multæ ædes facræ, pri-
vatæ, & publicæ, & maxima pars mœnium
procidit: & mare ad duo millia paffuum,
æftu quodammodo undas abforbente, recef-
fit, quo multæ naves abfumptæ funt, eaque
calamitate magna pars Orientis afflicta eft.
In primis autem Nicomedia, Antiochia, &
Berytus ingentia detrimenta acceperunt.
Beryti peregrini, & inquilini fere omnes
ruinis elifi, inter quos præcipue juvenes illi,
qui cognofcendarum legum cauffa eò fe
contulerant: itaque juris interpretes, qui
antecefſores dicebantur, Sidonem fe referre
556 coacti funt. Proximo anno, cum in perpe
tuum quietura à Gotthis Italia videretur,
novo fubotto motu, de integro fluctuavit:
quippe Vidinus Gotthorum Comes, ut fcri
bit Paulus Diaconus, à Narfete defecit, at-
que Amingum, five, ut inquit Marcellinus,
Omnirugum, qui Bucellini focius fuerat,
auxilio advocavit. Quam rem nec fpernen-
dam, nec ullo modo ferendam Narfes ar-
bitratus, exercitum adverfus eos eduxit, &,
fummo commiffo prœlio, utrunque in pote-
ftatem redegit: ac, Vidino Conftantinopo
lim miffo, Amingum gladio interemit: vi-
dendum eft autem, ad hoc ne bellum illud
pertineat, quod poft Cedrenus memoriæ
prodidit, nempe Viriam, & Brincas à Nar-
fete de Gotthis effe receptas: neque enim
quò nos conjectura ducat, aliud habemus:
nec quidquam videri prætermififfe temere
in tantis præfertim rerum anguftiis, volu-
mus. Conftantinopoli iterum menfe Julio

A terræmotu, fulguribus, tonitruis, & tempe-
ftatibus graviffime laboratum eft. Judæi &
Samaritani, Cæfareæ Palæftinæ conflata fe-
ditione, impetum in Chriftianos fecerant,
ac, multis peremptis, Ecclefias combuffe-
runt, &, Stephano Præfecto in Prætorio
necato, bona ejus diripuerunt: uxor autem
ejus elapfa Conftantinopolim adiit, atque,
injuria expofita, effecit, ut Adamantius Ma-
gifter militum ad eam rem inquirendam fit
miffus: qui, quæftionibus acriter habitis,
alios fufpendio affecit, alios obtruncavit,
alios publicatione, alios relegatione, mul-
tavit: magnufque ex ea re tumultus in O-
riente eft concitus. Gotthis, Francifque
B Italia deturbatis, reftabant Heruli, quon-
dam à Rege Theodorico in Subalpinis, vi-
cto Rege illorum Odoacre, locati. Et his
ex Italia deturbandis fumma opportunitas
eft oblata: quippe Sindualdus præfectus eis
à Narfete, ut diximus datus, poftero, ut
Paulus fignificare videtur, anno eos ad de- 557
fectionem follicitavit, atque ab eo victus (22)
perfidiæ pœnas luit. Sic autem ille fcripfit:
*Narfes Sindualdum Regem cum multis benefi-
ciis affeciffet, noviffime rebellantem, & regna-
re cupientem bello fuperavit, & captum celfa
trabe fufpendit: eodemque tempore per Dagi-
fteum Magiftrum militum univerfos Italiæ fines
obtinuit.* Atque hic quidem earum cladium
C exitus fuit, quas omnium atrociffimas ab
anno quadringentefimo, ut fupra diximus,
barbari, ac præcipue Gotthi Italiæ intule-
runt: per quas ipfa urbibus, armis, viris,
opibus, ac dignitate multata, ac paffim igne,
ferroque fæviente, ultima ftragis, atque
immanitatis exempla perpeffa, ex fummo
florentis fortunæ gradu ad infimum, ac pro-
pe miferabilem eft deducta. Quorum cafuum
ea magnitudo, atque varietas fuit, ut vix
inveniri poffe quenquam tanto animi robo-
re putem, qui tot fortunæ ludibria, tot clades
urbium, fugas hominum, cædes populorum
affequi mente, nedum complecti oratione
queat. Ceterum, Italia fingulari Dei bene-
D ficio poft annum ferme centefimum fexage-
fimum liberata, Narfes animum ad eam in-
ftaurandam, atque à fuperioribus calamita-
tibus fublevandam convertit, præcipue ne
Belifario videretur inferior, qui ei ftudio,
quoad per hoftes, bellumque licuerat, dili-
gentiffime infervierat, magnamque ex ea re
laudem retulerat. Fuit enim, ut inquit Pau-
lus,

(18) Marius in Chron. ad an. XIV. Poft Confulat.
Bafil, an. fc. 555, illius mortem refert: at
is Chronographus res per hæc tempora fe-
rius, ac par eft, fæpe collocat. Sed ex Aga-
thia l. 2. p. 50. an. D 553. obiiffe nofcitur;
& Continuator Marcellini, *an. Poft Confulat.
Bafil.* XII id tradit, quem exfcribit Her-
mannus Contractus in fufiori Chron. Hinc
quando Gregor. Turon. l. 4. 9. ait, Theo-
dobaldum (qui an. 547. Regnum iniit)
*feptimo Regni fui anno* mortuum effe, ex-
tremi utrimque incompleti funt intelli-
gendi.
(19) Ex Ultrogotha Regina duas tantum filias
fufcepit, quas Interpolator Aimoini Croth-
bergam, & Crothfindam vocat, eafque
cum matre exules actas deinde a Clotario,
teftis eft Gregor. Tur. l. 4. 20. An fœminæ
tunc à Regno ex Francorum Legibus ex-
clufæ? Videtur id affirmaffe Agathias l. 1.
dicens: *Filii patribus in Regnum fuccedunt*;
& l. 2. inquit, univerfum Francorum Im-
perium ad Clotarium fuiffe devolutum,

E Rangirtrude, & Bertoara fororibus Theo-
dobaldi ad hæreditate exclufis eamet lege.
(20) Marius in Chron. Childeberti mortem con-
jicit in annum Poft Confulat. Bafilii XVII,
an. fcil. Chr. 558. In præfentem an. inci-
dere non potuit, cum ex Aimoino l. 2. 29.
quadraginta novem annos regnaffet, for-
taffe utrimque incompletos.
(21) Anno tamen 554., ut ex Agathia, & Theo-
phane fuperius oftenfum. Errat Auct. Mi-
fcellæ referens ad an. 27. Imperii Juftinia-
ni, qui cum an. Chr. 553. convenit, nifi
dicatur, fecutum effe modum numerandi an-
nos Juftinianeos, à Theophane ufurpatum,
qui primum Juftiniani annum a Kal. Sept.
anni Chr 527. cum anno civili exorditur;
fic enim menfe Aug. an. 554. currebat
adhuc annus vigefimus feptimus ejufdem
Imperii.
(22) Hujus victoriæ à Narfete relatæ meminit Ma-
rius Aventicenf. dum anno 2. Juftini Jun.
Augufti Narfetem ex Italia revocatum fcri-
bit, ubi Sindevalem appellat.

lus, vir summa pietate ornatus, (23) religione Catholicus, erga pauperes benignus, in reparandis Basilicis diligens, ac demum vigiliis, & precibus usque adeo deditus, ut plures victorias supplicationibus divinis, quàm terroribus bellicis, obtinuerit. Addit Nicephorus, eum tantum Virgini Dei Genitrici cultum adhibuisse, ut ab illa manifeste apparente tempus committendi prœlii expectarit, neque eum ante in aciem descendere consuevisse, quàm ab illa opportunitatem rei aggrediendæ acceperit. Multa igitur ille posthac oppida bello labefactata restituit, multa Romæ, ceterisque in oppidis ædificia publica & sacra, & profana refecit, ac dispersas superioris tempestatis post fœdum naufragium colligere tabulas studuit: verum ut aliarum multarum, sic harum quoque actionum explorata ad nos memoria non pervenit. Sunt enim qui sequuntur anni adeo ab omni literarum commemoratione inopes, ut nihil in tota ferme Occidentis, atque Italiæ antiquitate incultius, nudiusve reperiatur. Eadem, quæ Narsetem, Pelagium quoque Pontificem cura incessit: nam & ipse omnia sua studia contulit ad Ecclesias Romæ reparandas, & exornandas, moresque Clericorum, atque Episcoporum, qui lapsi fuerant, emendandos. Itaque ædibus sacris vasa aurea, & argentea, palliaque, quæ ante cladem Romanam habuerant, restituenda curavit, & Maximianum (24) Ravennatem Episcopum ad Romanæ Ecclesiæ auctoritatem revocare contendit, res Ecclesiasticas ad proprios usus una cum altero Episcopo nomine Thracio convertentem. Qua de caussa Petrum Presbyterum, & Projectum Notarium ad ea loca, ut hæc piacula tollerent, misit, eosque Narseti Ravennæ agenti, ut ipsius ope mandata sua perficerent, commendavit, verba epistolæ adhuc extant: *Quali nos de gloriæ vestræ studiis judicio gratulemur, non solum vestram, sed multorum, etiam, ac pæne omnium credimus habere notitiam, & idcirco nunc de iis, quæ, vobis præsentibus, ibi fieri stupemus, fiducialiter apud gloriam vestram duximus conquerendum. Thracius siquidem, ac Maximianus nomina tantum Episcoporum habentes, & Ecclesiasticam ibi unitatem perturbare dicuntur, & omnes Ecclesiasticas res suis usibus applicare in tantum, ut contra unum Maximianum usque ad nos per tam longum iter, necessitate compellente, quidam infatigabiliter venientes preces offerant; ob quam caussam Petrum Presbyterum Sedis nostræ, & Projectum Notarium ad eadem loca duximus destinandos, ut ea, quæ Canonicis statutis à prædictis Pseudoëpiscopis compererint commissa, vel digna debeant ibi ultione compescere, vel eosdem ad nos usque perducere. Et ideo salutantes paterno affectu gloriam vestram, petimus, ut præfatis, qui à Sede nostra directi sunt, in omnibus præbeatis auxilium, nec putetis alicujus esse peccati, si hujusmodi homines comprimantur.* Macedonio Archiepiscopo Aquilejensi mortuo successit Paulinus (25) ab Honorato Archiepiscopo Mediolanensi contra vetera exempla sacratus: ille vero & ceteri Liguriæ, Venetiæ, & Istriæ Episcopi, cum Concilium, ut diximus, Constantinopolitanum repudiantes, se ab Ecclesiæ auctoritate removissent, & hos Pelagius revocare sive literis, sive nunciis missis conatus est; itaque postero anno, cum eorum [558] nemo præceptis Pontificiis obedientem se præbuisset, novas ad Narsetem literas misit, ut primos ad Justinianum Constantinopolim mitteret, secundos vel principali, vel judiciali auctoritate comprimeret, quemadmodum legibus caveretur, verba hæc fuerunt: *Date operam, ut qui se ab Apostolica Sede sejunxerunt, ad piissimum Principem sub digna custodia dirigantur; recolere enim debet Celsitudo Vestra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Istriam, & Venetiam tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non ante tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, quàm ad Clementissimum Principem exinde retulissetis, & quid fieri debuisset, ejus iterum scriptis recognovissetis, & inter ubique ferventes hostes Ravennam tamen & is, qui ordinabatur, & is, qui ordinandus erat, providentia Culminis Vestri deducti sunt. De Liguribus, Veneticis, & Istris Episcopis quid dicam? quos idonea est Excellentia Vestra & ratione, & potestate reprimere, ne dimittatis in contemptum Apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari, cum si quid eos de judicio universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam Indictionem actum est, forte movebat, ad Sedem Apostolicam (quod semper factum est) electis aliquibus de suis, qui dare, & accipere rationem possent, dirigere debuerunt, & non clausis oculis Sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare, hujusmodi homines principali, vel judiciali auctoritate comprimere, quia regulæ Patrum hoc specialiter constituerunt, ut si qua Ecclesiastici officii persona, cui subjectus est, restiterit, vel seorsim collegerit, aut aliud Altare erexerit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur, atque damnetur; quod si forte & hoc contempserit, & permanserit divisiones faciendo, & schismata, per potestates publicas opprimatur.* Paruit Pontificis auctoritati Narses, atque Episcopos, quocunque modo Ecclesiæ mandata spernentes, cohibere pro potestate contendit; itaque ab eis propterea piorum communione secretus est. Qua de re cum Pelagium monuisset, ejusmodi ab illo responsum accepit: *Relegentes literas Excellentiæ Vestræ de injuria, quam vobis iniquorum hominum præsumptio ingessit, valde doluimus; sed quia scimus, occulto Dei judicio animam* ve-

(23) Pietatem vero fœdavit, accitis in Italiam Langobardis, Sophiæ Augustæ, Justini conjugis, minis perterritus, ut diserte legitur in *Brevi Tempor. Expositione* Melliti, (Hispani Auctoris) quæ in Biblioth. Colbert. reperitur, & cujus Codex ab octingentis circiter annis est exaratus. Idem habet S. Isidor. Hispal. Episc. in brevi suo Chron., à Schelestratio è Biblioth. Urbino-Vaticana edito. Nec mirum, si alium de hac re silentium apud Theoph., Cedrenum, Zonar., ceterosque Græcos Scripp., qui ne quidem irruptionis Langobardorum in Italiam meminere. L. Sigebert. in Chr. ad an. Chr. 566.

(24) Maximilianus dicitur in epist. 2. Pelagii, quam hic recitat A. N., cumque Schismaticum una cum Thracio fuisse, satis indicat Pontifex ibid.

(25) De quo alibi dictum, ubi de Aquilejensi Conciliabulo pro Trium Capitulor. defensione: quas autem, eo impellente, calumnias Schismatici Istriæ adversus Pelagium spargebant, Summus Pont. ipse satis dispulit, data ad Childebertum Regem Francor. epist.

*vestram, etsi per aliorum iniquitatem, & superbiam, à contaminatione schismatis custoditam, egimus Omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari consuevit; nec enim sine illius providentia factum esse credendum est, ut insensati, & perversissime homines usque ad hoc prosilirent, ut suam divisionem Catholicam esse credentes Ecclesiam, à sua vos pollutione probiberent; sic enim per misericordiam Dei, etiam nescientibus illis, hoc factum est, ut à schismaticorum communione eruti Catholicæ, quam diligitis, servari vos contigisset Ecclesiæ. Quamvis igitur vestra per illorum scelus facta sit utilitas, nolite tamen impunitam præsumptionem iniquorum hominum grassari permittere; si enim hoc, quod in vestram gloriam præsumpserunt, non fueris vindicta compressum, quod in minoribus non valeant punire, ambigi ultra non debet. Quales autem sint, qui Ecclesiam fugiunt, Eufrasii eos scelera evidenter infamant, qui in homicidio nec hominis necessitudinem, nec fratris caritatem, nec Sacerdotii reverentiam cogitavit. Auferte tales ab ista provincia: utimini oblata vobis à Deo opprimendi perfidos occasione, quod tunc plenius fieri poterit, si auctores scelerum ad Clementissimum Principem dirigantur, & maxime Ecclesiæ Aquilejensis invasor, qui, & in schismate, & in eo maledictus nec honorem Episcopi poterit retinere, nec meritum.* Quod mandatum cum explere Narses differret, novis bis Pelagii literis est impulsus: *Jampridem à vobis postulavimus, atque adhuc postulamus, ut Paulinum Aquilejensem Pseudoepiscopum, & Honoratum Mediolanensem Episcopum ad Clementissimum Principem sub digna custodia dirigatis, ut iste, qui Episcopus nullatenus esse potest, qui contra omnem Canonicam consuetudinem factus est, alios ultra non perdat, & illum, qui contra morem antiquum ordinare præsumpsit, Canonum vindictæ subjiciat.* Quibus præceptis armatus Narses alios Episcopos, quos capere potuit, Constantinopolim misit, aliis fugam consciscentibus justum exilium sanxit, ex quibus Vitalis Altinas Maguociacum abiit. Narses item per bos annos Templa, quæ victoriæ caussa in Rivoalto insula voverat, unum S. Theodoro Martyri, alterum S. Gemioiano Confessori, Mutinensi quondam Antistiti, ædificandum jam voti damnatus curavit, quorum illud hodie Venetiis in æde S. Marci includitur, alterum è regione invisitur in foro. Dum autem Italiæ status hoc pacto ad quietem, decoremque formatur, Oriens sævis rursus, atque inauditis ante malis est divexatus, illuvionis, pestilentiæ, tempestatis, terræmotus; nam mare limitibos naturalibus ad tria millia passuum Thraciam versus excessit, atque agris, bominibusque multis oppressis, in alveum pristinum rediit; sequuta est inde Constantinopoli tanta, tamque dira pestilentiæ lues, ut mortui triduum insepulti jacerent, non sufficiente propter multitudinem cadaverum libitina; mox, cum ne currus quidem à Justiniano curati satis valerent, in litus ejecta ad sex dies inhumata manserunt, & fœtore intolerabili loca proxima infecerunt. Mensibus Julio, & Augusto (26) illa maxime clades accepta. Quin etiam per eosdem dies insolitæ cœli tempestates, atque horribiles extiterunt: erat autem continuus prope cœli fragor, & passim micaotium fulminum species, quæ non solum oculis, auribusque attonitis terrorem, sed etiam suspensis animis religionem iocutiebant, quibus nonoulli etiam somnum capientes adusti sunt. Fulgura vero terræmotus adeo atroces, & sævi in omnibus terris sunt consequuti, ut merito bomines vererentur, ne uno terræ haustu urbes absorberentur. Quæ mala eum alia in Occidente loca vexarunt, tum inprimis Italiam afflictarunt, usque adeo ut Romam satis constet plus etiam ab his terroribus detrimenti, quàm à barbarorum feritate, eepisse. Itaque, cum aliquando Canusinæ civitatis Antistes cum S. Benedicto Abbate de Totila Rege sermonem ingressus dixisset, fore, ut per eum urbs ita dirueretur, ut in posterum nequaquam incoleretur, respondit S. Benedictus: immo vero Roma ab hominibus non exeindetur, sed à tempestatibus, fulguribus, turbinibus, & terræmotu fatigata exardescet in semetipsa. Id autem verum fuisse vaticinium scripsit S. Gregorius, affirmans, sua ætate, (vixit autem hoc tempore, Monasteriis multis à se conditis, atque ipsius disciplinæ Monasticæ (27) à se diligentissime cultæ gloria clarus) Romæ mœnia dissoluta, domos eversas, destructas Ecclesias turbine fuisse, ejusque ædificia senio longo lassata increbescentibus ruinis prostrata ingratum sui spectaculum præbuisse. Hoc terræmotu sedato, rursus mare ad duo millia passuum extra fines excurrit; alterque terræmotus (28), jam ineuote hyeme, priorem excepit, qui multo, quam ille, non solum minacior, sed etiam perniciosior fuit. Præcipue Constantinopoli circa mediam noctem, civibus alto & profundo somno sopitis, repente concuti omnium fundamenta ædificiorum cœperunt: isque motus usque adeo sæpe cum insigni incremento est repetitus, ut bomines, somno discusso, periculi instantis magnitudine consternati altissimos ejulatus, & flebiles complorationes ediderint, suppliccsque vota ad Deum effuderint: tum sonitus quidam gravis, ferusque stridor è terra erupit, qui sævissimis ventorum agminibus quasi stipatus ipsum terrorem ingeminavit, quo territi homines mente prope atto-

(26) Theophanes an. Incarnat. sec. Alex. 550., Kal. Sept. an. Chr. 557. inchoato, ait: *mense Februario mortifera ex bubone lues in homines, maxime juvenes, grassata est; adeo ut sepeliendis mortuis non sufficerent vivi: obtinuit vero, & invaluit à Februario usque ad mensem Julium.* L. Agath. l. 5.

(27) Monasticam disciplinam sub Regula S. Benedicti sectatum S. Gregorium M., in ejus V. testatur Joannes Diac., cui Aimoinus Floriac. Monachus in V. S. Abonis Flor. Abb., Ethelredus Anglorum Rex in Privileg. Ecclesiæ Cantuariensi concesso adstipulantur; præsertim vero Bonifacius IV., in R. Concil., ubi Monachorum æmulos perstringit. L. Mabillonium in Præfat. sæculi I. Bened., & Differt. singulari, de Monastica V. S. Greg. M., To. II. Veter. Analector., ubi Amalarium, Ambrosium Autpertum testes quoque adhibet, & Em. Baronii argumenta convellit, putantis, S. Equitii fuisse discipulum.

(28) Theophanes posteriorem hunc accidisse ait an. Incarnat. secund. Alex. 550., Kal. Sept. an. 557. inchoato, *mensis Octobris die sexto, Indictione sexta sub Sabbati crepusculum.* Sabbatum autem h. anno indicit in diem sextum Octobr.

attoniti ex ædibus sese in publicum effundebant, ac sub dio votis faciendis manebant, omniaque nivis, algorisque incommoda sustinentes tectis succedere detrectabant. Licebat autem cernere mulieres nobilitate, & castitate insignes temere cum viris alienis, omni pudoris confuso discrimine, commisceri, viros virtute præstantes ab ignobilibus, dominos à servis, magistratus à privatis in ordinem redigi, omnibus mortem in proximo esse putantibus: multis in partibus ædes totæ procubuere, multis in ædibus tecta, compage ipsa soluta, ita divulsa sunt, ut cœlum aspiceretur, ac mox ita coierunt, ut fractura non cerneretur: alibi columnæ ex superiore ædificii parte vi excussæ ad longinquas ædes, velut funda, emissæ, fragore ingenti omnia contriverunt. E plebe plurimi periere, è nobilitate solus Anatolius, vir consularis in lecto cubans, marmoris fragmento collisus est. Luce autem subsequente, cives se inter se intueri, salutare, & complecti, perinde ac si desperata salute jamjam essent mortem oppetituri. Inde per decem post dies ipso continuato tremore, reliqua ædificia aut labefactata, aut certe tentata sunt. Quæ res homines coire coëgit, & supplicationes Deo facere, & carmina expiatoria canere. Justinianus autem religione perfusus in festo Natalitio-
559 rum, & Theophaniorum per urbem, posita Augustali corona, incessit: nec convivia solennia celebravit, (29) sed eorum impensas in egenos tolerandos transfudit: vulgo etiam æquitas in commerciis, & judiciis coli cœpta, & omnes turpitudinis, ac flagitiorum labes rejectæ: alii, mutato vivendi more, honoribus, opibusque relictis, vel in sacra loca collatis, vitam sibi solitariam deposcebant: per noctem primores civitatis publicas vias obeuntes, mendicos atque egentes cibis oblatis, vestibusque levabant. Interim non deerant, qui absurdas quasdam prædictiones in vulgus jactarent, huic Mundi machinæ finem adesse monentes, quique res horrendas à se visas falso ferentes pavorem augebant: quorum alii quasi à Dæmone insito edocti, alii quasi ab astris hoc portendentibus moniti hæc tradebant. Postquam vero, remittente tremore, discrimen est imminutum, tum ad pristinam vitæ consuetudinem plerique se retulerunt, & caussas terræmotuum naturales inquirere, & de ventorum exhalationibus differere cœperunt, tumidos, ac densos vapores terræ cavernis inclusos motus ciere hujusmodi concludentes. Justinianus ædificia vel putrescentia vel imbecillia vel prolapsa instaurare contendens, præcipue trullam Templi S. Sophiæ restituit, (30) eamque viginti amplius pedibus supra Templi tectum, quàm ante fuerat, extulit: aliasque ædis partes debilitatas magnificentiore, quàm erant, opere instauravit. Hunc autem terræmotum tam insignem sequuta est altera insignior pestilentia, quæ integros quatuor menses urbem attrivit. Moriebantur plerique repente, tanquam apoplexia correpti, neque ultra quintum diem superabant: morbus autem priori similis; nam febres ad bubonem intumescentem adjectæ, eum, quem invaserant, extinguebant: nonnulli vero nec febre occupati, nec dolore ullo vexati, dum secreto corpora curarent, & domi, & foris, ut cuique contingebat, cadebant: præcipue juvenes vis illa morbi absumebat, & mares magis, quàm fœminas: nam illæ dissimili lue conficiebantur. Eodem anno nova gens Hunnorum, (31) qui Abares dicebantur, ad ripas Istri venit, & amnem per hyemem conglaciatum nacta, flumine transmisso, in Mœsiam, provinciam Romanam, irrupit, ac varie populari agros hostili exemplo incœpit. Hi in omnibus rebus reliquorum Hunnorum cultui, præterquam in religatione capillorum, similes extitere. In Italia (quod ingentem omnibus horrorem incussit) memorabilia quoque prodigia apparuere, nempe signa per domos, ostia, vasa, & vestimenta, quæ nulla deleri ablutione potuerunt: hæc proximam, quæ sequuta est, pestilentiam portenderunt. Narses Mediolanum reparare contendit. Pelagius Pontifex ædem
SS. Jacobi, & Philippi instituit. Anno inde 560
quingentesimo sexagesimo à Christo nato Hunni ex Mœsia in Thraciam (32) cum transissent, capto provinciæ Præfecto, magnam cædem fecerunt; cumque partes quasdam muri Anastasiani terræmotu prostratas invenissent, ingressi sunt, atque omnia usque ad Dripeum, Nymphas, & Chiti pagum in suam ditionem adduxerunt. Qua re cognita, Justinianus cives multos ad Longum murum misit, qui, commissa pugna, plerique ceciderunt: itaque Belisarius, licet iam effœtæ ætatis, missus est: qui, equis civium sumptis, armata multitudine venit ad Chiti pagum, fossaque facta, barbaros, quotquot cepit, occidit, palmites etiam arborum post se traxit, ut, excitato pulvere, ingentis speciem multitudinis Hunnis præberet, qua opinione decepti usque ad Arcadiopolim profugerunt, &, cum naves parari viderent, ut sibi tutus receptus daretur, postularunt. Justi-

(29) *Adeo ut agitata, ut moris est, ad novendecim accubitus convivia*, penitus cessaverint, inquit l. c. Theophanes. Cedrenus vero ait: *convivia duodecim dierum spatio circa Christi Natalem agitari solita*. L. Agathiam l. 5. hunc terræmotum fuse describentem.

(30) De quo præter Procop. L. Evagr. l. 4. 30., ubi structuram, situm, & dimensiones capite uno complexus est. Cedrenus Sacram Mensam describit. De mirabili Templi artificio Pauli Flori egregium extare Poëma, Viri nobilitate Clarissimi, Agathias tradidit l. c.

(31) Theophan. an. Incarnat. secund. Alex. 551., qui Kal. Sept. an. 558. incipit, Hunnos & Sclavos cum maximis copiis in Thraciam irrupisse tradit, adversus quos missum Belisarium narrat; at territos, missis Legatis, petiisse subdit, ut liceret incolumes Danubium trajicere, quod iis permisit Justinianus per Justinum nepotem suum, & Curopalatem. Hanc Hunnorum invasionem pluribus persequitur Agathias l. 5, qui auctor est, Hunnos *vigente hyeme* in R. Imperium irruisse, partemque exercitus in Græciam, alteram vero in Chersonesum Thracicam misisse. Hos autem Hunnos à Bulgaris diversos non fuisse innuit Theoph. ad an. XI. Constantini Pogonati, ubi eos Hunnogundo-Bulgares, & Contragos etiam dicit, cui suffragari videtur Nicephorus in Breviar. p. 22. Agathias l. c. *Cotriguros* vocat. V. Ducang. in Famil. AA. Byzant. 6, qui tamen in eo falsus, quod hanc irruptionem conjiciat in an. 561. De Abaribus alibi dictum.

(32) L. Theophan. l. c., & Agathiam l. 5.

A Justinianus autem Justinum (33) Curopalatem sorore sua natum misit, qui eos traduxit, eum, qui post Imperium tenuit. Hoc anno pestilentia inguinaria, sive bubonis vocata, ex Oriente demum in Italiam transiit: cujus ratio fuit hujusmodi. Erumpebant in inguinibus hominum, & in aliis mollioribus partibus glandulæ instar nucis, quas mox ardentissimæ febres excipiebant, ita ut tridui spatio absumerent: si quis vero ultra spiritum produxisset, spem vitæ concipiebat: ita domus ubique deserebantur, singulis tantam vitare cladem studentibus, cum patres liberos, liberi parentes relinquerent, ut saluti suæ consulerent: nam si quis tanto pietatis ardore flagrasset, ut alteri officium præ-
B stare aut curationis, aut sepulturæ vellet, in eandem mox & ipse incidebat calamitatem: itaque lachrymis, & fletibus ubique omnia personabant. Hæc lues ad superiores Italiæ clades adjuncta ut populos prorsus exhausit, sic maximam instaurandis, quod
561 cœptum erat, ædificiis moram injecit. Proximo anno Pelagius Pontifex, Basilica Apostolorum nondum perfecta, III. Nonas Martii (34) obiit. Inde IV. Kalend. Junii (35) Joannes, cognomento Catelinus, est suffectus, quem tertium appellarunt, ac XVI. Kalend. Augusti consecratus. In Sicilia Placidus S. Benedicti discipulus sacrum martyrium subiit: irruptione quippe à Sarracenis
C (36) in Insulam facta captus, ac variis suppliciis affectus constanter est mortuus, una cum fratribus suis Eutitio, & Victorino, ac sorore virgine Flavia, & Monachis triginta tribus. Dicitur autem cathenis vinctus fuisse, fame, & siti cruciatus, suspensus, tortus, verberatus, adustus, fumo afflatus, dentibus & lingua multatus, ac demum capite truncatus III. Nonas Octobris apud Messanam. Maurus autem condiscipulus ejus, Monasterio in agro Andegavensi (37) constructo, omni item laude sanctitatis effulsit. Ravennæ Templa ab Arrianis fœdata ab Agnello Episcopo hortatu Narsetis expiata, & multis donariis aucta. Justiniano dolore capitis fatigato, cum in publicum non exiret, rumor in urbe dispersus est, ipsum morbo esse consumptum: itaque tumultu suborto, tabernæ direptæ sunt: neque hora tertia venalis panis inveniebatur: provectaque res esset longius, nisi hora nona Præfectus urbis luminaria per totam urbem accendi jussisset, atque eo signo Imperatorem valere significasset: quo conspecto, omnis repente tumultus elanguit. Mense inde Decembri ædes à Basilica S. Sophiæ ad Probi fortuito incendio conflagrarunt. Et hoc anno terræmotu, ac pestilentia multis est in urbibus laboratum. Post res Ecclesiæ Concilio Constantinopolitano compositas Severiani hæretici quiescere non potuerunt, ac novam de immortalitate Carnis Christi controversiam intulerunt: quibus cum Catholici summa ope resisterent, re ad arma deducta, multas cædes fecerunt. Quod audiens Justinianus, misso Timarcho Comite, innoxios vindicavit, aliis exilio, aliis bono-
rum publicatione, aliis vita multatis. Pro- 562
ximo anno Romæ Joannes Pontifex Basilicam Apostolorum jam ad summum perductam dedicavit. Narses in pace Italiam administrare cum summa Imperatoris gratia institit, ac pontes Romanos, & reliqua opera bello ab hostibus diruta reparare perseveravit. In Gallia prodigium ingens factum. Mons Rhodano fluvio imminens multos dies mugitum emisit, ac postremo ab alio monte sibi vicino divulsus cum omnibus ædificiis, atque incolis præceps in Rhodanum ruit. Constantinopoli vero res nefanda in caput Imperatoris conjuratione turbatæ, (38) quippe Nonis No-

(33) Hic filius Dulcissimi ex Vigilantia, Justiniani sorore, qui Justiniano mortuo die 14. Novemb. à Joanne Exscholastico Patriarcha suscepit Imperium, an. 565. Curopalatis dignitatem, quam obtinebat, non autem Cæsaream, describit Corippus Grammaticus, qui Justini laudes cecinit; nullus enim, D eumdem Cæsarem ante Imperium renunciatum, ex Veteribus tradit.

(34) Inauguratus fuerat die XI. April. *sedit annos quatuor, menses decem, dies decem & octo*. Habet Epitaphium à Baron. recitatum, ad an. 559. *depositus IV. Non. Mart.*, ibid. Unde obiit die prima Martii, & sequenti die sepultus, h. an, non autem 559. ut Baronio placuit. Adverte tamen, Auctorem Epitaphii non diem emortualem respexisse, sed illum, quo honorificentiorem obtinuit sepulturam. Totidem Sedis annos Pelagio attribuunt Anastasius, & Veteres Catalogi.

(35) Post Pelagii mortem Interpontificium durasse menses tres dies XXV. scribit Anasta- E sius: melius vero dicendum, menses quatuor, dies 17., Joannes enim tertius inauguratus fuit die 18. Julii, in quem, anno 560., dies Dominicus incidit; & ex eodem Anastasio Joannes sedit *ann. XII*, *menses XI.*, *dies XXVII.*, emortuali incluso: obiit autem an. 573., ut inter Eruditos convenit; ne igitur turbetur Pontificum Chronotaxis, emendandum Interpontificii hujus tempus in Anastasio.

(36) S. Placidi Vita à Gordiano conscripta, interpolata fuit fortasse à Petro Diac. Casin., proindeque non mirum, si multa contineat a temporum illorum historia longe aliena, cum Petrus ipse floruerit undecimo sæculo. Martyrium hoc in dubium revocari non potest, cujus testes sunt vetustissimæ Tabulæ Ecclesiasticæ. Sed quis Mamuca Dux Agarenus? Quis tunc Abdala Agarenorum Rex, à quo missus Mamuca? Isidorus in Chron., aliique omnes Scriptores, Theudem produnt per ea tempora, neque Agarenum, seu Sarracenum, sed Gothum genere tunc regnasse in Hispania. Agareni item, seu Sarraceni, nonnisi octavo sæculo regnare ibidem cœperunt, cum post Muzam Abdalazirus, sive Abdalassius ejus filius, occupatis quibusdam civitatibus, Regem se gessit. V. quæ disserit Mabillonius de anno emortuali S. Placidi, in Præfat. I. sæculi Bened. §. 4, ex quo intelliges, quam perperam Interpolator Vitæ S. Plac., & Socior. martyrio coronatum prodat an. 541, Justiniani vero 13., cum annus tertiusdecimus ejusdem Imperat. conveniat cum an. 539.

(37) Faustus in V. S. Mauri, eumdem narrat Aurelia adiisse, indeque in Andegavensem ditionem evocatum, ubi Florus vir nobilis, potens, ac pius, Theodeberto Francorum Rege probante, ei Monasterium construxit, in prædio suo, *quod Glannafolium* dicebatur, ad Ligerim positum, modo Monasterium S. Mauri nuncupatum. Subdit etiam, Theodebertum eò venisse cum optimatibus suis, & à Floro donata confirmasse, multa alia largitum: atque ex eo fonte celeberrimam Congregationem S. Mauri prodiisse in Gallia certum est.

(38) Theophanes ad an. Incarnat. sec. Alex. 555. Kal. Sept. an. Chr. 562. inchoato, scribit, mense Octobris popularem seditionem ortam in Pittaciis (tractus erat Urbis CP., de quo L. Ducang. l. 2. Constantinop. Christ. §. 16. n. 70) subdens, mense Augusto, (anni nempe Chr. 563.) *die 25.*, *Sabbato* circa

Novembris Ablavius, Marcellus, & Ser-
gius homines non ignobiles insidias Justinia-
no moliti sunt, re composita, ut ipsum in
triclinio sub noctem invaderent; cum autem
Ablavius consilium cum Eusebio exConsule,
& Joanne Logotheta communicasset, ex eo-
rum indicio re detecta, principes conjura-
tionis capti, & cum gladiis deprehensi sunt,
quorum Marcellus statim sibi gladium intu-
lit. Sergius autem interrogatus, Isaacium, &
Belisarium Patricium conjurationis partici-
pes prodidit; idque Viti, & Pauli testimo-
nio comprobavit, qui à Procopio Præfecto
comprehensi eadem affirmarunt. Hac de re
Justinianus Nonis Decembris horum confes-
siones enunciari per Eutychium urbis Epi-
scopum jussit, ac missis, qui Belisarii fami-
liam comprehenderent, ipsum domi suæ in
custodia triumphalem hominem, ac sine
dubio ejus seculi virtute, dignitateque prin-
563 cipem, habuit; at vero postero anno, re ad
liquidum explorata, XIV. Kal. Aprilis tan-
quam innocentem emisit, ac bona, dignita-
temque pristinam reddidit. (39) In Gallia
Clotharius Rex Francorum Cramnum filium
(40) jampridem hostiliter multa adversus se
in provincia molientem è regno expulit, at-
que in Britanniam insequutus captum cum
564 uxore, ac filiabus necavit. Insequenti Nar-
ses ad arbitrium suum omnia in Italia ad-
ministrans, Vitalem Altini Episcopum, qui
Maguntiacum profugerat, tandem in pote-
statem adductum retraxit, atque in Siciliam
relegavit. Justinianus autem, cum jam de-
crepitæ esset ætatis, religionis caussa Ger-
maniciam urbem Galatiæ prodiit, ibique
novam hæresim imbibit, eorum, qui im-
mortalitatem Carnis Christi opinabantur, un-
de Aphtarthodocitæ appellabantur, quæ erat,
Christum non mortalem carnem assumpsisse,
sed postquam assumpta esset, immortalem
evasisse, ac corpus ejus prorsus expers mor-

A talitatis, omniumque humanarum affectio-
num fuisse; itaque cibo, & potu ante resur-
rectionem perinde usum esse, atque post
ipsam resurrectionem fuerit. Quam opinio-
nem ille ita hausit, ut, edicto proposito
(41) asseruerit; atque Eutychium Episcopum
urbis furentem, atque eam, tanquam à ve-
ritate Catholica alienissimam, refellentem
Ecclesia deturbarit, eique Ammasiam, (42)
unde venerat, relegato, Joannem Scholasti-
cum substituerit, quæ res magnam post de-
cori ejus infamiæ labem imposuit. Quo fa-
cto, Anastasius (43) Antiochiæ Episcopus
caussam suscepit, ac libros ad hanc labefa-
ctandam hæresim scribere, atque fautores
B accersere instititit, atque omnium animos,
quisnam futurus esset hujus controversiæ
finis, magna expectatione suspendit. Proxi- 565
mo anno Narses pontem in Anienem, quem
Totilas everterat, à se refectum his verbis
inscripsit: *Imperante D. N. Piissimo, ac trium-
phali semper Justiniano* PP. *Augusto*, *Anno*
*XXXIX. Narses vir gloriosissimus ex Præposito*
*sacri Palatii, Excons. atque Patricius post vi-
ctoriam Gotthicam, ipsis eorum Regibus cele-
ritate mirabili conflictu publico superatis, at-
que prostratis, libertate urbis Romæ, ac Ita-
liæ restituta, pontem viæ Salariæ usque ad
Aquam à nefandissimo Totila tyranno destru-
ctum, purgato fluminis alveo, in meliorem
C statum, quàm quondam fuerat, renovavit*. Ne-
que tot operum, quibus ille urbem, atque
Italiam instauravit, aliud extat hodie mo-
numentum. Justinianus Idibus Februarii li-
teras ad Narsetem dedit, ut filiis L. Titio-
nis, qui Tribunus militum in prœlio con-
tra Vitigem Regem apud Ravennam ceci-
derat, bona, dignitatemque pristinam resti-
tueret. Ceterum insignis annus trium cla-
rissimorum virorum, ac principum obitu
fuit, Belisarii Patricii, (44) Clotharii Re-
gis, (45) & Justiniani Imperatoris. Clotha-
rio

---

*circa vesperam, de Imperatore interficiendo, ubi sederet in Palatio*, quosdam conjurasse. Addit, plerosque Sergio auctores fuisse, ut fateretur Isacium, & Belisarium fuisse conjurationis participes.

(39) *Julii mensis die decimonono Patricius Belisarius prioribus cunctis Dignitatum honoribus restitutus, in gratiam quoque Imperatoris rediit*, inquit Theophanes c., unde purum putumque commentum est, quod de Belisario excæcato, & eleemosyna ab eo petita Joannes Tzetzes Poeta Græcus, reclamante antiquitate, narrat, quæ neque Zonaras, neque Michaël Glyca, neque Constantinus Manasses, aliique tradidere. Tzetzem porro legenti, (Scriptorem duodecimi sæculi) satis innotescet, parum de Belisarii casu edoctum, qui ipsemet Histor. 86. dicit, se *in aliis Chronicis* legisse, eum excæcatum non fuisse; sed in ordinem redactum, & postea restitutum.

(40) Marius in Chron. ad an. 19. Post Consulat. Basilii, Chramni interitum refert, qui ex Gregor Tur ad Chonoberem (tunc Britanniæ Gallicanæ, sive Armoricæ ditionem is obtinebat) se receperat. Bellum igitur hoc, quod Turonensis fuse narrat, ad an. 560. retrahendum, in quem incidit annus 19. Post Consulat. Basil, quo Marius Chramnum necatum prodidit: præsertim quia, ut mox constabit, Clotarius anno 561. obiit.

(41) Edictum editum initio anni 565. Theophanes, ad an. Incarnat. sec Alex. 557., Kal. Sept. anni Chr. 564. inchoatum, tradit, cui Eustathius in V. S. Eutychii suffragatur. Errant igitur qui an. 563. consignandum edictum putarunt, in quibus Baronius: illud *ab omni pietate alienum* dicit Theophanes.

(42) *Indictione XIII.* Eutychium dignitate motum, & exulem actum Theophanes testatur *mense Aprili*; unde magis confirmatur, an 565. edictum editum. Translatus autem primo fuit *in Insulam Principis dictam*, quæ in Astaceno sinu Propontidis sita, ubi tres hebdomades moratus fuit, indeque Amaseam Helenoponti Metropolim exul amandatus, ut in Monasterio viveret, in quo primum Monachus, Archimandrita deinde fuerat, cui suffectus *Joannes Exscolasticus magnæ Antiochiæ Responsarius*, ut Theoph. habet l. c. L. Eustathium in V. S. Eutych.

(43) Sinaita dictus, quòd Monasticam vitam in Monte Sinai professus fuisset. Ad Antiochenam Sedem evectus postremis Justiniani temporibus, hæreticum dogma Aphtartho-docitarum acerrime perstrinxit, obsistens Edicto Imperatoris, missa ad eumdem Relatione, qua erroris convelleret fundamenta; unde & ad Monachos etiam Primæ, ac Secundæ Syriæ de eadem re scripsit. De ipso L. Evagr. l. 4. Hist. Eccl. 40., l. 5. 5., & l. 6. cap. ult., ubi narrat, Justino Jun. imperante, calumniis appetitum, in exilium actum, & Sede exturbatum; sed, mortuo Gregorio invasore, post viginti & amplius annos, ipsam recuperasse.

(44) Mors Belisarii huic an. recte consignatur, ex Theoph. ad an. Incarnat. sec. Alex. 557., Kal. Sept. an. Chr. 564. inchoati, ubi legitur, obiisse *mense Martio*, *Indict. decimatertia*. Illi adstipulatur Cedrenus ad an. Justiniani Imper. 38., qui in currentem an. incidit.

(45) Clotarius obiit anno Regni sui quinquagesimo, teste Almoino l. 2. 37., completo, sive quinquagesimo primo, ut habet Fredegar.

rio mortuo, filii ejus regnum ita distribuerunt, ut Chereberto (46) Parisii, Sigeberto Metenses, Chilperico Suessiones, Guntranno Aurelianenses evenerint. Justinianus, cum ad perdendum Anastasium edictum parasset, illo nondum promulgato, repentina morte perculsus est: obiit autem anno Imperii sui A XXXIX. (47) ætatis LXXXII. Idibus Novembris, vir inter paucos merito numerandus; quippe princeps bello, paceque inclytus, ac veteris Romanæ gloriæ instaurator eximius, ac sine dubio bonorum simul, ac fortium Imperatorum Orientis extremus.

*Atque hæc quidem sunt, quæ ad Occidentale Imperium pertinentia cura, studioque diuturno memoratu digna collegi, & quod ad conservandam memoriam præstantius fuit, in tempora, annosque distinxi, summa veteris omnis renovandæ memoriæ cupiditate, cum mea sponte, tum in primis tua, Excellentissime Princeps, præclara erga hæc studia voluntate, incensus. Posthac, ipso prorsus extincto Imperio, res Romana in multa regna est distributa, Francorum & Burgundionum in Gallia; Gotthorum in Hispania; Anglorum, & Scotorum in Britannia; Longobardorum, ac Normanorum in Italia; itemque Sarracenorum in Africa; itaque si quis continentem his annis historiam literis illustrare voluerit, næ ille multo elegantius, atque commodius fecerit, si singula regna singulis voluminibus comprehenderit, quàm, si confusam illam omnium molem in unum quasi corpus congesserit. Hoc ego triennio ante experiri institui, regnum Italiæ mox à Longobardis invectum literis, ut dixi, commendare aggressus, initio à Justiniani excessu, in quo hæc Occidentalis Imperii desinit historia, ducto. Quare si quis hos illis annales prætexuerit, aut illam huic lectioni adjunxerit, perpetuam annorum prope mille, omniumque memorabilium actionum, quæ comperiri hac demum ætate potuerint, contextam narrationem habuerit. Utrumque autem opus à me Bononiæ orsum, atque confectum est, illud anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto; hoc vero septimo. Quod idcirco scribo, ut si quid priscæ memoriæ post hunc annum è tenebris educetur, qualia multa quotidie eruuntur, ejus me notitiæ compotem esse nequivisse, intelligatur; si quid autem exierit, profecto ejus adjiciendi mihi, si cum valetudine vita suppeditaverit, cura non omittetur, ut hoc opus, quod absolutissimum esse cupio, aliquando tandem in communem hominum utilitatem perficiatur.*

gar. 35. cum Turonensi l. 4. 21., qui utrimque incompletos numerant: successerat item Clodoveo M. patri mense Novemb. an. 511., unde an. Chr. 561. obiisse dicendus, aut non serius 562. Marius Aventicens. in Chron. consignat ejus obitum anno Post Consulat. Basilii XX., cum quo convenit annus 561.

(46) *Legitimam* factam inter fratres divisionem testatur Gregor. Tur. l. 4. 22. subdens: deditque sors Chariberto Regnum Childeberti, sedemque habere Parisiis & cet., narrans, Guntchramno obvenisse *Regnum Clodomeris, ac tenere sedem Aurelianis*: Chilperico *Regnum Chlotacharis*, & Suesionibus sedem habere: Sigeberto *Regnum Theodorici*, & Rhemis regiam habere. Chlodsinda vero B filia Clotarii, Alboino Langobardorum Regi nupta, superstes quoque Patri fuit.

(47) Extremis incompletis; dictus namque Augustus Kalendis April., ut alibi ostensum, an. 527. unde ad diem 14. Novemb. hujus an. interfluxere anni 38., menses septem, & dies tredecim. Obiit autem ætatis circiter 83., pervenit namque ad Imperium annos natus 45., affirmante Zonara, & Theophylo Justiniani præceptore, qui prodit, eum sub finem Anastasii dominatus Byzantium venisse tricenario majorem, ut tradunt etiam Cedrenus, & Nicephor. Illum ante mortem ab hæresi resipuisse pluribus ostendit Baron ad h. an., quibus consentiunt Men. Græcor. ad diem 2. Augusti mensis,

F I N I S.

Digitized by Google

# INDEX GENERALIS
## RERUM, ET NOMINUM
### PRO
# IMPERII OCCIDENTALIS
## HISTORIA.

A


ABares novu Hunnerum gens in Mœsiam irrumpit. 752. B. Partem Thraciæ occupant. Ibid. C. Inde fugantur. D.

Abascidas Licinii Præf. iuvasus. 112. D

Abellio U. P. Vicarius occisus. 60. A.

Ablavius Constantini M. crudelitatem notat. 128. C. Præf. prætor. 134. C. Conf. a. 131. Maximæ auctoritatis. 135. A. Necutus. (87) Sopatri perniciosus. 150. B. Ei Præfectura adimitur. 155. B. Privatam vitam traducens, nece purpurea peremptus. 157. B.

Abundantius, sive *Abundius* Ep. Comens. 493. B.

Abundantius Conf. a. 193. 117. C. Exulatur. 154. A.

Acacii defensores u Sede Apostolica se abdicant. 623. A.

Acacius Ep. Cæsareæ Palæst. parti Concil. Seluciæ præest 212. B. Sylvani formulam iucusat, aliam profert. C. & D Seleuciens. formulam improbat E.

Acacius Episcopus in Concil. Ephes. testis verborum Nestorii. 451. C.

Acacius Ep. CP. Gennadio suffec. inconstans. 548. A. Pro fide Chalced. Augustum terret. 552. B. Petrum Mongum de Eutych. hæresi apud R. P. incusat. 561. C. Eodem in communionem recepto tumultum Orientis incendit. 565. A. Communione ipse remotus in Vatic. Concilio. B. Vitio Legator. communio cum eo inita. 569. A. Ut alii Mongum in communionem recipiant auctor est. B. Iterum damnatus. C.

Acephali ex Eutychianis. 614. B. Jam pridem. (87) quomodo promoti. C.

Acherusia: obsessa. 713. C. Romanis dedita. 725. B.

Achilles Ægyptum ad defectionem solicitat ac ipsam sibi provinciam vindicat. 25 C. (65) Victus, capitali supplicio damnatur. 36. A.

Acholius Thessalonic. Ep. Theodos. baptizat. 284. A.

Acholius eunuchus à Dæmone liber. 474. D. Mortuus. 475. A.

Acilius Severus U. P. a. 325. 116. A.

Acindinus Conf. a. 340. 160. A.

Adamantius mag. mil. 746. A.

Adelphius U. P. a 351. 179. B.

Adelphius Conf. a. 451. 483. A.

Adiulfus Svevor. Rex à Theodorico victore pro Riciurio subrogatus. 517. C. Deficiens ab eodem captus capite punitur. 523. A.

Aedes, factæ multæ quassatæ 531. A. 745 B. u Sanctæ Sophiæ Basil. incendio flagrant. 754. B.

Aedificia quædam Romæ incensa. 409. C. Publica collabentia non dehonestandu esse jubetur. 520. B. Alia incendio deleta à Totila. 710. D. u Longobardis uuxiliaribus incensa. 730. A. plurima à Narsete refecta. 747. A.

Aedificium breve u Gotthis confectum circa Hadriani molem, in arcis formam. 732 C.

Aedui oratorem mittunt. 36. C. Fratres Romanorum appellati. 43. A. (20)

Aegyptii afflicti. 35. D.

Aegyptus ad Achillem tyrannum declinat. 25. C. Provinciæ sex. 133. B Turbatur hæresi Nestoriana. 444. D.

Aelianus Africæ Proconf. Fulleis Epis. causam cognoscit. 100. C.

Aelius Donatus grammaticus S. Hieron. præceptor. 176. C.

Aemilia nova hæresi infesta. 318. C. Ab Attila devastata. 500. C. u Burgundionibus populata. 575. B. à Gothis in ditionem Rom. descendit. 680. A. Ejus incolæ fame oppressi discedunt. 682. A. à Francis depraedata. 740. E. Ejus Civitates Constantino resistentes invasæ. 79. D.

Aemilianus Ep. Vercellens. 597. C.

Aemilius Conf. a. 495. 583. C.

Aequi ad esum serviunt. 705. D.

Aequitas divitiis posthabita interitus Gotthor. caussa. 697. A.

Aes de ornatu mœnium sublatum. 613. C.

Aetius Honorii Dux Alarico resistere non vales. 368 B Obses datus, machinationum conscius. 377 C. 392. C. iterum obses datus. 415. B. Joanni tyr. favet; ejus vita compendiata. 432. A. In Pannoniam iugenti auro missus. D. Hunnorum catervas conducit. 433. A. Atrox prœlium edit, sed mox componit. 434. B. Comitis dignitatem acquirit. 435. D. Machinatur. 436. C. In Gallium profectus Theodoricum invadit. D. Pacem postulare cogit. 439. B. Ejus fraus detegitur. C. Clodionem repellit. 440. B. Mag. Milit. factus. 442. C. Auxilium Britannis mittit. 446. C. 447. B. Conf. a. 432. dignitate nudatus. 453. C. à Valentiniano Dux in Belgicam destinatus. 454. C. Victor, & laudatus u Sidonio. 455. A. Iter. Conf. a. 437. 459. C. In Gallias missus Theodoricum ad pacem cogit. 462. A & C. Cum Albino contendit. C. III. Conf. a. 446. 469. C. Ad consilia incumbens, Britannos negligit. 470. A. Armoricos subigendos Eocharico tradit. 474. A. Advers. Attilam, se parat. 482. C. Diem ad conveniendum edicit. 485 B. Aureliani desideratus. C. Ejus obsidionem tollens, summum prœlium non detrectat. 486. A. & D. Acriter pugnat, per tenebras u suis divisus, noctem scutorum defensione transigit. 488. A. Attilam obsidione premere statuit. B. Ad Romæ defensionem adesse jussus. 497. A. Ab Attila timetur. 499. D. Opportunum uuxilium affert. 500. B. Attilæ tergis insistit. 501. A. Opem non afferens Thorismundo, Attilæ fœderatus creditur. 504. B. prœlio commisso depellere illum nequit. C. Tollendus curatur. 507. C. & D.

Aetius *alter* Conf. a. 454. 504. B.

Aetius Diac., ejus error. 205. A.

Aetius Notarior. Primicerius Dioscorum eitat. 491. B

Afri Theodoricum Ital. Reg. armorum socium invitant. 628. A. Belisarium advocant. 643. B.

Africa, Provinciæ quinque. 132. C. In Maximi A potestatem. 318. A. Laceratu. C. Ab Honorio deficit. 354. B. Navigationes ex ea impeditæ. 356. A. Ibi Concil. 375. A. à Barbaris occupatur. 384. B. Ibi Ecclesia afflicta. 438. C. 441. C. 459. D. u Piratis infestata. 460. D. u Genserico denuo turbata. 462. C. ejus pars notabilis Genserico concessa. 467 B. Vandali hinc expulsi. 628 A. Justiniani classe à Belisario adorta. 642. C. Variis prœliis afflicta 643 A Hinc Vandali in extrema Numidia fugati. 645. B. Residuum jam Romanæ ditioni subjicitur. 646. A.

Agupetus Conf. a. 517. 619. C. Secundum Conf. extraordinarium ugit. a. 521. 624. C Joannem Pont. Rom. CP. tendentem comitatur. 628. A.

Agapetus *alter* Patricius: Joannis R. Pont. ad Justinum A. properantis in itinere socius. 628. A.

Agaunensium Martyrum immortalis in Ecclesia gloriu. 20. B.

Agilimundus subregulus venium poscit. 203. C.

Agilon Aquilejam ad deditionem inducit. 324. A.

Agnellus Ep. Ravennæ Templu expiat, multis donariis auget. 754. A.

S. Agnes Virgo Constantiæ loquitur. 101. B.

Agricola Conf. a. 421. 428. C.

Agricola Severiani fil. Pelagianus Britanniam maculat. 445. C.

Alamani, seu Alemani conjurantes omnia vastant. 22. A. Galliarum ugros hostiliter ineunt. 23. A. à Maximiano edomiti. 24. A & B. In Lingonas irrumpunt. 38. B. Ex millibus protritis, superstites se dedunt. 39. A. Inter ipsos & Saxonas locati Franci. 63. A. tumultuantes. 69 A. Vincunt Decentium Cæsarem. 179. C. u Constantio pacem petunt. 189. C. Irrumpunt. 190. D. Iterum fugati. 191. A. Cum Juliano Cæs. vario marte pugnant. 196. B. oppressi. 199. C. Ab Juliano prævecati. 206. C




Digitized by Google

image
not
available

Amandus Ep. Burdegalæ laudatur. 380. B.

Amandos & Ælianus duces Bacaudarum, seu rusticorum Maximiano se dedunt. 21. A.

Amandinus Ep. Catalaunicus in Turon. Concil. 527. A.

Amantius Cons. 170. A.

Amantius eunuchus Eudoxiæ gratissimus. 365. A.

Amantius cubiculi P. Anastasii somnium audiens aliud ipsi narrat. 621. A.

Ammatas: Gilimeris Vandal. Regis in Africa fr. Hildericum occidere, & cum suis se Belisario objicere monitus. 642. D. Immaturè congressus, fugam arripit. 643. A.

Ambitus Pontificiorum Comitiorum lege compressus. 637. C.

S. Ambrosius Civis Rom. Mediolani Consularis ut tumultum sedaret, accurrit, Episcopus acclamatur. 250. B. Fugit, & arreptus asservatur. 251. A. Consecratur. B. Arrianos deturbare instituit. C. Virgines sacrandæ ad eum mittuntur, librum scribit. 256. C. Sirmium petit, ab Justina, fulta virgo Arriana ipsum pellere nititur, morte postero die punita. 283. A. In Concil. Aquilejæ. 289. A. Evertendus curatur à Justina A. 290. C. Viaticum persequutori præbet. 291. A. Ad Palatium à populo prosequutus, tumultum demulcet. B. Denunciationis libellum Romani Senatus à Damaso acceptum ad Gratianum mittit. 292. A. Per Tribunum coram Valentiniano vocatus. 295. B. Basilicam cedere jussus. C. Epistolam scribit Valentiniano. D. Et ad populum. 296. D. Pro Valentin. ad Max. Legatus pacem componit. 300. B. Ab ara victoriæ reponenda Valentinianum avocat. 301. A. Iterum ad Maximum missus. 302. C. Maximi osculum respuit, objecta solvit. 303. A. Ex Gallia decedere jubetur. B. Pro Basilicis vexatur. 304. A. Presbyterum Arrian. eximit injuriæ. B. In Basilica veteri, diem peragit, inde domum se recipit. 305. C. In mœrore, orando, concionando dies aliquot peragit. 306. ad 307. S. August. baptizat, Sancta Martyrum corpora reperit. 308. A. Calumniatus. 309. A. Sancta Ossa traducit. B. Recedit Mediolano, Theodosio adventante. 325. A. Regreditur. 327. B. Theodos. ab ingressu Ecclesiæ excludit. 328. B. Rufini officia respuit. 330. A. Procumbentem, piaculo imposito, communioni restituit. B. Legatus destinatus. 333. A. Irrito infecto regressus. B. à Regibus Francis laudatus. 338. A. Bononiam tendit. 338. A. Eugenio significat causam (134) Sanctorum Martyrum Corpora reperit, puerum ad vitam revocat. B. Pro filiis hostium ad Ecclesias confugientibus exorat. 344. B. Ad Theodosium procedit. C. Ad hominem servandum accurrit. 354. B. Sancti Nazarii Corpus reperit. C. Morbo jactatus, excedit. 356. B. Civi Florentino apparet. 382. B. Ejus facti hist. 559. D.

Amingus Bucellini quondam socius Vidino auxillaris, à Narsete interemptus. 745. C.

Ammonius Monachus Basilicæ Varic. splendorem miratur. 95. C. Vir mirabilis. (41)

Ampelius Attali fil. ap. Alaricum. 406. B.

Ampelius U. P. corruptos mores emendare aggressus. 256. D.

Ampelius in Hispan. à Rege Ital. vitas hominum servare jubetur. 610. A.

Ampliatus Presb. à Vigilio Ro. Po. Siciliâ Romam remissus. 704. A.

Ampsivarii. V. *Franci*.

Anastasius Pont. R. creatus. 357. B. à Paulino Nolano laudatus. C. Ad eum legati missi. 366. B. Moritur, à Sancto Hieronymo laudatus. C.

Anastasius II. P. R. Gelasio suffec. nuncios ad Anastas. A. mittit. 590. D. Moritur. 592. C.

Anastasius Ep. Antioch. Sinaita dictus advers. Aphtarthodocitarum hæresim libros scribit. 756. A.

Anastasius Presb. Nestorianæ heres. semen. 442. A.

Anastasius Dyrrachinus Silentiarius Imp. Zenoni subrogatus. Eutychianus ut consecretur, jurat se nil innovaturum in Eccles. 578. C. Cons. a. 492. odium occultû expromit. 588. B. Iterum Cons. a. 497. ad eum R. Pontificis Legati. 590. D. Macedonio C. P. Episcopo Synodicā dare prohibet. 592. C. Bellum Persicum gerit. 600. D. 602. D. Impetum in Catholicos convertit. 603. A. III. Cons. eximia dona Clodoveo mittit. 607. A. Ipso imperante Eutychiani infectas distribuuntur. 614. B. Episcopum C. P. in exil. mittit, trisagium cum additione promovet. C. Flaviano Episcopo Antioch. pulso Severum sublegit. 616. C. à Vitaliano territus Concilium Heracleæ indicit. 617. A. Eo & Timotheo Episcopo illudentibus nil Patres conficiunt. C. Eutharicum tunica palmata donat, per arma filium adoptat. 618. D. Ab Episcopo Orthodoxo objurgatur. 619. B. IV. Cons. C. Novos Legatos corrumpere conatur. 620. B. Inde insolenter ad Pontif. scribit. C. In somnis spectro terretur. 620. A. Fulmine ictus interiit. B.

Anatolius Ep. C. P., confessio fidei ab eo requiritur. 479. C. Chalcedonis Concil. adest. 490. A. Probandam miraculo fidem proponit. 492. B. Ut ejus sedes primum post Rom. locum teneret instat. 493. A. R. P. monet. 518. C.

Anatolius Or. Cons. a. 440. qui & Mag. militiæ. 464. (69)

Anatolius vir Consularis marmoris fragmento collisus. 751. B.

Anatolius Excons. summo judicio adest. 456. A.

Anatolius Præf. Illirici. 207. D.

Anaxillas: ex Ducibus advers. Gensericum missis, terrorem potiùs infert. 466. A.

Ancona à Gotthis obsessa. 679. A. Liberatur; C. Iterum à Totilæ exercitu obsidetur annonâ deficiens. 722. D. Subsidio accedente, maximâ Gotthor. clade, libera evadit. 723. A.

Andefleda Clodovei Reg. Francor. sor. Theodorico despondet. 584. A.

Andoinus Longobar. Rex Dalmatiam populatur, & collatis in Gepides armis, amicitiam Justiniani postulat. 716. B.

Andragathius audax dolo Gratianum necat. 298. D. Ad Valentinianum & Justinam capiendos triremibus missus. 322. B. Se præcipitat. 324. B.

Andreas Presb. Ostiens. novo exemplo in Ro. Po. Pelagium consecrat. 744. C.

Andromachus U. P. a. 395. 353. B.

Anemnius Sirmii Ep. à S. Ambrosio consecratus. 283. A. In Concil. Aquilejæ. 289. A.

Angelus Sanctum Marcinum confortat. 316. C. Morti non obnoxius ab Eutychianis adducitur, subinjectione delusis. 615. B.

Angli primùm in Britannia. 479. A.

Anianus Aureliani Ep. de Civitate sua solicitus. 485. B. Suos monet in Deo sperandum. C. Tertiò repetita oratione exauditus. 486. A.

Anianus Cons. a. 314. 93. B.

Anicia gens. 383. (137) opulentissima Romæ statum ægrè fert. 402. B. Matres eorum. 409. (221) & 415. (14) ex ea Bassus. 449. (33)

Aniensis pons refectus à Narsete inscriptusque. 756. B.

Anicius Julianus U. P. a. 326. 127. A. Et per alios annos duos. 129. C.

Anicius Paulinus flos R. nobil. U. P. a. 332. 137. A. Huic statua inaurata ponitur. B. Monumentum pro Constantini de Gothis victoria excitat. 138. B.

Anicius Præf. Præt. à Magnentio constitutus a. 350. 177. A. Contra Nepotianum pugnat. Ibid.

Animus ante corpus existens: Origenistarum error. Sicut de corpore in corpus commigrans. 702. A

Anniballianus Cæs. Constantii cohæres. 155. B.

Anniballianus Dalmatii fr. manumissus. 157. A.

Annius Anullinus U. P. a. 306. 57. A.

Annullinus Africæ Procons. 89. C. Libellis in Cæcilianum criminosis Constantino missis, ut curet restituere jubetur. D.

Annulinus una cum Tusco Cons. a. 295. 38. A.

Annulus missus stupri nefas aperit facescendum. 507. A.

Annus trium Claris. Viror. obitu insignis. 756. C.

Anthalas Dux advers. Attilam. 497. A.

Antæ: à Justiniano ad Belisarium in auxilium Romam missi. 670. C. Cum Tulliano trecenti Gotthis infesti. 710. C.

Anthemius Cons. a. 405. 380. A. P. P. in Oriente 393. A. Mag. mil. advers. Attilam missus viriliter pugnat. 471. D. à Sidonio laudatur. 472. A.

